ILLUSTRISSIMI, ET REVERENDISSIMI DOMINI

D. F. JOSEPH-MARIÆ PERRIMEZZI

EX ORDINE MINIMORUM

S. FRANCISCI DE PAULA

S. CONGREGATIONIS INDICIS IN URBE CONSULTORIS,

S. Romanæ, & universalis Inquisitionis Qualificatoris, SS. Domini nostri Prælati Domestici, & Pontificio Solio Episcopi Assistentis, Sanctæ Oppidensis Ecclesiæ Episcopi;

IN SACRAM DE DEO SCIENTIAM

DISSERTATIONES SELECTÆ

HISTORICÆ, DOGMATICÆ, SCHOLASTICÆ

PARS QUARTA,

AD EMINENTISSIMUM, ET REVERENDISSIMUM

PRINCIPEM

ANTONIUM-XAVERIUM

GENTILI,

S. ROMANÆ ECCLESIÆ CARDINALEM AMPLISSIMUM,

Et SS. Domini Nostri CLEMENTIS XII. Pro-Datarium.



NEAPOLI MDCCXXXIII.

Ex Typographia Januarii Mutio, Hæredis Michaëlis Aloysii.

Superiorum Permissu.

AD EMINENTISSIMUM, ET REVERENDISSIMUM

PRINCIPEM

ANTONIUM-XAVERIUM GENTILI,

S. ROMANÆ ECCLESIÆ CARDINALEM AMPLISSIMUM,

Et SS. Domini Noſtri CLEMENTIS XII. Pro-Datarium.

AUCTOR

QUIA Tibi, PRINCEPS EMINENTISSIME, a primis ætatis tuæ moribus in uſu fuit, noſtra, etſi inania & debilia, haud ſolum non ægre ferre, verum quoque humane accipere; &, quod evidens eſt benignitatis tuæ argumentum, habere etiam accepta: hinc nobiſmetipſis animum reddere viſi ſumus, ut Tibi hoc præcipuum noſtrarum Theologicarum Diſſertationum Volumen fidenter, & quod plu-

pluris est, animose quoque, dedicemus. Aliter profecto res se habuisset, si nostræ tantum pusillitatis conscii, & tuam, sive generis, sive doctrinæ, sive dignitatis, eminentiam suspicientes, coram Te, nostra ferentes dona, quæ sunt pauperrimæ nostræ mentis fœtus, apparere sustinuissemus. Deterruisset enim nos hinc inopia, qua laboramus, inde magnitudo, qua fulges, ut ante Te prodire omni ex parte erubesceremus. At concepta a nobis de Te opinio, & quidem a prima tua ætate, in qua in tuorum studiorum consortium nos admittere dignatus es, animum revocavit; fecitque simul, ut Tibi offerremus matura, quæ jam olim acerba non rejecisti.

Accedit, quod ab illa quoque ætate, & in posterum semper, in Te suspeximus inculpabilem morum innocentiam, eximiæ doctrinæ præstantiam, & non vulgarem prudentiæ, moderationis, & justitiæ laudem, quibus per omnia munera, quæ supra invidiam omni ex parte implevisti, nobis, & omnibus illis, qui Te agnoscebant, in admiratione fuisti; ita ut commune fuerit omnium judicium, Te aliquando ornatum iri illa præclarissima in Ecclesia dignitate, quam ad præsens exornas, & vicissim ab ea exornaris. Hæc cogitantibus nobis, antiquum animi, mentisque, robur, redit, quo ad Te accedere, & Tibi arridere, non vereamur. Cur enim rejicies, qui Te obsecrat, si neminem Te interpellantem repellere consuevisti? Hoc esset equidem vel antiquæ tuæ probitatis injuria, vel omnigenæ tuæ doctrinæ offensio, vel altissimæ tuæ dignitatis detrimentum; a quibus suspicionibus tantum abest, ut vel in minimo lædaris, quod potius in summa dignitate positus, summam quoque exerceas virtutem, cui summa dignitas æquiparatur.

Hinc SANCTISSIMO CLEMENTI acceptus, non

solum

ſolum meruiſti , ut ab eo sacra purpura ornareris ; verum quoque , tua morum ſuavitate , ſcientiarum plenitudine, dexteritatis, fidelitatis, & charitatis, aſſiduo ac luculento exercitio, effeciſti, ut ipſe peculiaris amoris, & juſtitiæ laude, eadem illa Te exornaret. Et Tu viciſſim, CARDINALIS AMPLISSIME, beneficia accepta ea grati animi ſignificatione complecteris, ut nullum ſit tempus, quo vel eadem memoria non revolvas , vel parem voluntatem non reddas . Quod BEATISSIMUS PATER ita ſibi jucundum pergratunque eſſe oſtendit, ut in dies Tibi ſicut onera multiplicat , ita pariter honores cumulet, & accreſcat . Hinc inter ipſum , & Te , videmus admirabilem illam contentionem , qua Miniſter fide ſua Principis ſibi arctius voluntatem accerſit, & Princeps amore ſuo ſibi intimius Miniſtri fidelitatem devincit . Hoc autem quam ſit Probis omnibus acceptum, ille ſolum non confitetur, qui Miniſtrorum viciſſitudines non agnoſcit , aut non deplorat.

Vellemus Epiſtolæ noſtræ communem omnium vocem ſubrogare , qua virtutes tuæ ità ab omnibus exaltantur , ut illis arduum ſit , quam debeant primo loco extollere, & quam potioribus laudibus exornare. Nemo eſt, qui non demiretur humilitatem in Te , qui quanvis in ſupremo loco poſitus , nullum tamen deſpicis , nullum reſpuis , nec illos erubeſcis habere proximos , quos in altera fortuna cognitos habuiſti: Qui comitatem non ſuſpiciat , qua nullum ſinis a Te triſtem diſcedere, & ad Te non fidentem iterum accedere: Qui liberalitatem non commendet, qua perditum habes diem , quando Te invocantibus beneficia non præſtes. At nos præ cæteris in moribus tuis ſuper omnia laudamus conſtantem illam voluntatem , qua omni tempore ſtudes Deo placere , &

hominibus . Hic quidem eſt Eccleſiaſtici Principis character, iſque præcipuus, quo divinæ largitati reſpondet, a qua auctoritatem agnoſcit, & hominum indigentiæ ſubvenit, ob cujus levamen a Deo credit poteſtatem accepiſſe.

Dignare ergo, PRINCEPS EMINENTISSIME, ut nos quoque ad Te accedamus, offerentes Tibi, quæ in Dei honorem, & in Proximi utilitatem, paravimus; & a Te quoque implorantes protectionem tuam, qua fiet, ut Deo honor non denegetur, & Proximo commodum non contendatur. Et ſi in hiſce Diſſertationibus noſtris aliquid offendas, quod tuam obtineat probationem, reminiſci digneris, quod illud vel a tuo didicimus colloquio, vel a tuo exemplo comparavimus. Nos interim Deo humillimas agentes gratias, quod aliquando tenuitati noſtræ largitus fuerit, ut in tuum admitteremur conſortium; eundem obnixis precibus deprecamur, ut Te ſoſpitem per annos multos conſervet; unde Eccleſia ſua poſſit in Te modo fortiſſimum habere brachium, quo illa exequaris, ad quæ ex munere deſtinaris; & poſtmodum ſapientiſſimum nanciſci caput, quod eandem regat, doceat, atque gubernet.

LEGENTIBUS

PROLOQUIUM.

IN quartum nostrarum Theologicarum Dissertationum Volumen, quod vobis eodem tempore cum tertio legendum proponimus, non solum, quia in utroque de eadem re est sermo, hoc est, de Deo-Homine Christo, verum quoque, quia bina & bina evulgare instituimus: unde quum duo jam a principio habueritis, in quibus de Deo, & de attributis ejus, de Trinitate, de Angelis, & de Opere sex dierum, agitur; alia duo accipitis modo, in quibus de Divini Verbi Incarnatione, & de Christi, ejusque Matris mysteriis, pertractamus. Humanitatem vestram, speramus, futuram fore eandem, quam in aliis experti sumus; unde superfluum ducimus, ut illam denuo obsecremus. Solummodo igitur hic detinere vos volumus, ut de quibusdam monitos faciamus, quæ, vel ad Operis intelligentiam, vel ad Authoris mentem assequendam, necessaria judicamus.

Comperietis in hoc Volumine, nos utplurimum cum Jacobo Hyacintho Serry, ex inclyto Prædicatorum Ordine, Sacræ Facultatis Parisiensis Doctore, & in Academia Patavina Primario Sacræ Theologiæ Professore, contentionem habere; & aliquando etiam videbitis nostras eidem adjungere manus, & ad Conclusiones nostras probandas, ipsius uti rationibus, & verba insuper recitare. Cum eodem contendimus in peculiari libro, quem edidimus: De Natione Tortorum Christi; & postmodum in hoc volumine non semel pugnamus, prout diversimode occasio se nobis offert, quod potissimum accidit in iis, in quibus Ecclesiæ traditio, pietas fidelium, & Sanctorum veneratio, vel detrimentum, vel discrimen subire visum est. Quod sane præstitimus, & ex veritatis amore, cujus studium in omnibus primum debet habere locum, & ex religionis zelo, qui in Episcopis præsertim fervidior debet supra omnes & constantior apparere.

At ne videamur cum persona, quam etsi nunquam viderimus, summopere tamen veneramur, rem habere; hinc est, quod quæ in eo admittenda, & probanda agnovimus, illico admisimus, probavimus, & extensis ulnis amplexi sumus. Veritas enim non est aut ab uno, aut ab altero occupata; nec ita semper exulat ab uno, ut in nullo ex operibus ejus comperiatur. Nec illorum commendamus exemplum, qui omnia rejiciunt, quæ Scriptor aliquis evulgat, eo quod in uno, aut in altero, defecisse compererint. Nunquam enim errare, Angelorum est; Dæmonum est fallere semper; Hominum vero est aliquando vera, aliquando falsa, dicere & scribere; non quidem ob voluntatis defectum, quæ fortassis semper adamat veritatem & inquirit, sed ob mentis limitationem, quæ omnia difficile assequitur, & in aliquibus necesse est, ut aut fallatur, aut fallat.

Quæ quidem, & pro cujuscunque Scriptoris, & pro nostra etiam defensione, dicta volumus. Pleraque enim in Dissertationibus nostris invenictis, quæ vobis arridebunt, at fortassis plurima, quæ displicebunt. In uno probabitis judicium nostrum, si Scriptorem aliquem impugnamus; in pluribus forsitan reprehendetis: aliqua ex Conclusionibus nostris vestram assequetur laudem, sed multo plures excitabunt indignationem. At vos, quia sicut humani, ita & prudentes estis, scitis, hanc esse humanitatis rationem, ut si homo aliquis in uno, aut altero non fallat nec fallatur, in pluribus tamen deficiat. Fatemur igitur nos ultro infirmitatem nostram, & vos obsecramur, ut ea humanitate nos corrigatis, qua nos Adversarios nostros impugnare conati fuimus. Non verbis scilicet, nec verbulis; non dictis, nec dicteriis; non irrisionibus, nec sarcasmis; sed authoritatibus, & ratiociniis, testimoniis, & legibus, humanitate demum, ac charitate.

Cæterum nos, qua decet humilitate, profitemur, non pertinaci animo scripsisse, quæ scripsimus; at docili potius, & cuicunque S. Ecclesiæ judicio submisso; ita ut errores nostri volumus, ut ab omnibus & singulis, non tanquam mentis pravæ, vel obstinatæ voluntatis defectus, sed ut cæcutientis intellectus, & humani animi hallucinationes, habeantur. Ita nos putavimus aliorum errores, sic nostros quoque ab aliis habendos, rogamus. Quis enim credet Adversarios nostros, si ab Ecclesia expresse non sunt damnati, in rebus prægrandis ponderis, quales sunt theologicæ, consulto errare voluisse? At quia opinandi libido ita interdum homines occupat, ut singulares esse velint in sententiis suis, & ideo peculiares statuunt sententias, quibus aliquando Scriptores veteres, Histori-

ci

ci probati , & quandoque etiam Patres , refragantur ; inde est , quod errant , non quidem errandi animo , sed opinandi libidine .

Hinc comperietis Vos quoque , nos aliquando in quibusdam facti quæstionibus nulli ex partibus adhæsisse ; quia voluimus , potius anceps nostrum esse judicium , quam illi fixum parti , quæ majorem , vel extrinsecus , vel intrinsecus , non haberet probabilitatem . Nullis enim partium studiis implicati , libertatem nostram potius intendimus exercere in suspendendo judicium , quam in applicando illud opinioni illorum , ad quam nos ratio , vel authoritas , non impellebat . Et quanvis possint aliqui ex hoc nos accusare , vel diffidentiæ , vel pusillanimitatis , vel , quod pluris est , imperitiæ ; nos maluimus nostram fateri ignorantiam , quam ostendere obstinationem , iis præcipitanter adhærentes , ad quos recta ratio non trahebat . Et quia suspensionis hujuscemodi apud graves Authores non unum habemus exemplum ; hinc est , quod ab illius ulteriori defensione , vel excusatione , abstinemus .

Prosequimur quoque rationem reddere Critices , quam exercere in his Voluminibus non omisimus , sicut in præcedentibus fecimus , & inibi quoque in librorum fronte rationem exposuimus . Scilicet nos exercuisse Criticam illam , quæ non est severa , non nimia , non immoderata , quam utplurimum Sectatores , ac Novatores sequi se jactant : at illam , quæ est temperata , justa , & rationabilis , quam eruditi Catholici exercent . Unde nec ea negavimus , quæ inficiari absque discrimine nemo potest ; nec ea admisimus , quæ affirmare , vel simplicitatis est , vel imperitiæ , vel oscitationis . In eo enim sæculo versamur , in quo Scribentes , etsi laudabilia scribant , despiciuntur tamen , si fortassis Critices ignari comperiantur . Et quia pariter hoc in eodem seculo eruditi non habentur , qui severiorem criticam non exercent , quanvis hoc fiat cum pietatis dispendio , & religionis etiam periculo ; inde est , quod operam maxime dedimus , ut critica , etsi moderata , cum eruditione conjugatur , & a re historica ad quam maxime spectat , non segregetur .

Denique Dissertationes , quas in hoc quarto Volumine paravimus , etsi apud Theologos de Schola in usu non sint , apud Dogmaticos tamen , & Historicos in usu esse , nemo negabit . Proferimus multis in locis Angelicum Doctorem S. Thomam , proferimus Suarez , proferimus Vasquez , qui inter Scholasticos sunt præcipui , & nihilominus de his mysteriis fuse tractant : & ex novissimis laudamus Serry , laudamus Graveson , qui de iisdem lato calamo scribunt : ex positivis vero Theologis plures inducimus , qui

ea-

eadem ex professo tractant, inter quos sunt principaliores Cornelius a Lapide, Sylveira, Abulensis, &c. Nostræ enim Dissertationes in Sacram de Deo Scientiam quum sint Historicæ, Dogmaticæ, & Scholasticæ, omne illud continere debebant, quod de mysteriis divinis, vel historiam respiceret, vel Dogmaticam, vel Scholasticam.

Quod si hæc infirma, utplurimum valetudine scripsimus, alia, quæ sequuntur volumina, pristinæ restitutos saluti scripturos speramus, si ad eam obtinendam vestræ accesserint precationes. Vos autem si labores nostros vere probatis, credimus hoc facturos; & quia illos prosequi sine ulteriori valetudine non possumus; & quia consuetam vestram benignitatem, in excusando & acceptando illos, ulterius exequi non potestis. Valete.

INDEX

INDEX
DISSERTATIONUM.

An-

INDEX DISSERTATIONUM.

INDEX DISSERTATIONUM.

IN SACRAM DE DEO SCIENTIAM

DISSERTATIONES SELECTÆ

HISTORICÆ, DOGMATICÆ, SCHOLASTICÆ.

PARS QUARTA.

DISSERTATIO CCI.

De Christo Domino in Sanctis Evangeliis descripto. An Evangelia sint genuina, & divinæ authoritatis? An illos habeant Authores, quorum exhibent nomina? An Jesu Christi historiam contineant, veritatis omnibus notis absolutam?

PRIMO Porphyrius, Gentilis homo, & religionis nostræ implacabilis inimicus, multa effutiebat contra Sancti Marci Evangelium, ut evinceret, illud erroribus esse refertum, ac proinde non Spiritu Sancto dictante conscriptum.

Secundo Faustus Manichæus contra Sancti Matthæi Evangelium insurrexit, asserens, plura, quæ in eo continentur, divinæ authoritatis non esse. Immo contra alios quoque Evangelistas dicebat, quia ipsi Christum non cognoverant, nisi quum esset annorum triginta, quæcunque de eo ante hanc ætatem scripserant, certa, & indubitabilia non esse.

Tertio Manichæi cæteri Evangelium quoque Matthæi in pluribus negabant, quod ipsum dicerent, erroribus quamplurimis esse implicatum, & antilogiis quoque multis abundare.

Quarto Anabaptistæ, recentiores Hæretici, eadem, ac Manichæi, somnia de Matthæi Evangelio vendirant; quæ quidem in objectionibus afferemus, & in responsionibus diluemus. Contra Evangelium quoque Marci Anabaptistæ non pauca scribunt, ut in præfatis locis videbimus.

Quinto Marcion, veterum temporum hæresiarcha, inepte dixit, Sancti Lucæ Evangelio multas inesse corruptelas, & pluribus ipsum scatere vitiis; quod pariter asseruit

servit Helvidius, hæreticus, & nuperis temporibus sequutus est Joannes Bodinus, asserens, duo priora S. Lucæ Evangelii capita, genuina non esse.

Sexto Richardus Simonius cap. 13. histor. critic. novi Testamenti, contra Evangelium S. Joannis aliqua commentus est, quæ pariter in objectionibus, & responsionibus, afferemus, & confutabimus.

Septimo Armeni abstulerunt a sacris Evangeliis verba hæc: *Et factus est sudor ejus, sicut guttæ sanguinis in terram descendentis*; eo quod dicerent, hoc non divinæ majestatis, sed imbecillitatis, esse. Testantur Nicon de pessima Armenorum Religione, & Euthymius in Panoplia.

Octavo Erasmus Roterodamus ad 8. caput Joannis dubitat de historia Mulieris adulteræ apud Joannem; eam tamen expresse negant Anabaptistæ, contendentes, historiam hanc fuisse translatam ex Evangelio secundum Hæbreos, quod Tatianus hæresiarcha confixit. Testatur Sixtus Senensis lib. 7. Sacræ Bibliothecæ hæresi 5. Et Theodorus Beza ad cap. 8. Joannis, hæc habet: „ Ad me quod attinet, non
„ dissimulo mihi merito suspectum esse,
„ quod veteres illi tanto consensu, vel re-
„ jecerunt, vel ignorarunt. Deinde quod
„ narrat, Jesum solum fuisse relictum cum
„ muliere in templo, nescio quam sit pro-
„ babile; & quod scribit, Jesum digito
„ scripsisse in terra, novum mihi & insolens
„ videtur: neque possum conjicere, quomo-
„ do commode possit explicari „.

Dicimus I., quatuor Evangelia, nimirum Matthæi, Marci, Lucæ, & Joannis, esse genuina, non supposititia.

I. Probatur ex Scripturis. Matth. 28. 15. Christus Dominus Apostolis dicebat: *Docete omnes Gentes*; & Marci 16. 15. Iisdem præcipiebat: *Euntes in Mundum universum prædicate Evangelium omni creaturæ.* Quibus verbis quanvis expresse Christus Apostolis non injunxerit historiam Evangelicam conscribere, tacitè tamen præcepit. Quod probatur sic. Non poterant Apostoli Christi jussionem plene adimplere, nisi Christi facta, & dicta scripto traderent: ergo vere Christus verbis illis Apostolis præcepit, Evangelicam historiam conscribere. Probatur antecedens; Primo ob brevitatem temporis, quo Apostoli permanebant in regionibus illis, in quibus fidem Christi Gentibus annuntiabant; secundo ob diuturnitatem temporis, quo Christi doctrina permanere debebat usque ad finem seculi apud Fideles, incorrupta; tertio ob commoditatem illorum, quos Apostoli substituebant Fidei christianæ prædicationi, quam, ut perfecte possent adimplere, eam debebant literis traditam, retinere, ac conservare.

II. Probatur traditione. Ab exordio nascentis Ecclesiæ quatuor hæc Evangelia ab omnibus Ecclesiæ Patribus habita sunt ut genuina, & divinæ authoritatis; quod omnes Ecclesiæ Scriptores testantur, quum alias plura alia Evangelia ab Ecclesia, uti supposititia, & spuria, rejecta fuerint: Ergo vere hæc quatuor genuina sunt, ac divinæ authoritatis. Consequentia sequitur; quod enim ab Ecclesiæ exordio habitum est ut verum, & legitimum, & subsequentibus Ecclesiæ seculis usque ad hæc tempora confirmatum, nulli potest esse obnoxium falsitati; Stat enim pro ipso longissimi temporis præscriptio, & communis omnium sensus uniformitas. Antecedens probatur. Patres priorum seculorum Ecclesiæ, qui fuerunt Apostolis, vel coævi, vel viciniores, laudant tantum uti vera, & genuina Matthæi, Marci, Lucæ, & Joannis Evangelia; ut videre quisque poterit apud Ignatium Martyrem, Polycarpum, Papiam, Justinum, Athenagoram, aliosque, laudantes ex Evangeliis testimonia in scriptis suis. Ex adverso autem reprobata sunt, uti supposititia, & spuria, *Evangelia secundum Petrum, secundum Paulum, secundum Andream, secundum Philippum, secundum Thomam, Matthiam, Bartholomæum, Barnabam, Nicodemum; Evangelium duodecim Apostolorum; Evangelium Basilidis, Appellis, Tatiani, seu Encratitarum, Ebionitarum, Nazaræorum, Ægyptiorum; Proto-Evangelium Jacobi &c.*

III. Probatur ex Romanis Pontificibus, laudantibus Evangelia, eorundemque testimonium adducentibus, uti verum Dei verbum scriptum. Leo I. epist. 61. ad Theodoretum: *Quinimmo ab incredulorum corde periérat immortale mysterium: quia nihil prodest tanta salus incredulis, ipsa veritate suis dicente discipulis: Qui crediderit, & baptizatus fuerit, salvus erit: qui vero non crediderit, condemnabitur.* Gregorius Magnus in Job. lib. 6. cap. 8. *Unde & discipulis veritas dicit: Euntes in mundum universum, prædicate Evangelium omni creaturæ.* Gelasius Papa adversus Andromachum Senatorem: *Nonnè ipse Dominus, cum adultera ad eum esset adducta, accusantibus dixit: Si quis vestrum est sine peccato, prius in eam lapidem mittat? Non ait: Si quis vestrum*

non

non similiter adulter est: sed si quis sine peccato est. Quolibet ergo obstrictus quisque peccato, in alterius peccati reum lapidem non audeat mittere. Quibus tunc pro suæ conscientia discedentibus, mundi Salvator adjecit: Mulier, ubi sunt accusatores tui? nemo te condemnavit, nec ego te condemnabo; sed vade, ulterius jam noli peccare. Nicolaus Primus epist. 40. ad Carolum Regem: *Denique tunc constat, accusatorem examen subterfugere, quando se jactat posse querimonias habere, desperat. Sic nimirum Judæi lapidibus adulteram mulierem obrui debere, putabant, ubi ad verum judicium hanc detulerunt, & quod existimabant videra, non viderunt; & quod non putabant audire, audierunt, confusi, & reveriti discesserunt.* Innocentius III. ad Psalm. 3. pœnitential. *Et ita tu solus es justus punitor, cum non sit in te, quod est in alio puniendum: quemadmodum Scribis, & Pharisæis de muliere in adulterio deprehensa dixisti: Qui sine peccata est vestrum, prior in eam lapidem mittat.* Et serm. 1. de assumpt. Mariæ: *Audi Christi agonem: factus, inquit, in agonia prolixius orabat, & factus sudor ejus sicut gutta sanguinis decurrentes in terram.*

IV. Probatur ex Conciliis. Sexta Synodus Constantinopolitana, habita ann. 680. act. 9. *Nec in hoc solum demonstratio stetit, sed circumferens eandem carnem, permittit eam, quæ contemptibilia sunt naturæ, sustinere, & esurire, & sitire, & dormire, atque fatigaris ad extremum, & ad crucem veniens, reliquit eam, quæ carnis sunt, pati. Propter hoc enim, & guttæ sudorum descendebant de ea, & Angelus inveniebatur eum confortare, & tristatur, & æstuat.* Concilium Parisiense, celebratum circiter ann. 828. cap. 1. *Discipulis Dominus ait: Euntes in mundum universum, prædicate Evangelium omni creaturæ: Qui crediderit, & baptizatus fuerit, salvus erit.* Concilium Laodicænum cap. 16. in quo statuitur Evangelium cum aliis sacris scripturis legendum in festis, aliisque solemnioribus diebus. Concilium Salegunstadiense cap. 10., ubi præcipitur, Evangelia non permitti legi extra missam ad petitionem laicorum, vel fœminarum. Concilium Tridentinum sess. 6. can. 20. *Si quis hominem justificatum, & quantumlibet perfectum dixerit, non teneri ad observantiam mandatorum Dei, & Ecclesiæ, sed tantum ad credendum; quasi vero Evangelium sit nuda, & absoluta promissio vitæ æternæ, sine conditione observationis mandatorum: anathema sit.* Concilium Carthaginense IV. cap. 41. *Diaconus tempore lectionis, vel orationis, alba uti debet;* ubi Cardinalis de Laurea in sua Epitome Canonum omnium, verb. *Diaconus*, ait, *Concilium nomine lectionis intelligere Evangelium.*

V. Probatur ex Patribus Græcis. Eusebius Cæsariensis de demonstrat. Evangelica lib. 1. cap. 6. *Et hæc ipsa sunt, quæ suos discipulos Christus Dei, ut omnibus Gentibus nuntiarent, hortabatur, dicens: Euntes, disciplinam vestram tradite omnibus Gentibus, docentes eas servare omnia, quæcumque præcepi vobis.* Justinus martyr dialogo cum Tryphone: *Nam in libris, qui sunt ab ejus discipulis, ipsorumque sectatoribus compositi, memoriæ mandatum est, sudorem ipsius tanquam guttas sanguinis defluxisse in terram, eo deprecante, ac dicente: Transeat, si fieri potest, poculum hoc.* Epiphanius in Ancorato: *Flevit Christus, velut in Evangelio secundum Lucam habetur, in exemplaribus incorruptis, & utitur eo testimonio Sanctus Irenæus in opere contra hæreses, adversus eos, qui Christum in apparentia apparuisse dicunt. Verum orthodoxi quidam sustulerunt verbum, timentes, & non intelligentes ipsius finem, ac vim, & robur: Constitutus enim Christus in anxietate sudavit, & fuit sudor ipsius velut guttæ sanguinis, & conspectus est Angelus confortans eum.* Ammonius Alexandrinus in harmonia Evangelica: *Ingresso templum Domino, Scribæ, & Pharisæi adulteram in opere nefario deprehensam producunt, captiose quærentes, quid fieri statueret. Porro Jesus ita responsum temperavit, ut neque illam absolvens Masis legem abrogaret, neque condemnans in tanta peccantium multitudine vindictam a sola hac pauperculа expetere, videretur.* Athanasius in Synopsi lib. 4. de Evangelio secundum Joannem; vel quisquis alius illius Synopsis est Auctor: *Disputat cum iis Nicodemus: illi vero compescunt eum. Jesus rursus disputat cum iis: ipsi contra verba ejus subvertere conantur: subjicitur de muliere adulterii accusata.* Joannes Chrysostomus hom. 60. in Joan. *Quod autem hæc non discendi gratia interrogent, non hic tantum, sed multis in locis perspicuum est, ut cum rogarunt, an liceret censum dari Cæsari, an lapidanda esset adultera, & cum de ea, quæ septem viros habuisse deprehensa erat, percontati sunt? In quibus non discendi studium, sed malevolam mentem præsetulerunt, & tunc eos reprehendit.* Præter hos Lectoribus legendos remittimus Ignatium martyrem, Athanagoram, Papiam, Irenæum, Origenem, aliosque.

VI. Probatur ex Patribus Latinis. Ambrosius ad cap. 2. Lucæ: *Denique postea his dicitur: Ite in orbem universum, & prædicate Evangelium, ut Evangelicæ prædicationis vestigium proferentes, toto Dominicorum seriem circumferrent orbe gestorum.* Et de Spiritu Sancto lib. 2. *Hos, quos Deus posuit in Ecclesia, Christus elegit, & Apostolos ordinavit, & in orbem dixerit, dicens: Ite in orbem universum, & prædicate Evangelium omni creaturæ: qui crediderit, & baptizatus fuerit, salvus erit; qui vero non crediderit, condemnabitur. Signa autem credentes ista sequentur: In nomine meo dæmonia ejicient &c.* Augustinus de consensu Evangelistarum lib. 3. cap. 25. *Hanc secundam Domini visionem erga discipulos factam, idest, quam secundo loco Joannes commemorat, apud Marcum possemus cognoscere, breviter eam, sicuti assolet, perstringentem, nisi moveret quod ibi ait: Novissimè recumbentibus illis undecim apparuit: non ideò quia Joannes tacuit recumbentes: potuit enim hoc prætermittere; sed quia iste dixit: novissimè, quasi ultra jam non eis apparuerit, cum adhuc Joannes tertiam sit ejus narraturus demonstrationem ad mare Tiberiadis: deinde quod dicit idem Marcus: Exprobans illis incredulitatem illorum, & duritiam cordis, quia his, qui viderant eum resurrexisse, non crediderunt. Nam ita contexit narrationem idem Marcus, cum commemorasset breviter de duobus illis, quibus apparuit in villam euntibus, quod nuntiassent cæteris, nec illis creditum esset: Novissimè, inquit recumbentibus illis undecim, apparuit, exprobrans incredulitatem eorum, & duritiam cordis, quia his, qui viderant eum resurrexisse, non crediderunt, &c.* Hieronymus epist. 53. ad Riparium adversus Vigilantium: *Ergo & Domini corpus in sepulchro positum immundum fuit? Et Angeli, qui candidis vestibus utebantur, mortuo cadaveri, atque polluto præbebant excubias, ut post multa sæcula Dormitantius somniaret, imò eructaret immundissimam crapulam, & cum Juliano persecutore Sanctorum Basilicas destrueret?* Et lib. 2. contra Pelagianos c. 6. *In quibusdam exemplaribus, tam græcis, quam latinis, invenitur, scribente Luca: Apparuit illi Angelus de cœlo confortans eum: haud dubium, quin Salvatorem. Et factus in agonia prolixiùs orabat: factusque est sudor ejus, sicut guttæ sanguinis decurrens in terram. Salvator in passione ab Angelo confortatur, & Critobulus meus non indiget auxilio Dei, habens liberi arbitrii potestatem: & tam vehementer orabat, ut guttæ sanguinis prorumperent ex parte, quem totum erat in passione fusurus.* Et ad psalm. 36. *Multos quidem dolos meditati sunt, cum interrogarent, si deberent censum dare Cæsari, an non? aut si mulier deprehensa lapidaretur? Sed tunc aperte dolum ingerunt, cum falsos testes adducunt.* Arnobius Romanus ad psalm. 64. *Quando parasti omnes in veritate tua, quid dixisti? Prædicate Evangelium omni creaturæ: signa autem credentibus hæc ostendatis: infirmos curabitis, cæcos illuminabitis, mortuos suscitabitis.* Petrus Chrysologus serm. 115.: *Hinc est, fratres, quod cum in Evangelio a Scribis, & Doctoribus Legis apud Dominum ista accusaretur adultera, avertit faciem suam Dominus, & declinavit in terram, ne crimen cerneret, quod puniret: & maluit, fratres, in pulvere scribere veniam, quam in carne scribere sententiam.*

VII. Probatur rationibus. I. Illa sunt in Ecclesia genuina, & divinæ authoritatis Evangelia, quorum numerus, & nomina, in Ecclesia fuerunt semper servata, & credita; sed sic sunt quatuor Evangelia Matthæi, Marci, Lucæ, & Joannis: ergo &c. Probatur minor: S. Irenæus lib. 3. contra hæreses cap. 11. hunc titulum posuit: *Ostensio, quod neque plura, nec minus, quam quatuor possunt esse Evangelia.* Idem testatur Tertullianus lib. 4. contra Marcionem cap. 4. & 5. II. Patres priorum sæculorum Ecclesiæ citant hæc tantum quatuor Evangelia; sed non citassent ipsorum verba, & ipsorum testimonia non attulissent, nisi ipsamet Evangelia fuissent genuina, & divinæ authoritatis: ergo &c. III. In librorum examine, an sint spurii, vel genuini, divinæ, vel nullius authoritatis, standum est judicio Ecclesiæ; sed Ecclesia per totum Orbem diffusa semper docuit, & etiamnum docet, quatuor Evangelia prædicta esse genuina, & divinæ authoritatis: ergo &c. Major patet ex Augustino cap. 5. libri contra Epistolam Fundamenti, ubi habet: *Evangelio non crederem, nisi Ecclesiæ me commoveret authoritas.* Minorem experientia testatur. IV. Non esset in quatuor Evangeliis præfatis uniformitas in dogmatibus, in præceptis, in consiliis, quæ modo est, & quæ semper fuit, si ipsa Evangelia genuina non essent, ac divinæ authoritatis. Et hoc quidem facile videtur in aliis libris, quorum pervia est corruptio, & interpolatio; quia genuini non sunt, nec divinæ authoritatis.

Dicimus II. Evangelia Matthæi, Marci, Lucæ, & Joannis, ab illis Authoribus con-

conscripta verè fuisse, quorum exhibent nomina.

I. Probatur ex Origene apud Eusebium lib. 6. hist. Eccles. cap. 25., ubi docet: *Sicut ex traditione accepi de quatuor Evangeliis, quæ sola in universa Christi Ecclesia, quæ sub cælo est, citra controversiam, admittuntur; Primum scilicet Evangelium conscriptum esse a Matthæo, aliquando quidem publicano, postea vero Apostolo Jesu Christi, qui illud hæbraico sermone conscriptum edidit apud eos, qui è Judaismo crediderunt. Secundum fuisse accepimus Evangelium Marci, qui, prout Petrus ipsi narraverat, id confecit. Quem idcircò Petrus in Epistola Canonica eum filium suum agnoscit his verbis: Salutat vos electa Dei Ecclesia, quæ est Babylone, & Marcus filius meus. Tertium Evangelium Lucæ, quod a Paulo commendatur in gratiam Gentilium. Postremum verò Evangelium Joannis.*

II. Probatur ex Augustino lib. 33. contra Faustum cap. 6. *Platonis, Aristotelis, Ciceronis, Varronis, aliorumque ejusmodi Auctorum libros, unde noverunt homines, quod ipsorum sint, nisi eadem temporum sibimet succedentium contestatione continua?* Quare igitur similia de Matthæo, Marco, Luca, Joanne, dicere non possumus, quum & succedentia tempora comprobent, & Scriptores omnes uno ore fateantur?

III. Probatur ex Hieronymo in Catalogo Scriptorum Ecclesiasticorum, ubi de Matthæo, ejusque Evangelio, ait: *Matthæus, qui & Levi, ex Publicano Apostolus, primum in Judæa propter eos, qui ex circumcisione crediderunt, Evangelium Christi literis hebraicis, verbisque composuit. Quod quis postea in græcum transtulerit, non satis certum est. Porro, ipsum hebraicum habetur usque hodie in Cæsariensi Bibliotheca, quam Pamphilius Martyr studiosissimè confecit. Mihi quoque à Nazaræis, qui in Beræa, Urbe Syriæ, hoc volumine utuntur, describendi facultas fuit.* De Marco, ejusque Evangelio, eodem in loco, inquit: *Marcus, Discipulus, & interpres Petri, juxta quod Petrum referentem audierat, rogatus Romæ à Fratribus, breve scripsit Evangelium. Quod cum Petrus audisset, probavit, & Ecclesiæ legendum sua auctoritate dedit, sicut Clemens in Sexto Hipotyposeon libro scribit. Et Papias, Hieropolitanus Episcopus meminit hujus Marci, & Petrus in Epistola prima sub nomine Babylonis, figuraliter Romam significans: Salutat vos electa Dei Ecclesia, quæ est Babylone, & Marcus filius meus. Assumpto itaque Evangelio, quod ipse confecerat, pervexit Ægyptum, & primus Alexandriæ Christum annuncians, constituit Ecclesiam tanta doctrina, & vita continentia, ut omnes Sectatores Christi, ad exemplum sui cogeret, &c.* De Luca, ejusque Evangelio, idem Hieronymus in præfatione Commentariorum in Matthæum habet: *Tertius Lucas, natione Syrus, Antiochensis, cujus laus in Evangelio, qui & ipse discipulus Apostoli Pauli, in Achaja, Bæotiaque partibus volumen condidit, quædam altius repetens, &, ut ipse in proœmio confitetur, audita magis, quam visa, describens.* Denique de S. Joanne, ejusque Evangelio, idem Hieronymus in catalogo Scriptorum Ecclesiasticorum habet: *Joannes Apostolus, quem Jesus amavit plurimum, filius Zebedæi, frater Jacobi Apostoli, quem Herodes post passionem Domini decollaverat, novissimus omnium scripsit Evangelium, rogatus ab Asiæ Episcopis, adversus Cerinthum, aliasque hæreticas, & maxime tunc Ebionitarum dogma consurgens, qui asserunt, Christum ante Mariam non fuisse. Unde & compulsus est divinam ejus nativitatem edicere. Sed & aliam causam hujus Scripturæ, ferunt; quod cum legisset Matthæi, Marci, & Lucæ volumina, probaverit quidem textum historiæ, & vera, eos dixisse, firmaverit, sed unius tantum anni, in quo & passus est, post carcerem Joannis, historiam texuisse. Prætermisso itaque anno, cujus Acta à tribus exposita fuerant, superioris temporis antequam Joannes clauderetur in carcere, gesta narravit, sicut manifestum esse poterit iis, qui diligenter quatuor Evangelistarum volumina legerint.*

IV. Probatur. Ecclesia catholica per mundum totum diffusa, hæc quatuor Evangelia recitat, & cantat sub illis iisdem nominibus, quæ præseferunt; Item omnia Concilia tum generalia, tum peculiaria, laudant eadem sub his nominibus; pariter Sancti Patres omnes eorundem adhibent testimonia sub iisdem nominibus; denique Pontifices, qui sunt Ecclesiæ Magistri, Doctores, Scriptores omnes, sub iisdem nominibus eadem memorant; sed æque falsum, ac impium est dicere, quod hi omnes, vel non cognoverint Sanctorum Evangeliorum Authores, vel in iis recitandis erraverint: ergo verè Authores quatuor Evangeliorum sunt illi iidem, quorum exhibent nomina.

Dicimus III., in quatuor Evangeliis contineri Jesu Christi historiam, veritatis omnibus

nibus notis absolutam:

I. Probatur. Prima veritatis nota est cohærentia historiæ alicujus peculiaris cum aliarum nationum historiis; sed omnia, quæ narrant Evangelistæ cum historiis Judæorum, Samaritanorum, Romanorum, & aliarum Gentium, omnino cohærent: ergo hæc veritatis nota in quatuor Evangeliis invenitur. Probatur minor; tum quia Evangelistæ referunt Pontifices, qui tempore illo erant in Populo Judaico, scilicet Annam, Caipham, &c. memorant quoque Joannem Baptistam, Herodem Regem, Herodiadem, Pontium Pilatum, quorum omnium mentionem facit Joseph Hebræus in Judæorum historia, & præcipuè Pontifices inveniuntur in Catalogo suorum Pontificum, quem habebant Judæi; tum etiam quia in eo, quod narrant Evangelistæ, Christum fuisse natum eo tempore, quo natus fuit, consentiunt Judæi, & Samaritani, ut patet apud Origenem lib. 1. contra Celsum, & Eulogium in Photii Bibliotheca c. 220., tum quoque, quia Evangelistæ in iis, quæ de Christo narrant, omnino consentiunt oraculis Prophetarum de Messia, quæ in veteris Testamenti libris, leguntur; Tum denique, quia quæ Christi temporibus evenisse, referunt Evangelistæ, romanæ quoque historiæ Scriptores, & ipsi Gentiles, narrant; nimirum Tacitus, Svetonius, Macrobius, Chalcidius, Phlegon Trallianus, quod quidem nec Christiani nominis hostes acerrimi, Julianus Apostata, Porphyrius, Celsus, nunquam inficias iverunt: ergo omnia, quæ de Christo Jesu narrant Evangelistæ cum Judæorum, Samaritanorum, Romanorum, & aliarum Gentium, historiis, omnino cohærent.

II. Probatur. Altera veritatis nota est, quod in quatuor Evangeliis nulla sit vera, & realis contrarietas, vel contradictio; quod quidem perspicuum est signum divinæ assistentiæ, quam in scribendo Sancti Evangelistæ habuerunt. Etenim quum in longè dissitis Regionibus essent Evangelistæ, quando Evangelia scribebant, nec poterant conferre illa, quæ narrabant, & non conferentes nec valebant de iisdem inter se convenire, nisi unus, idemque Spiritus Domini singulis, quæ scripturi erant, ex vero dictasset. Quod autem in illis reperiantur quædam apparentes antilogiæ, quas in responsionibus ad objectiones conciliabimus; hoc potius probat, quod Evangelistæ inter se, ex compacto non conspiraverint ad scribendum historiam istam, quia aliter de omnibus, & singulis convenissent. Hinc S. Joannes Chrysostomus homilia 1. in cap. 1. Matthæi de ipsismet Evangelistis scribebat: *Si aliquà de temporibus, ac locis, & numeris, dixerunt variè, nihil dictorum præjudicat veritati. Si enim ex toto, inque omnibus consonarent, & cum eximia diligentia, atque cura ad tempora, ac loca omnia usque ad singula æqualiter concurrerent, nemo inimicus credidisset unquam, quin illi communi ad decipiendum consilio congregati, quasi ex humana quadam conspiratione Evangelium condidissent. Nunc verò quæ videtur in rebus exiguis dissonantia, ab omni illos suspicione tuetur, satisque clarè scribentium existimationem defendit.*

III. Probatur. Tertia veritatis nota, est judicium Ecclesiæ infallibile, quod quidem de Christi historia in quatuor Evangeliis comprehensa, fuisse ab Ecclesia latum, nemo rationabiliter negare potest. Unde Fausto Manichæo, Evangeliorum veritatem neganti apud Augustinum lib. 33. contra Eundem cap.6., idem Augustinus sic respondebat: *Quæ unquam litteræ ullum habebunt pondus authoritatis, si Evangelicæ, si Apostolicæ, non habebunt? De quo libro certum erit, cujus sit, si litteræ, quas Apostolorum dicit, & tenet Ecclesia, ab ipsis Apostolis propagata, & per omnes Gentes tanta eminentia declarata, utrum Apostolorum sint, incertum est? Et hoc erit certum scripsisse Apostolos, quod huic Ecclesiæ contrarii hæretici proferunt auctorum suorum nominibus appellati, longe post Apostolos existentium? Quasi verò, & in literis secularibus non fuerint certissimi Auctores, sub quorum nominibus postea multa prolata sunt, & ideo repudiata, quia vel iis, quæ ipsorum esse constaret, minimè congruerunt, vel eo tempore, quo illi scripserunt, nequaquam innotescere, & per ipsos, vel familiarissimos eorum in posteros prodi, commendarique, meruerunt. Nonne, ut alios omittam, sub Hippocratis, Medici nobilissimi nomine, quidam libri prolati, in auctoritatem à Medicis non recepti sunt? Nec eos adjuvabit nonnulla similitudo rerum, atque verborum, quando comparati eis, quos verè Hippocratis esse, constaret, impares judicati sunt, & quod ab eo tempore, quo & cætera scripta ejus, non innotuerunt, quod verè ejus essent. Hos autem libros, quibus illi, qui de transverso proferuntur, comparati respuuntur,*

unde

unde constat, esse Hippocratis; unde si quis hoc neget, nec saltem refellitur, sed ridetur, nisi quia ab ipso Hippocratis tempore, usque ad hoc tempus, & deinceps, successionis series commendavit, ut hinc dubitare, dementis sit. Platonis, Aristotelis, Ciceronis, Varronis, aliorumque ejusmodi Auctorum libros, unde noverunt homines, quod ipsorum sint, nisi eadem temporum sibimet succedentium contestatione continua? Multi multa de litteris Ecclesiasticis conscripserunt, non quidem auctoritate canonica, sed aliqua adjuvandi studio, sive discendi. Unde constat, quid cujus sit, nisi quia his temporibus, quibus ea quisque scripsit, quibus potuit, insinuavit, atque edidit, & inde in alios, atque alios, continuata notitia, latiusque firmata, ad posteros, etiam usque ad nostra tempora, pervenerunt; ita ut interrogati, cujus quisque liber sit, non hæsitemus, quid respondere debeamus? Sed quid pergam in longè præterita? Ecce istas literas, quas habemus in manibus, si post aliquantum tempus vitæ hujus nostræ, vel illas cujusquam Fausti esse, vel has neget, esse meas; Unde convincitur, nisi quia illi, qui nunc ista noverunt, notitiam suam ad longè etiam post futuros, continuatis posterorum successionibus, trajiciunt? Quæ, cum ita sint, quis tandem tanto furore cæcatur, nisi Dæmoniorum, mendaciloquorum malitia, atque fallacia consentiendo, subversus sit, qui dicat, hoc mereri non potuisse Apostolorum Ecclesiam, tam Fidem, tam numerosam fratrum concordiam, ut eorum scripta fideliter ad posteros trajicerent, cum eorum cathedras usque ad præsentes Episcopos certissima successione servarint, cum hoc qualiumcunque hominum scriptis, sive extra Ecclesiam, sive in ipsa Ecclesia, tanta felicitate proveniat.

Arguunt I. In Evangelio Matthæi non dicitur Christus filius Dei, sed tantum filius hominis; quod est hæresis Ebionitarum. In Evangeliis autem Marci, Lucæ, & Joannis Christus dicitur, sine Patre, & sine Matre in terris: ergo, aut est falsum Evangelium Matthæi, aut sunt falsa Evangelia Marci, Lucæ, & Joannis. II. In Evangelio Matthæi invenitur tantum Genealogia Joseph, & asseritur, hanc pertinere ad Christum: ergo, vel ex Evangelio Matthæi eruitur, Christum esse filium naturalem Joseph, quod est falsum; vel Genealogia illa est impertinens ad Christum, adeoque spuria, & falsa. III. Matthæus, si dicatur, quod scripserit Genealogiam Mariæ Virginis ex Tribu Juda, & ex familia David, ut ex inde descendere faciat Christi generationem, nec etiam videtur, veritatem fuisse assequutum, quia Maria Virgo erat ex Tribu Levi, & ex Stirpe Aaronis. Quod probatur, quia Lucæ 1. dicitur Maria Virgo cognata Elisabethæ de filiabus Aaronis. IV. Matthæus memorat Magorum adventum ad speluncam, ubi Christus Cunas elegit, etiam Stellæ apparitionem, & pariter Infantium cædem, quam Herodes præceperat; sed de his, nemo alius ex Evangelistis loquitur, & Josephus Hebræus omnino silet: ergo ficta sunt facta. V. Matthæus item multa citat Prophetarum dicta, quæ in Prophetarum libris non leguntur. Quod probatur, quia Matthæi 2. habetur: *Et veniens Jesus, habitavit in civitate, quæ vocatur Nazareth, ut impleretur, quod dictum est per Prophetas: Quoniam Nazaræus vocabitur*; & nihilominus in Prophetarum libris, hæc ultima verba non inveniuntur. Matthæi 27. de agro, qui fuit emptus triginta argenteis, quos Judas Proditor in Templo projecit; legitur: *Tunc impletum est, quod dictum est per Jeremiam Prophetam, dicentem: Et acceperunt triginta argenteos, pretium appretiati, quem appretiaverunt a filiis Israel, & dederunt eos in agrum figuli, sicut constituit mihi Deus*; & nihilominus Prophetia hæc non est in Jeremia, sed in Zacharia Propheta cap. 11., ubi dicitur, quod ager figuli emptus fuit illis triginta argenteis, qui postea delati fuerunt ad Statuarium. VI. Hieronymus dubitat de capite ultimo Marci; in epistola enim 150. ad Hedibiam dicit, quod de resurrectione Christi, & apparitione ejusdem, diversa narrant Evangelistæ: *In quibus primum quæris, cur Matthæus dixerit: Vespere autem Sabbati illucescente, in una Sabbati Dominum surrexisse; & Marcus, mane resurrectionem factam esse, commemoret, ita scribens: Cum autem resurrexisset una Sabbati mane, apparuit Mariæ Magdalenæ, de qua ejecerat septem Dæmonia; & illa abiens, nuntiavit iis, qui cum eo fuerant, lugentibus, & flentibus; illique audientes, quod viveret, & quod vidisset eum, non crediderunt ei. Hujus quæstionis duplex solutio est. Aut enim non recipimus Marci testimonium, quod in raris fertur Evangeliis, omnibus Græciæ libris, pene hoc capitulum in fine non habentibus: præsertim cum diversa, atque contraria Evangelistis cæteris narrare videatur. Aut hoc respondendum, quod uterque verum dixerit: Matthæus, quando Do-*

minus

minus surrexerit vespere Sabbati: Marcus autem, quando eum viderit Maria Magdalene, idest, mane prima Sabbati. Ferè eadem habent Euthymius in explicatione hujus capitis, & Cardinalis Cajetanus ad cap. 16. Marci. VII. Marci 1. dicitur: *Sicut scriptum est in Isaia: Ecce ego mitto Angelum meum ante faciem tuam, qui praeparabit viam ante te: Vox clamantis in deserto, parate viam Domini*; Sed hæc verba non reperiuntur apud Isaiam, sed apud Malachiam: ergo &c. VIII. Marci 2. legimus, Christum Dominum dixisse: *Nunquid legistis, quomodo David introivit in domum Dei sub Abiathare, Principe Sacerdotum, & Panes Propositionis manducavit?* atqui David non manducavit Panes propositionis sub Abiathare, Sacerdotum Principe, sed sub Achimelecho, qui fuit Abiatharis Pater, ut habetur 1. Regum 21, ergo &c. IX. Marci 14. Christus dicitur crucifixus hora tertia; Joannis vero 19. Christus dicitur crucifixus hora quasi sexta; pariter Marcus asserit, in Christi resurrectione Mulieres venisse ad Sepulchrum, *orto jam Sole*; Joannes vero cap. 20. dicit, accessisse, *cum adhuc tenebræ essent*: ergo &c. X. Hilarius lib. 10. de Trinit., Hieronymus lib. 2. adversus Pelagianos cap. 6. negant Angeli apparitionem in horto, & Christi sanguineum sudorem, quæ Lucas narrat cap. 22., cujus verba Armeni a suo Evangelio abstulerunt. XI. Lucas initio tertii capitis sui Evangelii ponit notationem temporis: *anno autem quinto decimo Imperii Tiberii Cæsaris*; sed hæc notatio temporis ab omnibus Authoribus ponitur in exordio suorum Operum: ergo signum est, quod priora capita Evangelii Lucæ, non sunt Lucæ, sed ab aliquo alio fuerunt addita. XII. Eusebius Cæsariensis lib. 3. histor. Eccles. cap. 33. Hieronymus lib. 2. adversus Pelagianos cap. 6. asserunt, historiam de Adultera, quæ refertur Joannis 8. in multis antiquis, sive græcis, sive latinis exemplaribus, non inveniri. XIII. Joannes dissentit ab aliis tribus Evangelistis circa diem, qua Christus manducavit Pascha cum Discipulis suis, & qua Christus crucifixus est. XIV. Non fuit Joannes, qui scripsit Evangelium, quod ejus nomen præsefert; quia ipsum Evangelium loquitur de Joanne, ut de aliena persona, verbis illis: *Hic est discipulus ille, qui testimonium perhibet de his, & scripsit hæc*. XV. Si fuit Joannes, qui scripsit Evangelium, quod ejus exhibet nomen, non fuit solus, sed alii cum ipso fuerunt in scriptione socii; dicitur enim Joannis 21. *Et scimus, quia verum est testimonium ejus*. Ubi verbum, *scimus*, denotat non unum, sed plures.

Respondemus ad I. cum S. Augustino lib. 23. contra Faustum cap. 5. Matthæum post Genealogiam Christi dicere, illum, quem vocavit filium David, esse conceptum de Spiritu Sancto, ut prædixerat Isaias cap. 7. *Ecce Virgo concipiet, & pariet Filium, & vocabitur nomen ejus Emmanuel*, quod est interpretatum, *Nobiscum Deus*. Pariter Christus, quando dixit, se non habere nec Patrem, nec Matrem, in eo sensu dixit, quo Apostolis suis dicebat: *Ne vobis dicatis Patrem in terra, unus enim est Pater vester, Deus*; sicut ergo, quando Christus hæc Apostolis dicebat, non negavit, Apostolos habere patrem, ita nec quando de seipso dixit, negavit, se habere Matrem in terra. Sensus autem illius in utroque loco fuit, affectus omnes carnales, etiam Patris, & Matris, ac reliquorum propinquorum, contemni debere, propter regnum Cœlorum; Unde Matthæi 19. docebat: *Et omnis, qui reliquerit domum, vel fratres, aut Sorores, aut Patrem, aut Matrem, aut Uxorem, aut filios, aut agros, propter nomen meum, centuplum accipiet, & vitam æternam possidebit*. Responsio est etiam Augustini lib. 7. contra Faustum cap. 2.

Ad II. Genealogia, sive illa quæ describitur a Matthæo, sive illa, quam Lucas designat, pertinet vere ad Josephum, quia non erat mos apud Hebræos mulierum genealogias, at virorum tantum, describere. Ex hoc tamen erui non potest, nec quod Christus sit filius naturalis Joseph, nec quod genealogiæ illæ sint, vel impertinentes, vel falsæ: ratio est, quia quum Maria, & Joseph fuerint ejusdem Tribus Judæ, & ejusdem Familiæ, & domus David, eadem erat genealogia Joseph, ac genealogia Mariæ; & quia Christus Filius est naturalis Mariæ, ideo per illam genealogiam, quæ de more scribebatur sub nomine Joseph, & revera erat etiam Mariæ, descriptio genealogiæ Christi vere, & ad rem, tam a Matthæo, quam a Luca, exhibetur.

Ad III. Duplex adhibetur responsio; Prima est, quod cognatio Beatæ Mariæ Virginis cum Elisabetha provenerit ex eo, quod aliquis Elisabethæ cognatus aliquam Mariæ cognatam duxerit in Uxorem;

rem; Altera est, quod aliqua Mariæ Virginis agnata nupserit alicui Elisabethæ agnato. Quamvis enim Maria Virgo fuisset de Tribu Judæ, & Elisabetha de Tribu Levi; & apud Hebræos lege cautum esset, ut homo de una Tribu non posset uxorem ex altera Tribu ducere; lex tamen hæc locum non habebat in Tribu Sacerdotali, quia cuilibet Sacerdoti licitum erat ex quacunque Tribu sibi uxorem eligere; & puella tantum, quæ masculum fratrem non haberet, non poterat virum, nisi ex sua Tribu ducere. Unde ex his evidenter patet, quod bene poterat esse cognatio inter Beatam Virginem, & Elisabetham, absque eo, quod Beata Virgo ex Tribu Levi, ex qua erat Elisabetha, fuisset. Utramque responsionem adhibet S. Thomas 3. part. qu. 31. ar.2. ad 2. & 1. 2. qu. 105. art. 2. ad 2., ubi plura cohærenter ad quæ diximus, adducit exempla.

Ad IV. Macrobius, Gentilis & ipse scriptor, lib.2. Saturnal. cap.4. scribit: *Cum audisset Augustus, inter pueros, quos in Syria Herodes, Rex Judæorum, intra biennium jussit occidi, filium quoque ejus occisum, ait: Melius esse Herodis porcum esse, quam filium*. Quanvis ergo Josephus de illis tacuerit, ne Herodis contra seipsum excitaret indignationem, non tacuit tamen Scriptor Exoticus, qui nullam cum Christianis societatem habebat. Cæterum multa sunt in Sacris Bibliis, quæ a Josepho non narrantur; unde illius silentium non est medium ad probandum Evangelici textus, vel suppositionem, vel falsitatem. Denique sunt non pauca, quæ unus, aut alter ex Evangelistis refert, & cæteri non referunt, & non ex hoc falsitas, aut in uno, aut in altero, aut in cæteris, deprehenditur.

Ad V. Dicitur cum Huetio, verba illa: *quia Nazaræus vocabitur*: Matthæum desumpsisse ex libro Judicum cap.13. ver.5. ubi habetur: *Erit enim Nazaræus Dei ab infantia sua*; quam quidem conjecturam probabilem esse, probat Huetius in demonstratione Evangelica propos.4. Verba Matthæi 27., sunt qui dicunt, a Matthæo fuisse scripta cum nomine Zachariæ, quanvis postea librarius per ignorantiam posuerit Jeremiam; alii volunt, quod Matthæus scripserit per Prophetam, absque nominis expressione; alii afferunt, Zachariam fuisse etiam appellatum Jeremiam; alii putant, testimonium fuisse Jeremiæ, sed non adnotatum in libro, quem habemus, sed in alio, qui apud Hebræos traditione habebatur, ut Hieronymus docet. Eligat lector quam maluerit responsionem.

Ad VI. Hieronymus de illis iisdem, quæ in objectione opponuntur, hæc scribit in epist.53. ad Riparium adversus Vigilantium: *Ergo & Domini corpus in sepulchro positum, immundum fuit? Et Angeli, qui candidis vestibus utebantur, mortuo cadaveri, atque polluto, præbebant excubias, ut post multa secula Dormitantius somniaret, imo eructaret immundissimam crapulam, & cum Juliano persecutore Sanctorum Basilicas destrueret?* Expressius vero, & lucullentius Augustinus de consensu Evangelistarum lib. 3. cap. 25. *Hanc secundam Domini visionem, erga Discipulos factam, idest, quam secundo loco Joannes commemorat, apud Marcum possemus agnoscere, breviter eam, sicuti assolet, perstringentem, nisi moveret, quod ibi ait: Novissime recumbentibus illis undecim apparuit: non ideo quia Joannes tacuit: recumbentes: potuit enim hoc prætermittere: Sed quia iste dixit: novissime, quasi ultra jam non eis apparuerit; cum adhuc Joannes tertiam sit ejus narraturus demonstrationem ad mare Tiberiadis: deinde quod dicit idem Marcus: Exprobrans illis incredulitatem illorum, & duritiam cordis, quia his, qui viderant eum resurrexisse, non crediderant. Nam ita contexit narrationem idem Marcus, cum commemorasset breviter de duobus illis, quibus apparuit in villam euntibus, quod nuntiassent cæteris, nec illis creditum esset: Novissime, inquit, recumbentibus illis undecim apparuit, exprobrans incredulitatem eorum, & duritiam cordis, quia his, qui viderant, eum resurrexisse, non crediderant, &c.*

Ad VII. Dicimus, verba illa esse partim Malachiæ, & partim Isaiæ. Sunt Malachiæ: *Ecce Ego mitto Angelum meum ante faciem tuam; qui præparabit viam ante te*: Sunt Isaiæ: *Vox clamantis in deserto, parate viam Domini*. Marcus autem citavit Isaiam, non Malachiam; sunt qui dicunt, quia voluit citare Prophetam celebrioris nominis; alii reponunt, quia Joannes Baptista, cujus prædicationem in deserto Marcus narrabat, vaticinio Isaiæ utebatur; sunt tandem, qui asserunt, quia prophetia Malachiæ in Isaiæ verbis continebatur. Audiatur nihilominus Hieronymus, huic objectioni a Porphyrio propositæ, respondens in Commentario in cap. 3. Matthæi: *Cum testimonium de Malachia, Isaiaque contextum sit, quærit, sive*

objicit Porphyrius, quomodo velut ab uno Isaia exemplum putemus assumptum? Cui Ecclesiastici viri plenissime responderunt: Nos autem nomen Isaiæ putamus additum Scriptorum vitio, quod in aliis locis probare possumus, aut certe de diversis Testimoniis Scripturarum unum corpus effectum.

Ad VIII. Aliqui dicunt, Marcum Evangelistam posuisse Abiatharem, non Achimelechum, quia Abiatharis nomen in historia Davidica notius erat; alii asserunt, quia Abiathar, qui erat filius Achimelechi, erat præsens, quando David comedit panes propositionis, quanvis tunc non fuisset Sacerdos, qui fuit tamen postea; alii volunt, Achimelechum fuisse etiam dictum Abiatharem.

Ad IX. Ut utrumque Evangelistam concordent circa horam crucifixionis Christi, Scriptores nostri observant, noctem apud Hebræos fuisse divisam in quatuor Vigilias, diem vero in quatuor Stationes. Prima diei statio incipiebat a diluculo, & usque ad horam diei tertiam durabat; & hæc vocabatur hora prima; Secunda statio incipiebat ab hora tertia, & usque ad horam sextam protrahebatur; & hæc dicebatur hora tertia. Statio tertia incipiebat ab hora sexta, & finiebat ad horam nonam, & appellabatur hora sexta; Quarta statio incipiebat ab hora nona, & usque ad occasum Solis durabat, & hora nona, vel vespera dicebatur. Marcus ergo dicens, Christum fuisse crucifixum hora tertia, intelligendus est de fine horæ tertiæ, quatenus scilicet, hora tertia nondum esset elapsa, & proxime accederet ad horam sextam. Joannes vero dicens, Christum fuisse crucifixum hora quasi sexta, intelligi debet de hora sexta nondum incepta; sed proxime accedente. S. Thomas 3. par. qu. 46. art. 9. ad 2. post Sanctum Augustinum lib. 3. de consensu Evangelistarum cap. 13., respondet, Christum, juxta Marcum, fuisse crucifixum hora tertia clamoribus Judæorum; juxta vero Joannem, fuisse crucifixum hora sexta, manibus militum. Insuper, quando Marcus dicit, Mulieres venisse ad monumentum, *orto jam Sole*, docet S. Thomas, non accipiendum esse, *tanquam Sol ipse videretur super terram, sed tanquam de proximo adveniente in has partes*; scilicet, quando cœlum versus Orientem jam albescebat, & lumen Solis, admixtum adhuc tenebris, affulgere incipiebat. Et quando dicit Joannes, Mulieres venisse ad monumentum, *cum adhuc tenebræ essent*, non debere intelligi, quod Mulieres profunda nocte ad monumentum venerint, sed sub noctis finem; nimirum, quando tenebræ non erant omnino discussæ, adeoque tenebræ erant; Et quando Sol incipiebat illucescere, adeoque, *orto jam Sole*.

Ad X. Dicimus, quod quidam privatæ superstitionis homines, a quibusdam Codicibus græcis, & latinis, expunxerunt historiam de sudore Christi sanguineo, & de apparitione Angeli, consolantis ipsum; quia putabant hæc humanæ infirmitatis argumenta, adeoque metuebant tribuere Christo, ne Divinitati ipsius, quam tunc Ariani negabant, derogare viderentur; quod docet Hieronymus ipse dialog. 2. contra Pelagianos. Cæterum utraque historia in plurimis exemplaribus Evangelii S. Lucæ, iisdemque sinceris, & in versionibus Orientalibus tunc temporis, legebatur, & eam semper agnovit S. Ecclesia Catholica, ut genuinam Evangelii Lucæ partem. Legantur Cornelius Jansenius, Episcopus Gandavensis, in concordia Evangelica cap. 136., & Richardus Simonius in historia critica novi testamenti cap. 12.

Ad XI. Huetius respondet, non esse novum, Sacros Auctores inserere temporum notationes non in principio, sed in medio Scriptionum suarum; quod in libris Regum, & Paralipomenon videre est: Cæterum quum in principio tertii capitis Evangelii Lucæ dicatur: *Anno autem quinto decimo Imperii Tiberii Cæsaris &c.* verbum *autem*, ostendit, caput illud non esse Evangelii initium, sed cum aliis prioribus dicere connexionem. Denique in duobus prioribus capitibus Evangelii Lucæ, Christi genealogia, & magna pars historiæ continetur; Unde si illa deleantur, Evangelium Lucæ de Christo obiter, & non ex instituto, loqueretur; quod non est dicendum.

Ad XII. In Codicibus græcis sincerioribus semper fuit historia de muliere adultera; quod testantur Ammonius in sua harmonia, seu concordia, ex quatuor Evangeliis contexta; Auctor Synopsis Scripturæ sacræ, qui vulgo creditur S. Athanasius; Chrysostomus hom. 60. in Evangelium Joannis; Euthymius in commentario in Evangelium Joannis; Denique Beza, Calvinianus, hoc ipsum negare non est ausus; Unde in suis annotationibus in Evangelium Joannis de historia mulieris adulteræ loquens, scripsit hæc: *Ex vetustis*

tustis nostris Codicibus septemdecim, unus duntaxat illam non habet, in reliquis scripta quidem est. Patres autem Latini, fere omnes, hanc historiam memorant; ut videri potest apud Hieronymum ad psalm. 36. ad psalm. 44., & lib. 2. contra Pelagianos cap. 6., & Augustinum de adulterinis conjugiis ad Pollentium lib. 2. cap. 6., & 7. & ad psalm. 50.

Ad XIII. Christus re vera anno, quo mortuus est, Pascha cum Discipulis suis peregit secundum mandatum legis, luna decimaquarta in secundis vesperis, & cruci subfixus fuit die sequenti, scilicet luna decima quinta, in quam anno illo solemnitas diei primæ Azymorum incidebat; & hoc pacto inter Joannem, & alios Evangelistas nulla est discrepantia. Non negamus tamen, Græcos quosdam dixisse, quod Christus prætermiserit Pascha legale anno illo, quo passus est. Attamen istorum sententiam confutarunt Sancti Patres, Epiphanius hæresi 30., quæ est Ebionitarum, & Chrysostomus hom. 81. in Matthæum, aliique Scriptores Græci, & Latini. Præterea Photius c. 116. afferens volumen tertium de sacro Paschate Auctoris Anonymi, scribit: *R fert idem secundum illos alios adventus sui annos, Christum Dominum, ac Deum nostrum, lege præscriptum, Pascha celebrasse, non item eo, quo proditus est. Quod consideratione sane dignum, cum Chrysostomus, & Ecclesia tunc ipsum*, seu Christum, *doceant legitimum Pascha perfecisse, antequam mysticam institueret cœnam.* Verum ut rem penitius pertractemus, Joannes cap. 19. hæc habet: *Erat autem parasceve Pascha hora quasi sexta*; Ubi per *Parasceven Paschæ* intelligit pridie ante Pascha; & in hoc sensu cæteris Evangelistis opponitur. Attamen Joannes per *Parasceven* re vera intelligit diem veneris, quæ est præparatio ad Sabbatum; qua ratione apud Hebræos quælibet dies veneris Parasceve vocabatur. Quum ergo Christus mortuus fuerit die veneris, quæ cum festo Paschatis concurrebat, dies illa fuit Parasceve a Joanne appellata, non ratione Paschæ, sed ratione Sabbati, & dicta fuit Parasceve Paschæ, quia in illa adveniebat die, in qua Pascha concurrebat.

Ad XIV. Josephus Hebræus in libris de Bello Judaico loquitur de seipso sub persona aliena, & nihilominus nemo inficiatus est, ipsum esse librorum illorum legitimum, & genuinum Authorem. Adhuc Julius Cæsar scripsit Commentaria, & de seipso etiam loquitur, tanquam de altero; & non per hoc fuit, qui ipsi Commentaria illa abjudicasset. His autem ratiunculis, quas Adversarii congerunt, nemo negabit prævalere semper constantissimam traditionem, quæ de Sancti Joannis Evangelio semper extitit in Ecclesia, & inconcussa Ecclesiæ authoritas, qua Sancto Joanni Evangelium, quod ejus exhibet nomen, semper fuit adjudicatum.

Ad XV. Ideo Joannes dixit: *Scimus*, & non *scio*, quia non ad seipsum tantum, sed ad cæteros Apostolos referebat; quasi dicere vellet: Ego, & discipuli reliqui, scimus, quod vera sunt ea, quæ Ego de Jesu Christo testificatus sum. Verum etiam Christus de seipso loquens in eodem Evangelio adhibuit verbum *scimus*; Unde cap. 3. dixit Nicodemo: *Amen, amen dico tibi, quia quod scimus, loquimur.* Denique innumeri sunt pene Scriptores, qui in scribendo verbum adhibent plurale, etsi unus sit Scriptor; ut videre est in Operibus, quæ præ manibus quotidie habemus.

DISSERTATIO CCII.

De Beata Virgine, Dei Matre. An ejus Conceptio immunis fuerit ab omni Originalis Culpæ contagione? An habuerit debitum contrahendi originale peccatum? Et quid Ecclesia in ordine ad eandem Conceptionem observandum, vel in scribendo, vel in loquendo præscribat?

De Deo-Homine Christo pertractantes, non extra ordinem est, ut de Beatissima ejus Genitrice Maria sermonem pariter instituamus; tum quia Filii, & matris *gloria non tam communis, quam eadem est*; ut docuit Cardinalis Petrus Damiani orat. 2., tum quoque, quia quæcunque de matre dicimus, ad filium, vel tanquam ad Auctorem, vel ut ad principium, vel ut ad objectum, omnino referuntur. Igitur congruum ducimus Dissertationibus aliquot de Deipara disputare, & postmodum in Dissertationibus subsequentibus iterum de Christo disserere. Conceptio quidem B. Virginis prima est, quæ Nobis se objicit pertractanda; & tanquam illa, quæ in primo ejusdem existentiæ instanti cæteras ejus glorias præcessit; & ut ea, quæ modo ardentiori cultu in Ecclesia celebratur. Unde hanc peculiarem instituimus Dissertationem, in qua, de illius a cujuscunque labis contagione immunitate, & de debito, quod in Maria, aut fuit, aut non fuit, culpam illam contrahendi, & de sensu Ecclesiæ, circa eandem, lato calamo pertractabimus.

Præsciendum igitur est primo, Conceptionem Virginis Mariæ, aliam esse activam, aliam esse passivam. Per activam intelligitur efformatio Corporis per opus conjugale exhibitum a Sanctissimis ejus Parentibus Joachimo, & Anna, per quam corpus aptum, ac dispositum ad recipiendum animam, diceretur. Per Conceptionem passivam intelligitur infusio animæ, & unio cum corpore sic organizato; quæ quidem conceptio passiva fit illo ipso instanti, quo anima rationalis unitur corpori, membris omnibus, ac suis organis disposito, & apto. Status controversiæ non est de prima Conceptione, quæ dicitur etiam conceptio seminalis, quæ præcedit animæ infusionem; quia omnes concedunt eam non posse dici sanctam, quum Sanctitas non sit in massa corporea, sed in anima. Et in hoc sensu loquitur S. Thomas 3. par. qu. 27. art. 2., in quo scribit: *Quidam celebrant festum Conceptionis: ergo videtur, quod in ipsa sua Conceptione fuerit Sancta, atque ita quod ante animationem fuerit sanctificata*. Loquitur etiam S. Bonaventura 3. d. 3. p. 1. q. 1. *Si ergo Sanctitas non fuit in Virgine ante animæ infusionem, non videtur undequaque securum Conceptionis illius*, utique seminalis, *etiam solemnitatem celebrare*. Igitur controversia est tantum de conceptione spirituali, seu passiva, in qua quæritur, an eo in tanti primo, quo anima B. Virginis unita fuit corpori, fuerit omnino immunis ab illa hæreditaria macula, quam omnes homines contrahunt, qui concipiuntur, & nascuntur opere maritali, propter vitiatam propaginem, & originem labefactatam?

Præsciendum est secundo, nullam de hac controversia memoriam extitisse usque ad seculum Ecclesiæ duodecimum. Omnes enim, qui præcesserant, sive Patres, sive Ecclesiæ Scriptores, nihil de Conceptione hac expresse, ac definitive scripserunt; Unde ipsorum testimonia pro parte negante afferri jure non possunt, quia de ipsa peculiariter non loquuntur, nec pro parte affirmante adduci valent, quia nihil etiam peculiariter pro ea affirmant. Omnes ergo generatim scribunt, ex quorum deinde generalibus implicitis, ac tacitis locu-

locutionibus; unaquæque pars blanditur sibi deducere pro sua sententia argumentum. Ut rem ergo consueta nostra methodo pertractemus, afferimus primo qui pro immunitate Virginis ab Originali labe primis illis temporibus, seculo scilicet duodecimo, circa medium, steterunt; & postmodum qui de ea male loquuti sunt, qui ut plurimum fuerunt catholicæ veritatis hostes enumerabimus.

Primo igitur anno 1142. Canonici Ecclesiæ Lugdunensis, volentes celebrare Festum die octava mensis Decembris in honorem Immaculatæ Conceptionis Virginis Mariæ, occasionem dederunt quæstioni huic, quæ subsequentibus temporibus acriter inter partes fuit agitata, ac disputata. Fertur, Sanctum Bernardum reprehendisse Canonicos illos, ipsisque scripsisse celebrem epistolam, quam tamen plerique negant Bernardi esse, sed alterius, qui sub Bernardi nomine se occultavit. Verba Epistolæ sunt: *Miramur satis quid visum fuerit hoc tempore quibusdam vestrum mutare colorem optimum, novam inducendo solemnitatem, quam ritus Ecclesiæ nescit, non probat ratio, non commendat antiqua traditio. Nunquid Patribus doctiores, aut devotiores sumus?* Ex hoc factum est, ut in similibus casibus evenire solet, quod multi Canonicorum Lugdunensium pietatem imitantes, piam sententiam de immunitate Virginis ab originali labe amplexati sunt, & eam totis viribus propugnabant: Ex adverso vero aliis iisdem se opponentes, eam impugnare, omni conatu nitebantur.

Secundo in hoc partium conflictu insurrexit Joannes Duns Scotus, ac tutelam piæ sententiæ suscepit; hoc tamen ordine, quod prius non affertive sententiam defendebat, sed solummodo rationes omnes solvebat, quibus illibata Virginis Conceptio impugnabatur. Quod præstitit in tertio sententiar. dist. 3. q. 1. num. 4. ubi hæc habet: *Quod Deus potuit facere, quod ipsa* (Beata Virgo) *nunquam fuisset in peccato originali; potuit etiam facere, ut per tempus aliquod esset in peccato, & in ultimo instanti illius temporis purgaretur*, Postmodum dubitative etiam subdens: *Quid autem horum trium, quæ ostensa sunt esse possibilia, factum sit, Deus novit; si authoritati Ecclesiæ, vel authoritati Scripturæ non repugnet, videtur probabile, quod excellentius est attribuere Mariæ*. Demum distinct. 18. num. 13. asseruit aperte, & firmiter, non hæsitanter, ac timide, ut prius: *Beata Virgo Mater Dei nunquam fuit inimica actualiter, ratione peccati actualis, nec ratione originalis; fuisset tamen, nisi fuisset præservata*.

Tertio Academia Parisiensis piæ sententiæ patrocinium manifeste suscepit. Quum enim coram Parisiensi Facultate, & Legatis etiam Summi Pontificis, disputatio de illibata Virginis Conceptione instituta fuisset, eam Joannes Duns, Scotus, adeo invicte propugnavit, ut Parisienses Doctores in suam sententiam traxerit, & ipse *Doctoris Subtilis* nomen, ab Universitate illa primum, & deinde etiam Coloniæ a Professoribus illis reportaverit. Hoc totum narrant primo Cavellus in Rosario seculo 14. verbis hisce: „ Jussu Summi „ Pontificis, habita solemni disputatione „ coram facultate Parisiensi, præsentibus „ Apostolicæ Sedis Legatis, de Immaculata „ Conceptione, tanta ingenii subtilitate, „ tanta solutionum facilitate, & perspicuitate, omnia adversa argumenta mira „ dexteritate confregit, & refellit; suamque „ piam sententiam de Conceptione Mariana, ipsius Mariæ fretus auxilio, argumentorum pondere, tot, tamque urgentibus „ rationibus comprobavit, & munivit, quod „ celeberrimam illam facultatem, matrem „ Universitatum, in suam piam traxerit sententiam, quæ ini gratificationem, nomine „ *Doctoris Subtilis* ipsum condecoravit: & „ acerrimis ejus disputationibus inducta, „ sacrum illud, & celebre Marianum decretum condidit; ne scilicet inposterum „ quisquam ad magisterii gradum admitteretur, qui tota vita, se propugnaturum „ Immaculatam Conceptionem, jurejurando non adstringeret. Postea Scotus Coloniam profectus, victoriam pro Immaculata Conceptione ex discipulis Alberti „ Magni reportavit; & nomen *Doctoris Subtilis* ibi denuo est solemniter acclamatum „. Secundo Bosius de signis Ecclesiæ tom. 1. sig. 36. lib. 9. cap. 8. *Conceptionis porro festum, Scoti, acutissimi Theologi doctrina maxime confirmatum*. Tertio Salazar, cap. 42. seculo 14. *Joannes Duns Scotus, præcipuus, ac maximus puræ Conceptionis vindex, qui tantum huic doctrinæ sua authoritate fidem comparavit, quantam nullus alius ante, vel post ipsum*. Et cap. 13. num. 1. *Subtilissimus Doctor, quemadmodum omnibus Theologis Immaculatæ Conceptionis propugnandæ author extitit; ita etiam nihil prætermisit, quod in hac re, ad majorem Virginis gloriam, facere possit*. Quarto Bernardinus de Bustis in Officio Immaculatæ Conceptionis, a Sixto IV. approbato lect.

4. Dominus noster Jesus Christus, ad protegendam dilectæ Matris dignitatem, Scotum, Ordinis Minorum, Doctorem eximium ad Civitatem illam protinus destinavit, qui adversariorum fundamentis, argumentisque omnibus, inconvincibili sermone confutatis, ita Conceptionis Dominæ innocentiam clarissime comprobavit, quod omnes illi Fratres sublimitatem ejus plurimum admirati, obmutescentes, in disputando defecere. Quapropter Opinio Minorum a Parisiensi studio illico approbatur.

Quarto Universus Minorum Ordo Seraphicus adeo pro pia sententia Immaculatæ Conceptionis strenue, ac invicte, decertavit, ut sententia ipsa opinio Minorum fuerit communiter appellata; sicuti eam dicebat Facultas Parisiensis apud citatum Bernardinum de Bustis; immo apud cæteros quosque hoc etiam nomine vulgabatur; quod asserunt Abbas Panormitanus cap. conquestus, de Feriis; Joannes Barsone in 3. dist. 3., & Salazar cap. 42. sect. 15. Immo Hieronymus Hormachea in librum Cantici Canticorum prolegom. 3. cap. 180. scribit: *Jure merito Religionem Seraphicam appellare possumus vexilliferam in hac pia sententia de Immaculata Conceptione.*

Quinto Religiosissima Jesu Societas, pro pia sententia, defensionem quoque invicto animo suscepit jam pridem, & etiamnum totis viribus sustinet. Quod evidenter patet, & ex Sodalitatibus ipsius, in quibus a Sodalibus pro Immaculata Virginis Conceptione votum emittitur; & ex Altaribus quæ in ipsius Ecclesiis in honorem Virginis, absque labe originalis culpæ conceptæ, Deo consecrantur; & ex Authoribus ejusdem, qui pro illibato Virginis conceptu lato, subtili, ac erudito, calamo, scripserunt, qui quidem sunt plurimi, & inter cæteros eminent Thyrsus Gonzales, Societatis Præpositus Generalis, & Cardinalis Everardus Nithardus, in suis peculiaribus tractatibus, quos hac de re, summa cum laude ediderunt.

Sexto Noster Minimorum Ordo, quot habet Alumnos, tot piæ sententiæ Defensores enumerat, & fere, quot erigit Ecclesias, tot ad illam celebrandam, aras instituit; Unde merito dicere possimus, solemne esse in Religione nostra, puritatem Marianæ Conceptionis in primo instanti profiteri, defendere, ac adorare. Inter autem cæteros, Eminentiores sunt, P. Emmanuel Maignanus, P. Ildephonsus de Padilla, P. Boucat, nostris quoque temporibus.

Modo accedimus ad illos enumerandos, qui contra Conceptionem Virginis, impuro ore loquuti sunt, & tepidissimo calamo scripserunt; qui quidem omnes ex Hæreticorum Sectis prodierunt; adeoque omnino secernendi ab illis Catholicis, qui sententiam pro Immaculatâ Virginis Conceptione piam quidem fatentur, contra illam nec loquuntur, nec scribunt, sed neque pro illa se exhibent assertores.

Primo igitur Lutherus serm. de Nativ. Mariæ hæc effutire, non erubuit: *Sumus pares Matri Dei, & æque sancti sicut illa; nisi quod non possumus esse Dei Matres, sicut illa fuit.* Quanvis deinde fœdissimus impostor, parum, & nihil sibi constans, in favorem puritatis Marianæ conceptionis late scripserit; ut in probationibus videbimus.

Secundo Jacobus Scenckius ad Evangelium de Christi Conceptione asserit: *Mariam non solum corruptam, & vitiatam naturam habuisse, sed etiam in suis cogitationibus, verbis, vita, conversatione, damnabilem personam mansisse, mortis, & inferni terroribus obnoxiam, Deique iram, & damnationem æternam in animo sentientem, ut propterea verbis Angeli fulcienda fuerit, & confirmanda, ne in suis angoribus misera desperaret.*

Tertio Joannes Calvinus in Harmonia Evangelica ad cap. 1. Lucæ vers. 34. scribit: *Non maghopere laborandum est, ut Mariam ab omni purgemus vitio*; quibus verbis tacitus innuit, & Mariam originali labe fuisse maculatam, & supervacaneam esse operam nostram, ut eam immunem a contagione illa fuisse, defendamus.

Quarto, Guilhelmus Rodingus, orat. contra Scholas Jesuitarum, ita Deiparam Loquentem inducit: *Ego in peccatis concepta, immunda nata sum.* Oraculum quidem, quod neque Tartara evomuerunt, sed Rodingi tantum impietas finxit, & publicare, non est veritus.

Superest modo, ut de Doctoribus illis, qui posterioribus temporibus floruerunt, & de quorum mente, circa Virginis Conceptionem in primo instanti, non conveniunt Scriptores, aliqua observemus. Et quidem nolumus partium Studiis implicari, sed rem, ea sinceritate pertractare, profitemur, ut monumenta ipsa præseferunt, quæ in medium adducimus, & legentibus consideranda, exhibemus.

Primo se offert S. Bernardus, de cujus mente lis est inter Eruditos, atque Theologos. Nos volumus, illum pro pia sententia stetisse;

stetisse; & movemur primo, quia serm. 4. super Salve Regina, inquit, Mariam alloquens: *Innocens fuisti ab Originalibus, & actualibus; nemo ita præter te. Vade authoritas Augustini, cum de peccatis agitur: Nullam de B. Maria volumus fieri mentionem. Ex eo enim majorem ei credimus collatam virtutem, ad vincendum ex omni parte peccatum, quæ concipere, & parere meruit eum, qui nullum habuit peccatum. Ex omni, inquit, parte, hoc est ex parte originalis, & ex parte actualis peccati. Ea ergo sola excepta, cæteri omnes quid dicere possunt, nisi quod ait Apostolus Joannes: Si dixerimus, quod peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, & veritas in nobis non est.* Secundo ex serm. de B. Maria quem citat Coccius lib. 3. art. 1., & in quo sic legitur: *Licet Maria de Patrum natura, per peccatum viciata, duxerit originem, prælecta tamen per Spiritum Sanctum, & præservata ad purum.* Qui tamen aliter sentiunt, opponunt Epistolam 174. ad Canonicos Lugdunenses, de qua loquuti fuimus supra. At qui nobiscum sentiunt, reponunt, hanc epistolam non esse Bernardi; primo, quia in ea festum Conceptionis dicitur inauditum, quum nihilominus antea servatum fuisset in primariis Franciæ Ecclesiis, ut asserit P. Ojeda cap. 11., immo legebatur quoque in Martyrologiis Bedæ, Adonis, & Usuardi. Secundo, quia Scriptores vitæ Bernardi hujusce controversiæ cum Canonicis Lugdunensibus non meminerunt. Tertio, quia ipsemet Bernardus epist. 284. queritur, multas ejus Epistolas adulteratas fuisse, ipsique alias suppositas. Dicit enim ad Eugenium: *Periclitati sumus in falsis Fratribus, & multæ literæ nostræ falsatæ sub falsato sigillo nostro, in manus multorum exierunt.* Et quanvis Epistola illa fuisset Bernardi, non reprehenditur tamen in illa, quod Conceptionis festum celebraretur, sed quod inconsulta Apostolica Sede celebraretur. Denique si in ea legitur, quod Conceptio Virginis non fuerit munda, intelligendus est de conceptione seminali corporis, non vero de Conceptione spirituali animæ, de qua est controversia.

Secundo S. Bonaventura in dubio est secundum quosdam, pro qua steterit sententia; nos pro pia volumus quoque illum stetisse. Primo inducimur ad hoc dicendum, quia quanvis dixerit in 3. dist. 3. art. 1. qu. 2. Nullum usque tunc magni nominis Doctorem audivisse, qui dixerit, B. Virginem esse immaculate Conceptam; nihilominus Senior factus, priorem sententiam retractavit, qua timide Mariam dixerat maculatam, & serm. 2. de Assumpt. B. Virginis docuit: *Domina nostra fuit plena gratia præveniente in sua sanctificatione, gratia scilicet præservativa contra fœditatem originalis culpæ, quam contraxisset corruptione naturæ, nisi speciali gratia præventa, præservataque fuisset. Solus enim Filius Virginis fuit ab originali culpa immunis, & ipsa Mater ejus Virgo. Credendum est enim, quod novo sanctificationis genere in ejus Conceptionis primordio Spiritus Sanctus eam a peccato originali (non quod infuit, sed quod infuisset) redemit, atque singulari gratia præservavit.* Et serm. 1. inter vera, inquit: *Domina nostra tota fuit purissima, omni carens penitus macula, tam in corpore, quam in anima.* Et quanvis Adversarii dicant, Sermonem illum non esse S. Bonaventuræ; vel quod præfata verba fuerunt addita; hoc nihilominus non admittitur; quia constat ex libro antea, anno scilicet 1502., impresso, Sermonum S. Bonaventuræ, inter quos legitur citatus sermo, & in fine libri hæc verba leguntur: *Expliciunt Sermones de communi Sanctorum generales, nec non de B. Virgine, de Angelis, & de triplici dedicatione, S. Bonaventuræ, Doctoris Seraphici, Cardinalis, Episcopi ex Ordine Minorum, a devia erroris quamdiligentissime emendati, atque correcti, impensis, & opera providi viri Magistri Jacobi Pfortzhemii, civis Basileensis anno salutis* 1502. Secundo, quia S. Bonaventura in capitulo Generali Ordinis Minorum, Pisis celebrato, procuravit fieri Statutum, ut per Universum Ordinem Seraphicum Festum Immaculatæ Conceptionis celebraretur; quemadmodum jam plures eam celebrare consueverant. Testatur hoc ipsum Seraphicus Doctor in 3. dist. 3. artic. 1. qu. 1.: *Sunt tamen aliqui, qui ex speciali devotione celebrant Conceptionem B. Virginis, nec omnino laudare, nec simpliciter audeo reprehendere . . . . . Non audeo omnino reprehendere, quia, ut quidam dicunt: Hæc Solemnitas celebrari non cœpit humana inventione, sed divina revelatione: quod si verum est, sine dubio bonum est solemnizare in ejus Conceptione; Sed quia hoc authenticum non est, non compellimur credere: quia etiam contra fidem rectam non est, non compellimur negare, &c.* Tertio piam sententiam propugnavit etiam S. Bonaventura in Opusculis, & præcipue par. 3. & 4. de Eccles. Hierarch. cap. 7., ubi non defendit sententiam, quæ stat contra Immacu-

latam

latam Conceptionem Virginis, sed potius propendit in illam, quæ pro eadem militat.

Tertio de Angelico Doctore, S. Thoma Aquinate, nec una pariter est Theologorum assertio; quum aliqui velint, ipsum stetisse pro pia sententia, alii autem contra eandem pugnasse, propugnant. Et re vera in 1. sentent. dist. 44. qu. 3. ad 3. pro pia sententia se declarat. Primo docens: *Ad tertium dicendum, quod puritas intenditur per recessum a contrario, & ideo potest aliquid creatum inveniri, quo nihil purius esse potest in rebus creatis, si nulla contagione peccati inquinatum sit: & talis fuit puritas B. Virginis, quæ a peccato originali, & actuali immunis fuit: fuit autem sub Deo, in quantum erat in ea potentia ad peccandum.* Secundo super Epistolam ad Galatas cap. 3. lect. 6., proferens illud Ecclesiastici 7. *Virum de mille unum reperi, scilicet Christum, qui esset sine omni peccato; mulierem autem ex omnibus non inveni, quæ omnino a peccato immunis esset, ad minus originali, vel veniali; excipitur purissima, & omni laude dignissima, Virgo.* Testatur Frassen, quod ita ferunt omnia antiqua exemplaria manuscripta, quæ ipse propriis oculis usurpavit Parisiis in Bibliothecis Sorbonæ, & S. Victoris; quemadmodum etiam vidit in Editione Parisiensi, facta anno 1541., quanvis deinde in Editionibus posterioribus, scilicet Veneta, anno 1593. exceptiones illæ expunctæ fuerint. Tertio explicans illud ad Rom. 5.: *In quo omnes peccaverunt*, subdit: *Una excepta B. Virgine, quæ nullam contraxit maculam originalis peccati*. Hæc ipsa verba testatur Nurembergius in exceptionibus Concilii Tridentini pro omnimoda puritate Deiparæ Virginis, se vidisse Romæ in perantiquo exemplari Commentariorum S. Thomæ in Epistolas Pauli, quod asservabatur in Bibliotheca Cardinalis Sfortiæ anno 1625., quod quum vidisset Cardinalis Trejus, illud ipsum exemplar illico Urbano VIII. Summo Pontifici ostendit. Quarto in Opusc. 8. de Exposit. Salutationis Angelicæ docet: *Maria purissima fuit quantum ad culpam, quia nec originale, nec mortale, nec veniale peccatum incurrit*. Hæc verba referuntur ab antiquis Authoribus, & præcipue a Catherino; at deinde fuerunt sublata, & relicta sunt tantummodo sequentia: *Excedit Angelos, quantum ad puritatem*; quæ quidem innuunt antecedentia verba, quæ fuerunt sublata; quia, ut ait Hennus, non essent vera, nisi esset immaculate concepta. Eadem verba opposita in Basileensi Concilio Cardinali Joanni de Turrecremata, afferunt Catherinus, & Salmeron, quod ea non ausus est negare. Illi autem, qui contra piam sententiam certantes ad suas partes trahere Angelicum Doctorem, nituntur, inducunt ipsum 3. par. qu. 27. ar. 2 asserentem, B. Virginem fuisse prius secundum carnem conceptam, & ut sic contraxisse peccatum originale; & postmodum fuisse sanctificatam in utero, & ab ipso peccato Originali mundatam. Verum in illo loco multa sunt, quæ ostendunt, mentem S. Thomæ piæ sententiæ favere, & verba illa, quæ objiciuntur, ad rem non faciunt. Primo docet S. Doctor, S. Virginem fuisse sanctificatam in utero; & ratio ipsius est, quia B. Virgo nata est sancta; quod sic probat: Ecclesia celebrat festum Nativitatis Virginis, sed non potest celebrari festum, nisi de aliquo Sancto: ergo Nativitas Virginis fuit Sancta: ergo B. Virgo nata est sancta. En ejus verba: *Non autem celebratur festum in Ecclesia, nisi pro aliquo Sancto: ergo B. Virgo in ipsa sua Nativitate fuit sancta: fuit ergo in utero sanctificata.* Atqui ad præsens non solum in quibusdam peculiaribus Ecclesiis Immaculatæ Conceptionis Virginis festum, verum quoque in Universali Ecclesia sub præcepto celebratur: ergo ex positionibus S. Thomæ Conceptio B. Virginis fuit sancta; adeoque illibata, & sine macula. Secundo in eodem loco legitur: *Rationabiliter credimus, quod illa, quæ genuit Unigenitum a Patre plenum gratiæ, & veritatis, præ omnibus aliis, majora gratiæ beneficia acceperit:* Quum ergo Hieremias, Joannes Baptista, & ut plerique volunt, S. Joseph, fuerint in utero sanctificati, si B. Virgo ante nativitatem sanctificata fuisset, non accepisset majora omnibus aliis gratiæ beneficia: ergo, ut verificetur quod acceperit, ut asserit S. Thomas, dicendum est, non sanctificatam fuisse in utero, ut fuerunt alii, sed fuisse præservatam ab omni labe originalis culpæ, ut fuit sola ipsa. Unde non credimus post nuper relata S. Thomæ verba, ipsum concludendo scripsisse, quod B. Virgo sanctificata fuerit, antequam ex utero nasceretur, quia ex dictis modo a Nobis, illegitima esset consequentia, & Angelici Doctoris mente, indigna. Vel si dicere volumus, fuisse legitimam, animadvertere debemus, sanctificationem esse duplicem, & illam, quæ habetur in præservatione a cul-

a culpa, & illam, quæ habetur in emundatione a culpa; & in hoc sensu concedimus Mariam fuisse sanctificatam primo modo, cæteros vero sanctos secundo modo. Denique, quando S. Thomas 1. 2. q. 81. art. 3. asserit: *Secundum fidem Catholicam firmiter est tenendum, quod omnes homines, præter solum Christum, ex Adamo derivati, peccatum originale ex Adamo contrahunt*; intelligi debet de debito contrahendi originale, non autem de actualitate contractionis; sicut asserit idem S. Thomas in 4. dist. 43. art. 4. qu. 1. ad 3. Quod quidem evidenter ostenditur; quia si S. Thomas intelligendus esset de actualitate contractionis, sententia suæ contraria esset hæretica, vel saltem erronea; sed hoc dici non potest: ergo &c. Sequela est manifesta, quia dicit, quod secundum fidem Catholicam firmiter tenendum est: ergo contrarium non est secundum fidem Catholicam: ergo est hæreticum, vel saltem erroneum. Minor etiam ostenditur, quia ex Sixto IV. Extravag. *Grave nimis, de Reliquiis, & veneratione Sanctorum*, propositio, seu opinio, quæ piam sententiam censura inurit, condemnatur tanquam falsa, & erronea, & a veritate prorsus aliena. Ut autem omnis æquivocatio tollatur circa vocem *Sanctificationis*, qua utitur S. Thomas in re, de qua loquimur, afferimus in medium duos celebres Ordinis Prædicatorum Scriptores, qui non longe ab obitu Angelici Doctoris vixerunt, &, ut ejus mentem penitius, quam cæteri, assequuti sunt, ita, & ejus verba expressius, & candidius, quam alii, explanarunt. Unus est Bramiardus in Summa Prædicantium, ubi agens de Corona Virginis, & duodecim Stellis, seu de donis singularibus, vel privilegiis Mariæ, hæc habet: *Secundam in corona habuit Stellam, seu florem elevatum ad modum coronæ regalis, in hoc, quod fuit cæteris eminentius, & specialius sanctificata. De aliis enim bene legitur, quod fuerunt in utero sanctificati, sicut de Jeremia, & Joanne Baptista. Non tamen illico ita fuerunt sanctificati, quin potuerint venialiter peccare. Ipsa vero tam eminenter sanctificata fuit, quod nec mortaliter, nec venialiter peccavit, sicut patet per S. Thomam in 3. par. de Christo qu. 27. art. 6. in eadem etiam quæstione art. 2. ponit ejus sanctificationis excellentiam, quantum ad temporis prioritatem, in hoc, quod sanctificata fuit in sua animatione, id est, in conjunctione animæ cum corpore in utero matris suæ, & non ante, quia sanctificatio, & mundatio fit per gratiam, cujus subjectum est anima; nihil enim est capax gratiæ, nisi anima rationalis: sic ergo sanctificavit tabernaculum suum Altissimus, in Psal. 45. &c.* Alter est Petrus a Valle Clausa, in suis 6. Diatr., ubi, agens de hac quæstione 27. & art. 2. tertiæ partis, ait: *Itaque Textus ille fuit manu adulteratrice contractus, & apud Joannem Bromiardum, qui floruit anno 1260., ut habet Chronicon Ordinis Prædicatorum; locus ille legitur, ut par est. Vide Bromiardum in summa Prædicantium, verbo Maria art. 2., adducit enim Bromiardus S. Thomam, eo loco dicentem, B. Virginem fuisse sanctificatam, non ante animationem, sed in ipsa prima animatione, ex quo sequitur exclusio peccati originalis a Deipara; fratres autem, ne ibi hoc S. Thomas diceret, & sibi contradiceret 1. 2. adulterato textu, fecerunt &c.*

Dicimus I., Virginem Deiparam fuisse revera ab originali culpa immunem; & per gratiam sanctificantem, ipsi, in primo suæ Conceptionis, aut animationis, instanti, divinitus infusam, fuisse ab ea præservatam,

I. Probatur ex Scripturis veteris testamenti. Genesis 3. 15. *Inimicitias ponam inter te, & Mulierem, & semen tuum, & semen illius: Ipsa conteret caput tuum, & tu insidiaberis calcaneo ejus.* Quod hæc verba intelligenda sint de Virgine Deipara, non autem de Eva, primo S. Cyprianus asserit lib. 2. ad Quirinum contra Judæos cap. 9. *Verbum promissionis est, quod transmittitur in futura. Non dixit pono, ne ad Evam pertinere videretur; sed ponam, id est, suscitabo contra te mulierem.* Confirmat S. Epiphanius lib. 3. adversus hæres.: *Nusquam autem reperitur semen solius mulieris, nisi in Maria; proinde non potest totum in Eva impleri.* Adstipulatur Rupertus lib. 3. de Trinit. cap. 19. *Ita est semen, seu filius Mulieris (Christus) ut non etiam sit semen viri.* Subscribit Hieronymus in Epist. ad Amicum ægrotum de viro perfecto, vel quisquis alius illius Epistolæ genuinus est author: *Mater Domini in illa jam Muliere promissa est: Hæc inimicitiis opposita est serpentis. Et ne hoc ad Evam pertinere videretur, non dixit, pono, sed ponam; illam indicans mulierem, quæ Salvatorem pariat, non quæ generet fratricidam.* Transcribit denique Lyranus: *Non istam Evam, sed aliam ab ea descendentem, scilicet Virginem Mariam, quæ est infesta Dæmonibus: unde Canticorum 3. dicitur: Terribilis ut Castrorum acies ordinata.* Hoc posito, sic argumentamur.

samur. Primo: Inter Mariam, & Serpentem fuit perpetua inimicitia; sed non fuisset, si per aliquod instans Maria fuisset originali labe inquinata: ergo &c. Secundo: Originale peccatum est caput omnium peccatorum, adeoque est caput serpentis diaboli; Sed hoc caput Maria contrivit; ergo ab omni ipsius morsu immunis fuit. Adstipulatur Augustinus, vel quisquis alius est Author Commentarii in Genesim: *Nam cum subjectio peccati Originalis caput sit diaboli, tale caput Maria contrivit; quia nulla peccati subjectio ingressum habuit in animam Virginis, & ideo ab omni macula immunis fuit*. Tertio: Si aliquod Marianæ Conceptionis instans fuisset originalis culpæ labe decurpatum, calcaneus Virginis, hoc est illius vitæ exordium, fuisset serpentis insidiis expositum, atque fœdatum; sed hoc dici non potest, quum ibi dicatur: *Insidiaberis Calcaneo ejus, & ipsa conteret caput tuum*: ergo &c. Explicat Rupertus ad verba illa Canticor. 7. *Quam pulchri sunt gressus tui in calceamentis tuis, Filia Principis?* Scribens: *De calceamentis hic agitur, non corporis, sed Spiritus, in quo discalceatum esse, summa est ignobilitas, & plusquam servilis egestas: idcirco Ancillæ calcaneum serpens momordit; tu autem, Filia Principis, bene calceata, caput serpentis contrivisti, Tu maxime, o Princeps, & Domina singularis dilecta, &c.* Psal. 45. *Sanctificavit Tabernaculum suum Altissimus; Deus in medio ejus non commovebitur: Adjuvabit eam Deus mane, diluculo*. Plurimos sanctificat Deus, sed aliquos vespere, ut Latronem; aliquos meridie, ut Magdalenam, & Paulum; alios mane, ut Hieremiam, Joannem Baptistam, Josephum; unam tamen sanctificavit diluculo; & hæc est Tabernaculum Dei, quam B. Virginem esse, nemo ambigit, & quam diluculo, hoc est in primo suæ Conceptionis instanti, sanctificavit. Psal. 86. *Fundamenta ejus in montibus sanctis, diligit Dominus portas Sion super omnia tabernacula Jacob ... Homo natus est in ea, & ipse fundavit eam Altissimus*. Quæ verba explicans S. Gregorius Magnus in lib. 1. Reg. scribit: *Montis Ephraim nomine, Beatissima Semper Virgo Maria, Dei Genitrix, designari potest. Mons quippe fuit, quæ omnem electæ Creaturæ altitudinem electionis suæ dignitate, transcendit. An non mons sublimis Maria, quæ, ut ad Conceptionem æterni Verbi pertingeret, meritorum verticem supra omnes Angelorum Choros, usque ad solium Deitatis, erexit? Hujus enim montis præcellentissimam dignitatem Isaias vaticinans, ait: Erit in novissimis diebus præparatus mons domus Domini in vertice montium. Mons quippe in vertice montium fuit, quia altitudo Mariæ supra omnes Sanctos effulsit*. Ut autem hæc verificentur, opus est, ut dicamus, Mariam fuisse in primo suæ Conceptionis instanti immaculatam; si enim fuisset tantum in utero matris sanctificata, non fuisset supra omnes montes sanctorum sublimior, & excelsior, quia ex istis aliqui fuerunt etiam in Matrum ventribus Sanctificati. Quod scripserat S. Anselmus homil. de Conceptu Virginali: *Si Jeremias, qui in gemitibus erat prophetaturus, in vulva est Sanctificatus, & Præcursor Domini Joannes Spiritu Sancto ex utero Matris est repletus, quis differere audeat, totius seculi propitiatorium, max in sua Conceptionis exordio, Spiritus Sancti illuminatione destitutum?*

II. Probatur ex Scripturis novi Testamenti. Lucæ 1. *Ave gratia plena*. Verbum *Ave* explicatur *sine væ*. Hanc explicationem esse Angelici Doctoris in Elucidatione Salutationis Angelicæ, testatur Frassen, verba, quæ sequuntur, ex eodem Doctore Angelico adducens: *Ex peccato sequutum est triplex væ; Væ culpæ; væ pœnæ; væ ignorantiæ: Væ culpæ triplex; Originalis, actualis, & venialis: Sine omni isto triplici væ fuit B. Virgo*. Angelici explicationi concinit explicatio Seraphici Doctoris S. Bonaventuræ in Speculo Virginis cap. 2. *Ave Maria absque væ. Triplex est væ, a quo immunissima fuit Maria: Væ culpæ actualis, væ miseriæ originalis, & væ pœnæ gehennalis*. Subscribit S. Bernardinus tom. 4. serm. 1. de Annunciatione art. 1. cap. 1. *Ave B. Virgo, sine primo væ, idest, sine peccato tyranno peccati originalis, quia sine eo concepta est*. Dicitur etiam *gratia plena*; quia, si cum originali peccatu concepta fuisset, gratia plena neque fuisset, quia defuisset illi gratia præservationis, quam habuerunt Angeli boni. Hanc interpretationem confirmans Sancti, & præcipue Bonaventura serm. 2. de Virgine: *Quod Domina nostra fuit plena gratia præveniente in sua sanctificatione; gratia, scilicet, præservativa, contra fœditatem peccati originalis culpæ, quam contraxisset ex corruptione naturæ, nisi speciali gratia privilegio fuisset præservata*. S. Bernardinus Senensis tom. 4. serm. 13. de exaltat. B. Virginis art. 1. cap. 10. *Tanta gratia Virgini a Domino data est, quanta uni puræ creaturæ dari possibile est*. B. Albertus Magnus in suo Mariali cap. 177. *In B. Vir-*

gine

gine Maria, respectu omnium creaturarum non unitarum, fuit gratia summa, fuit gratia in summo: ergo appropinquat ad primam lucem in summo: ergo puritas in summo: puritas enim sequitur naturam luminis, & luminosi. Etiam Lucæ 1. dicitur: *Ne timeas Maria, invenisti enim gratiam apud Deum*. Quæ verba sic explicantur ab Andrea Hierosolymitano: *Nacta est enim gratiam apud Deum, quam Eva perdiderat*: ab Idiota lib. contemplationis de Virgine cap. 6. *Gratiam apud Deum singularem, o dulcissima Virgo, invenisti, quia fuerunt in te ab originali labe præservatio, angelica salutatio, & Spiritus Sancti superventio*: ab Hugone Cardinali in Canticor. 8. *Invenisti pacem, quam perdiderant primi Parentes*. Ex quibus verbis sic possumus argumentari: Maria gratiam invenit: ergo invenit gratiam deperditam; sed gratia deperdita fuit illa, quam perdidit Eva: ergo invenit gratiam, quam perdidit Eva; Sed gratia, quam perdidit Eva fuit gratia originalis: ergo Maria invenit gratiam originalem. Ad Romanos 5. 15. *Non sicut delictum, ita & donum: si enim unius delicto multi mortui sunt, multo magis gratia Dei, & donum in gratia unius hominis Jesu Christi in plures abundavit*. Hinc fit, quod si gratia Christi in plures abundavit, quam Adæ delictum, opus est, ut gratia Christi ad aliquos derivata fuerit, quos Adæ delictum non inquinaverat; Sed hæc esse non potuit, nisi Sanctissima ejus Genitrix: ergo, ut verificetur Apostoli oraculum, oportet fateri, B. Virginem fuisse ab originali labe præservatam. Ad quæ cohærenter scripsit Scotus in 3. dist. 3. qu. 1. *Perfectissimus Mediator habet perfectissimum actum mediandi respectu alicujus personæ, pro qua mediat: sed Christus est perfectissimus Mediator: igitur Christus habuit perfectissimum gradum mediandi possibilem, respectu alicujus creaturæ, sive personæ, respectu cujus erat mediator; sed respectu nullius personæ habuit excellentiorem gradum, quam respectu Mariæ*.

III. Probatur ex Romanis Pontificibus. Sixtus IV. in decreto 2. de Conceptione Mariæ Virginis: „ Sanc cum Sancta Ro„ mana Ecclesia de intemeratæ semperque „ Virginis Mariæ Conceptione publice fe„ stum solemniter celebret, & speciale, ac „ proprium, super hoc officium ordinave„ rit, nonnulli, ut accepimus, diversorum „ Ordinum prædicatores in suis sermonibus „ ad populum affirmare hactenus non eru„ buerunt, omnes illos, qui tenent, & asse„ runt, eandem gloriosam, & immaculatam „ Dei Genitricem absque originalis pecca„ ti macula fuisse conceptam, mortaliter „ peccare, vel esse hæreticos: ejusdem im„ maculatæ Conceptionis officium cele„ brantes, audientesque sermones illorum, „ qui eam sine hujusmodi macula concep„ tam esse, affirmant, peccare graviter &c. „ Nos hujusmodi temerariis ausibus, & „ perversis assertionibus, obviare volentes, „ hujusmodi assertiones Prædicatorum eo„ rundem, & aliorum quorumlibet, qui af„ firmare præsumunt, eos, qui credunt, aut „ tenent, Dei Genitricem ab originalis „ peccati macula in sua Conceptione præ„ servatam fuisse, propterea alicujus hære„ seos labe pollutos fore, vel mortaliter „ peccare: aut hujusmodi officium Concep„ tionis celebrantes alicujus peccati reatum „ incurrere, utpote falsas, & erroneas, & a „ veritate penitus alienas, editosque desu„ per libros prædictos, id continentes, quo „ ad hoc, auctoritate apostolica, tenore „ præsentium reprobamus, & damnamus„. Ejusdem Pontificis est constitutio, quæ incipit: *Cum praeexcelsa*, edita anno 1476. Kalen. Maii, Pontificatus sui anno sexto, in qua hæc leguntur: „ Quod omnes, „ & singuli Christi fideles utriusque sexus, „ qui missam, & officium Conceptionis „ ejusdem Virginis gloriosæ, juxta piam, „ devotam, & laudabilem ordinationem „ dilecti filii Magistri Leonardi de Noga„ rolis, Clerici Veronensis, Notarii nostri, „ & quæ desuper a Nobis emanavit Missæ, „ & Officii hujusmodi institutionem in die „ festivitatis Conceptionis ejusdem Virgi„ nis Mariæ, & per octavas ejus devote „ celebraverint, & dixerint, aut illis horis „ Canonicis interfuerint, quoties id fece„ rint, eandem prorsus indulgentiam, & „ peccatorum remissionem exinde conse„ quantur, quam juxta felicis recordationis „ Urbani IV. in Concilio Viennensi, ap„ probatas, & Martini V., & aliorum Ro„ manorum Pontificum prædecessorum no„ strorum constitutiones, consequuntur il„ li, qui Missam, & Officium, & horas Ca„ nonicas in festo Corporis Christi, & San„ guinis Domini Nostri Jesu Christi a pri„ mis Vesperis, & per illius octavas, juxta „ Romanæ Ecclesiæ institutionem cele„ brant, aut dicunt, aut Missæ, & Officio, „ & horis hujusmodi intersunt; præsenti„ bus futuris temporibus valituris. „ Gregorius XI., Urbanus VI., & Bonifacius IX. approbarunt relationes Sanctæ Brigittæ, in quibus lib. 6. verba hæc conti-

nentur, quæ Maria Virgo idem Sanctæ revelavit: *Veritas est quod ego concepta fui sine peccato originali*. Pius V. in Constitutione, quæ incipit: *Super speccula*, prohibet, ne sententia pia de immaculata Virginis Conceptione impugnetur. Paulus V. anno 1617. hoc idem interdixit. Gregorius XV. anno 1622. die 24. Maii Decretum Pauli V. extendit quoque ad colloquia, & scripta privata, *mandans omnibus, & singulis, ne etiam in sermonibus, & scriptis privatis audeant asserere, quod eadem Beatissima Virgo fuerit concepta cum peccato originali, nec de hac opinione affirmative aliquo modo agere, aut tractare*. Innocentius VIII. in Constitut., quæ incipit: *Inter innumera*, approbat, & confirmat ordinem Religiosarum Monialium sub titulo Immaculatæ Conceptionis, & in ea hæc leguntur: „ Quod Abbatissæ pro tempore existentes, & Moniales præfatæ vestem albam cum scapulari, etiam albo, & desuper mantellum coloris cœlestis, in quibus quidem mantello, & scapulari imago ejusdem B. Mariæ affigatur, deferre, ac cingulo cannabis, ad instar Fratrum Minorum, cingi debeant: at in horis canonicis juxta morem Romanæ Ecclesiæ dicendis, hunc modum servent, videlicet, quod Dominicis, in quibus aliqua historia inchoari, sive officium Dominicæ de necessitate dici debet, & quibus festa duplicia, & semiduplicia, & solemnia celebrantur, diebus etiam ferialibus, quibus officium feriale omitti non potest, ac Octavis ipsorum festivitatum duntaxat, exceptis omnibus aliis diebus, per totum annum horas Canonicas majores, & officium divinum de ejusmodi Conceptione dicere; & in præfatis (exceptis diebus, in quibus horæ majores de Dominica, vel feria, aut festo dici debent) horas minores, & officium parvum ejusdem B. Mariæ cum Antiphonis, versiculis, capitulis, & orationibus de eadem Conceptione dicere debeant &c. „ Urbanus VIII. Constitutione 11. quæ incipit: *Imperscrutabilis*, approbavit Ordinem militarem Conceptionis Immaculatæ B. Mariæ Virginis. Clemens XI. declaravit per totam Ecclesiam universalem esse celebrandum de præcepto festum Immaculatæ Conceptionis B. Mariæ Virginis.

IV. Probatur ex Conciliis. Sexta Synodus act. 11. & 13. approbat epistolam Sofronii, in qua dicitur Maria Virgo *Sancta, & ab omni contagione liberata, & corporis, & animæ, & intellectus*. Septima Synodus act. 3. approbat epistolam Synodicam Tharasii, in qua hæc verba leguntur: *Veneramur etiam, & adoramus imaginem Deiparæ, & Dominæ nostræ irreprehensibilis immaculatæ &c.* Et in definitione fidei habetur: *duas naturas Incarnati propter nos ex immaculata Virgine Maria, confitemur*. Concilium Lateranense sub Martino I. can. 3. dicit: *Sancta, & immaculata Maria*. Concilium Basileense sess. 36. habet: „ Hactenus vero difficilis quæstio in diversa partibus, & coram hac Sancta Synodo super Conceptione ipsius gloriosæ Virginis Mariæ Matris Dei, & exordio sanctificationis ejus facta est, quibusdam dicentibus, ipsam Virginem, & ejus animam, per aliquod tempus, aut instans temporis, subjacuisse actualiter originali culpæ; aliis autem e converso dicentibus, a principio creationis suæ Deum ipsam diligendo, gratiam eidem contulisse, per quam a macula originali illam beatissimam personam liberans, & præservans, sublimiori sanctificationis genere redemit, cum fundaret eam Altissimus ipse, & ipsam fabricaret Filius Dei Patris, ut esset Mater ejus in terris. Nos vero diligenter inspectis authoritatibus, & rationibus, quæ jam a pluribus annis in publicis relationibus ex parte utriusque doctrinæ coram hac sancta Synodo allegatæ sunt, aliisque etiam plurimis super hac re visis, & matura consideratione pensatis; doctrinam illam asserentem gloriosam Virginem Dei Genitricem Mariam præveniente, & operante divini Numinis gratia singulari, nunquam actualiter subjacuisse peccato originali, sed immunem semper fuisse ab omni originali, & actuali culpa, sanctamque & immaculatam, tanquam piam, & consonam cultui Ecclesiastico, fidei Catholicæ, rectæ rationi, & sacræ scripturæ, ab omnibus Catholicis approbandam fore, tenendam, amplectendam, & definimus, & declaramus, nullique de cætero licitum esse in contrarium prædicare, seu docere. Renovantes præterea Constitutionem de celebranda ejus sancta Conceptione, quæ tam per Romanam, quam per alias Ecclesias, sexto idus Decembris, antiqua, & laudabili consuetudine, celebratur, statuimus, & ordinamus, eandem celebritatem præfata die in omnibus Ecclesiis, Monasteriis, & Conventibus Christianæ religionis sub nomine Conceptionis, festivis laudibus colendam esse, cunctisque fidelibus vere pœnitentibus, &

„ con-

,, confessis, ea die Missarum solemniis centum; primis autem, vel secundis Vesperis totidem, sermoni vero Verbi divini, de ea festivitate interessentibus centum quinquaginta dies, concessione perpetuis temporibus duratura, de injunctis sibi pœnitentiis hæc Sancta Synodus elargitur. Datum Basileæ in sessione nostra publica in majori Ecclesia Basileensis solemniter celebrata 15. Kalen. Octobris, anno à Nativitate Domini 1439.,, Concilium Avenionense, anno 1457. habitum. ,, Decretum in Concilio Basileensi factum de Conceptione Beatissimæ Virginis Mariæ, statuimus inviolabiliter servari, districte omnibus inhibendo sub excomunicationis pœna, ne quisquam aliquid in contrarium prædicare, vel publice disputare præsumat: quod si secus aliquis fecerit, dictam sententiam eum incurrere volumus ipso facto; & in prima Synodo per Diœceses per quemlibet celebranda, prædicta statuimus prædicari, & Curatis Ecclesiarum injungi, ut hæc populo manifestent. Datum in Ecclesia Cathedrali Avenionensi die 7. mensis Septembris anni Incarnationis Dominicæ 1457. Pontificatus D. N. Calixti Papæ III. anno tertio. ,, Concilium Tridentinum Sess. 5. in Decreto de peccato originali: ,, Declarat hæc ipsa Sancta Synodus, non esse suæ intentionis comprehendere in hoc Decreto, ubi de peccato originali agitur, B. Immaculatam Virginem Mariam, Dei Genitricem, sed observandas esse constitutiones felicis recordationis Sixti Papæ IV., sub pœnis in eis constitutionibus contentis, quas innovat. ,,

V. Probatur ex Patribus Græcis. Sanctus Ephrem Syrus oratione de sancta Deipara; de cujus genuinitate consulatur Bellarminus de Scriptoribus Ecclesiasticis: *Immaculata, intemerata, incorrupta, & ab omni peccati labe alienissima.* Andreas Cretensis hom. 1. de Virginis dormitione: *Quæ cum esset immaculata, impolluta &c.* .... *Seraphim ipsam vincens naturam miraculo Dei generationis, prima naturæ proxime accedens ad Deum.* Et homilia 2. *Sola præter naturam fuit electa, sola servivit Opifici universæ naturæ.* Sophronius in epist. quæ probata fuit in VI. Synodo: *Virginem ideo dici immaculatam, quia in nullo corrupta est.* Et oratione in Christi natalia: *Christus in manifestissimum omnipotentis divinitatis suæ judicium, Virginem, ex qua prodiit, integram, incorruptamque conservavit.* Origenes homil. 1. in diversos: *Mater immaculata, mater incorrupta, mater intacta.* Damascenus orat. 1. de nativitate Mariæ: *Natura gratiæ fœtum antevertere minime ausa est, verum tantisper expectavit, dum gratia fructum suum produxisset*, Et post pauca: *O beatos Joachim lumbos, e quibus immaculatum semen effluxit! O præclaram Annæ vulvam, in qua tacitis incrementis formatus fuit Sanctissimus fœtus!* Athanasius epist. ad Epictetum, Corinthiorum Episcopum, de cujus genuinitate non dubitat Bellarminus: *Idcirco gratia plena cognominata est, eo quod adimpletione Spiritus Sancti omnibus gratiis abundaret, & virtute Altissimi obumbraretur: quam virtutem per omnia tempora conceptus etiam habuisse confido. Neque enim id temporarium in Virgine accidisse opinor, sed per omnia tempora hoc illi datum fuisse.* Chrysostomus in Hypopanten Domini: *Magnum re vera Virgo hæc mundi miraculum est. Et quid enim in rerum universitate queat hac majus, & sublimius inveniri? Sola hæc cœlum, & terram amplitudine superavit. Quidnam illa sanctius? Non Prophetæ, non Apostoli, non Martyres, non Patriarchæ, non Patres, non Angeli, non Throni, non Dominationes, non Cherubim, non Seraphim, non aliud denique quippiam inter creatas res visibiles, aut invisibiles, una hac majus, aut excellentius inveniri potest.* Theodoretus in Cantica: *Inter tot animas omnium hominum, qui salvantur, ut electa columba, est una illa sola, quæ Christum genuit, Virgo, mater, puella, quæ paritate profecto Cherubim, & Seraphim antecellit.* Germanus Constantinopolitanus serm. de fasciis, & zona B. Mariæ: *Existimo manifeste, & sine contradictione, eam, quæ est omnibus superior, divinorum, & sublimium virtutum, magnitudine, & puritate omnibus excellentem, Mariam nulli culpæ affinem.* Joannes Hierosolymitanus de institutis Monachorum cap. 32. *Beata Maria de natura humana aliter fuit orta, quia in suo ortu non fuit onerata amaritudine delictorum, sed instar illius nubeculæ fuit levis per immunitatem peccatorum, & dulcis per plenitudinem charismatum.* Euthymius in orat. in adorationem venerandæ zonæ Deiparæ cap. 8. *Maria est altior, & superior quavis re creata, tam quæ sub aspectum cadit, quam quæ non cadit, quæ est pura, impolluta, intacta Patris, qui nec videri, nec comprehendi potest, ab omni reprehensione aliena, & pulcherrima sponsa.* Omittimus recitare testimonia, quæ alii petunt, vel ex Presbyteris Achajæ, qui

jæ, qui S. Andreæ passionem scripserunt vel ex liturgia S. Jacobi Apostoli, vel ex S. Ignatio martyre, epist. ad Joann., vel ex Justino martyre in quæstionibus ad Orthodoxos; quia de horum operum genuinitate, sinceritate, ac veritate valde dubitant Critici etiam moderatiores, & eruditiores.

VI. Probatur ex Patribus Latinis. Ambrosius serm.22.in psalm.118. explicans verba illa: *Erravi sicut ovis, quæ periit*; hæc habet: *Veni ergo, & quære ovem tuam, jam non per servulos, non per mercenarios, sed per temetipsum suscipe me in carne, quæ in Adam lapsa est; suscipe me non ex Sara, sed ex Maria, ut incorrupta sit Virgo, sed virgo per gratiam ab omni integra labe peccati.* Hieronymus ad cap.11.Isaiæ: *Virgam de radice Jesse, sanctam Mariam Virginem intelligamus, quæ nullum habuit sibi fruticem cohærentem, de qua legimus: Ecce Virgo concipiet &c.* Epist.22.ad Eustachium de custodia Virginitatis cap. 8. *Exiet virga de radice Jesse, & flos de radice ejus ascendet. Virga, Mater est Domini, simplex, pura, sincera, nullo extrinsecus germine cohærente, & ad eam similitudinem Dei unione fœcunda.* Ad cap.10.Eccl. *Beata terra Ecclesia, cujus est Christus, filios ingenuorum, de Abraham, Isaac, & Jacob, Prophetarum quoque, & Sanctorum stirpe descendens, quibus peccatum non fuit dominatum, & ob id vere fuerunt liberi. Ex quibus nata est Virgo liberior sancta Maria.* Ad psalm.77. *Aut certe nubem levem debemus sanctam Mariam accipere, nullo semine humano prægravatam. Ecce Dominus venit in Ægyptum seculi istius, super nubem levem, Virginem: Et deduxit eos in nube diei. Pulchre dixit, diei. Nubes enim illa non fuit in tenebris, sed in luce.* Augustinus de natura, & gratia cap. 36. *Excepta Sancta Virgine Maria, de qua propter honorem Domini nullam prorsus, cum de peccatis agitur, habere volo quæstionem: Unde enim scimus, quod ei plus gratiæ collatum fuerit, ad vincendum omni ex parte peccatum, quæ concipere, & parere meruit eum, quem constat nullum habuisse peccatum. Hac ergo Virgine excepta, si omnes illos Sanctos, & Sanctas, cum hic viverent, congregare possemus, & interrogare: Utrum essent sine peccato, quid fuisse responsuros, putamus? Utrum hoc, quod Pelagius dicit, an quod Joannes Apostolus? Roga vos quantalibet fuerint in hoc corpore excellentia sanctitatis, si hoc interrogari potuissent, nonne una voce clamassent: Si dixerimus, quia peccatum non habemus, nos ipsos seducimus, & veritas in nobis non est?* Eucherius Lugdunensis ad Evangelium feriæ quartæ Dominicæ quartæ Adventus: *Quis unquam tantam gratiam habuit, quantam Virgo Maria? Aliis enim ad mensuram, gratiæ dantur, hæc autem gratia plena dicitur. Considera modo, quantæ ante eam, quantæ post eam mulieres, & virgines fuerunt, hæc tamen sola mater Domini fieri meruit. Magna enim, & ineffabilis gratia est, ut una ex tantis millibus eligatur. Quæ cum gratia plena sit, priusquam & concipiat, post conceptionem, quanta Dei abundavit gratia, quis cogitare possit? Hæc autem sola inter omnes mulieres benedicitur, quæ adhuc sub antiqua prævaricationis maledictione tenebantur, ex quo primæ mulieri a Deo dictum fuerat: Multiplicabo ærumnas tuas, & in dolore paries filios. Hac enim lege non tenetur Virgo Maria, quæ Virgo concepit, Virgo peperit, & sine dolore pariens, virginitatis gloriam non amisit. Merito igitur in mulieribus benedicitur, per quam mulieribus benedictio datur, & mundus a maledictionibus liberatur.* Gregorius Magnus lib.1.Reg cap. 1. *Potest hujus montis nomine beatissima semper Virgo Maria Dei Genitrix designari. Mons quippe fuit, quæ omnem electæ creaturæ altitudinem electionis suæ dignitate transcendit. An non mons sublimis Maria, quæ, ut ad Conceptionem æterni Verbi pertingeret, meritorum verticem supra omnes Angelorum Choros, usque ad solium Deitatis erexit? Hujus enim montis præcellentissimam dignitatem Isaias vaticinans, ait: Erit in novissimis diebus præparatus mons Domini in vertice montium. Mons quippe in vertice montium fuit; quia altitudo Mariæ supra omnes Sanctos refulsit. Mons quippe, & domus apte dicitur, quæ dum incomparabilibus est illustrata meritis, Dei Unigenito, in quo recumberet, sacrum præparavit uterum.* Hildephonsus Toletanus contra eos, qui disputant de perpetua virginitate Mariæ: *Beata Maria, licet ipsa de carne peccati sit nata, & procreata, ipsaque quamvis caro peccati fuerit: non tunc jam ex præveniente Spiritus Sancti gratia, ab Angelo præ omnibus mulieribus benedicta vocatur: Spiritus Sanctus superveniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi. Alioquin si non eodem Spiritu sanctificata est, & emundata, quomodo ejus caro, non caro peccati fuit? Et si caro ejus de massa primæ prevaricationis venit, quomodo Christus Verbum, caro sine peccato fuit, qui de carne peccati carnem assumpsit? Nisi quia Verbum; quod caro factum est, eam primum obumbravit, in quam Spiritus Sanctus supervenit, & virtus Altissimi*

simi totam eam possedit? Propterea vere caro ejus jam non caro peccati fuit, in quam Deus totum infudit, & Verbum, quod caro factum est, sine peccato ad nos venit. Qui jure non solum legem naturæ vitiatæ in nascendo non tenuit, vero nec legem primæ originic; quam haberent feminæ, si mandatum servasset mater omnium Eva in Paradiso. Alias autem, quomodo Spiritu Sancto eam replente, non sine peccata originali fuit, cujus etiam Nativitas gloriosa, Catholica in omni Ecclesia Christi ab omnibus felix, & beata, prædicatur? Enim vero si non beata esset, & gloriosa, nequaquam tam festiva celebraretur ubique ab universis. Sed quia tam solemniter colitur, costat ex auctoritate Ecclesiæ, quod nullis, quando nata est, subjacuit delictis, nec contraxit in utero sanctificata, originale peccatum &c. Nullius Nativitas celebratur in mundo, nisi Christi, & Mariæ, atque B. Joannis. Joannis autem, quia & ipse in utero sanctificatus legitur; sic & B. Virgo Maria, nisi in utero Matris sanctificata esset, minime ejus Nativitas colenda esset. Nunc autem, quia ex auctoritate totius Ecclesiæ veneratur, constat, eam ab omni peccato originali immunem fuisse, per quam non solum maledictio matris Evæ soluta est, verum etiam & benedictio omnibus condonatur &c. Quando Spiritus Sanctus in eam advenit, totam defæcavit a sordibus Virginem, & decoxit, ut esset sanctior, quam astra Cœli.

VII. Probatur ex Scriptoribus æque sanctis ac doctis, qui posterioribus seculis floruerunt. Bernardus super *Salve Regina* serm. 4. *Tu ergo nasus Ecclesiæ similis es turri, celsa videlicet dignitate, firma gravitate. Turris es Libani. Libanus mons, qui dicitur dealbatio, altam præ omnibus signat innocentiam tuam. Innocens fuisti ab originalibus, & actualibus peccatis. Nemo ita præter te. Unde auctoritas Augustini: Cum de peccatis agitur, nullam de B. Maria volumus fieri mentionem. Ex eo enim majorem ei credimus collatam virtutem, ad vincendum ex omni parte peccatum, quæ concipere, & parere meruit eum, qui nullum habuit peccatum. Ex omni, inquit, parte, hoc est, ex parte originalis, & ex parte actualis peccati. Ea ergo sola excepta, cæteri omnes quid dicere possunt, nisi quod ait Apostolus Joannes: Si dixerimus, quod peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, & veritas in nobis non est?* S. Dominicus, Ordinis Prædicatorum institutor, tract. de Corpore Christi: *Sicut primus Adam fuit ex terra virgine, & nunquam maledictæ, formatus: ita decuit in secundo Adam fieri, scilicet Christo, cujus terra, idest Maria Virgo, nunquam fuit maledicta.* S. Bruno, Carthusiensium Author, in psalm. 101. ad illa verba: *Dominus de cœlo in terram aspexit*, habet: *Hæc est incorrupta terra illa, cui benedixit Dominus, ab omni propterea contagione peccati libera, per quam vitæ viam agnovimus, & per quam, quia digna fuit, Dominus de Cœlo in terram aspexit.* Idiota, qui floruit seculo nono, libro de Contemplatione Virginis cap. 2. *Tota pulchra, Virgo gloriosissima non in parte, sed in tota, & macula peccati, sive mortalis, sive venialis, sive originalis non est in te, nec unquam fuit.* Et cap. 6. *Fuisti ab originali labe præservata.* Et cap. 3. *O præbenedicta, combenedicta, & postbenedicta, Virgo Maria.* Albertus Magnus ad cap. 1. Lucæ: *Sanctissima est caro B. Mariæ Virginis, quæ nunquam admisit aliquid sanctitati contrarium: omnes autem alii Sancti aliquid admiserunt.* Thomas Argentinensis, Ordinis S. Augustini Prior Generalis, qui floruit anno 1350. juxta Bellarminum, scripsit in 3. sententiarum dist. 3. q. 1. art. 1. *Decuit Filium Dei Virginem Matrem a macula originali præservare: quia hoc decuit Filium Dei in propria matre observare, ad quod obligatur quilibet purus homo ex præcepto divino: Sed quicunque filius posset matrem suam præservare etiam a minore malo, quam fuerit originalis culpa, ipse ad hoc tenetur ex præcepto divino, quia alias non honoraret matrem, nec in maxima necessitate subveniret: ergo &c. Illud ergo, quod decet aliquem facere, & nullam habet de impotentia excusationem, si hoc non facit aliquo modo pro inconvenienti sibi poterit imputari: Sed Virginem præservare ab omni macula, Dei Filium decuit; Et ipse hoc potuit: ergo aliquo modo inconveniens esse videtur, quod hoc non fecerit.* Petrus Blesensis, qui floruit anno 1177. serm. 44. *De massa carnis humanæ, quasi de quadam universitate frugum, in modum decimæ primitiva, Maria caro exempta, & sanctificata est, & de illa sanctissima carne adhuc dignior quædam portiuncula electa est, quam sibi assumeret Verbum Dei.* Ambrosius Catharinus ex Ordine Prædicatorum ad cap. 5. epist. ad Romanos: *Sermonem suum ita temperavit Apostolus, ut nihil prorsus afferat præjudicii adversus veritatem illam, quam de immaculatæ Virginis Conceptione, nos cum Ecclesia sancta tenemus: nec verbis ejus, si recte intelligantur, valeamus argui: Dicit enim B. Paulus, peccatum intrasse in mundum. Nos autem dicimus, hac mundi appellatione non comprehendi illam B. Virginem, juxta intellectum Scripturarum, in quibus fre-*

quentissime vox ista, Mundus, significat gratia Dei vacuos. Unde Dominus de discipulis ait: Mundus odio eos habuit, quia non sunt de mundo, sicut & ego non sum de mundo. Quod ergo dedit discipulis Dominus ex tempore, ut eos de mundo subduceret, cur hoc non dederit dilectissimæ Matri suæ, ac sponsæ, ut nunquam cum iis ab initio creationis illius, qui essent de mundo, computaretur? Nec illud obstat, quod addunt: peccatum, & more pari passu incedunt. Nam non est hujusmodi ordo in Apostolo, in quem mors intravit, in eum quoque intravisse peccatum; sed e converso: In quem peccatum in eum & mors. Alioquin & Christus mortuus est; & tamen non intravit in eum peccatum.

VIII. Probatur confessione nostræ Religionis, & nostræ catholicæ Ecclesiæ hostium. Mahometus Azoara 5. „ Diva Maria omnibus viris, & mulieribus splendidior, & mundior, atque lotior, soli Deo perseveranter studens „. Azoara 75. Nullus nascitur de filiis Adam, quem non tangat Sathan, preter Mariam, & ejus Filium. Multi perfecti fuerunt: nulla unquam perfecta est mulieribus, nisi Maria mater Isæ „. Martinus Lutherus in Evangelium de Conceptione Mariæ; „ Virgo Maria quodammodo inter Christum, & alios homines medium tenet. Siquidem Christus cum conciperetur, & viveret, eo ipso articulo temporis plenus gratia fuit. Cæteri homines sine gratia sunt, tam in priori, quam in posteriori Conceptione. Atqui Virgo Maria, quanvis juxta priorem conceptionem non plena erat gratia; tamen juxta alteram conceptionem plena erat gratia; atque hoc non immerito. Nam medium fuit inter omnes nativitates: & patre enim, & matre nata est, ipsa vero sine patre peperit, & mater facta est, partim carnalis, partim vero spiritualis Filii. Jam vero sicut Virgo Maria rite inter carnalem, & spiritualem nativitatem medium est, finis carnalis initium autem spiritualis: ita etiam juste medium tenet inter conceptionem &c. Dignum, & justum erat Mariæ personam ab originali peccato præservari, da qua Christus sumpturus erat carnem, quæ omnia peccata superaret &c. Nulla mulier tam sancta est, nec fuit, nec erit inposterum, quæ, præter Mariam, fructum ventris sui benedictum pariat, quando nulla citra voluptatem, & peccatum concepit; propterea & Angelus Gabriel ad Mariam dicebat: *Benedicta tu inter mulieres &c.* Christus sine peccato tam corpore, quam anima: ita Maria Virgo, juxta corpus quidem sine gratia, juxta animam autem plena gratia concepta est &c. In Virginis Mariæ Conceptione, cujus corpus progressu temporis, juxta aliorum infantulorum ritum factum est, usque ad animi infusionem, non opus fuit tali conceptione, quemadmodum Christi, videlicet, quem solum Deum, & hominem citra viri operam omnibus membris absolutum concipi, oportebat. Potuit enim Maria ab omni originali peccato præservari, donec anima infundenda esset &c. Mariæ Conceptio, pie creditur, sine originali peccato facta esse, ut scilicet in ipsa animæ infusione, una etiam ab originali peccato purificata fuerit, divinis dotibus redimita, ad accipiendam sanctam animam, a Deo ipso infusam. Atque ita in primo momento, cum vivere inciperet, omnis peccati expers erat „. In Evangelium de Annuntiatione Mariæ „ Siquidem gratia Dei, ipsam omnis boni abundantem facit, & ab omni malo liberat. Secundo Deus cum ea est, hoc est, omne, quod facit, aut omittit, divinum est, & in eo a Deo perficitur: ad hæc tutatur eam, & defendit ab omni, quod obnoxium, & incommodum esse potest „.

IX. Probatur rationibus I. B. Virgo fuit idonea mater Dei; sed si peccatum originale contraxisset, non fuisset idonea mater Dei: ergo peccatum originale non contraxit. Probatur minor. Non fuisset idonea Mater Dei, si commisisset peccatum veniale: ergo non fuisset idonea mater Dei, si contraxisset peccatum originale. Antecedens est S. Thomæ 3. par. qu. 27. art. 4. docentis, B. Virginem nunquam peccasse venialiter, *quia non fuisset idonea mater Dei, si peccasset aliquando*. Consequentia probatur. Ideo non fuisset idonea mater Dei, si peccasset venialiter, quia in aliquo aliquando Deo displicuisset, ejusque imperfectam inimicitiam subiret, atque aliqualem peccati servitutem; sed hoc idem fuisset, si peccatum originale contraxisset: ergo &c. II. Potuit Deus præservare Mariam Virginem a peccato originali, & decuit etiam, ut eam præservaret: ergo de facto præservavit. Antecedens pro prima parte a nemine negatur; & pro secunda, est doctrina S. Anselmi lib. de Conceptu Virginis: *Decens erat, ut ea puritate, qua major sub Deo nequit intelligi, Virgo illa niteret*. Consequentia optime infertur; Deum enim, asserendum est, fecisse quod potuisse, ac decuisse, ut faceret, judicamus. III. Om-

nis

nis puritas, puræ creaturæ concessa, concedenda est Mariæ; sed puritas ab omni labe peccati concessa est Adæ; concessa est Evæ: ergo a fortiori concessa fuit Mariæ. IV. Ex Patrum omnium doctrina puritas Mariæ fuit supra puritatem omnium Angelorum; sed non fuisset supra puritatem omnium Angelorum, si fuisset cum originali peccato concepta: ergo &c. Probatur minor. Puritas Angelorum est puritas ab omni peccato; puritas Mariæ, si fuisset cum originali peccato concepta, non fuisset puritas ab omni peccato: ergo non fuisset supra omnem puritatem Angelorum. V. Si Maria tantum fuisset a peccato originali in utero mundata, non vero ab illo præservata, non fuisset purior Joanne Baptista, qui fuit in Utero sanctificatus; sed hoc est contra communem modum loquendi omnium Patrum: ergo &c. Probatur major. Joannes Baptista quum fuerit in utero sanctificatus, fuit etiam in utero a peccati labe mundatus: ergo si B. Virgo non fuisset ab originali culpa præservata, fuisset etiam in utero sanctificata, ac per consequens, eandem cum Joanne Baptista puritatem habuisset. VI. Si B. Virgo contraxisset peccatum originale, Joannes Baptista fuisset major illa, sed hoc non est dicendum: ergo &c. Probatur major. Lucæ 1. *Inter natos mulierum non surrexit major Joanne Baptista*; sed qui resurgunt mortui sunt, & si B. Virgo contraxisset peccatum originale, fuisset mortua, & deinde per sanctificationem resurrexisset: ergo ipsa etiam fuisset inter natos mulierum qui surrexerunt; ac per consequens Joannes Baptista ipsa fuisset major. Quod ne admittatur, oportet dicere, B. Virginem non fuisse mortuam per peccatum, nec per sanctificationem surrexisse, adeoque non comprehendi inter natos mulierum, qui surrexerunt; sed fuisse potius ab omni originali labe præservatam. VII. Non fuerunt in B. Virgine originalis peccati pœnæ: ergo neque aliquando fuit originale peccatum. Probatur antecedens. Non fuerunt in B. Virgine peccati fomes, partus dolor, puerperii sordes, corporis corruptio: Sed hæc omnia sunt peccati originalis effectus: ergo non fuerunt in B. Virgine peccati originalis effectus. VIII. Pejus est, B. Virginem contraxisse originale peccatum, etiam per minimum instans, quam fuisse æternaliter damnatam, quantum ad pœnam damni, & sensus; sed hoc secundum, nemo audet dicere: ergo neque primum. Probatur major. Esse æternaliter damnatam, quantum ad pœnam damni, & sensus, non est esse Dei inimicam; habere autem originale peccatum, etiam per minimum instans, est esse Dei inimicam: Unde Franciscus Mayron. in 3. dist. 3. scribebat: *Si mater Domini, contraxisset peccatum originale per quantumcunque tempus, vel per unicum instans, pejus ei fuisset, quam si fuisset æternaliter damnata, quantum ad pœnam damni, & sensus*. IX. Major fuit gratia Christi, quam Adæ delictum; sed non fuisset major, si Maria Virgo contraxisset originale peccatum: ergo &c. Major habetur ex Apostolo ad Romanos 5. *Non sicut delictum, ita & donum: si enim unius delicto multi mortui sunt, multo magis gratia Dei, & donum in gratia unius hominis Jesu Christi in plures abundavit*. Probatur minor. Ut gratia Christi in plures abundaverit, quam peccatum Adæ, dicendum est, quod gratia Christi ad aliquem pervenerit, quem peccatum Adæ non inquinavit; sed hæc non potuit esse nisi B. Virgo, Dei mater: ergo &c. X. Ante legem Evangelicam fuit una mulier sine peccato in statu Innocentiæ: ergo etiam in lege Evangelica debuit esse una mulier, sine peccato in statu innocentiæ; sed hæc non potuit esse nisi B. Virgo: ergo &c. Prima consequentia probatur a Mayron. cit. loc. dicente: *Privilegia novi Testamenti excedunt vetusta, juxta doctrinam Pauli ad Romanos cap. 5. Ibi autem fuit una mulier sine peccato in statu innocentiæ*. XI. Si B. Virgo per unicum instans originali labe inquinata fuisset, vas immundum utique fuisset, ac proinde indignum, ut in eo Dei Filius habitaculum reponeret; sed hoc dici nequit: ergo &c. Probatur minor. Quia etsi deinde mundatum, ac sanctificatum fuisset, semper tamen dici posset, quod aliquando fuerit immundum: & quemadmodum nos eodem vase nolumus uti pro matula, & poculo, ita pariter indecens omnino fuisset, quod in vase illo habitasset filius Dei, quod aliquando matula fuerat, quanvis deinde fuerit poculum. XII. Indignum fuerat sane, ut etiam per minimum instans Dei mater esset sub potestate diaboli; tum quia diabolus semper gloriari potuisset de dominio, quod supra illam habuerat, tum etiam, quia semper potuisset Christo insultare, opponens ei servitutem Matris suæ; sed hoc omnino fuisset, si Maria Virgo contraxisset originale peccatum; quia pro illo minimo instanti fuisset sub servi-

servitute diaboli, quamvis deinde per subsequens instans libertatem acquisivisset: ergo &c. XIII. Si B. Virgo non fuisset ab originali culpa præservata, Christus non fuisset perfectissimus Redemptor; Sed Christus fuit perfectissimus Redemptor: ergo B. Virgo fuit ab originali culpa præservata. Probatur major. Ad rationem perfectissimi Redemptoris spectat non solum, ut redimat omnes, verum quoque ut redimat omnimodo, quo possibilis est redemptio; sed si B. Virgo non fuisset ab originali culpa præservata, Christus, quamvis redemisset omnes, tamen non redemisset omni modo, quo possibilis est redemptio: ergo &c. Probatur minor. Redemptio dupliciter expleri potest, & præservando a culpa, & liberando a culpa; sed si B. Virgo non fuisset ab originali culpa præservata, Christus redemisset tantum liberando non præservando: ergo non redemisset omni modo, quo possibilis est redemptio: ergo non fuisset perfectissimus Redemptor. XIV. Christus fuit perfectissimus Mediator; sed non fuisset perfectissimus Mediator, si B. Virgo contraxisset originale peccatum: ergo &c. Probatur minor a Scoto in 3. dist. 3. qu. 1. *Perfectissimus Mediator habet perfectissimum actum mediandi respectu alicujus personæ, pro qua mediat: sed Christus est perfectissimus Mediator: igitur Christus habuit perfectissimum gradum mediandi possibilem, respectu alicujus creaturæ, sive personæ, respectu cujus erat Mediator; sed respectu nullius personæ habuit excellentiorem gradum, quam respectu Mariæ: ergo &c.*

Objiciunt I. Ex Scripturis habetur, omnes homines in Adamo peccasse: ergo pariter B. Virgo in Adamo peccavit. Probatur antecedens. Psal. 13. & 52. *Omnes declinaverunt, simul inutiles facti sunt, non est qui faciat bonum non est usque ad unum.* Ad Romanos 5. *In quo* (hoc est in Adamo) *omnes peccaverunt:* & paulo ante: *In omnes homines mors pertransivit.* 2. ad Corinth. 5. *Si unus pro omnibus mortuus est: ergo omnes mortui sunt, & pro omnibus mortuus est Christus.* II. 1. ad Timoth. 2. Christus dicitur Mediator, & Redemptor omnium hominum: ergo etiam B. Mariæ Virginis: ergo pariter hæc peccavit in Adamo, sicut omnes homines peccaverunt. Probatur antecedens adducendo verba citati textus, quæ sunt: *Unus est Mediator Dei, & hominum, Christus Jesus, qui dedit semetipsum redemptionem pro omnibus.* III. Matthæi 19. *Non est opus sanis medicus, sed malehabentibus;* atqui Christus respectu Mariæ Virginis fuit etiam medicus: ergo etiam Maria Virgo originali infirmitate laboravit. IV. Lucæ 19. *Venit Filius hominis quærere, & salvum facere quod perierat;* sed venit quærere B. Virginem: ergo etiam B. Virgo per originale peccatum perierat. V. 1. ad Timoth. 1. *Christus venit in hunc mundum, peccatores salvos facere;* sed salvam fecit B. Virginem: ergo etiam B. Virgo fuit peccatrix. VI. Concilium Basileense non fuit Concilium, sed conciliabulum: ergo male adducitur ad probandam immunitatem B. Virginis ab originali labe. VII. Ex decreto S. Rom. & Gener. Inquisitionis prohibetur titulus *Immaculatæ Conceptionis*, quod quidem decretum prodiit feria 4. die 20. Januarii, anni 1644. Et his verbis conceptum fuit: *In Congregatione Generali Sanctæ Romanæ, & universalis Inquisitionis, habita in Conventu S. Mariæ super Minervam, coram Eminentissimis, & Reverendissimis Dominis Cardinalibus, contra hæreticam pravitatem Inquisitoribus Generalibus, a Sancta Sede Apostolica deputatis: Eminentissimi, & Reverendissimi Domini Cardinales Inquisitionis Generalis prædicti decreverunt, quod quando agitur de tribuendo titulo Immaculatæ Conceptioni B. Virginis, nulla modo permittatur: sed solum dicatur, Conceptio Immaculatæ Virginis, & ita observari mandaverunt.* Loco sigilli. *Joannes Antonius Thomassinus Sanctæ Romanæ Inquisitionis Notarius.* VIII. Non bene infertur immunitas Mariæ Virginis ab originali peccato ex festo ejusdem, quod celebratur in Ecclesia; quia festum non est Conceptionis quod fuerit Immaculata, sed quod fuerit initium nostræ sanctificationis, & redemptionis: Unde celebritas illa est potius gratiarum actio, quod Deus die illa concesserit nobis B. Virginem, ex qua Christus nasceretur. IX. Cajetanus in Opusc. de Concept. cap. 5. defendit, celebrari festum Conceptionis non quidem respective ad instans animationis, & Conceptionis passivæ, sed per respectum ad sanctificationem in utero, quæ fuit paulo post animationem. X. Verba, quæ adduximus ex S. Dominico Prædicatorum Ordinis Institutore, non sunt illius, sed potius cujusdam Dominici de Pantaleonibus Florentini, Ordinis Prædicatorum, qui anno 1262. scripsit librum illum, seu tractatum de Corpore Christi, qui immerito S. Dominico adscribitur. XI. Multi Patres scripserunt, B. Virginem fuisse in utero

utero sanctificatam; sed sanctificatio supponit contractionem culpæ: ergo ex his Patribus non fuit B. Virgo ab originali culpa præservata. XII. Origines homil. 8. in Leviticum ad illa verba: *Mulier quæcunque susceperit semen*, hæc scribit: *Mulier si conceperis semen, & pepereris filium: sed esse exceptionem, mysticam, quæ solam Mariam a reliquis mulieribus segregaret, cujus partus non ex conceptione seminis, sed ex præsentia S. Spiritus, & virtute Altissimi fueris &c.* Et paulo infra: *Sed & ipse, qui nascitur, sive virilis, sive fœminini sexus sit, pronuntiat de eo Scriptura, quia non sit mundus a sorde, etiamsi unius diei sit vita ejus.* Et infra: *Quod si placet audire quid etiam alii Sancti de ista nativitate senserint, audi David dicentem: In iniquitatibus conceptus sum, inquit, & in peccatis concepit me mater mea, ostendens, quod quæcunque anima in carne nascitur, iniquitatis, & peccati sorde polluitur, & propterea dictum esse illud, quod jam superius memoravimus, quia nemo mundus a sorde, nec si unius diei sit vita ejus.* Insuper hom. 12. quæ est de magno Sacerdote: *Omnis, qui ingreditur hunc mundum, quadam contaminatione effici dicitur. Propter quod & Scriptura dicit: Nemo mundus a sorde, nec si unius diei fuerit vita ejus. Hoc ipso ergo, quod in vulva matris est positus, & quod materiam corporis ab origine paterni seminis sumit, in patre, & in matre contaminatus dici potest. Aut nescis, quia cum quadraginta dierum factus fuerit puer masculus, affertur ad altare, ut purificetur ibi, tanquam pollutus fuerit in ipsa Conceptione, vel paterni seminis, vel materni. Omnis ergo homo in patre, & matre pollutus est. Solus vero Jesus Dominus meus in hac generatione mundus ingressus est, in Matre non est pollutus. Ingressus est enim corpus incontaminatum &c.* Denique homil. 5. super librum Numerorum ait: *Quia enim solus Christus est sine peccato, qui peccatum non fecit, idcirco in ipso solo mansit, & permansit Spiritus. Si enim ipse est, de quo singulare aliquid, & eximium dicitur, hoc, quod supra diximus: Quia peccatum non fecit, constat reliquos omnes fuisse sub peccato, si omnes, necessario, & Prophetas &c.* XIII. Ex Ambrosio in Commentario super Lucam cap. 2. *Non enim virilis coitus vulvæ virginalis secreta reseravit, sed immaculatum semen inviolabili utero Spiritus Sanctus infudit. Solus enim per omnia ex natis de fœmina, sanctus Dominus Jesus, qui terrenæ contagia corruptelæ immaculati partus novitate non senserit, & cælesti majestate depulerit.* Denique super Isaiam, qui locus citatur a S. Augustino lib. 1. contra Julianum, & 1. de nuptiis, & concupiscentiis: *Omnis homo mendax, & nemo sine peccato, nisi unus solus Deus. Servatum est igitur, ut ex viro, & muliere, per illam corporum mixtionem nemo conceptus, expers sit delicti; qui autem expers est delicti, expers est & hujusmodi conceptionis*, XIV. Ex Augustino lib. 2. de Baptismo parvulorum cap. 24. *Non est in filiis hominum, nec fuit, nec erit, qui nullo unquam peccato fuerit obstrictus, aut ad justitiam non ex peccato pervenerit, excepto uno Mediatore, per quem finitis peccatorum inimicitiis reconciliamur Deo. Solus ergo ille, etiam homo factus, manens Deus, peccatum nullum unquam habuit, nec sumpsit carnem peccati, quamvis de materna carne peccati. Quod enim inde suscepit, illud profecto suscipiendo mundavit.* Et concione 2. in psalm. 34. *Maria ex Adam mortua est propter peccatum Adæ; Adam mortuus est propter peccatum, & caro Domini ex Maria mortua, propter delenda peccata.* Denique lib. 2. de Nuptiis, & concupiscentiis: *Omnes ex commixtione maris, & fœminæ natos, trahere originale peccatum, eosque, de parentibus quibuscunque nascantur, tandiu esse sub diabolo, nisi renascantur in Christo, qui de eadem sexus utriusque commixtione nasci noluit, ut per ejus gratiam de potestate eruti tenebrarum, in regnum illud transferantur.* XV. Leo Magnus serm. 1. de Nativitate: *Nemo ab ejusmodi alacritatis participatione secernitur, una cunctis lætitiæ communis est ratio; quia Dominus noster peccati, mortisque destructor, sicut nullum a reatu liberum reperit, ita liberandis omnibus venit.* Et serm. 2. de resurrectione: *Quod in omnibus hominibus transfusio fuit damnationis, hoc in Christo sacramentum est pietatis.* XVI. Rupertus Abbas lib. 1. in cantica hæc de B. Virgine scribit: *Et tu quidem veraciter dicere potueras, ecce enim in iniquitatibus concepta sum; & in peccatis concepit me mater mea; cum enim esses de massa, quæ in Adam corrupta est, hæreditaria peccati originalis labe non carebas.* Item S. Anselmus lib. 2. cur Deus homo cap. 16. *Licet ipsa Christi Conceptio munda sit, & absque carnalis delectationis peccato, Virgo tamen ipsa, unde assumptus, in iniquitatibus concepta est, & in peccatis concepit eam mater ejus, & cum originali peccato nata est, quoniam & ipsa in Adam peccavit, in quo omnes peccaverunt.* Insuper S. Antonius de Padua in quodam sermone de B. Virgine: *Beata*

Virga fuit in utero matris a peccato per gratiam sanctificata, & sine peccato nata. Denique Bernardinus Senensis Sermone de S. Joanne Baptista: *Tertia fuit sanctificatio maternalis, & ista removet culpam originalem, & confert gratia, & removet pronitatem ad peccandum, tam mortaliter, quam venialiter; & hac fuit in Virgine Matre &c.*

Respondemus ad I. In scripturarum intelligentia datur regula generalis, quod quando continent propositiones universales, non ita accipi debent, ut nullam admittant limitationem, & exceptionem. Exempla habemus in eadem Virgine Maria. Dicitur enim Genes. 3. cuilibet ex hominibus: *Pulvis es, & in pulverem reverteris*; item cuilibet ex mulieribus: *In dolore paries*: Et nihilominus B. Virgo in pulverem non est reversa, & in dolore non peperit. Dicitur etiam Jacobi 3.: *In multis offendimus omnes*; & I. Joann. 1. *Si dixerimus quod peccatum non habemus, ipsi nos seducimus*: & tamen B. Virgo non offendit actualiter Deum, & peccatum actuale non habuit, ut Catholici omnes fatentur. Legimus quoque alia exempla in aliis Scripturis, nimirum Genes. 6. *Omnis quippe caro corruperat viam suam*: & nihilominus ibidem continetur: *Noe vir justus, atque perfectus fuit in generationibus suis*: Exod. 12. *Neque enim erat domus, in qua non jaceret mortuus*; & tamen S. Augustinus in hunc locum scribit: *Potuit esse aliqua domus, quæ primogenitum non haberet*. Esther 15. *Non pro te, sed pro omnibus hæc lex constituta est*; ubi universali propositioni adjungitur exceptio. Cæterum propositiones illæ universales in materia, de qua loquimur, intelligendæ sunt, ait Hennus, de debito, & necessitate contrahendi originale, seu moriandi spiritualiter, nisi quis ex speciali privilegio præservetur, sicut fuit B. Virgo.

Ad II. Christus fuit Mediator, & Redemptor etiam respectu B. Mariæ Virginis, ut in probationibus ostendimus; præcipue in 13., & 14. ad quas legentes remittimus. Ibi enim invenient non solum Christum Dominum præservantem Matrem suam ab originali labe, fuisse respectu ejusdem Redemptorem, ac Mediatorem, verum quoque fuisse perfectissimum Redemptorem, & Mediatorem respectu ipsius tantum, quando respectu cæterorum fuit absolute Mediator, & Redemptor.

Ad III. Christus Dominus venit etiam, ut medicus respectu Sanctissimæ suæ Matris, eam scilicet non liberando ab infirmitate, sed ab ea præservando, quod etiam opus est medicorum. Cæterum, si Adam non peccasset, nos diximus, Christum Dominum etiam fuisse venturum in mundum, sed non eo modo, quo venit, nimirum in carne passibili, & mortali; ac proinde non ut peccatores salvos faceret, sed ut justos ditaret, & ornaret ampliori sanctitate, & gratiarum ubertate. Hoc pacto dicimus, venisse modo respectu Mariæ Virginis; quamvis in illa hypothesi non venisset ut medicus, neque sanando, neque præservando, quia tunc nulla fuisset contracta infirmitas ab humana natura, & ab hominibus nec contracta, nec contrahenda.

Ad IV. Salvum fecit Christus adventu suo genus humanum, quod perierat; B. Virginem vero salvam fecit ne periret; quod quidem præstitit, eam ab originali culpa præservando, non liberando.

Ad V. Utique venit Christus in hunc mundum peccatores salvos facere, illos scilicet, qui erant peccatores; attamen B. Virginem, quæ non erat peccatrix salvam fecit, ne esset; quod etiam est salvandi modus, ut diximus de modo redimendi, & de modo mediandi.

Ad VI. Certe, si Concilium Basilaense fuisset legitimum, immunitas B. Mariæ Virginis ab originali labe esset de fide, quod nos non dicimus. Attulimus tamen ejus determinationem, ratione tot, tantorumque Patrum, doctrina, ac pietate præstantium, qui eidem Concilio interfuerunt. Miramur nihilominus valde, Theologos quosdam, qui Concilium Basileense, uti legitimum agnoscunt, & immaculatam Virginis Conceptionem hoc non obstante, inficiantur. Quod si cum Bandello dicant, Concilium illa decrevisse in odium Patrum ordinis Prædicatorum, qui Concilio non adhærebant, hoc aperte refellitur, authoritate S. Antonini, qui 3. par. histor. tit. 22. cap. 10. refert, Basileensi Concilio interfuisse Magistrum Joannem, Sacræ Theologiæ Professorem Ordinis Prædicatorum, *qui multum laboraverat in sermonibus, & disputationibus, in fovendo Conciliabulo*; & authoritate etiam Æneæ Sylvii, qui postmodum fuit Pius II., qui etiam narrat, Basileensi Concilio interfuisse Fratrem Nicolaum Gallicum ex Ordine Prædicatorum.

Ad VII. Multis rationibus Fraffen ostendit, Decretum illud Sanctæ Romanæ, & Generalis Inquisitionis fuisse fictitium; verum

rum nullam esse habendam rationem hujuscemodi decreti, vel ex eo evincimus, quod ante, & post illud Summi Pontifices eundem titulum B. Virginis Conceptioni attribuerunt; ut in ipsorum Constitutionibus videre est.

Ad VIII. Respondet Vasquez disp. 197. num. 63., Sixtum IV. sua Constitutione non solum decrevisse celebrationem Festi Conceptionis B. Virginis in Ecclesia, sed etiam approbasse Officium Leonardi de Nugarolis pro ejusdem festi celebratione. At in eo officio Conceptio Virginis Mariæ expresse, & passim dicitur immaculata. Ulterius in eadem Constitutione Sixtus Conceptionem Virginis vocat miram; non esset autem mira, si non fuisset immaculata.

Ad IX. Respondetur verbis ejusdem Sixti IV. in eadem Constitutione, quæ incipit: *Grave nimis*, ubi hæc leguntur: *Nonnulli diversorum Ordinum Professores, ad prædicandum verbum Dei in diversis Civitatibus, & locis, & partibus Lombardiæ deputati publice affirmare hactenus non erubuerunt, & quotidie prædicare non cessant, Romanam Ecclesiam solam spiritualem Conceptionem, seu sanctificationem Virginis Mariæ celebrare*. Et infra: *Nos igitur hujusmodi temerariis ausibus, & perversis assertionibus obviare volentes, motu proprio, & de nostra mero deliberatione hujusmodi assertiones quorumlibet, qui affirmare præsumerent, eandem Romanam Ecclesiam de spirituali duntaxat Conceptione, & sanctificatione ejusdem Virginis gloriosæ festum celebrare &c. utpote falsas, & erroneas, & a veritate alienas, authoritate Apostolica reprobamus, & damnamus*. Quam Sixti constitutionem confirmavit Alexander VII. in Bulla, quæ incipit: *Illius qui se*; verbis hisce: *Tenore præsentium decernimus, & declaramus præinsertas litteras, ac omnia, & singula in eis contenta, perpetuis ac futuris temporibus, donec per Sedem Apostolicam aliter decisum, & ordinatum fuerit, inviolabiliter observari debere*.

Ad X. Dominicum de Pantaleonibus, volunt Adversarii, scripsisse contra Immaculatam Virginis Conceptionem: quomodo ergo hujus Dominici possunt esse verba, quæ eidem Immaculatæ Conceptioni favent? At subdit Alva, hujus Dominici nullum ex veteribus Scriptoribus meminisse, & solummodo recentiores aliquot in medium adduxisse. Immo Cardinalis de Turrecremata, qui numeravit viginti octo Scriptores ex Ordine Prædicatorum contra immaculatam Conceptionem Virginis scribentes, hunc Dominicum non memoravit.

Ad XI. Etiam præservatio a culpa est sanctificatio, ut superius diximus; etenim, ut dicitur in Scriptura: *Qui sanctus est, sanctificetur adhuc*: ergo non semper sanctificatio supponit culpam; potest enim importare majorem sanctificationem, quæ supponit minorem, & potest importare præservationem, quæ est sanctificatio, non a culpa contracta, sed a culpa contrahibili, vel contrahenda.

Ad XII. Origenes in prima objectione loquitur de lege purificationis, adeoque de conceptione activa, non de passiva: in secunda loquitur de Conceptione Christi activa, & passiva, quæ omnino fuit munda; Mariæ vero Conceptio passiva quidem fuit munda, sed activa fuit per carnalem concubitum parentum, cujusmodi non fuit illa Christi, & in hoc distinguitur ab illa Virginis: in tertia objectione loquitur de peccato actuali non de originali; quia non dicit: qui peccatum non habuit, sed dicit qui peccatum non fecit. Quis autem ita insanæ mentis est, ut dicat, B. Virginem peccatum fecisse?

Ad XIII. dicitur verbum *solus* non excludere alios, quia plures fuerunt in matrum utero sanctificati, sed solum importare, quod Christus propria virtute id habuerit, B. Virgo vero beneficio, ac privilegio. Additur quòd verbum illud *in Conceptione* nec apud Ambrosium legitur, nec apud Augustinum. Videatur Augustinus, qui eandem authoritatem reperit lib. 1. contra Julianum. Pro alia authoritate Ambrosii, dicimus, esse intelligendum de peccato actuali, non de originali, vel de conceptione activa non de passiva. Insuper hæc verba apud Ambrosium modo non reperiuntur, quamvis reperiantur apud Augustinum. Denique in verbis illis ponunt Adversarii particulam *solus*, loco particulæ *unus Deus*. Addunt verbum *conceptus*, & demum vocabulum *videatur*, ut de propositione dubitativa faciant propositionem absolutam, & affirmativam.

Ad XIV. Authoritas Augustini, primo loco objecta, non ex integro refertur. Hæc enim sunt verba sincera S. Doctoris: *Ut nos quidem nati essemus in carne peccati, ille autem in similitudine carnis peccati; nos non solum ex carne, & sanguine, verum etiam ex voluntate viri, & voluntate carnis: Ille autem tantum ex carne, & sanguine,*

ne, & non ex voluntate viri, neque ex voluntate carnis, sed ex Deo natus est: & ideo nos in mortem ex peccato, ille propter nos in mortem sine peccato. Post quæ hæc addit: *Solus ergo ille etiam homo factus, manens Deus, peccatum nullum habuit unquam, nec sumpsit carnem peccati, quanvis de natura carnis peccati; quod enim carnis inde suscepit, id profecto aut suscipiendum mundavit, aut suscipiendo mundavit. Ideo Virginem Matrem non lege carnis peccati, idest, non concupiscentiæ carnalis motu concipientem, sed pia fide sanctum germen in se fieri promerentem, quam eligeret creavit, de qua crearetur, elegit &c.* Per quæ verba sic fideliter relata nostræ piæ sententiæ defensores primo dicunt, Adversarios ex suo cerebro confinxisse primas lineas, quæ in originali non leguntur; secundo in originali habentur hæc: *Quanvis de natura carnis peccati:* & Adversarii scribunt: *Quanvis de materna carne peccati*; tertio S. Augustinus loquitur de Conceptione activa, non de passiva; scilicet loquitur de concupiscentia existente in voluntate viri, & de voluptate carnis, quando homo generatur, a qua nullus fuit immunis præter Christum. Pro secunda authoritate intelligendus est Augustinus, quod B. Virgo fuerit mortua, quia Adam peccavit, non vero quod ipsa peccavit; quia per peccatum Adæ mors ingressa est in mundum. Pro tertia objectione dicitur etiam, quod Augustinus vel loquatur de Conceptione activa, non de passiva; vel quod intelligatur de debito remoto, non de proximo contrahendi peccatum originale. Volunt denique Defensores nostræ sententiæ in verbis Augustini adductis, multa esse verba interpolata, quæ in Augustino non leguntur.

Ad XV. Mens S. Leonis est, ut nullus fuerit vere liber a captivitate peccati, qui beneficio gratiæ Christi præventus non fuerit, ne vel laberetur, ut fuit B. Virgo, vel ut liberaretur, ut fuerunt cæteri. In alia authoritate S. Leo non loquitur de damnatione culpæ, sed pœnæ; quia subdit: *Infirmitas sane atque mortalitas, quæ non peccatum erant, sed pœna peccati, a Redemptore mundi recepta sunt ad supplicium, ut impenderetur ad pretium. Quod ergo in omnibus &c.*

Ad XVI. Rupertus Abbas vult solum quod B. Virgo in eo instanti, quo Christum concepit, non fuerit inebriata vino luxuriæ, quo cæteræ mulieres inebriantur. Ait enim: *Non fueras experta vitium hujus seculi, vinum voluptatis carnalis, sine cujus ebrietate nulla unquam mulier, præter te, concipere potuit, aut poterit; & tamen dijudicare nosti, quam melior, aut vehementior, dulcior, atque fortior esset voluptas, sive amor Dei, in quo concepisti, sine dubio potata es illius torrente voluptatis.* Deinde subjicit verba in objectione laudata, post quæ subdit: *Sed ante faciem hujus amoris, peccatum nec illud, nec aliud stare potuit, ante faciem hujus ignis stipula omnis interiit, ut totum sanctum fieret habitaculum, in quo Deus totis novem mensibus habitaret.* S. Anselmi verba illa non sunt, sed Bosonis, ejus discipuli, qui interrogabat, qualiter de humano genere, quod totum erat infectum peccato, hominem sine peccato, quasi azimum de fermentato Deus assumpsit? Et quum verba illa Bosonis plura contineant absurda, non sunt S. Anselmi dicenda. S. Antonius de Padua non est author illius sermonis, qui inter ejus opera non reperitur. Immo potius contrarium docuit in sermone Parasceves; ubi scribit, Christum fuisse indutum veste alba; idest, *carne ab omni peccati labe munda, a Virgine immaculata assumpta.* Et serm. 2. Dominicæ 5. post Pentecosten dicit; Mariam fuisse thronum nubis, *quia a peccato immunis.* Tandem Alva in Sole veritatis num. 28. testatur, verba adducta non esse S. Antonii Paravini, sed S. Antonini Florentini par. 4. ad Summ. tit. 25. cap. 6., Adversarios autem immerito S. Antonio Paravino attribuisse.

Dicimus II. B. Virginem habuisse debitum contrahendi originale peccatum. Est contra nonnullos Scholasticos; defenditur tamen a pluribus, etiam ex Schola Scoti.

Pro Conclusionis intelligentia observandum est. B. Virginem tripliciter posse dici peccato obnoxiam; quod ex Pitigiano advertit Frassen: primo in lumbis Adæ, & aliorum Parentum; Secundo in utero ante animationem, quia tunc jam secundum corpus existebat, adeoque inficienda fuisset peccato, nisi fuisset gratia præventa; tertio in ipsomet instanti animationis; quia quanvis in eodem illo instanti reali temporis fuerit gratia donata, attamen ejus anima prius natura potest concipi sine gratia, & in statu indifferenti ad gratiam, & peccatum.

I. Probatur Conclusio. In Officio Immaculatæ Conceptionis, quod Xistus V. approbavit, legitur, B. Virginem fuisse præservatam *ex morte Filii sui prævisa*: ergo, & est illatio Henni, quum ante præ-

prævisam Christi mortem jam peccasset Adam, & ipso omnes ejus posteri (nam Christus fuit decretus ut passibilis ob deletionem originalis prævisi) non potuit ordinari, ne peccaret Virgo in Adam, sed tantum ne in tempore peccatum transfunderetur in ipsam.

II. Probatur. Si non esset vera nostra Conclusio, ideo esset, quia stante ipsa, honor Virginis diminueretur; sed hoc est falsum: ergo nostra Conclusio est vera. Probatur minor. Augustinus docet lib. 6. contra Julianum: *Peccatum originale, quatenus consideratur in actione alterius, alienum est; fit autem proprium tantum contagione propagationis*; id est, per contractionem actualem; sed honor Virginis diminuitur tantum per peccatum proprium non per alienum: ergo non diminuitur honor Virginis, si dicitur, Virginem habuisse debitum contrahendi originalis peccati, quia in hoc casu peccatum est alienum; minueretur tamen, si diceretur contraxisse ipsum contagione propagationis, seu per contractionem actualem, quia tunc fuisset proprium.

III. Probatur. Si Virgo non habuisset debitum contrahendi originalis, Christus non fuisset ipsius Redemptor, nisi fingendo decreta suspensiva, quæ in Deo admitti non possunt; sed hoc idem esset, ac augere honorem matris, & minuere honorem Filii, quod non est dicendum: ergo &c.

IV. Probatur. Sanctus Zozimus Papa apud Augustinum epist. 157. docet: *Nullus, nisi qui peccati servus est, liber efficitur; nec redemptus dici potest, nisi qui vere per peccatum fuerit ante captivus.* Quæ verba Adversarii contra nos adducunt, ut probent, B. Virginem fuisse cum labe originalis culpæ conceptam. At nos respondemus, distinguendo propositionem illam: Nullus potest dici redemptus, nisi qui fuerit per peccatum ante captivus, debito, concedimus; reipsa tantum, negamus. Unde patet, quod ad debitum necessario aliquando recurrendum est, ut nostram principalem sententiam tueamur. Quod fatetur Frassen ex Scoto in 3. dist. 3. qu. 1. num. 14. ,, Omnes quotquot objici
,, possunt Sanctorum authoritates, nihil
,, aliud significare, quam quod B. Virgo
,, via seminali ab Adamo propagata, habe-
,, bat debitum contrahendi peccatum origi-
,, nale, & ex vi suæ Conceptionis illud
,, contraxisset, nisi speciali Dei privilegio
,, ejus anima, eodem instanti, quo formata
,, fuit, gratia sanctificante fuisset illustra-
,, ta ,,. Et post pauca: ,, Etenim proprie
,, quis aliquem dicitur redimere a captivi-
,, tate, & carcere, dum eum jam propter
,, debita detrudendum in carcerem, pro eo
,, satisfacit creditori, & ejus debitum exol-
,, vit: at B. Virgo, ut expresse docet Doctor,
,, habebat debitum contrahendi captivita-
,, tem peccati originalis; & illud vi suæ
,, Conceptionis, ac propagationis ab Ada-
,, mo via seminali contraxisset, nisi divini-
,, tus fuisset præservata. Hinc est quod illa
,, præservatio vere & proprie dici possit re-
,, demptio: secus autem est de Angelis, qui
,, nullum in se habebant debitum incurren-
,, di lapsus, nisi prævenirentur; unde illorum
,, præservatio non ita proprie vocari po-
,, test redemptio, ac præservatio B. Virgi-
,, nis ,,.

Dicimus III. Ecclesiam in ordine ad B. Virginis Mariæ Conceptionem, tum in scribendo, tum in loquendo, hæc observanda præscribere; quæ referuntur a Cardinali Laurentio Brancato de Laurea in sua Epitome Canonum omnium, verbo: *Conceptio B. Mariæ Virginis.*

Primo. Conceptionem B. Mariæ sine peccato originali defendentes, si dicunt, aut prædicant, quod Authores, vel alii defendentes oppositum, sunt hæretici, vel peccant mortaliter, incurrunt excomunicationem reservatam Papæ. Et è contra: qui tenent fuisse conceptam cum originali, si dicunt, esse hæreticos, vel peccare mortaliter, qui tenent oppositam, incurrunt excomunicationem, Papæ pariter reservatam. Sixtus IV. in Extravag. de Reliquiis, & veneratione Sanctorum cap. Grave nimis, & Concilium Tridentinum sess. 5. in decreto de peccato originali hæc habet: *Declarat hæc ipsa Sancta Synodus non esse suæ intentionis comprehendere in hoc decreto, ubi de peccato originali agitur, B. Immaculatam Virginem Mariam, Dei Genitricem, sed observandas esse constitutiones felicis recordationis Sixti Papæ IV., sub pœnis in eis Constitutionibus contentis, quas innovat.*

Secundo. De Conceptione B. Mariæ, sine vel cum originali facta, disputari non potest publice. Pius V. Constitut. 114. quæ incipit: *Super speculam*. Neque scribi, aut dictari vulgari sermone. Idem Pius V. citata Constitut., & neutra sententia dicenda est erronea; & pœnas statutas tam Clericis, quam Laicis contravenientibus idem Pius V. in eadem Constitutione edidit. Hæc omnia confirmantur a Paulo V. Constitut. 97. quæ incipit: *Regis*

gis pacifici. Et contra delinquentes procedunt Inquisitores. ibidem.

Tertio. In publicis Concionibus, lectionibus, Conclusionibus, asseri non potest, quod B. Virgo fuerit concepta cum peccato originali. Paulus V. Constitut. 105. quæ incipit: *Sanctissimus*. Et pœnæ eædem sunt, quas statuit Xistus IV. in citata Constitutione. Declarat tamen idem Pontifex Paulus V., quod per hoc non intendit afferre præjudicium sententiæ asserenti, quod concepta sit cum originali, sed relinquit eam in statu suo. Et qui tenent oppositam in actis publicis, scilicet Concionibus, vel lectionibus, non possunt impugnare eam, quæ dicit, quod cum originali fuit concepta, neque de ea possunt tractare. Idem Paulus V. citata Constitutione. Et Inquisitores procedunt contra ipsos inobservantes.

Quarto. Nullus, neque secularis, neque regularis audeat neque private, sive in sermonibus sive in scriptis, asserere, quod B. Virgo fuerit concepta cum peccato originali. Gregorius XV. Constit. 29. quæ incipit: *Sanctissimus*. Subdens, quod per hoc non intendit reprobare opinionem hanc, neque ullum ei præjudicium afferre. In eadem Constitut. §. 2. Denique præcipit, ut Officium Conceptionis B. Mariæ non possit sub alio titulo, vel nomine celebrari in citata Constit. §. 4. Volens quoque, quod contrafacientes ab Ordinariis, & Inquisitoribus sint puniendi. In eadem Constitut. §. 6.

Quinto. Idem Gregorius XV. in additione ad præfatam Constitutionem 29. concedit Patribus Ordinis Prædicatorum, ut in privatis suis sermonibus, inter se, & non cum aliis, nec inter alios, possint tractare, & discurrere, an B. Virgo fuerit Concepta cum peccato originali?

Arguunt I. In instanti priori naturæ fuit B. Virgo filia Adæ, quamvis sanctificata; sed in illo priori habuit debitum contrahendi peccatum originale: ergo de facto prius habuit origioale peccatum, quam ab eo liberaretur; quod idem est ac dicere si in illo priori naturæ habuit debitum contrahendi, contraxit. II. In illo priori naturæ, in quo præintelligitur ad gratiam, B. Virgo non habuit justitiam, nec concipitur ut justa: ergo debet necessario concipi ut injusta, vel ut non justa, ac proinde habens debitum, & habens originale peccatum. III. Hoc debitum, quod habuit B. Virgo contrahendi originale peccatum, vel fuit debitum proximum, vel remotum; si proximum, est ipsummet peccatum originale; si remotum, hoc non est aliud, quam quod B. Virgo habuerit carnem Adæ; atqui etiam Christus habuit carnem Adæ, quia habuit carnem Mariæ, quæ est caro Adæ: ergo nullum est discrimen inter Christum, & Mariam, quo ad originale peccatum, vel quo ad debitum contrahendi illud. IV. B. Virgo vel fuit liberata a debito contrahendi, vel ab ipsa contractione; si a debito contrahendi, nullum habuit debitum contrahendi originale; si ab ipsa contractione, hoc implicat, quia idem esset ac habere debitum, & non habere contractionem, scilicet habere debitum, & non solvere.

Respondemus ad I. cum Frassen, distinguendo minorem; habuit illud debitum positive, negatur; habuit illud debitum in illo priori instanti negative, concedimus. Explicatur distinctio ab eodem. Quod competit alicui positive, prius natura, quam aliud, potest affirmari de ipso simpliciter, & pro instanti temporis, in quo existit, & in quo illud instans naturæ includitur. Et hoc pacto posset dici, quod B. Virgo habuisset peccatum originale, & gratiam sanctificantem in eodem instanti temporis, quod dici non potest. Dicitur autem in illo priori instanti habuisse illud debitum negative, quatenus non concipitur habuisse aliquid pro illo instanti naturæ, ratione cujus non deberet contrahere peccatum originale, quia pro illo instanti nondum concipiebatur, ut habens gratiam sanctificantem. Hæc Frassen; qui subdit, quod hæc solutio legitima apparet etiam in sententia Adversariorum, qui non negant, Deum de potentia absoluta potuisse Virginem ab originali præservare.

Ad II. Scotus negat sequelam; & rationem his verbis adducit: *Quia abstrahentium non est mendacium. 2. Physic. non enim intellectus non intelligens hoc, intelligit non hoc; ut, non intelligens hominem esse animal, non intelligit ipsum non animal; quia tunc non posset esse abstractio sine mendacio, auferendo ab aliquo, quod sibi essentialiter inest*. Apud citatum Frassen allata verba leguntur.

Ad III. Dicitur, quod fuit debitum remotum, & hoc quidem est, quod B. Virgo habuerit carnem Adæ, sed per seminalem propagationem; Christus vero habuit carnem Virginis, sed non per seminalem propagationem. Debitum ergo

remo-

remotum contrahendi originale erat tantum in iis, qui ab Adam descendissent per seminalem propagationem, ut descendebat B. Virgo, & non descendebat Christus; Unde in B. Virgine habuit locum præservatio a contractione per privilegium, quatenus in ea erat debitum remotum; non habuit vero locum in Christo, quia in eo nullum erat debitum, neque remotum.

Ad IV. B. Virgo non fuit liberata a debito remoto, quia non desiit esse Filia Adæ, sed fuit præservata a contractione illius debiti per privilegium, quod obtinuit a Deo ratione cujus non tenebatur solvere debitum, quod habuerat; quia jam per privilegium erat extinctum. Injustitia autem esset habere debitum proximum, & non solvere, quod debitum proximum B. Virgo non habuit.

DISSERTATIO CCIII.

De Immunitate B. Mariæ Virginis ab omni peccato actuali. An fuerit immunis a peccato mortali? An a veniali? An a quacunque imperfectione? Et an non solum ab actu, sed etiam a potentia peccandi?

PRIMO contra immunitatem Mariæ Virginis a peccato actuali erravit Lutherus in Evangelium Dominicæ 1. ab. Epiphania: *En Maria Deipara quousque erravit, ut nesciret ubi Christus quærendus esset &c. Quid potuit cogitare Maria, nisi sua culpa amissum Filium Dei, & Deo Patri visam indignam, cui Filium suum commissum denuo relinqueret? Melius fuisset non factam fuisse Matrem, quam rapi ab eo ex improviso, &c. Et quis inter homines major peccator (ut conscientia tenerrima) quam hæc ipsa Mater Dei?*

Secundo erravit Philippus Melanchthon ad cap. 2. Joannis: *Christus Matrem rejicit, ut æquet eam aliis hominibus, cum inquit: Quid mihi tecum est mulier? q. d. quia mater es, ideo videris alicujus prærogativa merito a me impetratura; ideo scias, te non plus esse apud me, quam vel mulier peccatrix, vel Syrophænissa.*

Tertio erravit Joannes Oecolampadius ad cap. 2. Joannis: *Quid Mater volebat? Nonne hoc urget, ut videant cæteri Filium suum longe præstantiorem? Non potuit ignorare, quem genuit Filium. Quasi diceret Christus: Tu fortasse hoc velles ut prodirem: (ut etiam infra ab amicis audit, ut ascendat in Hierusalem, & palam se monstret.) Ubi Maria non eum honorem quærit, qui debetur parentibus, sed etiam ambit honorem Messiæ, & cupit esse quasi socia administrandi ejus officii, quod Christo divinitus mandatum erat. Ibi Christus durissime eam alloquitur, ut contineat ipsam intra terminos suæ vocationis.*

Quarto erravit Joannes Brentius homil. 72. in Lucam: *Non possumus de Matre, & cognatis Jesu hoc loco aliud sentire; quam quod importuna sua evocatione leges publicæ honestatis violaverint. Deinde etsi candidius quispiam auditor possit hoc loco factum Matris, & cognatorum Jesu interpretari, quod evocaverint Jesum magis rudi quadam simplicitate, quam malitia; multa tamen argumenta indicant, & Ecclesiastici quidam magni nominis Scriptores testificantur, Matrem, & Cognatos Jesu evocasse Jesum arrogantia quadam, & elatione animi. Mater igitur, & Cognati Jesu ambitione sua tam graviter peccant, ut etiam palam per Christum pudefiant.* Homil. 21. in Joannem: *Sentiunt quidam, Mariam excitatam esse ad interpellandum apud filium suum pro novis conjugibus ambitioso affectu. Extant aliæ quædam significationes, quæ testantur nihil humani alienum fuisse a Maria: quippe quod ipsa contineatur in publico humani generis judicio: Propter unum hominem peccatum intravit in mundum: omnes declinaverunt simul inutiles facti sunt.*

Quinto Rodolphus Gualterus ad cap. 3. Marci erravit dicens: *Sanctam Mariam non minus maligne restrinxisse Dei potentiam, quam antea Zacharias.*

Sexto Nicolaus Hemmingius in postilla Dominicæ 1. post Epiphan. erravit dicens: *Hic taxatur aperte negligentia Parentum Jesu, quæ negligentia fuit non leve peccatum:*

tum:

sum: unde nec levis crux extitit in corde Virginis. Sensit partem gladii cor suum tetigisse: cogitabat hic thesaurum sibi commissum a Deo, ut illum observaret: contulit suam miseriam cum miseria Evæ. Nam, ut illa genus humanum a Diabolo seducta, perdidit: ita Virgo existimavit sua negligentia se amisisse Salvatorem promissum.

Septimo Magdeburgenses Centuriæ primæ lib.1. cap.10. fol. 294. lin.17. errarunt: *Solet hic quæri de peccato Mariæ, ob amissionem Filii Messiæ, facta collatione ad peccatum Evæ, quæ salutem hominum initio pervertit, & amisit. Exaggeratur factum Mariæ, quia circa majus objectum versatur, nempe mundi Salvatorem. Sed cum ea res alterius fori sit, & in Commentariis explicari talia soleant, contenti simus in præsenti brevi explicatione, quod utraque delicta Evæ, & Mariæ non sint exigua. Sed tamen non tantum secundum objecta discernuntur peccata, verum magis principaliter secundum interiores causas, nempe judicium, & assensum voluntatis. Eva sciens, & volens, facit contra mandatum Dei: Maria insciens, & contra voluntatem amittit Filium; sed nihilominus graviter peccat.*

Prænotamus primò, hanc esse differentiam inter peccatum mortale, & veniale, utriusque enim nomine venit actuale peccatum; quod per mortale intelligitur transgressio legis divinæ deliberata, & in re gravi; per veniale vero intelligitur transgressio præcepti levis, vel si gravis, non perfecte deliberata, & libera: per mortale solvitur amicitia hominis cum Deo, ab homine removetur gratia sanctificans, & charitas, in cujus præsentia consistit vita animæ, in absentia autem mors spiritualis; per veniale non solvitur amicitia cum Deo, sed minuitur, nec gratia, aut charitas ab anima removetur, sed frigescit, nec ab ultimo fine discedit sed ab ejus consequutione removetur.

Prænotamus secundo, triplex etiam distingui peccatum veniale; Unum, quod accidit homini ex sensualitatis subreptione; alterum ex subito, & indeliberato motu rationis; tertium ob imperfectionem actus, & levitatem materiæ; uti est jocosum, aut officiosum mendacium, verbum otiosum, &c.

Prænotamus tertio, Confirmationem in gratia dupliciter intelligi, unam, per quam tollitur posse peccare etiam venialiter; alteram, per quam tollitur de facto peccare. Prima competit solis Comprehensoribus, & Beatis; secunda potest competere etiam Viatoribus, quatenus excludit potentiam peccandi per solum actum peccati, in quod homo ex seipso, & ex suis viribus posset cadere, sed non cadit propter specialem Dei assistentiam, & propter auxilia peculiaria, quæ ita contemperantur libero arbitrio, ut omnem peccaminosum actum infallibiliter removeant. In prima confirmatione in gratia consistit impeccantia intrinseca, & antecedens; in secunda extrinseca, & consequens. B. Virgo primam non habuit in hoc mundo; quia nulla gratia habitualis, etiam perfecta in hac vita ita determinat voluntatem, ut non sit adhuc indifferens ad peccandum; nec poterat ei ejusmodi impeccabilitas convenire, quia adhuc pure viatrix erat. Quæstio est ergo tantum de secunda.

Dicimus I. B. Virginem immunem fuisse ab omni prorsus peccato actuali.

I. Probatur ex Scripturis. Canticorum 2. *Sicut lilium inter Spinas, sic amica mea inter filias.* Psalm.45. *Sanctificavit tabernaculum suum Altissimus.* Cantic.4. *Tota pulchra es, amica mea, & macula non est in te.* Prima verba de B. Virgine intelligit Sedulius lib.2. de Paschate:

Et veluti spinis mollis rosa surgit acutis,
Nil, quod lædat habens Matrem obscurat honore;
Sic Eva de stirpe sacra veniente Maria,
Virginis antiquæ facinus nova Virgo piaret.

Secunda verba etiam de B.Virgine intelligit Ecclesia; & ultima verba de eadem explicat S. Thomas opusc.60. art.3. verbis hisce: *Non enim fuisset idonea Mater Christi, si aliquando peccasset; tum quia honor Parentum redundat in prolem, secundum illud Proverb. 18. Gloria Filiorum Parentes eorum; unde per oppositum, ignominia matris ad filium redundasset: tum quia etiam singularem affinitatem habuit ad Christum, qui ab ea carnem accepit. Dicitur autem 1. ad Cor. 5. Quæ conventio Christi ad Belial? Tum etiam quia Christus, qui est Sapientia Patris singulari modo habitavit, non solum in ejus anima, sed etiam in ejus utero. Dicitur autem Sapientiæ 1. In malevolam animam non introibit Sapientia, nec habitabit in corpore subdito peccatis. Et ideo simpliciter fatendum est, quod B. Virgo nullum peccatum actuale commisit, nec mortale, nec veniale; ut sic impleatur quod dicitur Cantic. 4. Tota pulchra es, amica mea, &c.*

II. probatur ex Romanis Pontificibus. Gregorius

gorius Magnus lib. 1. Regum cap. 1. *Potest hujus montis nomine Beatissima semper Virgo Maria, Dei Genitrix designari. Mons quippe fuit quæ omnem electæ creaturæ altitudinem electionis suæ dignitate trascendit. An non Mons sublimis Maria, quæ ut ad Conceptionem æterni Verbi pertingeret, meritorum verticem supra omnes Angelorum Choros usque ad solium deitatis erexit? Hujus enim montis praecellentissimam dignitatem Isaias vaticinans, ait: Erit in novissimis diebus præparatus mons Domini in vertice montium: Mons quippe in vertice montium fuit; quia altitudo Mariæ supra omnes Sanctos refulsit. Mons quippe, & domus apte dicitur, quæ dum incomparabilibus est illustrata meritis, Dei Unigenito, in quo recumberet, sacrum præparavit uterum.* Gregorius VII. lib. 1. epist. 47. *Maria quanto altior, melior, & Sanctior est omni matre, tanto clementior, & dulcior est circa conversos peccatores, & peccatrices.* Innocentius III. serm. 2. de Assumpt. Mariæ: *Acies castrorum, id est, plenitudo virtutum, ita fuit in Virgine: Ordinata, ut de se vere dicere possit: Introduxit me Rex in cellam vinariam, & ordinavit in me charitatem: Ut postquam in ea plenitudo divinitatis corporaliter habitavit, vicit ex toto malitiam. Quoniam, ut vehementer opinor, ex tunc fames peccati, languor naturæ, stimulus carnis, in ea fuit non solum sopitus, sed prorsus extinctus. Ut de cætero non concupisceret caro adversus spiritum, sed plana gratia, vitiis, & dæmoniis terribilis appareret.* Bonifacius IX. constitutione 1. *Christus de clara stirpe regia Davidica praelegit Virginem, in cujus utero mystico spiramine Verbum ipsum carnem susciperet: perfectam Reginam inclytam matrem eligens, quæ tanto Regi digna fuit sui corporis thalamum præparare, de quo tanquam sponsus præ filiis hominum procederet speciosus. In Nazareth Virgo regia venustissima, a Domino conservata, flos sanctitatis, vas cœlestis gratiæ munditiarum, omnium virtutum floribus redimita; cujus pulchritudinem sol, & luna mirantur. Redemptorem gentium Virga concepit datura lucem gentibus, sub mortis caligine constitutis. Sane ipsa Regina Cœlorum, in cujus se clausit viscera Dei Filius factus homo, ex tanto honoris fastigio, sibi per Angelum nuntiato, nequaquam elationis assumpsit spiritum, sed tanquam ancilla humilis mater effecta Domini, humilitatis suæ, quam respexit Dominus, exequens officium, abiit in Montana, ad Elisabeth cognatam suam &c.*

III. Probatur ex Conciliis. Concilium Ephesinum approbans epistolam Cyrilli ad Reginas, in qua legitur: *Maria Virgo non egebat legalibus sacrificiis, & expiationibus.* Concilium Claramontanum, quod ex Goneto, refert Hennus, & in quo dicit esse definitum, Mariam nunquam venialiter peccasse. Concilium Tridentinum sess. 6. can. 23. *Si quis hominem semel justificatum, dixerit amplius peccare non posse, neque gratiam amittere, atque ideo eum, qui labitur, & peccat, nunquam vere justificatum fuisse, aut contra posse in tota vita peccata omnia, etiam venialia vitare, nisi ex speciali Dei privilegio, quemadmodum de B. Virgine tenet Ecclesia, anathema sit.*

IV. Probatur ex Patribus Græcis. Origenes homil. 8. in Lucam: *Respexit ad humilitatem Ancillæ suæ. In quam humilitatem Mariæ respexit Dominus? Quid habebat Mater Salvatoris humile, & abjectum, quæ Dei Filium gestabat in utero? Quod ergo dicit: Respexit in humilitatem ancillæ suæ tale est, quasi dixerit: Respexit in justitiam Ancillæ suæ, respexit in temperantiam, respexit in fortitudinem, atque sapientiam. Dignum quippe est, ut virtutes respiciat.* Sophronius ser. de Assumptione Mariæ apud Hieronymum: *Bene gratia plena dicitur, quia cæteris per partes præstatur, Mariæ vero simul se tota infudit plenitudo gratiæ. Quicquid in ea gestum est, totum puritas, & simplicitas, totum gratia, & veritas fuit, totum misericordia, & justitia, quæ de cœlo prospexit: & ideo immaculata, quia in nulla corrupta. Vere hortus deliciarum, in quo consita sunt universa florum genera, & odoramenta virtutum, sicque conclusus, ut nesciat violari neque corrumpi ullis insidiarum fraudibus. Fons signatus totius sigillo Trinitatis, ex quo vitæ fons manat, in cujus lumine videbimus lumen.* Proclus Constantinopolitanus B. Virginem vocat: *Impeccantiæ sacrarium.* Germanus Constantinopolitanus in adoratione venerandæ zonæ Deiparæ Virginis, Mariam dicit, *nulli penitus culpæ affinem.* Elias Cretensis in orat. 4. Nazianzeni: *Dei Genitrix ne sordidis quidem cogitationibus unquam inclinata est.* Joannes Hierosolymitanus de Institutis Monachorum cap. 32. *Beata Maria de natura humana aliter fuit orta: quia in suo ortu non fuit onerata amaritudine delictorum, sed instar illius nubeculæ, fuit levis per immunitatem peccatorum, & dulcis per plenitudinem charismatum.*

V. Probatur ex Patribus Latinis. Ambrosius ad psalm. 118. serm. 22. *Suscipe me, non ex Sara, sed ex Maria, ut incorrupta sit*

Virgo; sed Virgo per gratiam ab omni integra labe peccati. Hieronymus ad caput 10. Eccl. *Beata terra Ecclesia, cujus Rex est Christus, filius ingenuorum, de Abraham, Isaac, & Jacob, Prophetarum quoque, & Sanctorum stirpe descendens, quibus peccatum non fuit dominatum, & ob id vere fuerunt liberi. Ex quibus nata est Virgo liberior S. Maria*. Augustinus de natura, & gratia cap. 36. *Excepta Sancta Maria Virgine, de qua propter honorem Domini, nullam prorsus, cum de peccatis agitur, habere volo quaestionem: unde enim scimus, quod ei plus gratiae collatum fuerit, ad vincendum omni ex parte peccatum, quae concipere, & parere meruit eum, quem constat nullum habuisse peccatum. Hac ergo Virgine excepta, si omnes illos Sanctos, & Sanctas, cum hic viverent, congregare possemus, & interrogare: Utrum essent sine peccato, quid fuisse responsuros, putamus? Utrum hoc, quod Pelagius dicit, an quod Joannes Apostolus? Rogo vos, quantalibet fuerint in hoc corpore excellentia sanctitatis, si hoc interrogari potuissent, nonne una voce clamassent: Si dixerimus, quod peccatum non habemus, nos ipsos seducimus, & veritas in nobis non est?* Fulgentius serm. de duplici Christi nativitate: *Primum hominem mulier corrupta mente decepit, secundum, Virgo incorrupta Virginitate concepit. In primi hominis conjuge nequitia Diaboli seductam depravavit mentem, in secundi hominis matre, gratia Dei mentem integram servavit, & carnem*. Bernardus serm. 2. de Assumptione: *Absit enim ut proprii quidquam inquinamenti domus haec aliquando habuisse dicatur, ut in ea proinde scopa Lazari quaeratur. Quod si originalem a parentibus maculam traxit: sed minus a Jeremia sanctificatam in utero, aut non magis a Joanne, Spiritus Sancto repletam, credere prohibet pietas christiana: Haec enim festis laudibus nascens honoratur. Postremo cum omnimodo constet ab originali contagio sola gratia mundatam esse Mariam, &c., ut omnino pium est credere, proprium Mariae delictum non habuit*. Et epist. 174. *Copiosiorem sanctificationis benedictionem in eam descendisse, quae & ipsius non solum sanctificaret ortum, sed & vitam ab omni deinceps peccato custodiret immunem, quod nemini alteri in natis quidem mulierum creditur esse donatum*. Anselmus ad cap. 5. posterioris ad Corinth. *Omnes mortui sunt in peccatis, nemine prorsus excepto, dempta Matre Dei, sive originalibus, sive etiam voluntate additis, vel ignorando, vel sciendo, nec faciendo quod justum est*. De Excellentia B. Virginis cap. 3. *Nulli dubium, castissimum corpus, & sanctissimam animam ejus, funditus ab omni fuisse macula peccati, jugi Angelorum custodia protectam; utpote aulam, quam Summus, & omnium Creator Deus corporaliter inhabitaturus, & ex quo hominem, in suae personae unitate inaestimabili fuerat operatione suscepturus*. De Conceptu Virginali, & peccato originali cap. 18. *Decebat, ut illius hominis Conceptio de matre purissima fieret, Nempe decens erat, ut ea puritate, qua major sub Deo nequit intelligi, Virgo illa niteret, cui Deus Pater unicum filium suum dare disponebat*.

VI. Probatur rationibus. I. In Maria Virgine nulla fuit radix peccati: ergo nullum fuit peccatum. Antecedens supponimus probatum, quum non fuerit in ea peccatum originale, & non fuerit ob praeservationem, quod idem est, ac dicere, quod nullo tempore fuerit in ea peccati radix; quia si fuisset per sanctificationem, vel per mundationem, aliquando fuisset, quanvis deinde radix illa fuisset recisa: & in hoc sensu non esset ita efficax argumentum, ut modo est in sententia, quam in praeterita Dissertatione propugnavimus. Consequentia sequitur; nullus enim suboritur ramus ex terra illa, in qua non est, nec ulla unquam fuit radix: Si ergo in B. Virgine nulla unquam fuit peccati radix, ob immunitatem ejus ab originali labe, nullum quoque dicendum est in eo fuisse, vel ramum, vel ramusculum peccati, quomodolibet intelligatur. II. Maria Virgo fuit idonea Mater Dei, sed non fuisset idonea mater Dei, si habuisset in seipsa vel levissimum peccatum: ergo nullum habuit in se actuale peccatum. Probatur minor. Quodcunque peccatum in ea fuisset, semper fuisset ad dedecus Filii sui; tum quia, ut docet Angelicus loco superius citato, honor, & ignominia parentum redundat in prolem; tum etiam quia propter affinitatem singularem, quam habebat B. Virgo ad Christum, qui ab ea carnem accepit, pariter culpa matris filii famam obscurasset. III. Verbum Dei habitavit in Virgine, non solum in ejus anima, sed etiam in ejus utero; sed Verbum est Sapientia Patris, & de Sapientia dicitur Sapientiae 1. *In malevolam animam non introibit sapientia, nec habitabit in Corpore subdito peccatis*. Ergo nullum unquam fuit peccatum, cui subdita fuerit Maria, quae fuit dignissima Dei mater. IV. Si Maria aliquod vel levissimum peccatum veniale com-

commisisset, non fuisset in ea puritas, qua major inveniri non potest; sed talis puritas in ea de facto fuit: ergo nullum neque levissimum peccatum. Minor probatur a S. Thoma in lib. 1. Sententiarum dist. 44. art. 3. ad 3. *Puritas intenditur per recessum a contrario; & idea potest aliquid inveniri, quo nihil purius esse potest in rebus creatis, si nulla contagione peccati inquinatum sit. Et talis fuit puritas B. Mariæ Virginis, quæ a peccato originali, & actuali immunis fuit.* V. Non fuisset B. Virgo idonea peccatorum Advocata, justorum corona, Dei Sponsa, totius Trinitatis triclinium, & speciosissimum filii reclinatorium, si aliquod in se peccatum habuisset; sed talia de facto fuit: ergo nullum in ea fuit peccatum. Minor est S. Bonaventuræ in 3. sententiarum dist. 3. *Quoniam B. Virgo Advocata est peccatorum, gloria, & corona justorum, sponsa Dei, & totius Trinitatis triclinium, & speciosissimum filii reclinatoriam; hinc est, quod speciali gratia Dei, nullam in ea peccatum habuit locum.* VI. Non fuisset Maria tota pulchra, si in ea macula, vel levissimi peccati actualis fuisset; Sed Ecclesia eam prædicat totam pulchram, & maculam in illa non fuisse, testatur; ergo nullum peccatum in ea unquam fuit, ne quidem levissimum. Argumentum est Richardi Victorini in Cantica cap. 26. *B. Maria Virga tota pulchra fuit, quia sanctificata in utero; ab utero quoque egressa, nec mortale unquam, nec veniale commisit. Et ante Conceptionem quidem filii Dei prius per gratiam custodita est a peccatis, post hanc vera ita confirmata est, ex virtute Altissimi obumbrata, & roborata, ut peccatum omnino committere non potuerit: Ex quo templum Dei facta est, ita privilegiata est, ut nullatenus aliqua macula potuerit deturpari. Tota item pulchra fuit, quia plena gratia, ut nec ullum vel minimum veniale in ea fuerit, quominus in ea locum gratia habere potuerit, &c. Tota fuit pulchra, quia mundata in utero, & deinde in sanctitate, munditia confirmata, fomite peccati primo in ea sopito, ut non peccaverit; & tandem extincto, ut peccare deinceps non potuerit. Angelicam denique in terra adepta est puritatem, & Dei similitudinem in virtutibus, & sanctitate, ac morum perfectione, justa, pia, prudens, modesta, misericors, sancta mente, & corpore.*

Dicimus II. Impeccantiam, quæ fuit in Virgine, non fuisse ab intrinseco, & antecedentem, sed extrinsecam, & consequentem.

I. Probatur prima pars Conclusionis. Nulla gratia habitualis in hac vita, quantumvis perfecta, ita determinat voluntatem, ut antecedenter non sit adhuc indifferens ad peccandum; sed hæc gratia fuisset necessaria, ad hoc, ut B. Virgo esset impeccabilis ab intrinseco, & antecedenter: ergo non fuit. Probatur major. Posita quacunque gratia in hac vita remanet voluntas indifferens ad volendum, & non volendum: ergo nulla gratia habitualis in hac vita sic determinat voluntatem, ut antecedenter non sit adhuc indifferens ad peccandum. Antecedens patet, quia aliter non libere operaretur, & sic neque mereretur, neque peccaret.

II. Probatur. B. Virgo in quocunque gradu perfectionis fuerit in hac vita, semper fuit viatrix; sed impeccabilitas ab intrinseco, & antecedenter non potest convenire Viatoribus, & tantum convenit comprehensoribus: ergo B. Virgo non habuit impeccabilitatem ab intrinseco, & antecedenter. Probatur minor. Viatores sunt in statu merendi, & in statu demerendi; Sed qui sunt in statu merendi, & demerendi non possunt habere impeccabilitatem intrinsecam, & antecedenter: ergo impeccabilitas ab intrinseco, & antecedenter non potest convenire Viatoribus, & tantum convenit Comprehensoribus. Major negari non potest. Minor constat, quia aliter neque peccarent, neque mererentur. Consequentia sequitur.

III. Probatur. Si admittenda esset in B. Virgine impeccabilitas ab intrinseco, ideo esset, quia libertas ad peccandum est defectus; sed hoc perfectioni ipsius nihil omnino obstat: ergo admittenda non est in B. Virgine impeccabilitas ab intrinseco, & antecedenter. Probatur minor. Libertas ad peccandum quamvis sit defectus, conducit tamen ad meritum ex illo Ecclesiastici 31. *Qui potuit transgredi, & non est transgressus*; Sed quod conducit ad meritum ponendum est in B. Virgine: ergo &c.

Secunda pars Conclusionis probatur. I. B. Virgo habuit liberum arbitrium confirmatum in bono; non habuit admixtionem peccati originalis, nec mortalis, nec venialis: sed hæc omnia excludunt actum peccandi, seu impeccabilitatem important extrinsecam, & consequentem: ergo hæc vere fuit in B. Virgine. Major probatur a Jacobo Genuense serm. 3. de Assumptione S. Mariæ. *Maria fuit sine macula, per omnis peccati immunitatem. Ipsa quidem*

dem liberum arbitrium in bono confirmatum habuit, & ideo nulli peccato conscientia potuit &c. Non habuit admixtionem originalis, quia fuit in utero a Spiritu Sancto sanctificata: nec etiam habuit admixtionem mortalis, quia fuit a Patris potentia confirmata: nec etiam habuit admixtionem venialis, quia fuit a puritate filii impregnata.

Primo contrarios huic Conclusioni habemus quosdam, simpliciter adscribentes peccata levia B. Virgini, etiam post conceptum, & partum Filii Dei, & Filii sui. Et hi moventur ex quibusdam Scripturæ locis, vel ex aliquibus Patrum verbis, quibus in responsionibus ad objectiones, occurremus.

Secundo. Alii volunt B. Virginem fuisse dumtaxat peccato obnoxiam usque ad tempus, quo in eam Spiritus Sanctus supervenit, & Filium Dei concepit: post vero hoc tempus ob abundantiorem gratiam Spiritus Sancti, ajunt, eam fuisse prorsus ab omni peccato immunem. Hujus sententiæ fuisse Magistrum sententiarum, testatur Estius lib. 3. dist. 3. §. 6.

Tertio. Communis Theologorum sententia est, Beatissimam Virginem, propter singulare Dei privilegium, fuisse immunem ab omni actu peccandi per totam vitam. „ Hanc sane, dicit Estius, cit. loco, Patrum „ illorum sententiam posterioribus seculis „ absque scrupulo secuti, & amplexi sunt „ omnes Doctores Scholastici; ut merito „ Patres Concilii Tridentini sess. 6. can. 23. „ negantes hominem semel justificatum, „ posse in tota vita peccata omnia, etiam „ venialia vitare, hanc adjecerint excep„ tionem, nisi ex speciali Dei privilegio, „ quemadmodum de B. Virgine tenet Ec„ clesia. Deinde non videretur satis certa „ ratio, quare illam tota Ecclesia in laudum „ ejus decantatione extolleret supra omnes „ Angelorum, & justorum hominum Or„ dines, nisi in ea singulare aliquod sancti„ tatis privilegium præ omnibus agnosce„ ret. Quod aliud non facile assignatur, ni„ si quod ab omni actuali peccato pura „ fuerit, & libera. Quanvis igitur primam, „ & secundam opinionem, nec ut hæreti„ cam, nec ut erroneam damnatam lega„ mus; Ac forte nec ut tales damnari pos„ sent; tertiam tamen ea sententiæ proba„ bilitate secer Ecclesia, ut temerarium sit „ ei nunc contradicere „.

Opponunt I. ex Luthero, & Calvino, Mariam Virginem peccasse peccato infidelitatis, quando Lucæ 1. uti incredula dixit Gabrieli, qui incarnationem ei nuntiabat: *Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco?* Lutherus proinde in postilla Evangelii de Annunciatione scripsit: *Ipsa profecto, in se sensit incredulitatis sensum*; & Calvinus ad eadem Lucæ verba, addit, Sanctissimam Virginem, non minus quam Zacharias fuisse de Dei omnipotentia dubiam. II. Volunt, quod peccaverit, & peccato negligentiæ, quando filium amisit per triduum, & peccato impatientiæ, quando filium objurgavit dicens: *Fili, quid fecisti nobis sic?* III. Addunt, peccasse peccato ambitionis, quando in Nuptiis Canæ Galilææ miraculum petiit a filio, dicens: *Vinum non habent.* Dicit enim Lutherus ad cap. 2. Joannis, quod his verbis ex ambitione, & vanagloria, quæsivit miraculum ad ostentationem. IV. Dicunt quoque peccasse peccato inanis gloriæ, ac superbiæ, quando & Matthæi 12. Christum docentem cum cognatis interpellavit, volens ei loqui; & quando Marci 3. dicitur: *Mittens qui vocarent eum*; & quando Matthæi 27. Christo quidam dicebant: *Ecce mater tua, & fratres foris stant, quærentes te*; quibus respondit Christus: *Quæ est mater mea, & qui sunt fratres mei?* V. In 1. Joannis 1. dicitur: *Si dixerimus, quoniam peccatum non habemus, nos metipsos seducimus*: ergo fuit aliquod saltem leve peccatum in B. Virgine, ne ipsa semetipsam seduceret. VI. Maria Virgo recitabat orationem Dominicam, & dicebat verba illa: Dimitte nobis debita nostra; si autem peccatum nullum habuisset, contra veritatem verba illa dixisset, quod non est dicendum. VII. Chrysostomus ad verba illa Matthæi 27. *Quæ est mater mea, & qui sunt fratres mei? hæc habet: Hujusmodi verba locutus est, non quod eum matris puderet, aut illam, è qua genitus erat, abdicaret, (si enim puderet ejus, nequaquam per uterum illum pradiisset in lucem,) sed ut ostenderet, nihil illud eam juvare, nisi quod officii sui erat, in omnibus præstaret. Nam quod illa facere instituerat, supervacaneæ cujusdam ambitionis erat. Quippe volebat ostentare populo, se filio dominari, & in eum authoritatem exercere, cum nondum de ipso magnum aliquid imaginatione sua sibi proponeret. Ideo intempestive accessit. Ac vide, quæso, tam ipsius, quam illorum superbiam. Cum enim par esset ingressos ipso audire cum turba, aut si hoc nollent, expectare dum finem dicendi faceret, ac tunc adire: illi contra, forat ipsum evocant.* VIII. Basilius epist. 318. videtur asseruisse, quod fluctuaverit in fide B. Virgo,

go, & scandalum passa fuerit quando vidit filium in cruce: *Anima passionis tempore dubitationi cuidam fuit subjecta secundum Domini vocem, qui dixerat: Omnes vos scandalum patiemini in me.* IX. Cyrillus Alexandrinus in Commentariis ad Joannem scribit, quod B. Virgo in passione sui filii non solum scandalum passa fuerit, *sed & propemodum de statu mentis suæ dejecta fuerit.* Subdens quoque, ideo Christum commendasse matrem Joanni; *quod cum ea in scandalum incidisset, & cogitationum perturbationibus implicata esset, providendum illi fuerit .... Itaque cum sciret quibus tum cogitationibus agitaretur, hanc egregio mystagogo commisisse discipulo suo, qui mysterii illius altitudinem recte & idonee explicare posset.* X. Origines homil. 17. in Lucam in eandem abiit sententiam, scribens: *Quid putamus quod scandalizatis Apostolis, Mater Domini a scandalo fuerit immunis? Si scandalum in Domini passione non passa est, non est mortuus Jesus pro peccatis ejus. Si autem omnes peccaverunt, & egent gloria, justificati gratia ejus, & redempti, utique & Maria illo tempora scandalizata est.* XI. Ambrosius ad illa verba Lucæ 2. *Quid est, quod me quærebatis?* Subdit: *Alibi eum ad mysterium mater impellit; hic mater arguitur, quod adhuc quæ humana sunt, exigat.* Leguntur hæc verba in Officio Dominicæ infra Octavam Epiphaniæ Domini. Eadem habet S. Maximus homil. 1. in Epiphania Domini, dicens, Christum objurgasse Matrem suam, quod temere signum peteret. XII. Augustinus in quæstionibus Novi Testamenti quæst. 73. docet, B. Virginem sub cruce dubitasse, & animo fluctuasse; quod etiam docet Paulinus inter Epistolas Augustini epist. 58., & idem Augustinus tract. 109. in Joannem, numerat quoque B. Virginem inter illos, quos asserit ante Christi Resurrectionem non sic in eum credidisse, quomodo in se ipse credi volebat.

Respondemus ad I. cum Augustino homil. 44. cap. 5. *Dum interrogavit, non de promissione dubitavit:* Vel cum Bernardo homil. 4. super: *Missus est: Non dubitat de facto, sed modum requirit, & ordinem: neque enim quærit an fiet istud, sed quomodo?* Ambrosius denique in eadem verba discrimen affert inter Mariam, & Zachariam verbis hisce: *Quomodo ergo fieri posset, ut Zacharias, qui non crediderat, silentio condemnaretur: Maria autem si non credidisset, Spiritus Sancti infusione exaltaretur? Sed neque non credere Maria, neque tamen temere debuit usurpare: non credere Angelo, usurpare divina; neque enim facile erat, scire mysterium absconditum a sæculis in Deo, quod nec Superiores Potestates scire potuerunt. Et tamen non fidem tenuit, non officium refutavit; sed accomodavit affectum, spopondit obsequium: etenim cum dixit: Quomodo fiet istud? non de effectu dubitavit, sed qualitatem ipsius quæsivit effectus. Quanto temperatior ista responsio, quam verba sunt Sacerdotis? Hæc ait: Quomodo fiet istud? Ille respondit: Unde hoc sciam? Hæc jam de negotio tractat: ille adhuc de Nuntio dubitat. Negat ille se credere, quod negat se scire, & quasi fidei adhuc alium quærit authorem: ista se facere profitetur, nec dubitat esse faciendum, sed id, quomodo fieri possit, inquirit.*

Ad II. Negatur, quod fuerit negligentia in B. Virgine Deipara, ac in Sanctissimo ejus Sponso Josepho; quia quum sciret Jesum esse verum Deum, judicarunt, eum non agere ipsorum manuductione, & præsentia. Nec fuit impatientia in Maria, quia illius verba non indicant reprehensionem, sed dolorem de absentia filii sui. Verba autem Christi: *Quid est, quod me quærebatis?* continent quidem reprehensionem, sed quæ non respicit culpam, at errorem vel ignorantiam, sed non cum culpa conjunctam. Quod asserit Estius scribens; *B. Virginem, licet ab omni peccato immunis fuerit, non tamen ab omni ignorantia liberam fuisse, neque statim perfectam mysteriorum dispensationis Christi in carne notitiam accepisse.*

Ad III. Dicimus cum Augustino tract. 8. in Joannem, verba Virginis non indicasse inanem gloriam, sed eximiam fidem ipsius circa Divinitatem, & omnipotentiam sui filii; atque pariter charitatem, quam habebat erga pauperes, quos contristatos videbat, propter vini defectum. Quando autem Christus dixit; *Quid mihi, & tibi, mulier?* Non reprobavit petitionem Matris, ut importunam, sed ostendit plenitudinem suæ potestatis, & Sapientiæ, quæ pro libito suo communicanda erat. Ita pariter Augustinus, lib. 4. de consensu Evangelistarum cap. 10. *Non repellens de qua suscepit carnem, sed suam tunc maxime insinuans divinitatem; aquam conversurus in vinum, quæ divinitas illam etiam fœminam fecerat, non in illa facta erat.* Idem Augustinus explicat verba illa: *Nondum venit hora mea:* tract. 19. in Joannem: *Hanc itaque horam prædixerat, quæ tunc nondum venerat, in qua deberet agnoscere Ma-*

Matrem moriturus, de qua fuerat mortaliter natus. Tunc ergo divina facturus, non Divinitatis, sed infirmitatis Matrem, velut incognitam repellebat: nunc autem humana jam patiens, ex qua fuerat factus homo, affectu commendabat humano. Tunc enim qui Mariam creaverat, innotescebat in virtute; nunc vero quem Maria pepererat, pendebat in cruce.

Ad IV. respondet Ambrosius in eundem locum, dicendo, quod Christus sic responderit, ut doceret, religiosiorem esse copulam mentium, quam corporum, & consanguinitatem virtutis, quam carnis, esse quoque præstantiorem. Sua Verba sunt: *Neque injuriose refutantur parentes; sed religiosiores copulæ mentium docentur esse, quam corporum: Ergo hic non (ut quidam tendiculas aucupantur) mater negatur, quæ de cruce etiam agnoscitur; sed necessitudini corporali præscriptorum cœlestium forma præfertur. Illud quoque non intelligere abhorret, quia per figuram parentum, demonstrat Judæis, ex quibus est Christus secundum carnem, . Ecclesiamque credidit præferendam.* Respondit quoque Cornelius a Lapide in hunc locum: „ Non ex ambitione, & „ fastu, ut viderentur esse consanguinei „ tanti doctoris, & Prophetæ, qualis erat „ Christus, uti volunt S. Chrysostomus, & „ Theophilatus, sed ut eum comprehenderent, secumque adducerent in Nazareth. „ Dicebant enim eum in furorem versum „ esse, ut ait Marcus cap. 3. 21. *Neque enim* „ *fratres ejus credebant in eum.* Joann. 7. 5. „ (licet postea plures ex iis crediderint „ Christo) sive hoc dixerint, quod vere fu„ rere putarent; sive ficte & simulate, ut „ eum e manibus Pharisæorum, ne ab eis „ opprimeretur, eriperent; hac enim, vel „ simili de causa B. Virginem evocasse „ Christum, nemo pius dubitet. Si volue„ runt eum comprehendere quasi furiosum, „ celarunt hoc suum consilium B. Virgi„ nem, illamque adduxerunt secum specie „ honoris, ut facilius, & secretius Christum „ evocarent, secumque abducerent. Cer„ tum enim est B. Virginem optime scivis„ se Christum esse sanæ, sanctæque men„ tis; quare non nisi ejus visendi studio „ comitatam fuisse hosce Christi fratres, „ idest cognatos „.

Ad V. dicit Estius, quod Veteres excipiunt B. Virginem a generalibus sententiis Scripturæ, quæ negant hominem vivere sine peccato. Et defacto hanc eandem exceptionem fecit Augustinus, & eandem quoque Concilium Tridentinum, de quibus supra.

Ad VI. B. Virgo excepta fuit ab obligatione recitandi verba illa orationis Dominicæ in persona propria, & ea recitasse pro toto fidelium cœtu, hoc est nomine Ecclesiæ; in qua multi, immo omnes præter illam, comprehenduntur. Et hoc fuit singulare ipsius privilegium.

Ad VII. Ex S. Thoma Frassen respondet; quod Chrysostomus, vel oratorio more hac in expressione excesserit, vel quod in hoc tantillum a vero exorbitaverit. Estius vero ait: „ Porro Chrysostomi, Theo„ phylacti, & Euthymii glossas ad memo„ rata Evangelii loca non recipit Ecclesia; „ quum magis credendum sit aliam ob „ causam filium a matre evocatum „.

Ad VIII. & ad IX. dicitur, Basilium & Cyrillum concionatorio more pariter non nihil excessisse. Sed melius est ut dicamus, quod sub dubitationis nomine intellexerint magnam admirationem, & quasi stuporem B. Mariæ Virginis, tempore passionis Christi. Cæterum Ambrosius explicat patientiam Mariæ, & magnam animi constantiam, tempore, quo Christus patiebatur epist. 25. *Maria Mater Domini ante crucem filii stabat: nullus me hoc docuit, nisi S. Evangelista.* Et paulo infra: *Fugientibus Apostolis, ante crucem stabat, & piis spectabat oculis Christi vulnera, quia expectabat non pignoris mortem, sed mundi salutem: aut fortasse quia cognoverat per filii mortem, mundi redemptionem &c.* Et in Concione in obitu Valentiniani: *Stabat & S. Maria juxta crucem filii, & spectabat Virgo sui Unigeniti passionem, spectantem illam lego, stantem eam lego, flentem non lego.*

Ad X. ait Frassen, quod Origines hac in re, sicut in aliis plurimis graviter lapsus fuerit, ac proinde nullatenus esse audiendum. Estius vero hæc habet citato loco: „ Alii vero, qui fidem non omnino comple„ tam ei adscribunt, ut Origenes, Basilius, „ Paulinus & Augustinus non sentiunt „ eam de rebus sibi divinitus revelatis, aut „ a filio suo patefactis ullo modo dubitasse; „ cum per os Elisabeth a Spiritu Sancto ei „ dictum sit: Beata quæ credidisti, sed de „ quibusdam mysteriis minus certam, per„ fectamque habuisse cognitionem; propre„ rea quod de iis nondum plene divinitus „ esset instructa, aut certe dubitationem il„ lam, & fluctuationem, non fuisse de re „ ipsa, sed de modo rei, qualis erat, cum di„ ceret ad Angelum, cui sine dubio fidem „ adhibebat: *Quomodo fiet istud?* Quod au„ tem ex quæstionibus novi Testamenti

„ objici-

„ objicitur, non multum movere debet, cum „ id opus non sit Augustini, ac ne probati „ quidem Authoris „.

Ad XI. verba illa non esse reprehendentis peccantem, sed docentis, & instruentis ignorantem; vel si reprehendentis, non tamen culpam, sed errorem, vel ignorantiam. Et ita intelliguntur & explicantur ab Estio Ambrosius, & Maximus.

Ad XII. uti diximus ad X. dicitur, quod dubitatio illa, & fluctuatio non fuerit de rei substantia, sed de modo; quemadmodum fuit, quando Angelo dixit: *Quomodo fiet istud*. Et tamen Angelo sine dubio credebat. Quæstiones autem novi Testamenti non sunt opus Augustini, ut dictum est nuper.

Pro Coronide Dissertationis, subdimus Censuras, quibus opiniones contrariæ sententiæ nostræ ab Authoribus inruuntur. Estius hæc habet: „ Quanvis igitur primam, & secundam opinionem nec ut hæreticam, nec ut erroneam damnatam legamus; ac forte nec ut tales damnari possent; tertiam tamen ea sententiæ probabilitate tenet Ecclesia, ut temerarium sit ei tunc contradicere. „

Fortius autem loquitur eruditissimus Author Notarum ad Estium editionis Neapolitanæ, qui dicitur C. L. V. Julius de Torno Metropolitanæ Ecclesiæ Neapolis Canonicus: „ Majori censura, quam „ temeritatis dignam existimant, & jure „ merito Auctores eam opinionem, quæ „ vel levissimam B. V. peccati suapte vo„ luntate concepti labeculam affingit. Et „ quidem hodie ut inquit Dionys. Petavius „ tom. 5. Theolog. dogm. parte 2. lib. 14. cap. „ 1. num. 3. Nemo Catholicus ea de re dubi„ tat. Scilicet Catholici omnes certo, ac „ firmiter tenent, & existimant, Sanctissi„ mam Dei Genitricem ab omni inquina„ tione peccati etiam levissimi, puram fuis„ se, ac immunem. Barthol. Medina in 3. „ par. S. Thomæ qu. 27. art. 4. in Expositione „ articuli concl. 1. sic contrariam veritati „ Catholicæ assertionem sugillat. Prima „ conclusio: error est manifestus contra fi„ dem asserere, quod B. Maria habuerit „ aliquod peccatum actuale, nam in Con„ cil. Trident. sess. 6. can. 23. diffinita est hæc „ conclusio, & constat ex traditione eccle„ siastica, & quidam concionator, qui „ contrarium visus est Romæ prædica„ re, non recte explicans Augustini au„ thoritatem (ex lib. quæst. veteris, & „ novi Testam. qu. 73.) coactus est pu„ blice recantare sententiam. Sane vero „ assertio contraria traditioni, sensui, ac „ certæ, firmæque persuasioni totius Ca„ tholicæ Ecclesiæ, quam Synodus Gene„ ralis, Trident. scilicet, testatur, plusquam „ temeraria dicenda; mitiori proinde cen„ sura ab Auctore notata videtur „.

Fortius agit Suarez 3. par. qu. 27. art. 6. dub. 4. sess. 4. scribens: „ Omissis Hæreticis, „ inter Scolasticos Gregor. in 2. distinct. 30. „ qu. 2. art. 1. ausus est dicere, Virginem in„ terdum venialiter peccasse, ne illam fa„ teretur fuisse a peccato originali immu„ nem, quia juxta Augustini regulam, nul„ lus est in peccato originali conceptus, „ qui non interdum venialiter peccaverit. „ Cui sententiæ nonnullæ Patrum locutio„ nes interdum favere videntur. Sed nihilo„ minus hæc sententia ab Ecclesia rejecta, „ & damnata est. „

DISSERTATIO CCIV.

De B. Virginis Gratia. Quando habuerit Gratiam Sanctificationis? An tunc habuerit omnem Gratiam? Quanta fuerit ejus Gratia? An fuerit confirmata in Gratia? Et an peccati fomes fuerit in ea extinctus?

Certum est apud omnes, B. Virginem habuisse gratiam sanctificationis in utero, hoc est, fuisse in utero matris suæ a Deo sanctificatam. Quando autem in utero fuerit sanctificata, an primo animationis instanti, an vero altero ex subsequentibus, quæstio est inter illos, qui asserunt fuisse illam ab originali peccato præservatam, & eos, qui negant. Hi enim postremi ideo negant, quia non poterat B. Virgo eodem instanti reali esse Deo inimica per peccatum, & amica per gratiam. Nihilominus his non obstantibus

Prima sententia est Henrici, quodlib. 15. qu. 13. asserentis, B. Virginem fuisse conceptam in originali peccato, & nihilominus in primo instanti suæ Conceptionis fuisse sanctificatam. Contra hanc sententiam late disputat Durandus in 3. dist. 3. qu. 2. & post ipsum Suarez in 3. par. qu. 27. art. 2. disp. 3. sect. 5. Ad illud, quod dictum est, eodem instanti non posse gratiam, & peccatum originale in eodem subjecto reperiri, respondet Henricus, quod licet B. Virgo non potuerit in primo instanti esse in peccato originali, & recipere gratiam, potuit tamen Deus in eodem primo instanti infundere gratiam, manente peccato originali; Unde repugnantia remansit ex parte subjecti, scilicet B. Virginis, non vero ex parte agentis, hoc est, Dei. At Suarez sic eum impugnat: Infundere gratiam in illo instanti vel est efficere vere illam, & vere producere, & sic in illo instanti esset gratia, & esset in Virgine, quia non esset extra subjectum: vel non est efficere gratiam, & hoc pacto Deum infundere gratiam non aliud sonat, quam Deum esse veluti paratum ad infundendam gratiam immediate post illud instans. At hæc non est quæstio de qua loquimur, ut cuique consideranti patet.

Secunda sententia est illorum, qui volunt, Virginem in primo instanti suæ animationis fuisse conceptam in originali, & paulo post fuisse sanctificatam. Et hæc opinio est fere omnium illorum Scholasticorum qui sustinent, B. Virginem fuisse in originali conceptam. Hujusmodi sunt Durandus, Paludanus, Capreolus, Gregorius Ariminensis, S. Antoninus, Cardinalis de Turrecremata, aliique.

Tertia sententia est illorum, qui sustinent B. Virginem fuisse sanctificatam primo animationis instanti. Hujus sententiæ sunt illi omnes, qui tenent, B. Virginem fuisse conceptam absque originalis culpæ contagione, a qua fuerit in primo instanti præservata. Ita Scotus cum suis, aliique plurimi in Dissert. 202. citati.

Dicimus I. B. Virginem fuisse a Deo sanctificatam primo animationis instanti.

I. Probatur. Nulla creatura potest esse in statu puræ naturæ; sed si B. Virgo in primo animationis instanti non fuisset sanctificata, fuisset in statu puræ naturæ: ergo B. Virgo fuit sanctificata primo animationis instanti. Major patet, quia nulla creatura fuit unquam in aliquo statu, in quo non habuerit neque peccatum, neque gratiam; at hoc importatur per statum puræ naturæ, ut omnibus est certum: ergo &c. Minor primi argumenti probatur. B. Virgo primo illo animationis instanti non habuisset peccatum, quia non habuit peccatum originale, ut probavimus; neque habuisset gratiam sanctificationis, quia non fuisset sanctificata, ut contendunt Adversarii: ergo neque habuisset gratiam neque peccatum: ergo fuisset in statu puræ naturæ.

II. Probatur. Ut B. Virgo gratiam sanctificationis acciperet primo animationis instanti, nullum erat impedimentum, neque ex parte ipsius, neque ex parte Dei; ergo vere gratiam sanctificationis primo illo instanti accepit. Probatur antecedens. Non erat impedimentum ex parte Virginis, quia non erat in ea pec-

peccatum, quod solum est obstaculum ad gratiam recipiendam; neque erat ex parte Dei; si enim Deus illam præservaverat a peccato, talis præservatio non ordinabatur, nisi ut eam sanctificaret: ergo ex parte Dei non solum non erat impedimentum, sed potius erat maxima convenientia, ut eam simul, & a peccato præservaret, & gratia sanctificationis exornaret.

III. Probatur. Si non fuit sanctificata B. Virgo primo animationis instanti, fuit saltem sanctificata secundo, vel tertio, vel aliis instantibus subsequentibus. Quærimus, vel hoc fuit, ut se disponeret per actum proprium ad primam gratiam, vel alia ex causa. Si primum; sufficit, quod in priori naturæ se disposuerit: Unde affirmat S. Bernardinus apud Hennum, quod B. Virgo quum habuerit usum rationis a primo illo instanti, ex tunc potuit quoque Deum diligere, vel alium actum meritorium exercere, & sic se disponere ad recipiendam gratiam sanctificationis. Si ex alia causa, quum non fuerit hæc alia causa adhuc ab Adversariis allata in medium, nos non possumus eam, neque examinare, neque rejicere.

Dicimus II. B. Virginem non habuisse omnem gratiam a primo suæ Conceptionis instanti.

I. Probatur. B. Virgo fuit vere viatrix in hac vita, adeoque in statu viæ permansit quoad vixit; sed qui est in statu viæ, est in statu accretionis meritorum, vel decretionis, si confirmationem non habeat in gratia: ergo B. Virgo, quum non fuerit in statu decretionis, quia fuit in gratia confirmata, ut probabimus mox, fuit tamen in statu accretionis meritorum: ergo semper crevit in gratia: ergo non habuit omnem gratiam a primo suæ conceptionis instanti.

II. Probatur. B. Virgo plurimos exercebat actus meritorios, & illa etiam suscipiebat Sacramenta, quorum erat capax, ut est communis Doctorum opinio: vel ergo dicendum est, quod hujusmodi actus meritorii, & hujusmodi Sacramenta, nullam in B. Virgine gratiam peperissent, adeoque fuissent frustranei; quod nemo afferet, qui sit rationis compos: vel asserere debemus quod in B. Virgine importaverint gratiam sibimetipsis correspondentem. Et hoc concesso, clare deducitur, quod B. Virgo non habuerit omnem gratiam suam a primo suæ Conceptionis instanti; ut in Conclusione proposuimus.

III. Probatur. Nec Scripturæ enunciant, neque Patres docent, nec Pontifices, nec Concilia definiunt B. Virginem habuisse omnem gratiam suam a primo suæ Conceptionis instanti: ergo non est nobis ratio, ut hoc dicamus; quum aliunde ordo deposcat, ut habuerit semper incrementum in gratia, quia in statu viatoris erat, & rationes præcipuas merendi habebat, quibus gratia semper augmentatur.

Dicimus III. Gratiam B. Mariæ Virginis fuisse tantam, quantam dari uni puræ Creaturæ, possibile est; adeoque fuisse majorem, quam fuerit in omnibus Angelis, & hominibus simul sumptis.

I. Probatur ex Bernardo, Concione 61. dicente: *Excepto Christo, tanta Virgini data est gratia, quanta uni puræ creaturæ dari, est possibile*. Ex S. Bonaventura in Speculo. cap. 13. *Tanta gratiarum copia abundavit in Maria, ut etiam ipsa gratiosa Virgo gratia quodammodo dici possit*. Ex S. Petro Damiano serm. de Assumpt. *Inter animas Sanctorum, & Angelorum Choros supereminet merita singulorum, & omnium titulos antecedit, & spirituum hebetat dignitatem, ut sint quasi non sint*.

II. Probatur. In prima sanctificatione fuit data a Deo Virgini intensior gratia, quam ulli hominum, vel Angelorum in sua prima sanctificatione data fuerit: ergo gratia data Virgini, etiam in sua prima sanctificatione, est amplior quacunque gratia, data cuilibet puræ creaturæ. Probatur antecedens. B. Virgo in sua prima sanctificatione habuit gratiam ampliorem, quam habuerit Joannes Baptista in sua sanctificatione in utero; sed Joannes Baptista in sua sanctificatione habuit gratiam intensiorem, quam habuerint, vel quam habeant, vel quam possint habere cæteri infantes, etiamsi in matrum utero per martyrium moriantur: ergo &c. Major est certa; quia nulla est cōparatio inter Sanctissimam Virginem, & Joannem Baptistam. Minor probatur; tum quia de Joanne Baptista dictum est: *Spiritu Sancto replebitur*; tum etiam, quia, ut ait Suarez, verba illa: *Non surrexit major Joanne Baptista*: a multis de prima sanctificatione exponuntur; tum denique, quia ad munus altissimum singulari modo, & privilegio fuit Joannes a Deo sanctificatus: ergo sanctificatio illa prima, quam habuit, huic muneri altissimo correspondens, debebat quoque esse altissima, & gratias omnes aliorum infantium etiam illorum, qui per martyrium in utero moriuntur, longe excedens.

III. Probatur. Est communis omnium sententia, quod B. Virgini fuerit data in sua prima sanctificatione plenitudo gratiæ; sed hæc plenitudo gratiæ non potest intelligi in ordine ad seipsam: ergo debet intelligi in ordine ad alios. Major est doctrina. S. Thomæ 3.par.qu.27.art. 5. Minor probatur, quia plenitudo gratiæ in Maria in sua prima sanctificatione non fuit consummata, sed tantum fuit consummata in statu gloriæ. Si autem intelligitur quoad alios, jam B. Virgo habuit ampliorem gratiam in sua prima sanctificatione, quam habuerint puræ creaturæ omnes. Ratio autem, cur B. Virgo habuerit plenitudinem gratiæ præ omnibus Creaturis, etiam in sua prima sanctificatione, est, ut inquit Suarez, quia præ cæteris conjunctior fuit Verbo, & Christo. Si dicatur, quod in primo instanti nondum habebat illam cognitionem, subdit idem Suarez, satis esse, quod habuerit ordinem ad illam ex divina prædestinatione.

IV. Probatur. B. Virgo in instanti suæ sanctificationis amabatur a Verbo plusquam ullus Angelus, vel homo, & plusquam omnes Angeli, & homines: sed gratia respondet amori, & est objectum ejus: ergo major gratia data fuit Virgini in sua prima sanctificatione, quam data fuerit Angelis,& hominibus simul. Major probatur. Ex illo instanti Verbum amabat B. Virginem,ut futuram sui matrem: ergo amabat illam plusquam amaret omnes Angelos, & homines. Probatur antecedens; quia totus hic amor debetur matri, & tota hæc perfectio gratiæ optime quadrat cum tanta dignitate; Verba sunt Suarii, qui laudat Petrum Damianum serm. de Annunciatione, dicentem: Attende Seraphim, & videbis quidquid majus est, minus Virgine, solumque Opificem, opus istud supergredi; & Vincentium Ferrerium serm. 1. de Nativitate docentem, B. Virginem fuisse sanctificatam in utero Matris supra omnes Sanctos, & supra omnes Angelos.

Dicimus IV. B. Virginem per primam sanctificationem habuisse donum perseverantiæ, adeoque fuisse in gratia confirmatam.

I. Probatur. Augustinus in Enchirid. cap. 64. docet; quod hominibus aliquando per gratiam concedatur, *ut hanc vitam sine crimine transigant, licet non sine peccato.* Nomine criminis mortalem culpam intelligit, nomine vero peccati culpam intelligit venialem. Unde Athanasius serm. 4. contra Arianos dicit; plures Sanctos fuisse *puros, & omnis criminis expertes*; nominatim autem adducit Jeremiam, & Joannem Baptistam. Cur ergo negemus idem privilegium, & majus fuisse datum Virgini Mariæ, quæ supra omnes homines ampliorem habuit gratiam?

II. Probatur. Ex præterita Dissertatione patet, Sanctissimam Virginem habuisse impeccabilitatem ab extrinseco, & consequentem; sed hoc idem est, ac dicere, quod habuerit perseverantiæ donum, & confirmationem in gratia ex speciali Dei privilegio: ergo vere B. Virgo habuit perseverantiæ donum in prima sui sanctificatione, & in gratia confirmationem.

III. Probatur. Ecclesia celebrat Conceptionem Virginis Mariæ, & Nativitatem quoque: ergo intelligit Ecclesia, quod ipsa habuerit inamissibilem Sanctitatem. Consequentia probatur a Suarez; quia Ecclesia non veneratur publico solemni ritu, nisi eam sanctitatem, quæ perpetuo duratura est; sed Sanctitas,quæ perpetuo duratura est est sanctitas inamissibilis, & sanctitas inamissibilis importat donum perseverantiæ, & in gratia confirmationem: ergo jam ex sensu Ecclesiæ, B. Virgo habuit donum perseverantiæ,& fuit in gratia confirmata.

Pro ultima Dissertationis parte, peccati fomes est caro contra spiritum concupiscens, ut dicit Estius; vel ut ait Suarez est ipsa naturalis inclinatio appetitus sensientis, quatenus inordinate, & absque rationis consensu, sensibilia interdum potest appetere, quæ imperfectio originalis peccati effectus est, quanvis non semper auferatur, ablata originali culpa, ut in renatis constat. At quia hac in re diversimode loquuntur Scholastici, ideo post relatas varias ipsorum opiniones, nostram proponemus.

Prima opinio est illorum, qui dicunt, quod ablato a Virgine peccato originali, nihilominus remansit in ea fomes peccati, ligatus quidem, sed non omnino extinctus usque ad conceptionem filii; in Conceptione vero Filii per Spiritum Sanctum in eam supervenientem, fomes in ipsa fuit omnino extinctus. Tribuitur hæc sententia S. Thomæ, Cajetano, S. Bonaventuræ, Richardo, Durando, aliisque.

Secunda sententia est aliorum, qui sentiunt etiam post Conceptionem Verbi, remansisse in Virgine peccati fomitem, sed ita ligatum, & consopitum, ut per eum Virginis caro nunquam fuerit deinceps ulla

tenta.

tentatione commota. Hanc sententiam commemorat Magister sententiarum, & ex illo refert Estius.

Tertia sententia est aliorum, qui docent, B. Virginem in utero Matris fuisse simul post Conceptionem a peccato, & a fomite purgatam. Refertur pariter hæc opinio ab Estio.

Quarta sententia est illorum, qui docent, fomitem in B. Virgine nunquam fuisse, sed simul fuisse illam, & a peccato originali, & a fomite præservatam. Hanc sententiam conformiorem putamus iis omnibus Theologis, qui B. Virginem fatentur a peccati originalis labe immunem; consonum enim est, ut illo eodem instanti, quo fuit ab originali præservata, fuerit etiam præservata a fomite peccati.

Dicimus V. peccati fomitem nunquam fuisse in B. Virgine, ipsamque fuisse simul & a peccato origioali, & a fomite præservatam.

I. Probatur authoritate Bernardi explicantis verba illa: *Signum magnum*: & dicentis: *Nihil in eo, non dico tenebrosum, sed obscurum saltem, vel minus lucidum, sed nec tepidum quidem aliquid, aut non ferventissimum, liceat suspicari.* Damasceni orat. de Assumpt. Virginis illam vocantis Immaculatam, quæ cum terrenis affectionibus nihil habuit commune; quod & antea etiam dixerat Sophronius in epistola superius citata, & quæ in VI. Synodo action. 11. lecta fuit: & Richardi de S. Victore lib. 2. de Emmanuele scribentis: *Virgini omnem otiositatem fuisse sublatam, solam pœnam fuisse relictam*; & cap. 29. accommodantis Virgini verba illa psalm. 45. *Auferens bella usque ad finem terræ*; quia, ut ait Suarez, in Virgine nullum internum bellum, sed summa pax fuit. Ex quibus Richardus concludit, solam Virginem inter puros homines implevisse in hac vita omni ex parte præceptum illud: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde, mente, & animo*; quia sicut explicat Suarez, non tantum rem præceptam, sed quodammodo etiam finem, & modum præcepti assequuta est; Denique ejusdem Richardi cap. 31. dicentis: *In cæteris Sanctis magnificum fuisse, quod a vitiis non sunt expugnati, in Virgine autem, quod nec impugnata fuit.*

II. Probatur authoritate Ambrosii lib. de Institut. Virginis cap. 7., ubi scribit, *quod soli Virgini Mariæ datum fuerit, ut præsentia sua integritatis insigne aliis conferret*: Si ergo B. Virgo hoc amplissimum donum a Deo obtinuit, ut alios sua præsentia in integritate mentis, & animi contineret; quis credet, in ea fuisse fomitem, qui contra propriam suam integritatem pugnaret, & motus in ea excitaret, qui essent suæ propriæ integritati contrarii?

III. Probatur rationibus. I. Decuit Virginem ea puritate nitere, qua major sub Deo nequeat intelligi; sed si B. Virgo non habuisset fomitem extinctum, posset intelligi puritas propria sua puritate major: ergo in B. Virgine fomes peccati fuit omnino extinctus. Major est doctrina Sanctorum Patrum, quam supra sæpius retigimus; minor patet manifeste; quia major esset illa puritas, per quam fuisset fomes extinctus, quam illa puritas, per quam extinctus non esset. II. Fomes est effectus originalis peccati: ergo si in B. Virgine nullum fuit originale peccatum, nullus etiam fuit fomes peccati, adeoque fuit omnino in ea extinctus. III. B. Virgo ex superius probatis, nullum commisit veniale peccatum, & habuit impeccantiam, seu impeccabilitatem, quanvis ab extrinseco, & consequenter: ergo nullum quoque debuit habere fomitem peccati. Consequentia probatur a Suarez verbis hisce:
„ Nam licet posset Deus, non obstante fo-
„ mite, & motibus ejus, impedire omnem
„ culpam in B. Virgine, tamen cum sapien-
„ tissime, & suavissime omnia provideat,
„ accommodat fini media, & causam dispo-
„ nit prout expedit, ad intentum effectum.
„ Quia ergo B. Virginem ab omni culpa
„ præservaturus erat, eandem fecit ab omni
„ inordinato motu liberam, quia moraliter
„ difficillimum est pati inordinatos motus,
„ & venialiter saltem nunquam delinquere.
„ Unde fit nullam mentis distractionem,
„ vel variarum cogitationum intellectus,
„ aut phantasiæ involuntarias immutatio-
„ nes, passam unquam fuisse. Hæc enim
„ omnia imperfectionem magnam conti-
„ nent, & ad fomitis inordinationem per-
„ tinent.

Probatur modo, quod peccati fomes fuerit in B. Virgine non solum ligatus, sed omnino extinctus, ut dictum est in Conclusione. I. In B. Virgine fuerunt impediti motus irregulares, provenientes ex fomite non per extrinsecam Dei assistentiam, sed per intrinsecam virtutem, quam a Deo obtinuit; sed virtus intrinseca extinguit fomitem, extrinseca vero assistentia ligat solummodo: ergo in B. Virgine peccati fomes fuit non tantummodo ligatus, sed vere extinctus. Probatur major.

In

In B. Virgine fuerunt a principio virtutes omnes per se, & per accidens infusæ valde perfectæ, quibus conjunctum est illud divinum auxilium, per quod fomes extinguitur: ergo in B. Virgine non fuit fomes peccati per virtutem, & gratiam, quas a Deo obtinuerat. II. Adæ, & Evæ datæ sunt a principio gratiæ, & virtutes in gradu heroico, per quas fomes fuisset in eis perpetuo extinctus, si originalem justitiam conservassent; sed B. Virgini datæ sunt copiosior gratia, & perfectiores virtutes in prima sua sanctificatione, quam Adæ, & Evæ: ergo in B. Virgine fuit fomes extinctus, & non solummodo ligatus. Minor est doctrina Bernardi epist. 174. dicentis: *Ego puto, quod copiosior sanctificationis benedictio in eam descenderit, quæ ipsius non solum sanctificaverit ortum, sed & vitam ab omni peccato deinceps custodierit immunem*. III. Deus etiam in producendo effectus supernaturales tribuit causis secundis virtutes intrinsecas, effectibus accomodatas: ergo vere per virtutes intrinsecas tribuit Virgini, ut inordinatos motus fomitis non haberet, quam per extrinsecam assistentiam. Antecedens probatur; quia quum Deus disponat omnia suaviter, consonum ducit causis secundis se accommodare, ipsis causis tribuendo virtutes intrinsecas, quæ sint effectibus proportionatæ.

Colligitur primo ex dictis, B. Virginem in sua prima sanctificatione originalem justitiam accepisse. Illimitate hoc asserunt Corduba, Carthusianus, Durandus, Cajetanus, Canisius, quibus favet Anselmus lib. de Conceptu Virginali cap. 20. Ratio ipsorum est, quia extinctio fomitis est effectus formalis justitiæ originalis: ergo si in B. Virgine fuit extinctio fomitis, fuit etiam justitia originalis. Attamen Suarez putat, fuisse quidem in Virgine effectus potissimos originalis justitiæ, non tamen omnes, qui ad statum innocentiæ, seu originalis justitiæ pertinebant. De primo ait, dubitari non posse, quia habuit superiorem portionem, seu rationem perfectissime subjectam Deo, & inferiorem portionem, seu appetitum perfectissime subjectum portioni superiori, absque ulla discordia, & ideo dicitur, quod habuerit integritatem naturæ in ordine ad humanas operationes. Secundum quoque dicit esse evidens, quia fuit capax tristitiæ, timoris, & doloris, & similium affectionum, quæ in statu originalis justitiæ non erant; & quia pariter habuit corpus passibile, quod defatigabatur, & morti erat subjectum, a quibus omnibus homo in statu innocentiæ præservabatur. Unde præfatus Suarez concludit, quod „ Si justitia
„ originalis sumatur pro collectione om-
„ nium horum effectuum, seu pro dono,
„ quod omnium illorum principium sit, in
„ B. Virgine non fuisse originalem justi-
„ tiam, quia non habuit totam collectio-
„ nem effectuum, nec principium ejus.
„ Nihilominus tamen verissime dici potest
„ habuisse donum originalis justitiæ, quoad
„ præcipuos, & quasi formales effectus ejus,
„ constat enim hos effectus, qui consistunt
„ in subjectione ad Deum, & rationem su-
„ periorem & perfecta subordinatione po-
„ tentiarum esse præcipuos: constat etiam
„ illud donum, quo hi effectus fiebant in
„ Virgine, fuisse ejusdem rationis cum do-
„ no collato Adæ, ad similes effectus præ-
„ standos. Quia (ut dictum est) non fuit
„ aliud præter gratiam, & virtutes perfe-
„ ctas sub divina providentia, & custodia;
„ & hoc sensu multi Doctores in secundo
„ dist. 29. & 30. dicunt, fomitem non ex-
„ cludi nisi per originalem justitiam. Et
„ eodem modo possumus loqui de Vir-
„ gine „.

Colligitur secundo, B. Virginem habuisse usum rationis a suæ Conceptionis, & sanctificationis instanti. Hanc sententiam expresse docent Bernardinus Senensis, Cajetanus, Suarez, Hennus, Viguerius, & alii. Ratio ipsorum est, quia Joannes Baptista habuit in utero rationis usum suæ sanctificationis tempore, ut legitur Lucæ 1. *Exultavit Infans in gaudio in utero meo*; Et quod verbum *exultare in gaudio* intelligi debeat proprie, non metaphorice, docent Ambrosius lib. 1. in Lucam: *Habebat intelligendi sensum, qui exultandi habebat effectum*. Quod confirmat de institutione Virginis cap. 13. lib. 2. de Virginibus in principio, & lib. 4. de fide ad Gratianum cap. 4. S. Leo Magnus serm. 10. de Nativitate: *Præcursor Christi spiritum prophetiæ intra viscera matris accepit, & nondum editus Genitrici Domini signa exultationis ostendit*; Hieronymus Epist. 7. ad Lætam, de Joanne Baptista loquens: *Audierat verba Domini per os Virginis personantis*; Beda in Lucæ 1. *Prior Elisabeth vocem audivit, sed Joannes prius gratiam sensit; illa Mariæ, iste Domini sensit adventum*: ergo a fortiori hoc privilegium, quod datum est Joanni, credendum est, Virgini Mariæ fuisse donatum.

Colligitur tertio, B. Virginem fuisse sancti-

fica-

ficatam per propriam dispositionem. Ratio est, quia si B. Virgo in illo instanti habuit usum rationis, habuit etiam cognitionem Dei, hanc vero non habuit otiosam, & mortuam, & perconsequens, habuit actum liberi arbitrii erga Deum, quem super omnia diligebat, & erga Christum per actum perfectum fidei. Ulterius; quia sanctificari per proprium actum, est perfectior modus, quo quis sanctificari potest, ut ex S. Thoma dicit Suarez: Hoc modo igitur fuit sanctificata Sanctissima Virgo. Denique omnis, qui sanctificatur, per proprium liberum consensum sanctificatur, præter ipsos, qui sanctificantur veluti per accidens, quia non habent usum rationis; sed in B. Virgine jam probavimus, fuisse rationis usum: ergo &c.

Arguunt contra positas Conclusiones. I. Quæcunque fuerit gratia data Virgini in primo suæ sanctificationis instanti, semper fuit gratia Viatoris: ergo nunquam potuit esse major gratia Angelorum. Probatur consequentia. Angeli sunt comprehensores; sed gratia viatoris nunquam potest æquari in intentione gratiæ comprehensoris: ergo si gratia B. Virgini data fuit gratia viatoris, non potuit esse major gratia Angelorum. II. Debet esse differentia inter sanctitatem Christi, & sanctitatem matris suæ; sed hæc differentia non esset, si in B. Virgine peccati fomes non admittitur: ergo in ea peccati fomes est admittendus. Probatur minor. De Christo dicitur, quod propter eximiam suam sanctitatem, peccati fomitem non habuit: ergo si in B. Virgine, ad elevandam ejus sanctitatem, peccati fomes non ponitur, nulla esset differentia inter Christi, & Mariæ sanctitatem. III. Peccati fomes non lædit libertatem, & quanvis moveat ad peccatum, aliquando tamen est potius occasio ad virtutum actus eliciendos: ergo non est contra perfectionem sanctitatis, quin potius ad ejus augmentum plurimum conferre potest: ergo non est sufficiens ratio Mariæ sanctitas, ut in ea dicamus peccati fomitem fuisse extinctum. IV. Plures Patres docent, peccati fomitem fuisse extinctum in Virgine, quando concepit Christum, non vero quando ipsa concepta fuit: ergo in sua prima sanctificatione peccati fomes non fuit extinctus. Probatur antecedens. Cyprianus lib. de cardinalibus Christi operibus cap. de nativit. Christi, dicit: *In Christi Conceptione, Spiritu Sancto obumbrante originale incendium extinctum fuisse*. Et Cyrillus Jerosolymitanus cathec. 17. *Spiritum Sanctum in Virginem veniendo, & eam obumbrando, sanctificasse eam, quo posset eum, per quem sunt omnia, suscipere.* Et Nazianzenus orat. 38. 42. docens, Spiritum Sanctum purgasse Virginem in anima, & corpore, ut Christum conciperet; & Arnobius in psalm. 14. in principio: *Jesus immaculatus Virgineam aulam ingressus, ipsum tabernaculum a maculis carnalibus liberavit, & dedit sanctificationem potius, quam accepit*. V. Non decebat carnem aliquam omnino liberari a lege fomitis & peccati, donec filius Dei assumeret carnem sanctam, & a fomite liberam: ergo caro B. Virginis non fuit in prima sui sanctificatione a fomite libera, sed potius liberata est, quando Christum concepit. Probatur antecedens. Non decebat corpus aliquod humanum habere gloriam, & immortalitatem priusquam Christus habuisset: ergo non decebat, carnem aliquam omnino liberari a lege fomitis, & peccati, donec Filius Dei assumpsisset carnem sanctam, & a fomite liberam. VI. Justitia originalis importat integritatem naturæ; sed in B. Virgine non fuit integritas naturæ: ergo non fuit justitia originalis. Probatur minor. Integritas naturæ omne excludit debitum, etiam remotum contrahendi peccatum: sed in B. Virgine fuit debitum remotum contrahendi peccatum originale; ergo in B. Virgine non fuit integritas naturæ. VII. Patres citati pro rationis usu, quem habuit Joannes Baptista in sua sanctificatione, illum explicant per propheticam revelationem, quæ non datur permanenter, & per modum habitus, sed per modum actus, seu actualis motionis: ergo male ex exemplo Joannis Baptistæ infertur anticipatus usus rationis in B. Virgine. VIII. B. Virgo in illo instanti non poterat recipere sanctificationem per propriam dispositionem; quia dispositio ad infusionem gratiæ, & donorum non potest procedere ab habitibus, qui præsupponuntur ad actus, & tamen in B. Virgine non poterant præsupponi in illo instanti, quod erat primum. IX. Angelus salutans B. Virginem, dixit illam gratia plenam; ergo B. Virgo non fuit gratia plena, quando concepta est, sed quando ipsa concepit filium suum. X. S. Bernardus serm. 3. in festo purificat. docet, B. Virginem, purissimam fuisse factam, ipso partu immaculato, ita ut post partum ipsi jam non esset opus purificatione: ergo

ex

ex Bernardo ante Filii Dei conceptionem Sanctissima Maria non caruit fomite peccati. XI. S. Augustinus lib. 5. contra Julianum cap. 15. Christo proprium facit concupiscentia carnis carere; & hujus dicti rationem assignans, subdit, non quod illa in matre non fuerit, sed quia mater non per illam concepit. XII. Beda in homil. super Missus est, in festo Annunciationis Dominicæ, inquit; *Spiritus Sanctus superveniens in Virginem, mentem ejus ab omni vitiorum sorde castigavit, & ab omni æstu concupiscentiæ carnalis cor ejus temperavit; atque a desideriis temporalibus emundavit*: ergo B. Virgo non caruit peccati fomite priusquam in ipsam Spiritus Sanctus superveniret, quod fuit in ejus Annunciatione, & filii sui Conceptione.

Respondemus ad I. Argumentum nimis probare; ex illo enim principio etiam sequeretur infantem habere in cœlo gratiam intensiorem, quam habuerit B. Virgo etiam in fine vitæ suæ, quod est omnino falsum; & hoc ex eo, quia infans in cœlo esset comprehensor, Maria Virgo vero Viatrix. Directe vero dicitur quod differentia inter viatorem, & comprehensorem stat in hoc, quod gratia comprehensoris sit excellentior, non quod sit intensior; unde potest dari casus, quod gratia alicujus viatoris sit intensior, & gratia alicujus comprehensoris, propter aliam rationem, hoc est, ratione status beatifici sit excellentior. Prima ergo gratia B. Mariæ Virginis fuit intensior gratia omnium Angelorum; quia si cum illa sola transisset in patriam, majorem gloriam habuisset, quam omnes Angeli in Cœlo; ut post S. Thomam docent Medina, Suarez &c.

Ad II. Differentia stat in hoc quod Christus communicavit Matri perfectionem carentiæ fomitis inferiori modo quam in ipso fuit; Christus enim habuit per seipsum omnem sanctitatem corporis, & animæ; Virgo vero habuit per ipsum Christum. Ulterius Christus, ut Deus homo habuit in sua voluntate humana perfectum dominium in omnes actiones suas, & in omnia objecta, quæ poterant illam excitare, & etiam ut beatus, semper actu considerabat omnia; unde poterat per intrinsecam virtutem omnia prævenire; B. Virgo autem, quia erat pura creatura, & viatrix non erat tantæ perfectionis capax.

Ad III. dicitur, quod sanctitas perfecta debet excludere ex omni parte omnem motum divinæ legi contrarium; Christus autem ideo communicavit Matri hanc perfectionem, quia ad crescendum in gratia hac occasione non indigebat, quæ quidem occasio propria est incipientium, non vero perfectorum, cujusmodi fuit B. Virgo, Ideoque sanctitas ejus per virtutum actus augebatur quidem quotidie, sed non illarum virtutum, quæ in resistendo motibus illis, qui a fomite peccati proveniunt, exercentur; quatenus hujusmodi virtutum exercitium non convenit cum eximia, & eminentissima perfectione quæ fuit in B. Virgine.

Ad IV. Cyprianus loquitur non de fomite peccati, sed de voluptate sensibili, quam B. Virgo non sensit in Conceptione Filii sui, Spiritu Sancto eam obumbrante. Cyrillus, & Nazianzenus nec pariter loquuntur de fomite peccati; sed docent, quod B. Virgo in Conceptione Filii ab omni immunditia carnis, & indecentia fuit immunis. Pro his, aliisque Patribus vero in communi dicitur, quod ipsi per verbum *purgatio* intelligunt purgationem non a culpa, sed ab externis impedimentis a remissione animi, & ab ignorantia negativa, seu nescientia; & in hoc sensu dicunt, Virginem in Filii conceptione fuisse purgatam, hoc est ampliori sanctificatione donatam, cum majori mentis illuminatione, & totius animæ ad Deum collectione. Ita ex S. Thoma Suarius.

Ad V. dicitur, quod alia est ratio de perfectione gloriæ, alia est de perfectione gratiæ; gloria enim est perfectio pertinens ad terminum, in quo vere nullus hominum constituendus est ante Christum, hæc autem est perfectio accommodata, & communicabilis viatori. Præterea dicit Suarez, quod non derogat puritati, & sanctitati carnis Christi, quod ante formationem ejus, caro matris fuerit perfecte sanctificata usque ad fomitis extinctionem; imo potius hoc ipsum commendat providentiam, charitatem, & efficaciam meriti Christi.

Ad VI. Justitia originalis est quidem donum, vel conservans, vel sanans naturam, constituendo perfectum ordinem inter Deum, & hominem, & inter partes hominis inter se, ita ut inferiora superioribus, & omnia essent Deo perfecte subjecta. Hoc donum fuit in B. Virgine, sed diverso modo ab illo, quo fuit in Adamo, & Heva; quia in his fuit donum conservationis, in Maria vero donum sanationis; quatenus in primis Parentibus conservabat ordinem prædictum in natura, in Maria vero consti-

stituebat per sanitatem, quam naturæ tribuebat. Et ideo poterant in ea stare simul donum hoc justitiæ originalis, & debitum remotum contrahendi originale peccatum absque eo quod unum excluderet aliud, vel ab altero excluderetur.

Ad VII. Quanvis admittatur loquutio Patrum in sensu, quo explicant Adversarii, nihilominus etiam importatur rationis usus, qui fuit in Joanne Baptista, quanvis non fuerit, ut ajunt per modum habitus, sed per modum actus. At hoc posito, quis contendere poterit in B. Virgine idem donum fuisse perfectius, & excellentius, asserendo, illud fuisse non per modum actus tantum, sed etiam per modum habitus? Et hoc, vel eo magis, quia ex altera parte Patres aliqui hoc idem quod nos asserimus, asserunt, & rationes, quas nos attulimus evincunt.

Ad VIII. Occurrit Suarez, dicendo, dupliciter intelligi posse hanc sanctificationem per propriam dispositionem; primo modo, ut sit hæc dispositio præparans subjectum ad receptionem habitus; & tunc dispositio non efficitur ab habitu, quia potius habitus infunditur, quia dispositio effecta est non ut efficiatur: secundo modo, ut sit dispositio, non præparans, sed perficiens, & consummans sanctificationem; & hæc dispositio procedit ab habitu, seu a principio intrinseco, quod in B. Virgine præsupponitur. Citatus Author dicit, quod affirmari possit, B. Virginem fuisse sanctificatam per propriam dispositionem posteriori modo, ut patet, & etiam priori, quatenus hic est magis accommodatus viatoribus, qui ratione utuntur, & ad majorem pertinet perfectionem; quia qui se ad gratiam disponit, quodammodo se sanctificat, & cum divino auxilio, est sibi aliquo modo caussa gratiæ; quod quidem majorem perfectionem importat, quam ex habitu, vel solum ex auxilio primum actum elicere.

Ad IX. Archangelus Gabriel, quando B. Virginem salutavit, eamque dixit gratia plenam, non loquebatur de plenitudine consummata, sed de plenitudine sufficienti, ut fieret Mater Dei; ita pariter B. Virgo fuit in sua prima sanctificatione plena gratia, sed non plenitudine consummata, sed sufficienti, ad dispositionem, ut esset mater Dei. Tres enim plenitudines gratiarum distinguuntur in Sanctissima Virgine, quarum unam consequuta est in prima sui sanctificatione, alteram vero in Filii sui Conceptione, aliam denique, quando ingressa est ad gloriam. Ex his tertia tantum fuit consummata, duæ vero antecedentes sufficientes tantum dicuntur.

Ad X. Bernardus loquitur de puritate B. Mariæ Virginis, quæ quidem fuit semper in statu augmenti, non per recessum a contrario, sed per accessum ad Summum purum, ut dicunt Patres. Et in hoc sensu, non eguit purificatione, quia ab impuro, cum quo nunquam fuerat, non recedebat; sed magis in dies ad summum purum accedens purificata est, hoc est purior facta est. Si igitur ob puritatem, quam habuit in Conceptione Filii, dicitur, quod fomitem non habuerit, quia eandem puritatem habuit in prima sui sanctificatione, licet non ita intensam, etiam tunc, dicendum est, peccati fomite caruisse.

Ad XI. dicitur, quod Christus peccati fomitem non habuit, nec habere poterat, quia per carnalem conjunctionem conceptus non fuerat; B. Virgo tamen habere poterat, propter seminalem sui conceptionem, sed non habuit, quia in ea extinctus fuit. Et hæc est differentia altera inter Christum, & B. Virginem: quod Christus ideo carebat fomite, quia illum nec habuerat, nec poterat habere. B. Virgo vero ideo carebat, quia poterat habere, sed non habebat, quia in ipsa extinctus fuerat.

Ad XII. Illa omnia, quæ enumerat Beda, & asserit, ea habuisse B. Virginem, quando filium Dei concepit, dicimus habuisse etiam, quando ipsamet in primo suæ conceptionis instanti a Deo est sanctificata; hoc tamen discrimine, quod in Conceptione Filii habuit modo excellentiori, & perfectiori, sed hoc non probat, quod non habuerit quoque in prima sui sanctificatione, quanvis non ita perfectius, & excellentius.

DISSERTATIO CCV.

De Ortu Virginis: Quinam fuerint Parentes ejus? Et an eam naturali modo conceperint? Ubi fuerit in lucem edita? Et qua naturali perfectione corpus ejus fuerit constitutum? Et quæ illius animi dotes?

PRimo contra Beatissimæ Mariæ Virginis Sanctissimos Parentes male loquuti sunt posteriorum temporum Hæretici, de iisdem injuriose, sicut & de eorum filia scribentes; ut ex Canisio lib. 1. de B. Maria cap. 4., & lib. 4. cap. 7. narrat Suarez.

Secundo Gnostici circa Mariæ stirpem portentosum librum confixerunt, qui fuit a S. Epiphanio confutatus hæresi 26. Refert Baronius in Apparatu ad annales ecclesiasticos num. 35., & 39.

Tertio Collyridiani hæretici insanientes dixerunt, Mariam humanæ naturæ prorsus fuisse expertem. Horum hæresim impugnavit quoque Epiphanius hæresi 78., & 79.

Quarto Jacobus Hyacinthus Serry, Ordinis Prædicatorum, nuperus Scriptor Gallicus, contra quem nos egimus in peculiari Dissertatione de Natione Tortorum Christi, in exercitationibus historicis, criticis, polemicis de Christo, ejusque Virgine Matre exercitatione 18. num. 4. hæc habet: „ Dubia in primis, incertaque sunt „ quæ vulgo feruntur nomina Genitorum „ Deiparæ Virginis, Joachimus, & Anna „. Laudat hic Author in suæ imaginationis confirmationem eruditos Bollandi continuatores, nempe Henschenium, & Papebrochium, qui, ut ipse ait, Joachimi, & Annæ nomina in dubio reliquerunt in actis ad diem 20. Martii. At, quod mirum est, adducit quoque suæ opinionis patronos Hieronymum, Augustinum, & Petrum Damiani; quorum testimonia in objectionibus adducemus; & in responsionibus ad easdem explicabimus.

Dicimus I. Beatissimæ Virginis Mariæ Patrem Joachimi, & Matrem Annæ nomina habuisse.

I. Probatur ex Epiphanio hæresi 79., qui agens adversus Collyridianos, qui asserebant, B. Virginem non habuisse nec Patrem, nec matrem, & non humanæ, sed divinæ tantum naturæ fuisse, ita scribit: *Genita est ab Anna, & ex Joachim donata est Annæ; quæ & per preces, & omnem diligentiam, secundum promissionem Patri, ac matri data est: non tamen aliter genita præter humanam naturam, sed sicut omnes ex semine viri, & utero mulieris. Tametsi enim historiæ Mariæ traditiones habent, quod dictum est Patri ipsius Joachim in deserto: Uxor tua concepit: tamen non quod sine conjugio hoc factum, neque sine semine viri, sed futurum Angelus missus prævaticinatus est, ut nequa hæsitatio fieret propter id, quod in veritate factum est, & jam ex Deo ordinatum, & justo promissum.* Idem Epiphanius hæresi 78. loquens de Antidico-Marianis, qui dicebant, B. Virginem cognitam non fuisse carnaliter a Sanctissimo Sponso Josepho, usque dum Christum Dominum pareret, scribit quoque, Mariam fuisse mulierem ex sua formatione, *& natam ex matre Anna, & ex patre Joachimo.* Insuper idem Epiphanius in oratione, quam habuit de laudibus Mariæ Virginis, quæ extat tom. 7. Bibliothecæ sanctæ, & quæ refertur a Baronio in Apparatu num. 45., inquit: *Hujus parentes fuerunt Joachim, & Anna, qui quidem in vita sua Deo placuerunt, atque etiam fructum hujusmodi germinarunt, sanctam Virginem Mariam, templum simul, & matrem Dei. Joachim porro, Anna, & Maria, hi tres Trinitati palam sacrificium laudis offerebant. Joachim enim interpretatur præparatio Domini, eo quod ex illo præparatum sit templum Domini, nempe Virgo. Anna rursum similiter gratia interpretatur, propterea quod Joachim, & Anna gratiam acceperunt, ut accedentibus precibus, talem fructum germinarent, sanctam Virginem acciperent: Joachim siquidem precabatur in montem, Anna in horto suo. Anna vero gravida effecta, cœlum, & thronum Cherubicum peperit, sanctam puellam Mariam. Illa enim*

enim reperitur esse cælum, templum, & thronus: quia Mariam interpretari solemus Dominam &c.

Scimus prælaudatum Serry, quem hac in re adversarium habemus, ad quisquialis amandare traditiones illas Judaicas, ex quibus ait, Epiphanium excerpsisse quæcunque in superioribus enarravit. At immerito; penitius enim poterat Epiphanius cognoscere quantæ authoritatis, & sinceritatis esset liber ille traditionum Judaicarum, quem citavit, qui floruit seculo quarto post Christum natum, quam Serry, qui his nostris temporibus vivit, & qui absque ulla Scriptorum authoritate librum illum ad quisquilias amandat. Ultraquamquod Epiphanius ex lib. traditionum alia recitat, quæ de B. Mariæ parentibus narrat, non vero nomina, quæ ipsemet scire poterat, ex verbali traditione hominum suo tempore viventium, qui non per multa secula distabant a temporibus, quibus B. Mariæ parentes vixerant. Oratio autem, quæ sub Epiphanii nomine citatur, vere a Bellarmino de Scriptoribus Ecclesiasticis in Epiphanio non nominatur, quemadmodum nec a Dupino, Cave, aliisque Criticis nostrorum temporum, qui Ecclesiasticorum Scriptorum opera recensent. Verum quicunque fuerit personatus Epiphanius, quem certe Baronius non agnovit, potuit illa nomina ex genuinis Epiphanii Operibus exscribere, & in oratione illa recitare.

II. Probatur ex Gregorio Nysseno orat. in Natali Domini, dicente: *Annam, cum prolem a Deo postularet, nutu divino fuisse a Deo confirmatam*. Quæ verba postmodum Scriptores subsequentes usurparunt, & præcipue Nicephorus lib. 1. cap. 7. & lib. 2. cap. 3. & Damascenus lib. 4. cap. 15., & orationibus de B. Virgine, dicens: *Quemadmodum prisca illa Anna, cum sterilitatis morbo laboraret, per orationem, ac promissionem Samuelem procreavit: eodem modo hæc etiam per obsecrationem, & promissionem, Dei genitricem a Deo accepit, ut ne hæc quoque cuiquam ex illustribus matronis cederet*. Ad hæc pariter respondet Serry, esse historiam incerti Authoris illam, ex qua Nyssenus verba illa recitavit. Sed incertitudinem hanc melius, quam Serry cognoscere poterat Nyssenus, & cum eo Nicephorus, & Damascenus, qui proximiores fuerunt temporibus parentum B. Mariæ Virginis; & nihilominus historiam illam non respuerunt, quam Serry quoque cum aliis in quisquilias amandat.

III. Probatur ex Hippolyto martyre, & Episcopo Portuense, qui fuit Clementis Alexandrini auditor, & sub Alexandro Severo circa annum 220. martyrium subiit; Cujus verba refert Nicephorus lib. 2. cap. 3. & Baronius exscribit in Apparatu num. 41. & sunt hæc: *Tres fuere Sorores Bethlehemiticæ, filiæ Mathan Sacerdotis, & Mariæ conjugis ejus, sub Cleopatra, & Casoparis Persæ regno, ante Herodis Antipatris filii regnum: primæ Mariæ, secundæ Sobe, tertiæ Annæ, nomen erat. Nupsit prima in Bethlehem Maria, & peperit Salomen obstetricem: nupsit quoque secunda, itidem in Bethlehem Sobe, & genuit Elizabeth: nupsit postremo & tertia Anna in terrâ Galilæa, & protulit Mariam Dei genitricem, ex qua nobis natus est Christus*. Scimus, Hippolytum hunc multa scripsisse, quæ enumerant Eusebius lib. 6. historiæ cap. 16., & Hieronymus in lib. de Scriptoribus Ecclesiasticis, quæ modo non extant; at quum hæc citentur ab antiquis Scriptoribus, fidem illam merentur, quam non habent alia, quæ Scriptores non memorant.

IV. Probatur ex S. Eustatio in Examerone, nuper in lucem edito ab eruditissimo Leone Allatio, sub nomine S. Eustatii Antiocheni; in quo quidem opere expressa mentio habetur nominum Annæ, & Joachimi, genitorum B. Mariæ Virginis. At respondet pariter Serry, Eustachii Antiocheni commentarium in Exameron esse apochryphum. Tillemontius vero tom. 1. not. 2. in S. Virginem occurrit dicendo, quod & si concedatur, omnia hæc opera esse apochrypha, Authores tamen illorum cum fuerint antiquissimi, poterant certo scire parentum B. Virginis nomina; & cum illa usurpaverint, dicendum est ex cerebro, non ex errore, non ex malitia, sed ex traditione, quæ tunc temporis apud fideles omnes certo constabat, quicunque tandem fuerint Authores illi, scripsisse.

V. Probatur. Ideo asserit inter alia Serry, Annam, & Joachim non fuisse propria nomina B. Mariæ Virginis, quia erant nomina mystica, seu mysticæ significationis, quatenus Anna significat gratiam, Joachim vero præparationem Domini; sed hæc ratio nulla est: ergo &c. Probatur minor. Multa sunt nomina in divinis Scripturis, quæ mysticam habent significationem, & tamen sunt propria: ergo non est ratio, nomina parentum B. Virginis non esse propria, quia sunt mystica. Probatur antecedens. Jesus est nomen mysti-

mysticæ significationis, & tamen est proprium Jesu Christi Domini nostri; Maria etiam est mysticum nomen, & est proprium Sanctissimæ Matris Dei; Joannes est nomen quoque mysticæ significationis, & pariter est nomen proprium Joannis Baptistæ Præcursoris Domini.

Arguit I. Serry ex Hieronymo lib. contra Helvidium cap. 7. dicente, patrem Deiparæ fuisse nomine Cleopham; & hoc sic probat, quia Maria Cleophæ sæpius dicitur in Evangelio stricto sensu Soror B. Mariæ Virginis; dicitur autem Cleophæ non a marito, quia hic erat Alphæus: ergo a patre: ergo si pater Mariæ Cleophæ erat Cleophas, & Maria Cleophæ erat soror stricto sensu Mariæ Virginis, pater etiam Mariæ Virginis erat Cleophas, & non Joachim. II. Ex Augustino lib. 23. contra Faustum, quem fabulatorem nominat, quia dixerat, patrem Mariæ Virginis fuisse Sacerdotem quempiam nomine Joachim, verbis hisce: *Quod de generatione Mariæ Faustus posuit, quod patrem habuerit ex Tribu Levi Sacerdotem quemdam nomine Joachim; quia Canonicum non est, non me constringit. Sed etiamsi hoc crederem, ipsum potius Joachim dicerem, aliquo modo ad David sanguinem pertinuisse; & aliquo modo ex Tribu Juda in Tribum Levi fuisse adoptatum*. III. ex S. Petro Damiani serm. 3. de Nativit. *Nonnulli dum plus sapere, quam oportet sapere, gestiunt, quis pater, vel quæ mater B. Mariæ fuerit, studio superfluæ curiositatis inquirunt. Sed aliquis lector nimis inutiliter quærit, quod Evangelista narrare superfluum duxit. Si enim huic notitia utilitatem esse cognosceret, nequaquam nobilis Historicus rem necessariam silentio præteriret*. IV. Illi omnes, qui volunt Christi genealogiam fuisse ductam per Mariæ progenitores ab Evangelista Luca cap. 3., existimant pariter, patrem Deiparæ fuisse dictum Heli; explicant enim verba illa: *Jesus putabatur filius Joseph, qui fuit Heli*; hoc est non Joseph, qui fuit Heli, sed Jesus, qui fuit Heli; nimirum: Jesus, qui putabatur esse filius Joseph, reipsa filius erat Heli, mediatus nempe, seu nepos, quatenus genitus esset ab eo, media Maria, quæ illius erat filia. V. Ex Fulberto, Episcopo Carnotensi in sermone, quem edidit super natalem Virginis diem, & quem ex manuscripto S. Victoris vulgavit Franciscus Combefisius tom. 8. Biblioth. concionator. pag. 119. ubi docet, Annæ, & Joachimi nomina non fuisse vera, ac propria parentum Virginis, sed accepta solum *ex quadam hebraica & Ethymologiæ congruentia*. VI. Auctores, qui memorant nomina parentum B. Mariæ Virginis, vel sunt apocriphi, vel sunt moderni, quibus nil fidendum est: ergo semper remanet, quod prædicta nomina sint incerta, quod pariter asseruerunt Bollandi Continuatores in Actis Sanctorum ad diem 20. Martii.

Respondemus ad I. Neutiquam fuisse Sorores in stricto sensu Mariam, quæ dicta est Cleophæ, & Mariam Jesu Christi matrem. Ut enim mox probabimus Virginis parentes non aliam, præter illam habuere filiam, quum unica, seu unigenita iisdem fuerit. Et hoc tum quia ante Virginis Conceptionem steriles erant, & provectæ etiam ætatis, tum etiam quia post Conceptionem non procrearunt prolem alteram, cum qua sanguinis conjunctionem B. Virgo habere potuisset. Quæ omnia in sequentibus elucidabimus simul, atque probabimus.

Ad II. Augustinus negavit, Patrem B. Virginis fuisse Joachimum illum Sacerdotem, de quo Faustus Manichæus loquebatur, asserens fuisse ex Tribu Levi, & non ex Tribu Juda. Verba Augustini contra Faustum lib. 23. cap. 8. hæc recitantur a Baronio in Apparatu num. 46. *Quod de generatione Mariæ Faustus posuit, quod patrem habuerit ex Tribu Levi Sacerdotem quemdam nomine Joachim quia Canonicum non est, non me constringit: sed etiam si hoc crederem, ipsum potius Joachim dicerem aliquo modo ad David sanguinem pertinuisse, & aliquo modo ex Tribu Juda in Tribum Levi fuisse adoptatum*. Unde difficultas Augustini erat tantum circa generis qualitatem, non vero circa nominis diversitatem; non enim credebat, patrem Virginis fuisse Joachimum de Tribu Levi, sed non negabat fuisse Joachimum de Tribu Juda.

Ad III. non omnia, quæ historiam Christi Domini respiciunt, ab Evangelistis narrantur; & non ohinde inutiliter a Scriptoribus inquiruntur. Si enim hoc esset multa continerentur in Ecclesiasticorum Scriptorum libris otiosa prorsus, & inutilia, quod nec a nobis dicendum est, nec a Cardinali S. Petro Damiani, dictum fuisse, credere debemus. Cæterum hic doctissimus quidem, ac Sanctissimus Cardinalis loquebatur de iis, quæ ad pietatem conferebant, cujusmodi sane putabat non esse novis quæstiunculis in controversiam ponere parentum B. Virginis nomina,

na, de quibus forraffis usque ad sui tempora nemo dubitaverat; quod utique & nos pariter contra Serry possumus asserere, ac replicare.

Ad IV. dicunt apud Joannem Gagneum, vel Joachimum fuisse binominem, hoc est, habentem nomen Joachimi, & Heli, vel Joachimi nomen abbreviatum facere Heli. Attamen alii dicunt, Heli fuisse patrem legalem Joseph, non vero naturalem genitorem Mariæ, quia hic vocabatur proprio nomine Joachim. Speculatio autem Gagnei impugnatur a Vasquez tom. 2. ad 2. partem disput. 127. cap. 4. a num. 40. Denique falsum est, quod non Joseph, sed Jesus, referatur ad Heli; quia parenthesis illa, quam fingunt, in Sacris Bibliis, quocunque idiomate legantur, non invenitur.

Ad V. Concessimus utique in probationibus nomina parentum B. Virginis mysticam significationem habuisse, sed non obinde negandum est fuisse propria illorum nomina; & sic intelligendus est Fulbertus, quidquid in contrarium suadere conetur Serry, qui non propria Fulberti verba adducit, quando vult eum propria parentum Virginis nomina negasse.

Ad VI. ex Authoribus antiquis produximus Epiphanium, Nyssenum, Eustatium, vel Eustachium, quorum genuina esse opera probavimus; vel si apochripha, diximus saltem apud veros illorum Authores, qui etiam antiqui fuerunt, pro certo fuisse Joachimum, & Annam parentes B. Virginis nomina habuisse. Recentes autem Scriptores, nimirum Germanus Constantinopolitanus, Joannes Damascenus, Andreas Cretensis, Hisydorus Thessalonicensis, Georgius Nicomediensis, Cedrenus, Nicephorus Callixtus, Simeon Metaphrastes, tales, ac tanti funt, ut eos Henschenio, & Papebrochio, qui funt Bollandi Continuatores, præferre, non dubitemus.

Dicimus II. B. Virginem ex parentum ipsius carnali commixtione, sicut & cæteri homines, fuisse procreatam. Conclusio quanvis nec in Scriptura legatur, nec in Conciliis expresse definita inveniatur, quod tamen certa traditione, & communi consensu totius Ecclesiæ habeatur, asserit Suarez 3. par. qu. 27. disp. 2. sect. 1. & est contra asserentes B. Virginem humanæ naturæ fuisse expertem, quam infamiam docebant Collyridiani.

I. Probatur. Quod fuit Christi singulare privilegium, non est dicendum quod fuerit alteri concessum. Sed fuit Christi singulare privilegium quod ex fœmina sine opera viri conciperetur: ergo non est dicendum quod B. Virgo fuerit ex fœmina sine opera viri concepta: ergo fuit ex parentibus ejus per carnalem commixtionem sicut cæteri homines naturali modo procreata. Major est certa; aliter non esset Christi singulare privilegium, quia esset alteri commune. Minor probatur. Lucæ 1. ait Angelus ad Virginem: *Spiritus Sanctus superveniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi*: post quæ verba quasi caussam hujus dicti adsignans, subjungit: *Quod enim ex te nascetur sanctum, vocabitur Filius Dei*: ergo fuit hæc propria prerogativa filii Dei, & singulare privilegium ipsius, ut ex Virgine, sine viri opera conciperetur, quod ita ad ejus pertinet honorem, ut alteri communicatum nullatenus fuerit.

II. Probatur. B. Virgo descendebat ex Adamo per seminalem generationem: & ita descendere debebat: ergo Parentes ejus eam conceperunt per carnis commixtionem sicut naturali modo cæteri homines concipiuntur. Probatur antecedens. B. Virgo egebat redemptione: ergo descendebat ex Adamo per seminalem generationem. Consequentia sequitur; quia omne, quod descendit ex Adamo per seminalem generationem, indiget redemptione, sive præservativa, sive liberativa; Cæteri homines indigent liberativa; B. Virgo vero præservativa. Antecedens negari non potest; quia aliter Christus non fuisset Redemptor omnium, quum non fuisset Redemptor Matris suæ.

III. Probatur authoritate Epiphanii hæresi 79. adversus Collyridianos, cujus verba in præterita conclusione retulimus, & hic modo iterum recitamus, ut conclusionem hanc clariorem simul, & certiorem, reddamus. Verba igitur Epiphanii sunt: *Genita est ab Anna, & ex Joachim donata est Annæ quæ & per preces, & omnem diligentiam secundum promissionem patri, ac matri data est; non tamen aliter genita præter humanam naturam, sed sicut omnes ex semine viri, & utero mulieris. Tametsi enim historiæ Mariæ traditiones habent, quod dictum est patri ipsius Joachim in deserto: Uxor tua concepit: tamen non quod sine conjugio hoc factum, neque sine semine viri, sed futurum Angelus missus prævaticinatus est, ut ne qua hæsitatio fieret propter id, quod in veritate factum est, & jam ex Deo ordinatum, & justo promissum.*

IV. Pro-

IV. Probatur ex Germano Constantinopolitano homil. de nativ. Mariæ: „Commune Mundi gaudium ex justis hominibus „Joachim, & Anna hodie nascitur; laudatissima nimirum illa, & celeberrima Virgo, quæ sola propter eximiæ dignitatis præstantiam, vere, recteque animatum Dei templum, ac propria Dei parens & censetur, & appellatur. Propter cujus intercessionem Christe Deus mundo quidem pacem, & concordiam, nostris vero mentibus misericordiam uberem impartire.„ Et ad psalm.44. „Secundum Angeli vaticinium, o Virgo illustris, proles ex justis hominibus Joachim, & Anna in lucem prodiisti. Tu cœlum, & sedes Dei, omnisque puritatis receptaculum; tu mundi universi certum existis gaudium, tu vitæ largitrix, tu maledictionis interemptrix, tu benedictionis conciliatrix. Quamobrem, o divina Virgo, in hac nativitate tua mundo pacem, & concordiam posce; nostris vero animabus gratiam, & misericordiam impetra„.

V. Probatur ex Joanne Damasceno orat. 1. de Nativit.B.Mariæ: „O castissimum ratione præditarum turturum par, Joachim, & Anna. Vos, ut naturæ legi consentaneum erat, pudicitia conservata, ea, quem naturam superant, divinitus consecuti estis. Virginem enim Dei matrem mundo peperistis. Vos pie, & sancte in humana natura versati, Angelis superiorem, ac nunc Angelis dominantem filiam in lucem extulistis. O pulcherrima, & suavissima filiola. O lilium inter spinas, ex nobilissima, & maxime regia radice ortum: Per te legis translatio contigit, atque Spiritus, qui sub litera delitescebat, patefactus est, translata nimirum a Levitica tribu ad Davidicam sacerdotali dignitate. O rosa, quæ ex spinis, hoc est, ex Judæis orta es, ac divina fragrantia cuncta perfudisti. O filia Adami, ac Dei mater. Beati lumbi, & venter, ex quibus produisti. Beatæ ulnæ, quæ te gestaverunt, & labia, quibus tuis puris oculis frui, concessum est &c. O sanctissima Joachimi, & Annæ filia, quæ Principatus, ac Potestates fefellisti, atque ignea maligni tela extinxisti, quæ in Spiritus thalamo versata es, atque immaculata conservata in Dei Sponsam. O Sanctissima filia in maternis ulnis conspicua, rebellibusque Angelis formidabilis. O sanctissima filia, quæ materni uberis lacte aleris, & ab Angelis undique cingeris. O Deo chara filia, parentum decus, quam, ut vere abs te dictum est; *Generationes omnes beatam prædicant*. O Deo digna filia, humanæ naturæ venustas, primigenæ matris Evæ correctio. Eteni m per partum tuum, ea, quæ ceciderat, excitata, atque erecta est. O sanctissima filia, mulierum ornamentum. Quanvis enim prima Eva a Dei mandato recesserit, ac per eam adversus primum parentem serpenti operam navantem, mors aditum invenerit: at Maria tamen divinæ voluntati obsecuta, deceptorem serpentem in fraudem induxit, ac mundo immortalitatem invexit. O filia semper Virgo, quæ virili opera ad conceptionem minime opus habuisti; sempiternum enim Patrem is habet, quem peperisti. O terrena filia, quæ Dei genitricibus ulnis Creatorem gestasti &c. Ex te sola summus ille Opifex partem assumpsit, hoc est, massæ nostræ primitias. Caro ipsius ex carne tua, & sanguis ex sanguine tuo, & lac è mammillis tuis suxit Deus, ac labia tua Dei labiis unita sunt &c. Joachim, & Anna, tanquam spirituales montes dulcedinem stillarunt. Lætare, B. Anna, quoniam fœminam peperisti. Hæc enim fœmina Dei mater est, vitæ porta, lucis fons, atque fœminarum crimen dissolvit. Hujusce fœminæ personam divites plebis supplices deprecantur. Hanc fœminam hostium Reges cum muneribus adorabunt. Hæc fœmina summo Regi Deo tanquam fimbriis aureis circumamictam virtutum elegantiam offeret, Spiritusque Sancti gratia coronatam, cujus gloria interna est. Ut enim fœminæ omnis gloria maritus est, foras prodiens: sic Dei Genitricis gloria interna est, nimirum ventris fructus. O desiderabilis, ac ter Beata fœmina: Benedicta tu inter mulieres, & benedictus fructus ventris tui„.

Dicimus III. Virginis Conceptionem fuisse miraculosam, & supernaturali virtute factam; Mariam autem fuisse conceptam in Urbe Nazareth, Hierosolymis vero natam.

I. Probatur. Conceptio facta ex Parentibus sterilibus, & senibus, dicenda est miraculose; sed parentes Virginis erant steriles, & senes: ergo Conceptio ejus fuit miraculosa, & supernaturali virtute facta. Probatur minor authoritate Epiphanii, Nysseni, Damasceni, Nicephori, aliorumque, quorum verba in primæ Conclusionis probationibus retulimus; quibus addit Suarez authorem libri de ortu Virginis, qui

qui sub ejus nomine inter opera Hieronymi, legitur.

II. Probatur. Ad summum miraculum conveniebat, ut per miracula perveniretur; & ut in Virgine concipienda gratia juvaret ac preveniret naturam, & ut Parentes Virginis ad eam suscipiendam desideriis, & orationibus disponerentur; sed hæc omnia verificantur, si Conceptio Virginis dicitur miraculosa, & supernaturali virtute facta: ergo vere Conceptio Virginis fuit miraculosa, & supernaturali virtute facta. Argumentum est Damasceni orat. 1. de nativit. Mariæ.

III. Probatur. Si Conceptio Virginis fuit parentibus ejus divinitus prænuntiata, & si Mariæ nomen fuit iisdem divinitus revelatum, Conceptio Virginis dicenda est miraculosa, & supernaturali virtute facta; Sed illa fuit divinitus prænuntiata, & hoc divinitus revelatum: ergo Conceptio Virginis fuit miraculosa, & supernaturali virtute facta. Probatur minor. Ex Epiphanio hæresi 70., ex Authore libri de ortu Virginis sub Hieronymi nomine, & ex Nisseno loco supra citato scribente: *Annam, cum prolem a Deo postularet, nutu Divino fuisse confirmatam*; quæ verba, apud Nicephorum pariter leguntur. Præterea conceptio Isaac, & conceptio Joannis Baptistæ fuerunt divinitus parentibus prænuntiatæ: ergo pariter Conceptio B. Virginis Mariæ fuit Parentibus suis a Deo revelata. Quod confirmatur a verbis Damasceni supra relatis: *Quemadmodum prisca illa Anna, cum sterilitatis morbo laboraret per orationem, ac promissionem Samuelem procreavit: eodem modo hæc etiam per obsecrationem, & promissionem, Dei Genitricem a Deo accepit, ut ne hac quoque cuiquam ex illustribus Matronis cederet*. Confirmatur quoque ex verbis Germani Constantinopolitani supra pariter relatis: „ Secundum Angeli vaticinium, o „ Virgo illustris proles ex justis hominibus „ Joachim, & Anna, in lucem prodiisti. „ Tu cœlum, & sedes Dei, omnisque puritatis receptaculum: tu mundi universi „ certum existis gaudium, tu vitæ largitrix, tu maledictionis interemptrix, tu „ benedictiunis conciliatrix „.

IV. Probatur. Paterna domus B. Mariæ Virginis in Urbe Nazareth consurgebat; ac proinde absque dubio est, ut in eadem domo Concepta dicatur. Ibidem Baronius in Apparatu vult etiam fuisse natam; quod tamen negat Hennus, afferens, natam fuisse Hierusolymis, sed nullum affert momentum, quo ad hoc asserendum moveatur. Revera multæ sunt Scriptorum opiniones circa locum Conceptionis, & Nativitatis B. Virginis, a quarum recitatione abstinemus, sed legentium arbitrio remittimus, an eam natam credant Hierosolymis, quod diximus cum Henno, an vero in Urbe Nazaret, quod etiam cum Baronio dici posse, judicamus. At veniamus ad illos recensendos Scriptores, qui contra, vel præter hæc dicta alia scribere ausi sunt.

Primo Paracelsus lib. 2. chimicæ cap. 2. delīravit, dicens, B. Virginem fuisse progenitam ex Genitoribus, qui fuerant in maternum uteris sanctificati; ex Adami & Evæ semine minime prodiisse. Secundo putavit Petrus Antonius Spinellus lib. de throno Dei c. 18. Tertio Jacobus Imperialis dixit, fuisse conceptam ex Anna, illæsa virginitate, cujus error damnatus fuit Romæ anno 1667. Quarto Græci quidam putarunt Joachimo, & Anna, nulla habita conjugali copula, sed libato dumtaxat osculo, fuisse genitam. Quinto Posa asseruit B. Virginis corpus fuisse momento temporis formatum, ac configuratum, quod scripsit lib. 3. Elucidarii tract. 2. cap. 4. Sexto, quod nullum Angelum habuerit ad custodiam, & quod Deus ipse custos illi fuerit, dixit Pelbartus lib. 5. Stellarii par. 2. artic. 1.

Dicimus IV. corpus B. Virginis fuisse in sua specie, & sexu, maxime perfectum; ac proinde habuisse temperamentum optimum, sanitatem integram, ac pulchritudinem nulli secundam. Et hæ quidem sunt Corporis dotes. Dotes vero animæ optime describuntur a quodam pio Scriptore apud Hennum verbis hisce: „ Fuit in illa ingenium sagax, subtile, perspicax, judicium acre, solidum, & maturum, memoria expedita, & tenax, contemplatio continua sine fatigatione, indefectibilis sine errore, prudentissima, absque inconsideratione. Fuit voluntas firma sine levitate, recta sine ulla inordinatione, ad omnem virtutem propensa sine rebellione, libera sine peccato. Fuit phantasia pacata semper, & placida, nec passionibus obscurata, nec somno præpedita, nec evagationibus distracta. Fuit denique appetitus rationi obsequens, nunquam resistens, nunquam præveniens, nunquam impediens defixam in Deum mentis elevationem, ardentem cordis amorem &c. „

I. Probatur. Ex corpore Mariæ efformari debe-

debebat corpus Christi; sed corpus Christi fuit omnino perfectum: ergo sic pariter esse debebat Mariæ corpus. Probatur consequentia. Ad divinam providentiam spectabat accomodare medium fini, & præparare materiam aptam effectui; & hoc vel maxime, quia divina virtus, quæ ut ait Suarez in hoc opere singulari modo operabatur, poterat hoc facillime perficere: ergo si Mariæ corpus erat medium, & Christi Corpus erat finis, & Mariæ corpus erat materia præparanda, & Christi corpus erat effectus producendus; omnino oportebat, ut perfectio Corporis Christi præsupponeret perfectionem Corporis Mariæ.

II. Probatur. Conveniens fuit, ut esset similitudo inter Jesum, & Mariam, non solum in iis, quæ mores respiciebant, sed etiam in affectibus, & in corporis perfectione: ergo si perfectum fuit Christi corpus in sua specie, & in suo sexu maxime perfectum, ita etiam fuit corpus B. Virginis. Probatur antecedens. Similitudo hæc confert maxime, & ad conciliandum amorem, & ad majorem perfectionem: ergo admittenda est inter Jesum, & Mariam non solum in moribus, verum quoque in affectibus, & in corporis perfectione.

III. Probatur ab Henno, & quidem ratione temperamenti optimi; quia ex una parte ad hoc pertinent, tum horum proportio, passionum corcordia, indolis bonitas, ac corporis armonia, & ex altera conferunt etiam ad virtutem; quia ergo B. Virgo in summo gradu virtutem habuit, perfectissimum quoque habuit temperamentum. Ratione etiam sanitatis integræ, quia propter optimam corporis complessionem, cum magna moderatione animi conjunctam, ait Suarez, nunquam in verum, ac proprium morbum incidit. Quod etiam inquit testari a Sophronio in Epistola Synodica, quæ habetur in VI. Synodo act. 11., ubi dicitur Corpus Virginis fuisse ab omni contagione liberum, & ejus carnem fuisse immaculatam, & purissimam; quod pariter docent Cajetanus, Galatinus, aliique contra Abulensem. Pro pulchritudine demum dicitur, a Ricchardo a S. Victore cap. 26. in Cantica, *vultu angelico tam corpore, quam mente*; ei accommodans verba illa: *Tota pulchra es, amica mea*. Accedit authoritas Gregorii Nazianzeni in Christo patiente ante medium dicentis: *O Virgo, formæque nitore cæteras præis*; Andreæ Hierosolymitani serm. de Assumpt. scribentis: *Eximia pulchritudo, a Deo sculpta statua, recte descripta*; Ambrosii lib. de institut. Virginis cap. 7. ita loquentis: *Tanta erat ejus gratia, ut non solum in se virginitatem servaret, sed etiam, si quos inviseret, integritatis insigne conferret*.

IV. Probatur de dotibus animæ. Rationes, quæ evincunt in B. Virgine corporis perfectionem, a fortiori probant in ea perfectionem animæ; quia, ut docet Suarez, perfectio animæ magis est necessaria, quam corporis; similitudo in perfectione animæ nobilior est, quam corporis; Anima accommodari debet corpori, & e contrario; denique ut perfectissima gratia haberet proportionatum naturæ fundamentum. Hæc Suarez.

Objiciunt I. cum Serry. Maria Virgo habuit Sororem in stricto sensu Mariam Cleophæ: vel hanc ergo parentes ejus conceperunt, antequam ipsam conciperent, & non erant steriles: vel postea, & non erant senes. II. B. Edmerus, qui fuit S. Anselmi discipulus habuit apocrypha omnia miracula, quæ narrabantur in Deiparæ ortu. Sic enim habet in libro de excellentia B. Virginis cap. 2. qui a quibusdam tribuitur S. Anselmo: *Illud conjicio apud me, Nativitatem ejus magna quædam, atque miranda divinorum signorum indicia præcurrisse. Quæ tamen illa fuerint, solus ipse sine scrupulo novit, qui eam antequam nasceretur, in matrem elegit. Quod in ea re, ut æstimo, non incongrue actum credi potest, quatenus eo major veneratio fidelium existeret circa ortum ejus.* III. Non est credibile, quod majus miraculum fuerit in Conceptione Virginis, quam in Conceptione Christi; sed sic fuisset, si parentes steriles Mariam Virginem concepissent: ergo Maria Virgo non fuit ex sterilibus parentibus procreata. Probatur minor. Majus miraculum est concipere mulierem senem, & sterilem, quam concipere mulierem juvenem, & fæcundam: ergo majus miraculum fuisset in Conceptione Virginis, quam in Conceptione Christi. Probatur antecedens. In conceptione ex muliere sene, & sterili deest & materia efficiens, & materia sufficiens, & utraque a Deo suppletur; in conceptione vero ex muliere juvene, & fæcunda supponitur materia proportionata, & a Deo tantum suppletur caussa efficiens. IV. Apud antiquum Rabbinum, nomine Heccados, ut refert Galatinus, legitur historia quædam de parentibus Virginis, ejusque natali, in qua continetur prophetia

rla scripta ad quendam Antoninum, qui fuit Romanus Consul: ergo ultra miracula, quæ nos narravimus, adjicienda sunt etiam illa, quæ in historia præfata continebantur. V. Si Parentes Virginis eam conceperunt naturali modo, vel conceperunt cum libidine, vel sine libidine; si cum libidine; indecens fuisset conceptionem purissimam, & immaculatam ex parte concepta fieri cum libidine concipientium: si sine libidine: ergo fuit in ipsis fomes extinctus, quod nonnisi de B. Virgine dici potest, quia fuit sine originali labe concepta, & in utero sanctificata.

Respondemus ad I. nos superius negasse Mariæ Virgini fuisse Sororem in stricto sensu, Mariam Cleophæ; quod quidem est ad mentem plurimorum Patrum, Scriptorumque Ecclesiasticorum, qui de his lato calamo scripserunt, unde ad ipsos remittimus legentes, & præcipue ad Cornelium a Lapide, qui exponit tabulam genealogiæ Christi ex Sanctis Matthæo, & Luca, in qua legitur, quod ex Jacob natus est Cleophas, vel Alphæus, cujus uxor erat Maria dicta Cleophæ, vel Maria mater Jacobi, & Joseph, vel Maria Alphæi; & ex eodem Jacob natus est Joseph, vir Mariæ matris Jesu Christi, & in hoc sensu dicta est Maria Cleophæ soror Mariæ Virginis; quia Cleophas, & Joseph erant fratres, quod clare docet Hegesippus, qui vixit temporibus Apostolorum apud Eusebium lib. 3. cap. 10., & 16.

Ad II. Non negat B. Edmerus miracula omnia, quæ vel Mariæ ortum præcesserunt, vel in ipso ortu acciderunt; sed tantum dicit, se illa nolle designare absque aliquo Scriptorum testimonio. Cæterum de his audiatur Baronius in Apparatu num. 40. „ Magna quidem, & per omnia admiranda, „ quæ nec verbis satis digne persequi ulli „ possint, præcessisse natalem Dei genitri„ cis Mariæ, non puto adeo angusti pecto„ ris, & emotæ mentis reperiri hominem, „ qui non intelligat; si mente revolvat, „ atque animo expendat, tot, tantaque „ servis Dei ante ipsorum ortum impartita „ divinitus privilegia. Quis enim apud se „ repetens, quæ Sampsonis, Samuelis, Hie„ remiæ, & Joannis Baptistæ natalitia „ præcesserunt, mox firmiter credat, non „ tantum illis non caruisse Dei genitricem „ Mariam, sed longe amplioribus, augu„ stioribusque ornatam, auctamque esse „ muneribus? Ac quis abjecte nimis, atque „ adeo humiliter de Deo sentiens, eum „ plura, atque majora elargitum esse servis, „ quam matri, & amico Sponsi, quam „ Sponsæ, mentecaptus dixerit?

Ad III. respondet Suarez, quod in muliere sterili, & sene non omnino deest virtus efficiens, & caussa materialis, sed utraque concurrit, licet imperfecta. Ideoque divina virtute juvantur, quanquam conceptio in reliquis omnibus fiat naturali modo, & per carnis concupiscentiam; in muliere Virgine vero conceptio quum fit ex sola femina, fit virtute Spiritus Sancti; ac proinde modo longe altiori. Hæc Suarez. Quibus si aliquid ex nobis addere licet, ad majorem rei explicationem, subdere possumus, quod in muliere sterili & sene conceptio est miraculosa tantum in modo; in muliere vero Virgine, & sola, absque scilicet viri consortio, conceptio est miraculosa, & in modo, & in substantia: Unde majus miraculum proculdubio fuit, Mariam Virginem concepisse absque integritatis jactura, & sine viri commercio Dominum nostrum Jesum Christum, quam B. Virginis parentes procreasse eandem in senectute, & quum sterilitatis vitio laborarent. Accedit, quod miraculum hoc in sterilibus & senibus legimus sæpe factum, & præcipue in divinis Scripturis in Abraham, & Sara; in Zacharia, & Elisabet; in Sanctissimo Padre nostro Francisco de Paula, & in aliis quoque: at quod Virgo conceperit absque integritatis detrimento, & sine viri consortio, in sola Deipara habemus exemplum; quod quidem simile nec antecedenter habuit, nec in posterum habebit.

Ad IV. Historia illa commenticia habetur a Baronio; tum quia nemo ex Scriptoribus nostris illius meminerit; tum etiam, quia ante Christi adventum nullus ejus nominis reperitur Consul, romanis fastis adscriptus.

Ad V. dicimus utique parentes B. Mariæ Virginis illam concepisse naturali modo, at sine fomite, quia in illo actu fomes extinctus fuit. Ita docet Galatinus: *Voluit natura in conceptu Virginis Gratiæ cedere, ne ejus conceptio non naturæ, sed Gratiæ viribus triblueretur.... Fateor S. Joachimum, & B. Annam se conjugaliter copulasse; ob ardentem tamen devotionem, vehementemque contemplationem, qua unanimiter in generatione Beatissimæ Virginis intenti ambo tenebantur, fomes in illo actu penitus extinctus fuit.* Et hæc est differentia inter B. Virginem, & parentes ejus, quod B. Virgo semper, & omnino habuit fomitem extinctum; parentes vero ejus tantum in illo actu.

DISSERTATIO CCVI.

De Mariæ Virginis in templo Præsentatione. Quid mysterii hujus vocabulo intelligatur? An tertio ætatis anno fuerit in templum inducta puella a Parentibus, ad aliquod tabernaculi ministerium obeundum? An in Sanctum Sanctorum ingressa, ibidem per annos undecim permanserit?

Ecclesia instituens solemnitatem B. Mariæ Virginis, in templo præsentatæ, eanque præcipiens sub die 21. Novembris quotannis a Fidelibus celebrari, certum est, quod nobis præsentationem Virginis in templo credendam proponat, ac jubeat quoque colendam, ac annuali celebritate venerandam. At quid Ecclesia nomine præsentationis intelligat, non una est Scriptorum omnium vox, nec pariter eadem fidelium intelligentia. Siquidem alii volunt, sub nomine præsentationis intelligi, quod Maria Virgo fuerit in templo præsentata trimula, seu triennis, a parentibus ejus, qui eam voverant, si concepissent, Deo, ad ministerium aliquod in Dei templo obeundum; ibique illam per annos undecim permansisse in Sancto Sanctorum occlusam, a Sacerdotibus educatam, & ab Angelo in columbæ specie innutritam. Alii vero asserunt, præsentationis titulo celebrari ab Ecclesia heroicum illum actum præmaturæ virtutis, verba sunt Serry exercit. 19. num.7., quo seipsam, futura Dei genitrix, tenera adhuc ætate Deo sacravit, & concepto Virginitatis voto, se omnino Deo dicavit; ac denique suscepta sanctioris, interioris, & ab omni hominum commercio secretæ vitæ professione, ut augusto illo titulo digna fieret, se Deo commisit; quod utique in templo factum creditur, celebratur, & colitur. Undecim Serry credit, Ecclesiam statuta præsentationis solemnitate, nihil omnino decrevisse; an hæc oblatio, & dicatio facta fuerit a Genitoribus Mariæ? & quidem ex voto ab iisdem pro depellenda sterilitate antea nuncupato? an tertio ætatis ipsius anno res ipsa contigerit? An ad aliquod tabernaculi ministerium sit oblata puella? an in Sacerdotum disciplinam sit tradita? An in Sanctum Sanctorum sit inducta, ibidemque per totos undecim annos commorata? Et hæc ex Serry mente, qui huc usque loquutus est. Baronius vero in Apparatu num. 48. putat sub titulo præsentationis intelligi oblationem Virginis a parentibus factam, ut votum persolverent, quod in eorum sterilitate conceperant, & in templum inductionem in trium annorum ætate, ibique commorationem per annos undecim in una ex illis amplissimis cellis, quæ in exteriori parte templi, ad habitationem aptæ, & accommodatæ inveniebantur.

Dicimus I. Præsentationis Mariæ in Templo, cujus celebritatem quotannis recolit Ecclesia, nomine, ac titulo, intelligi oblationem ac dicationem factam a Genitoribus ejus, ut votum persolverent, quod nuncupaverant antea pro eorum depellenda sterilitate. Ita Scriptores omnes, quos refert Baronius in Apparatu num. 48., nimirum Joannes Damascenus, Germanus Constantinopolitanus, Andreas Cretensis, Georgius Episcopus Nicomediæ, Cedrenus, ac alii recentiores Historici; a quibus, verba sunt annalium parentis, nullum orthodoxorum dissensisse hactenus, sed Novatoribus tantum nostri temporis displicuisse, cognovimus. Citantur etiam ab hoc eodem Cardinali Evodius apud Nicephorum lib. 2. histor. cap. 3. & Gregorius Nissenus oratione de Christi nativitate. Est autem contra Serry, putantem, ut diximus, eo nomine, ac titulo celebrari ab Ecclesia tantum heroicum illum actum præmaturæ virtutis, quo B. Virgo seipsam Deo sacravit, & suscepto Virginitatis voto, atque suscepta sanctioris interioris, & ab omni hominum commercio

cio

cio secretæ vitæ professione, se Deo dicavit; quod totum in templo factum, credit, ac proinde ob hoc tantum ait celebrari præsentationem Virginis in templo, & universaliter ab Ecclesia coli.

I. Probatur. Actus ille, quo B. Virgo seipsam Deo dicavit, primo in ipsa fuit quando rationis primo facta fuit compos; sed nos probavimus in Dissertatione CCIV. B. Virginem fuisse a Deo redditam rationis comporem, quum adhuc in matris utero clauderetur: ergo tunc quoque, & non postea quam e matris utero egressa fuerat, & lucis usuram per unum, vel duos, vel tres annos usurpaverat, actum illum heroicum exercuit, quo se Deo totam dicavit, & Virginitatem suam vovit: ergo nomine præsentationis ejus in templo factæ non intelligitur solus ille actus, quo B. Virgo Deo seipsam dicavit, & virginitatem suam Deo vovit. Major est certa; quis enim actus in Virgine reddita rationis compote prior in ipsa esse poterat, quam actus religionis, ac charitatis erga Deum: & quis actus melior, ac perfectior, quam se totam Deo offerre, ac Virginitatem suam Deo sacrare? Minor supponitur in Dissertat. citata jam probata; consequentia sequitur tam prima, quam secunda.

II. Probetur. Nomine præsentationis in templo nequit intelligi actus occultus, & secretus, qui fieri poterat, in omni loco, & extra templum; sed Ecclesia agens festum præsentationis in templo intelligis actionem, quæ fieri non poterat nisi in templo, & quæ non in occulto, & secreto, sed palam fieri debebat: ergo sub nomine, & titulo præsentationis Mariæ Virginis in templo non intelligitur solus ille actus internus, quem memorat Serry, absque ulla externa actione. Probatur minor. Illud intelligit Ecclesia sub nomine præsentationis, quando festum illius celebrat, quod in ipso festo celebrando exprimit, canit, & exponit; sed exprimit, canit, & exponit verum templum, & actionem oblationis exterioris, factæ in vero templo: ergo Ecclesia agens festum præsentationis in templo, intelligit actionem, quæ fieri non poterat nisi in templo, & quæ non in occulto, & secreto, sed palam fieri debebat. Probatur minor. Primo Ecclesia in prima lectione secundi nocturni legenda proponit verba S. Joannis Damasceni de fide orthodoxa lib. 4. cap. 15., quæ hæc sunt: *In lucem autem editur in domo probatica Joachim, atque ad templum adducitur; ac deinde in domo Dei plantata, atque per Spiritum saginata, instar olivæ frugiferæ, virtutum omnium domicilium efficitur: ut quæ videlicet ab omni hujusce vitæ, & carnis concupiscentia mentem abstraxisset, atque ita virginem una cum corpore animam conservesset, ut eam decebat, quæ Deum sinu suo exceptura erat*; secundo in oratione ejusdem festi dicitur: *Deus, qui B. Mariam semper Virginem, Spiritus Sancti habitaculum, hodierna die in templo præsentari voluisti: præsta, quæsumus, ut ejus intercessione in templo gloriæ tuæ præsentari mereamur*; tertio in Martyrologio, quod Ecclesia legendum proponit, & in Ecclesiis quotidie legitur, in eodem festo habetur: *Hierosolymis Præsentatio Beatæ Dei Genitricis Virginis Mariæ in templo*: & hæc omnia ostendunt non internum actum illum, quem excogitavit Serry, sed veram externam, publicam, atque solemnem actionem, in templo factam, quando parentes ejus Virginem Deo obtulerunt, ac præsentarunt: ergo &c.

III. Probatur. Id nomine præsentationis B. Virginis in templo factæ intelligitur, quod pia fidelium traditio intelligendum docet, ac fideles ipsi, quando mysterium ipsum vel celebrant, vel recolunt, se intelligere, profitentur; sed pia fidelium traditio, & fideles ipsi non intelligunt actum solum illum internum, sed externam quoque actionem præsentationis habitæ in templo: ergo hæc quoque sub præsentationis nomine venit. Probatur minor tum ex imaginibus, tum ex antiquis quoque picturis, quæ in mysterii hujusce memoriam publice fidelium venerationi in Ecclesiis exponuntur; tum ex laudabili fidelium consuetudine, præcipue Regularium, tam Virorum, quam Mulierum, in claustris degentium, qua vigiliis septem B. Mariæ festivitatum in pane & aqua rigorose jejunant; & inter quas est Præsentationis Mariæ in templo festivitas; tum denique propter Confraternitates, quas approbavit Ecclesia sub invocatione Præsentationis B. Virginis, & quæ illam venerantur non sub solius actus interni nomine, sed externæ pariter actionis, qua ipsa fuit solemniter, & publice a parentibus in templo oblata, ac præsentata.

IV. Probatur. Illud intelligere debemus sub nomine præsentationis Mariæ in templo, quod intellexerunt, & scripserunt Scriptores antiqui, & ex illius ævi Scriptoribus nemo negavit; sed Scriptores antiqui, quanvis non antiquissimi intelli-

gunt non solum illum actum internum verum quoque externam actionem, de qua loquimur. Probatur minor. Germanus Archiepiscopus Constantinopolitanus orat. de præsent. Virginis sic inducit Annam loquentem; *Adjunxi insuper me Domino donum gratitudinis oblaturam fætum, quem mihi dedisset, ut esset, maneretque in templo sancto suo tanquam sacrum denarium, munusque pretiosissimum mihi ab ipso datum perfectorum donorum liberalissimo datore;... Non cunctata est Anna eam ad templum adducere, & Deo reddere, ac promissum præstare*. Gregorius Nicomediensis serm. 6. de ingressu Virginis in templum: *O terrenam naturam suas ipsius rationes supergressam; o quæ incomparabilibus modis, ejus superavit modos! O quales suarum frugum primitias natura humana obtulit Creatori! Qualem oblationem fecit! plane Deo dignam, nostro ipsorum spirituali sacrificio, ac oblatione spiritualiorem, sacratiorem, puriorenque nostra puritate. Etenim ut nostra innocentia cum ea compararetur, prorsus invenietur a similitudine deficere, ut ejus sanctitatis, ac incontaminatæ munditiei excellentiam, æqualibus modis minime assequatur*. Et orat. 4. de præsentat. Virginis: *Hodie animatum templum in templo offertur: hodie spirituale tabernaculum fausta nuncia gratiæ, legali ordini præfert: hodie vasculum Spiritus in templo depositum, suscipiendo Verbo Dei aptatur. Neque enim decebat, ut tabernaculum illud mundissimum, in mundi sordibus versaretur, sed ut in irreprehensibilem translatum locum primos illic gaudii gustus susciperet, ut illic mysterii symbolo subministrata Angeli manu annona aleretur*. Andreas Cretensis orat. 1. de nativit. Virginis: *Tunc plane, tunc Sanctorum illa patuerunt sancta, cum Sanctissimam Sancti Matrem, intra aditorum gremium reciperent: porro congrua ei profertur esca; hactenusque alit nulla hominum manu comparato cibo, qui modicum aliquantulum ejus est alendus lacte, ac Spiritus Sanctus nutritius efficitur Virginis*. S. Bonaventura Opusc. 3. de vit. Christi sic B. Virginem in semetipsa loquentem inducit: *Cum pater meus, & mater mea me dimiserunt in templo, statui in corde meo habere Deum in patrem, ac frequenter cogitabam quid possem facere Deo gratum*. His addi potest Evodius apud Nicephorum loco alias citato, vel si non Evodius, saltem Scriptor ille, qui sub ejus nomine latet, antiquus sane, unde & ex ipso satis constare potest, qualis apud antiquos Patres fuerit B. Virginis præsentationis intelligentia; Hæc sunt verba Evodii: *Trimata, seu trimula cum esset, in templo est præsentata*. Addimus insuper Emmanuelem Comnenum, Orientis Imperatorem, qui in Novella, de diebus festis, enumerans dies festos, quos celebrari mandat, Præsentationis festum ponit, & Mysterium eo modo, quo nos explicamus, & universa tenet Ecclesia, intelligit, atque depromit: *Octavo Septembris dies Natalis immaculatæ Dominæ, & Dei Matris erit festus. Vigesimo primo Novembris Dei Matris in templum ingressus celebratur. Nono Decembris peragitur Conceptio castissimæ Matris Dei nostri. Vigesimo-quinto Martii Dei Matris Annunciatio. Decimo quinto Augusti gloriosissimæ Sanctæ Dei Matris emigratio*.

Dicimus II. tertio ætatis suæ anno fuisse B. Virginem a Parentibus in templum inductam, ut votum persolverent, quod ad ipsam obtinendam Deo nuncupaverant; & ut pariter Deo in templo inserviret, absque eo quod eam annua pecunia redimerent Parentes ejus.

I. Probatur. Ex S. Germano Archiepiscopo Constantinopolitano: *Non cunctata est Anna eam ad templum adducere, & Deo reddere, ac promissum præstare*: igitur si Anna statim ac potuit, Beatam Virginem adduxit in templum, & eam Deo obtulit, duæ fuerunt opiniones circa ætatem illius, una Gregorii Nisseni oratione de nativitate Christi, vel cujusvis sub ejus nomine latentis, qui asserit, fuisse factam oblationem post biennium completum, & alia, quæ est Evodii apud Nicephorum, ut diximus, volentis fuisse factam quando trium erat annorum: quæ duæ opiniones possunt jure optimo conciliari, si dicatur, B. Virginem juxta Nissenum, quando fuit in templo oblata, fuisse trium annorum non completorum, & juxta Evodium, fuisse trium annorum completorum. Et ita prorsus conveniens erat, ut fieret, quia ante illam ætatem non erat in puella habilitas ad inserviendum in templo, & post eandem ætatem fuisset in parentibus cunctatio ad persolvendum votum, quod emiserant.

II. Probatur. Ex Leone Augusto orat. 2. de præsent. Virginis, alloquente Joachimum, & Annam verbis hisce: *Pro felici partu gratias habituri pergitis, sacrisque initiationibus tanquam signaculis filiam obsignaturi, at, cujus germem precibus excoluistis, eam precibus augendam, ac consummandam creditis*. Quibus verbis diserte patet, B. Virginem

ginem fuisse a parentibus in templum inductam, & Deo oblatam, tum ut persolverent votum, quod emiserant pro illa a Deo impetranda, tum ut ipsorum filia in templo, ad exactius inserviendum Deo, educaretur.

III. Probatur. Ex Sancto Bonaventura opusc. 3. de vita Christi, cujus verba nuper retulimus, & modo iterum recitamus; & verba quidem sunt ipsiusmet B. Virginis, sic alloquentis: *Cum Pater meus, & Mater mea me dimiserunt in templo, statui in corde meo habere Deum in patrem, ac frequenter cogitabam quid possem facere Deo gratum*; ex quibus patet & quod parentes Virginis eam in templum induxerint, & quod ipsamet in templo habitans, totam se Deo dicaverit, & hæc unica fuerit ibi ejus occupatio, Deo inservire, Deum contemplari, Deum laudare, Deum amare.

IV. Probatur. Levitici 27. Tam pro masculis, quam pro fœminis, Deo dicatis, & voto promissis, præceptum a Domino est, ut si voluissent illos redimere, numerum præfixum Siclorum Sacerdotibus persolvere tenerentur. Hæc autem redemptio fuit libera, quia liberum fuit voventibus, vel facere ut liberi eorum in templo Deo inservirent, vel eosdem, soluta annua pecunia, redimere. Quod quidem factum fuit in Samuele 1. Regum 1., qui Deo in templo a prima ætate ministravit, & Parentes nullum pro eo redemptionis pretium persolverunt. Igitur B. Virgo, quia promissa a parentibus Deo fuerat, emisso voto in eorum sterilitate, ut probavimus, ut si illam obtinuissent, in templo Deo obtulissent; utique fuit a parentibus in templum inducta, & Deo oblata, ut Deo inserviret, absque eo quod parentes ejus redemptionis pretium pro ea persolverent.

Dicimus III. Mariam Virginem, in templo præsentatam, in ædibus quidem, quæ circa templum erant, habitasse, non vero in Sancto Sanctorum; ibique per annos undecim vixisse, non ab Angelo, sub columbæ specie, pastam, quod nonnisi mystice intelligendum est, si qui Authores illud dixerint, sed naturalibus, & usualibus cibis enutritam.

I. Probatur. Si quæ esset repugnantia, quod B. Virgo in templo non habitasset, esset potissimum quia in templo ædes non erant pro habitatione mulierum; sed erat in templo locus, ubi fœminæ, quæ se Deo voverant, absque aliqua nota, vel labe suspicionis, simul agerent: ergo nulla est repugnantia ut dicamus, B. Virginem per undecim annos in templo permansisse, ac habitasse. Probatur minor. Narrat Josephus lib. 8. antiquit. judaicarum cap. 2. fuisse in circuitu templi, nonaginta cellas a Salamone constructas pro illorum habitatione, qui templo inservire debebant; quas quidem cellas restituit deinde Zorobabel, ut eruitur ex lib. 1. Esdræ cap. 3., & postmodum ampliori forma excitavit Herodes Rex, quod pariter testatur Josephus lib. 11. antiquit. judaicar. cap. 14., & lib. 6. de bello judaico cap. 6. Nec dicat Serry, cellas hasce fuisse pro majori parte destinatas ad rerum sacrarum custodiam, thesaurorum, vestium, suppellectilis, atque annonæ; & pro altera parte ad habitationem virorum, qui quotidie in templo ministrabant, Sacerdotum nempe, Levitarum, Cantorum, Janitorum, Cursorum, cæterorumque Ædituorum. Nec dicat quidem, quia etsi cellarum nonaginta pars una fuisset pro asservatione rerum, altera pro habitatione virorum, tertia tamen fuit quoque pro habitatione mulierum, quæ in templo inserviebant, & separatæ ab hominibus habitabant, ut mox clarius ostendemus. Non est igitur cur dicat Serry, quod probandum erat Baronio, cellas illas fuisse destinatas habitationi, & commorationi puellarum, & feminarum Deo dicatarum: Immo potius dicimus nos, quod probandum est Serry, cellas illas omnes, numero quidem nonaginta, omnes destinatas fuisse asservationi rerum, & habitationi virorum; quum potius dicendum sit, ex illis quidem triginta fuisse deputatas pro asservatione rerum, triginta pro habitatione virorum, & triginta pro commoratione puellarum atque mulierum, quæ Deo erant dedicatæ; & quum triginta ex illis essent inferiores, triginta mediæ, triginta superiores, nulla poterat esse suspicio, ut viri cum mulieribus in habitatione miscerentur; quod tantopere Serry abhorrere demonstrat.

II. Probatur a Baronio exemplo Annæ Prophetissæ, Phanuelis Filiæ, de qua dicitur Lucæ 2. *Non discedebat de templo, jejuniis, & obsecrationibus, serviens die ac nocte.* Scimus quidem, Toletum, Jansenium, Maldonatum, putasse, Annam non discessisse de templo, non quod in templo habitaret, sed quod illud frequentaret, in eoque perduraret; uti etiamnum faciunt non-

nonnullæ devotæ. At Cornelius a Lapide ad præfatum locum Lucæ hæc addit: „ Alii tamen censent eam habitasse in templo: erant enim habitacula feminarum religiosarum juxta templum nocte, & die, ut hic dicitur, Deo servientium (qualia in Ecclesia christiana postea fuerunt Diaconissarum, & etiamnum sunt Monialium) ut patet Exodi 38. 8. 2. Machab. 3. 20. 1. Reg. 2. 22. Feminarum inquam, tum Virginum, inter quas fuit B. Virgo præsentata in templo, tum viduarum, è quibus videtur fuisse hæc Anna, uti pluribus probat noster Canisius lib. 1. Marialis cap. 12. „ Futilis autem est responsio Serry ad hanc rationem; nimirum quod Simeone in templum veniente, Anna quoque, *hac ipsa hora supervenisse* dicatur Lucæ 2., quasi Anna supervenerit de domo sua, & non potius de ædibus, quas habitabant mulieres, in templum; quum nos potius intelligamus, quod ex ædibus præfatis in templum supervenerit. Adducit deinde interpretationem Toleti, Jansenii, & Maldonati, eamque dicit esse quoque Cornelii a Lapide. At tacet aliam Cornelii a Lapide interpretationem, quam nos modo subjunximus, & quam, licet Cornelius aliorum esse dicat, magis tamen ostendit sibi placuisse, quam primam; ut Cornelium legentibus satis superque innotescit.

III. Probatur ab eodem Baronio exemplo Josabeth, filiæ Regis Joram, quæ, ut legitur 4. Regum 11. *tollens Joas filium Ochoziæ, furata est eum de medio filiorum Regis, qui interficiebantur, & nutricem ejus de triclinio; & abscondit eum a facie Athaliæ, ut non interficeretur: eratque cum ea sex annis clam in Domo Domini*: vel ut legitur lib. 2. Paralipomenon cap. 22. nu. 11. *Porro Josabeth, filia Regis tulit Joas filium Ochoziæ, & furata est eum de medio filiorum Regis, cum interficerentur; absconditque eum cum nutrice sua in cubiculo lectulorum*: Ex quibus evincitur circa templum fuisse ædes, in quibus mulieres habitabant. At Serry respondet, non fuisse puellas, Deo dicatas, quæ in templo habitarent, & de quibus nobiscum est quæstio. Josabeth vero ideo habitabat, quia erat uxor Jojadæ, Summi Pontificis, ut habetur etiam lib. 2. Paralipomenon cap. 22. ver. 11. Joas quoque, per sex annos illic asservatus, erat mas, non femina, & non illic Deo consecratus degebat, sed ereptus furori Athaliæ; adeoque non ad castitatis custodiam, sed ad vitæ tutelam, atque præsidium. Verum observent legentes Serry nihil loqui de nutrice Joas, quæ etiam introducta fuit in templum; & nullam facere observationem *in cubiculo lectorum*, cujus meminit Textus Paralipomenon. Unde contra ipsius responsionem dicimus: Primo non fieri mensionem in textibus allatis de puellis Deo consecratis, & in templo degentibus, quia illic de his sermo non erat; & sat nobis est, si deducimus mulieres in templo habitasse, quod Serry omnino inficiatur: Secundo quum mentio fiat in loco Paralipomenon de cubiculo lectulorum, hos quidem pervium est, non fuisse virorum, sed mulierum, & quidem mulierum, quæ Deo sacræ illic habitabant; & hoc tum quia nutrix habitare non debebat cum viris, sed cum mulieribus, & cum nutrice etiam[illegible]as, quia adhuc teneræ erat ætatis; tum etiam, quia multitudo illa lectulorum indicat mulieres, quæ in satis amplo numero in æde illa habitabant, & quæ aliæ esse non poterant, quam mulieres Deo sacræ.

IV. Probatur a Baronio ex illo Exodi 38. in quo dicitur a Moyse factum labrum æneum cum basi sua de speculis mulierum, quæ excubabant in ostio tabernaculi: Interpretes omnes, quos collegit Canisius lib. 1. de Maria Deipara cap. 12. qui explicant hunc locum, fuisse, dicunt, verba sunt Baronii, mulieres, quæ sæculi pompæ, atque deliciis renunciantes, sese, una cum suis rebus, his præsertim, quæ essent peccatorum illecebræ, mynisteriis Domini mancipantes, assiduis intentæ precibus excubarent ad ostium tabernaculi: quod quidem pietatis officium, extructo postmodum templo, non tantum non cessasse, sed magnifice auctum, par est credere. Hæc Baronius. Verum ex hoc, ait Serry, nil colligi, nisi hæc duo pariter ostendantur; fuisse scilicet feminas illas Deo specialiter dicatas, continuamque illic fixisse sedem, mansionemque habuisse. Hoc autem subdit, nec afferi, nec probari; immo potius contrarium erui ex eo quod dicatur, juxta paraphrasim chaldaicam, quod mulieres illæ veniebant, ut orarent in ostio tabernaculi fœderis. Ex quibus concludit Serry: Non itaque in æde Domini habitabant de continuo mulieres illæ, quibus potius eo venire, necesse erat, ut Dominum exorarent. Sed nos ei respondemus, quod utique non habitabant continuo in ostio tabernaculi, habitabant tamen continuo in æde Domini

mini, de qua postea veniebant ad ostium tabernaculi, ut illic Dominum exorarent; sicque evanescit responsio, qua se argumentum solvisse gloriabatur.

V. Probatur ab eodem Baronio exemplo petito a libro 2. Machabæorum cap. 3., ubi fit mentio virginum reclusarum in templo, quæ ad Oniam, summum Pontificem procurrerunt. Opponit Baronio Serry, quod vocem illam *in templo* de suo inseruerint, quum in textu ver. 19. solummodo legantur hæc verba: *Sed & Virgines, quæ conclusæ erant, procurrebant ad Oniam; aliæ autem ad muros; quædam vero per fenestras aspiciebant.* At quum Baronius hoc ipsum probet ex Ambrosio lib. 1. de Virginibus dicente: *Etiam templo Hierosolymis fuisse, legimus Virgines deputatas. Sed quid Apostolus dicit? Hæc in figura contingebant illis, ut essent iudicia futurorum: figura enim in paucis est, vita in pluribus.* Serry vero Ambrosium non nominat, nec verborum ipsius testimonium affert, sed tantum asserit, quod Virgines illæ in paternis domibus habitabant, ratione verecundiæ, & pudicitiæ virginalis, & ideo dicebantur conclusæ. At hæc una est ex imaginationibus Serry, quibus juxta cerebri sui arbitratum, non juxta Patrum, & Scriptorum mentem, de Scripturarum rebus loquitur, judicat, atque decidit; quod præcipue etiam in hoc loco, quando dicit, quod in textu græco non legitur, procurrisse ad Oniam, quum satis nobis sit, quod in vulgata Editione legatur.

VI. Probatur secunda Conclusionis pars, quod scilicet B. Virgo in templo præsentata, in Sancto Sanctorum non habitaverit. Apostolus docet, neminem potuisse ingredi Sancti Sanctorum locum, nisi Summum Sacerdotem, & quidem semel in anno, solemni scilicet expiationis die. Scribit nanque ad Hæbreos 9. ver. 6. & 7. *In priori quidem tabernaculo* (seu in priori tabernaculi parte, nimirum in Sancto) *semper introibant Sacerdotes, Sacrificiorum officia consummantes: in secundo autem* (seu in interiori parte, quæ Sanctum Sanctorum vocabatur) *semel in anno solus Pontifex, non sine sanguine, quem offerret pro sua, & populi ignorantia.* Quod quidem Exodi 30. ver. 10. scriptum legitur: *Deprecabitur Aaron super cornu ejus semel per annum:* Et Levitici 17. ver. 2. *Loquere ad Aaron, fratrem tuum, ne omni tempore ingrediatur Sanctuarium, quod est intra velum coram Propitiatorio, quo tegitur arca, ut non moriatur.* Non est ergo credibile, B. Virginem in templo præsentatam habitasse in Sancto Sanctorum, quo nemo poterat ingredi, nisi solus Summus Pontifex, & semel tantum in anno.

VII. Probatur ultima Conclusionis pars ex Georgio Nicomediensi orat. 4. de præsentat. Virginis, cujus verba etiam nuper retulimus: *Hodie animatum templum in templo offertur: hodie spirituale tabernaculum, fausta nuntia gratiæ, legali ordini præfert: hodie vasculum Spiritus in templo depositum, suscipiendo Verbo Dei aptatur. Neque enim decebat ut tabernaculum illud mundissimum in mundi sordibus versaretur, sed ut in irreprehensibilem translatum locum, primos illic gaudii gustus susciperet, ut illic mysterii symbolo subministrata Angeli manu annona aleretur,* Et orat. 6.: *His porro, qui inferebantur cibus, ipsum panem vitæ specie exhibebat:* Et ex Andrea Cretense orat. 1. de nativit. Virginis: *Tunc plane, tunc Sanctorum illa patuerunt sancta, cum Sanctissimam Sancti Matrem, intra aditorum gremium reciperent: porro congrua ei profertur esca; hactenusque alit nulla hominum manu comparato cibo, qui modicum aliquantulum ejus est alendus lacte, ac Spiritus Sanctus nutritius efficitur Virginis.* Ex quibus patet Authores hosce, qui de cibo Virginis in templo loquuti sunt, cibum quidem mysticum, non vero usualem, & naturalem, intellexisse: Immerito igitur Baronio Cardinali amplissimo insultat Serry, scribens.,, Porro producti a Baronio testes ea suis narrationibus inserunt, quæ ne recipere quidem audeat vir alias prudentissimus; Mariam scilicet in templum allatam, Deoque oblatam totos undecim annos, in Sancto Sanctorum occlusam, & ab Angelo in columbæ speciem conspicuo innutritam substituisse ,,.

Opponunt I. Locus, qui in templo describitur pro mulieribus, non erat pro habitatione mulierum, sed pro oratione earundem; quatenus scilicet in templo orabant separatæ a viris: ergo non est verum, quod in templo esset locus, in quo Virgines, Deo dicatæ habitarent, & inter quas fuit B. Virgo; quando in templo est præsentata. II. Qui in templo offerebantur Deo, ad ministerium aliquod obeundum, soli masculi erant, & non feminæ; ut patet lib. 1. Reg. cap. 1. Ubi Anna, quæ erat uxor Helcanæ, votum Deo faciens pro prole obtinenda dicebat: *Domine Exercituum, si respiciens, videris afflictionem famulæ tuæ, & recordatus mei fueris, nec oblitus ancillæ tuæ dederis servæ tuæ sexum viri-*

virilem, dabo eum Domino omnibus diebus vitæ ejus: ergo nequit dici, quod Maria ex parentum voto fuerit in templo præsentata ad ministerium aliquod in templo obeundum. III. Post captivitatem Babylonicam alii etiam, qui fuissent sanctitate præclari, etsi Pontifices non essent, Sanctum Sanctorum nihilominus ingrediebantur: ergo poterat etiam Maria in eodem loco habitare. Probatur antecedens. Egesippus apud Eusebium lib. 2. histor. ecclesf. cap. 22. de Jacobo minore testatur: *Huic uni licuisse in Sancta Sanctorum ingredi*. IV. Dei prohibitio ne quis unquam ingrederetur Sancta Sanctorum, erat tantum pro eo tempore, quo illic Summus Pontifex rem sacram faciebat; ritu autem peracto, cæteris omnibus licebat illuc introire; & probatur ex Levitici cap. 16. ubi legitur: *Nullus hominum sit in tabernaculo, quando Pontifex Sanctuarium ingreditur*. V. Si B. Virgo in tanta fuisset æstimatione apud Sacerdotes, ut soli ipsi liceret habitare ubi cæteris non licebat ingredi, profecto Sacerdotes, & Primores populi hæbraici non objecissent Christo matris obscuritatem; ut legitur Matthæi 13. de Christo prædicante, dicentibus Judæis: *Unde huic sapientia hæc, & virtutes? Nonne hic est fabri filius? Nonne Mater ejus dicitur Maria? Unde ergo huic omnia ista?* VI. Ecclesia non probat B. Virginem post triennium fuisse in templo præsentatam; quum enim sub Paulo III. Romano Pontifice oratio recitanda in præsentationis die, hæc esset: *Deus, qui Sanctam tuam Genitricem, tabernaculum S. Spiritus, post triennium in templo præsentari voluisti &c.* postmodum sub Sixto V. Romano Pontifice correcta oratio fuit, & in eam formam redacta, qua in præsentiarum ab omnibus recitatur; nimirum: *Deus, qui B. Mariam semper Virginem, Spiritus Sancti habitaculum, hodierna die in templo præsentari voluisti: præsta, quæsumus, ut ejus intercessione, in templo gloriæ tuæ præsentari mereamur*. Quod si Ecclesia expunxit verba illa *post triennium*, signum est, quod non probat, B. Virginem, quando trimula erat, seu triennis, fuisse in templo præsentatam. VII. De mulieribus, quæ excubabant in ostio tabernaculi Exodi 38. & Regum 1. cap. 2. dicit Jacobus Bonfrerius in cap. 38. Exodi: *Nota mulieres excubantes ad ostium tabernaculi, dici mulieres devotas, quæ frequenter veniebant ad tabernaculum, Deum adoraturæ, & exoraturæ*. Si ergo veniebant in templum, in æde Domini non habitabant. Quod etiam habetur ex paraphrasi Chaldaica, ut dictum est; immo fortius colligitur ex lib. 1. Regum cap. 2. ver. 22., ubi dicitur, quod filii Heli *constuprabant mulieres, quæ veniebant ad adorandum in porta tabernaculi fœderis*: & juxta arabicam lectionem: *Constuprabant mulieres, quæ veniebant adoratum coram Domino in æde ipsius*. Hæ autem mulieres non erant Virgines Deo dicatæ, quas nemo dixit, fuisse a filiis Heli constupratas; sed erant mulieres, quæ habitabant extra templum; & proinde dicitur, quod veniebant in templum. Quum ergo æque dicatur, & in loco Exodi, & in loco Regum, quod mulieres veniebant in templum, eodem modo dicendum est de utrisque, quod extra templum habitassent, & in templum adoraturæ, & exoraturæ adventassent. VIII. Indecens profecto erat, & modestiæ contrarium, quod in ædibus templi habitarent mulieres Virgines Deo dicatæ simul cum tot, tantisque masculis, templi Ministris, qui in iisdem ædibus habitabant. IX. Quanvis dicatur de Anna, filia Phanuelis, quod in templo serviebat die, ac nocte, & de templo non discedebat, die, ac nocte, obsecrationibus incumbens; attamen verba illa *die ac nocte* non referuntur ad templi frequentationem, sed ad jejunia, & obsecrationes; quod pariter dicitur ab Apostolo 1. ad Thimoteum cap. 5. *Quæ autem vere Vidua est, instet obsecrationibus, & orationibus die ac nocte*. X. Objicit Baronio Serry argumentum, quod propriis ipsius verbis referimus, ut videatur, qua verborum acerbitate in doctissimum Cardinalem invehi audeat, & qua argumentorum futilitate sua commenta propugnet: „ Demus Baronio, quod tam infeliciter demonstrare „ aggressus est: nihil, scilicet, impedimento esse, quominus vera illa esse potuerint: „ Ideo ne vera erunt, ac citra dubium? „ Ecquæ vero Dialecticæ leges habent, ut „ quæ fieri potuisse: nihilque repugnare probata sunt, facta illico colligantur? „ Maxime cum reipsa facta non esse, probent alia longe multa, quæ quia peculiare „ criterium postulant „.

Respondemus ad I. Et erat in templo locus pro oratione mulierum, & erat in templi ædibus locus pro habitatione Virginum, quæ Deo sacræ illic morabantur. Pro loco illo in interiori templo, muro discreto, quo conveniebant feminæ ad orandum, hæc habet Josephus lib. 6. de Bello judaico cap. 6.: „ Necessario namque pro-

prius

„ prius locus religionis causa mulieribus destinatus, muro discernebatur: altera quoque porta opus fuisse videbatur. Contra primam vero secreta erat, ex aliis regionibus una porta meridiana, & una septentrionalis, quibus ad mulieres introibatur: per alias enim transire ad mulieres non licebat; sed nec suam portam, interjecto muro, trangredi licebat: patebat enim locus ille pariter indigenis, & hospitibus feminis, religionis causa venientibus „. Et hæc quidem ipsemet Baronius fatetur præfatis verbis subdens: „ At quomodo dixerimus illic feminas habitasse, & quæ sunt necessaria ad victum ibidem sibi parasse, cum illuc nec vas inferre, nec comedere fas fuisse, idem Josephus scribens contra Apionem, testetur? Erat ergo locus ille intra templum orationis causa discretus, & non habitationis, sicut & Origenes de Virginibus testatur, seorsum a nuptis in templo orare consuevisse; eoque accedere solitam Dei genitricem Mariam, etiam postquam peperit Christum, affirmat: cui adstipulatur Cyrillus Alexandrinus, agens adversus Anthropomorphitas, & alii „. Injuste ergo Baronio opponit Serry, quod pro loco habitationis intelligat orationis locum, quum utraque loca distincte Baronius descripserit, ut ipsemet asserit, addens: „ Atque ut unde digressi sumus, eodem revertamur: jam satis monstratum est superius, in exteriori parte templi exædificatas fuisse amplissimas cellas, ad habitationem aptas, & accommodatas; ut jam nulla de ea re possit oriri quæstio. Quod ergo reliquum est, videamus an exemplo aliquo, & authoritate divinarum Scripturarum ostendi possit, in aliqua templi parte habitasse aliquando feminas „.

Ad II. Quum Levitici 27. tam de masculis, quam de feminis Deo dicatis, & voto promissis, statuta fuerit redemptio, inde fit, quod non soli masculi, Deo offerebantur in templo, sed etiam feminæ. Quod soli masculi apti essent ad ministerium in templo obeundum, ad ministerium quidem corporale, & manuale, concedimus; ad ministerium vero spirituale, negamus, quia ad hoc etiam feminæ aptæ erant; nimirum ad Deum adorandum, exorandum, deprecandum, &c.

Ad III. dicitur quod ex Philone hæbreo in suo lib. de legatione ad Cajum Imperatorem, satis constat, qualis fuerit temporibus illius ritus, reverentia, & religio erga Sanctum Sanctorum, seu Sanctuarium. Sic enim loquitur: „ Intimum Sanctuarium semel quotannis Pontifex ingreditur, jejunii tempore, tantum odores incensurus, & ex more vota facturus, ut felix annus, & pax contingat omnibus hominibus. De cætero si quis, non dico plebejus judæus, sed Sacerdos, vel a summo proximus, imo is ipse Pontifex, si duobus anni diebus, aut eodem die ter, quaterve introierit, capite luet absque venia. Tantam religionem Adytorum voluit esse Legislator, ut hæc sola inaccessa, intactaque servarentur. Quam multos sacrificos putas ultro mortem subituros, si videant importari statuam! „ Ad narrationem Hegesippi de Jacobo minori, dicimus, quod eam Scaliger tanquam inanem fabulam rejicit; Petavius vero intelligit, quod Jacobo liceret ingredi Sancta, non vero Sanctum Sanctorum; Per Sancta intelliguntur illa sacra loca; in quibus extabant mensa, & panes propositionis, & candelabrum, & altare suffitus; & hoc licuisse Jacobo Minori, quidam putant, quia erat ex ordine sacerdotali; alii vero asserunt, ob ipsius eminentem puritatem, ac sanctitatem; quia quum reliqui Sacerdotes possent illuc ingredi, statis duntaxat sui cujusque ministerii diebus, Jacobus vero quotidie posset: Per Sanctum Sanctorum vero seu per Sanctuarium, intelliguntur arcana illa, & sanctiora penetralia, quæ soli Pontifici Summo, & semel tantum in anno, patebant. Eusebius autem lib. 2. hist. Ecclef. cap. 22. Hieronymus de Scriptoribus Ecclesiasticis in Jacobo minori, Epiphanius hæresi 78. si referentes Hegesippi narrationem, dixerunt in Sancta Sanctorum, ideo fuit, quia hoc nomine *Sancta Sanctorum* totum tabernaculum intelligebant; cujus quidem tabernaculi stricto modo loquendo, una pars sanctum, altera vero pars Sanctum Sanctorum dicebatur.

Ad IV. Verba Levitici sunt de tabernaculo, non de Sanctuario; non enim dicitur: *nullus homo sit in Sanctuario, quando Pontifex illud ingreditur*; sed dicitur potius: *nullus hominum sit in tabernaculo, quando Pontifex Sanctuarium ingreditur*. Et sensus præcepti erat, quod nullus Sacerdos esset in priore parte tabernaculi, hoc est in Sancto, quando Pontifex in Sanctum Sanctorum ingrediebatur; & hoc ideo erat, ne quis Sacerdos audiret quæ Deus Summo Pontifici verba faciebat.

Ad V. Infelix argumentum est hoc, quod proponit Serry, si enim alicujus ponderis esset,

esset, posset sic quoque quis argumentari: Non fuerunt vera Christi miracula, quia si fuissent vera, Judæi ea vidissent, & si vidissent, Christum non crucifixissent: iterum, fabulosa fuerunt quæ de Christo narrantur a Pastoribus, & a Magis in præsepio visitato, & cum Doctoribus in templo disputante; quia si fuissent vera, ea scivissent Sacerdotes, & non dixissent: *Unde huic Sapientia hæc, & virtutes? Nonne hic est fabri filius? Nonne mater ejus dicitur Maria? Unde ergo huic omnia ista?* Vel ergo dicendum est fuisse effectum pertinaciæ Judæorum, ut Christum, & Mariam, matrem ejus, etiam post tot mirabilia non agnoscerent; vel fuit divina permissio, qua Deus volebat, Christum per humiliationem sui redimere genus humanum; unde & ipse, & mater ejus contemptibiles a Judæis, & ab ipsorum Primoribus habebantur.

Ad VI. Ecclesia nec approbat, nec reprobat ullam ex sententiis, quæ circa Virginis ætatem, quando templum ingressa est, circumferuntur; & ut quamlibet ex ipsis in sua relinqueret probabilitate, noluit, ut in oratione pro Præsentationis festo ætas Virginis determinate poneretur; & consulto se abstinuit ab annorum ejus numero designando, ut quisque posset suam sententiam absque fidei præjudicio sustinere. At quum nos pro nostra sententia graviora habeamus momenta, quibus ad dicendum innititur, Mariam fuisse trimulam, quando in Templo est præsentata; ideo eam cæteris opinionibus prætulimus, atque defendimus.

Ad VII. Quum nuper dixerimus, mulieres Deo sacratas non habitasse in templo, sed in ædibus templi, diximus quoque ab iisdem ædibus venisse in templum, quando illuc accedebant, Deum adoraturæ, & exoraturæ. Inutiliter ergo vim facit Serry in verbo illo *veniebant*, quia non necessario importat venisse a domibus, quæ erant extra templum mulieres, ut Deum adorarent. Alia autem est ratio de mulieribus, de quibus sermo habetur 1. Reg. 2. quia illæ non erant Virgines Deo sacratæ, sed erant mulieres, quæ in propriis domibus habitabant, & quas Filii Heli nefario, ac sacrilego conatu constuprabant; & de his quoque intelligendus est Bonfrerius a Serry citatus.

Ad VIII. nec novum hoc temporibus nostris habetur in Cœnobiis mulierum, atque virorum, qui eidem Ecclesiæ inserviunt, & muro dividuntur in Claustris. Attamen diximus, fuisse divisionem quoque inter cellas virorum, & cellas mulierum; quia triginta ex illis erant in parte inferiori templi, triginta in media, triginta in superiori. Ex quibus una pars erat pro asservatione rerum deputata, altera pro custodia, & habitatione mulierum, tertia pro virorum domicilio, & una ab altera opportunis, & convenientibus modis disjungebatur. Cæterum ipsemet Serry asserit, Josabeth, quæ erat uxor Jojadæ Summi Pontificis, habitasse in ædibus templi, & cum ea mulieres quoque Sacerdotum fuisse qui templo inserviebant pro vicibus suis, opus est, ut dicamus, & cum iisdem pariter, quæ erant ancillæ, & domesticæ earum, habitationem habebant, & nutrix denique Joas, adhuc pueri ibidem recepta est, ut diximus. Sicut ergo nec indecens, nec modestiæ contrarium fuit mulieres has habitare in ædibus circa templum, prope quas erant ædes illorum, qui erant ministri templi, ita nec erat in eodem loco habitare puellas, quæ Deo sacræ in templo offerebantur.

Ad IX. Expresse apud Lucam cap. 2. dicitur de Anna Phanuelis filia, quod non discedebat de templo, & quod serviebat die, ac nocte jejuniis, & obsecrationibus; Obsecrationes autem fiebant in templo. Verum quomodo sint verba illa intelligenda diximus nuper in probatione 2.

Ad X. Si semel probetur, quod repugnantia non sit in iis, quæ ideo refutantur, quia repugnare judicantur; statim ex non implicantia deducimus factum; res enim sunt non juris sed facti, & ut eas sine hæsitatione asseramus, sufficit, ut probemus esse sine repugnantiis illis, quas adversarii nostri comminiscuntur. Certe enim non valet argumentatio, ut Scholastici loquuntur, a potentia ad actum, quando loquimur de re factibili, & non facta; Sed nos hic de re facta sermonem habemus, & de cujus existentia testimonia non desunt, & repugnantiæ evanescunt. Et ita pro Baronio, immo pro veritate, & pro Virgineæ Præsentationis honore, hæc dixisse, contenti sumus.

DIS-

DISSERTATIO CCVII.

De Mariæ Deiparæ Virginitate. An fuerit Virgo ante partum? An in partu? An post partum?

PRimo contra Deiparæ virginitatem insaniit Cerinthus, qui impossibile judicavit, Jesum ex Virgine nasci, atque ideo Christum dicebat esse nudum hominem, ex Josepho natum, Testatur Irenæus lib. 5. cap. 25. Ceritho accessit Carpocrates dictitans Christum accepisse naturam ex femine Joseph, & Mariæ eadem lege, qua alii homines ex conjunctione maris, & feminæ nascuntur. Testes sunt idem Irenæus lib. 1. cap. 24. & Ephiphanius hæresi 27. His adjunguntur Ebionitæ, qui in eodem versabantur errore, negantes nimirum Christum fuisse genitum ex femina integra, & viri experte Præfati Patres de his quoque testimonium reddunt.

Secundo Marcion ideo dixit, Christum in hominis forma sine carne fuisse, quod natura non ferret Virginem parere. Irenæus refert lib. 1. cap. 29. & Tertullianus ei adstipulatur lib. 3. contra Marcionem.

Tertio Origenes homil. 14. in Lucam inquit Virginem Mariam post partum purgatione indiguisse, & ejus vulvam in partu fuisse reseratam. Ita Ambrosius ad cap. 2. Lucæ, & Hieronymus lib. 2. contra Pelagium. Origeni subscripsit Jovinianus, destruens Mariæ Virginitatem, & dicens, eam pariendo fuisse corruptam. Sic Augustinus hæresi 82.

Quarto Julianus Apostata lib. adversus Christianos perpetuam Mariæ Virginitatem oppugnavit. Testimonium habemus a Joadoco Coccio in thesauro catholico lib. 3. de Deipara Virgine Maria art. 2.

Quinto Helvidiani, qui & Antidicomarianitæ dixerunt, Mariam postquam Christum genuit, Joseph viro suo fuisse copulatam, & ex eo filios genuisse, qui fratres Domini dicuntur. Ita Hieronymus contra Helvidium, Epiphanius hæresi 78. His adjungunt quoque Eunomium, Jovinianum, Bonosum, & posterioribus temporibus etiam Paulicianos, qui immaculatam, & castissimam Virginem, alios etiam ex Joseph liberos, post partum illum salutarem, peperisse, contendebant. Ita Photius apud Euthymium parte 2. Panopliæ tit. 21. Glycas par. 2. Annal. fol. 290., & ejusdem erroris accusatur Tertullianus lib. de Monogamia cap. 8. & lib. de carne Christi cap. 7., ubi videtur affirmare, illos, quos Evangelium nominat fratres Domini, revera fratres fuisse, & ex Josepho, ac B. Maria genitos. Unde Helvidio, proferenti Tertullianum in sui erroris vindicem, Sanctus Hieronymus respondebat: *De Tertulliano quidem nihil amplius dico, quam Ecclesiæ hominem non fuisse*. Hujus quoque insaniæ a Frassen insimulatur Apollinaris.

Sexto Lollardi dicebant, si Maria, Virgo mansit post partum, non hominem, sed Angelum peperit; Virgo ergo post partum non fuit. Ita Trithemius in Cronico Hirsaugiensi de anno 1315., non absimiliter discipula quædam Joannis Vviclephi Londini docuit, Beatam Mariam, Virginem non mansisse post partum, quia scilicet non est in Scripturis expressum. Ita Thomas Vvaldensis lib. 2. doctrinalis fidei art. 2. cap. 23.

Septimo Joannes Calvinus in harmonia Evangelica ad cap. 1. Lucæ ver. 34. hæc effutire non erubuit: „ Quod suspicati „ sunt quidam, Mariam perpetuæ Virginitatis conceptum habuisse votum, nimis „ infirmum est, immo prorsus absurdum. „ Perfidum enim fuisset, se marito collocare, Sanctumque conjugii fœdus non sine „ Dei ludibrio sprevisset „.

Octavo Petrus Martyr ad cap. 4. epist. ad Rom. contendit, Deiparæ uterum post partum non mansisse clausum, quum Christus nascendo, maternum uterum aperuerit. Hoc idem asseruerunt Adamus Reisnerus lib. germanico de Jerusalem, Molinæus 3. part. Evang. unionis, Bucerus ad cap. 2. Lucæ, & testis est Coceius.

Nono Lucas Stenbergius pariter blasphemando dicebat, Mariam ex Joseph conjuge multos filios peperisse, & a reliquis mulieribus non differre. Testatur Petrus Canisius præfat. in Opus mariale. Unde in

in Polonia, & Hungaria non desunt, qui adversus hanc Virginem illibatam blasphemas, & virulentas jactent voces, perinde ac si illa Josephi commercium admiserit, & operi conjugali vacaverit; Idem Canisius lib. 2. cap. 8. Marialis.

Decimo Theodorus Beza præfat. in novum Testam. dixit: Perpetuam Mariæ ad mortem usque virginitatem, etsi pie, & libenter credo; tamen nihil hoc ad salutis nostræ mysterium pertinet.

Præmittimus modo primo, Virginitatem sic a Frassen definiri: *Integritas carnis, animi, & corporis, ab omni vacua libidine*. Unde apud Petavium lib. 4. cap. 5. ex S. Thoma 2. 2. qu. 152. Tria, ait, distinguenda esse in Virginitatis corruptione; primum, quod accidit in corpore, est virginei sigilli violatio; secundum, in quod concurrit functio animæ simul, & corporis, est resolutio seminis delectationem sensibilem causans, ut ait S. Thomas; tertium, quod constat ex solius animæ actione, est propositum perveniendi ad talem delectationem. Horum trium, quod primum est ex accidenti spectat ad actionem moralem, quia accidere potest sine voluntaria Virginis corruptela; secundum importat materiam actionis illius, quæ dicitur moralis, uti sunt passiones, quæ sensum afficiunt; ultimum est tanquam forma, complens moralem actionem. Unde infert S. Thomas ad naturam, & essentiam Virginitatis non spectare qualemcunque corporis integritatem, quia si tertium non accesserit, nullum sui pariturdispendium Virginitas, & intacta perseverat. Proinde Augustinus lib. 1. de Civit. Dei cap. 18. sustinet Virginitatis, & pudicitiæ virtutem posse servari illibatam, etiam si corpus invite per alienam libidinem polluatur; concludens: *Quo circa animi proposito permanente, per quod etiam Corpus Sanctificari meruit, nec ipsi corpori aufert Sanctitatem violentia libidinis alienæ, quam servat perseverantia continentiæ suæ*. Durum tamen est, & ut ait Frassen paulo liberius dictum, quod addit Guillelmus Parisiensis lib. de virtut. cap. 13., Virginitatem scilicet, verba sunt Frassen, posse non amitti, quatenus virtus est, cum nubit Virgo, & carnis integritatem amittit, si nempe servandæ Virginitatis propositum, & desiderium semper conservet.

Præmittimus secundo cum Frassen, Medicinæ Professores non convenire in assignando Virginitatis sigillo; aliqui enim dicunt, quod in ore ventriculi corporis Virginei superinducatur quædam membranula, quæ dum perseverat integra, Virginitas stat illibata, & quando per actum libidinis frangitur, corporea mulieris Virginitas omnino perit. Alii vero cum Francisco Vallesio lib. de Sacra philosophia cap. 25. negant, membranulam illam esse Virginitatis sigillum, quod ex Galeno probant, qui in humani corporis sectionibus diligentissimam navavit operam, & nullibi membranulæ hujuscemodi meminit. Alii etiam putant, quod non in omnibus Virginibus sit hoc sigillum, sed in quibusdam tantum, & in aliis nullum reperiatur. Alii Anatomices Professores ponunt quidem hujusmodi signum, ac characterem Virginitatis; uti sunt Andreas Vessalius, Falopius, Piccolomineus, & alii citati a Riolano, Parisiensis Academiæ Medico, qui testatur se in multis Virginibus post obitum dissectis id animadvertisse. Huic ultimæ sententiæ adhærere videtur S. Augustinus lib. 1. de Civit. Dei cap. 18., ubi probat Sanctitatem, & Virginitatem corporis non consistere in sola membrorum integritate. Ait enim: *Obstetrix Virginis cujusdam integritatem, manu velut explorans, sine malevolentia, sine inscitia, sine casu, dum inspicit, perdidit*. Et Deuteron. 15. Statuitur, quod si quis uxorem ducens ingressus ad eam dicat ipsam Virginem non invenisse, *tollent eam pater, & mater ejus, & ferent secum signa Virginitatis ejus ad Seniores Urbis, qui in porta sunt; & dicet pater, Filiam meam dedi huic, uxorem; quam, quia odit, imponit ei nomen pessimum, ut dicat, non inveni filiam tuam Virginem; & ecce hæc sunt signa Virginitatis filiæ meæ, & expandent vestimentum, coram Senioribus Civitatis*; scilicet pannum, seu linteum tinctum sanguine emisso è Virgineo Corpore ex primo virili congressu. Sane refert Abulensis in illud qu. 4. pannus ille sic tinctus Virgineo sanguine tradebatur parentibus puellæ coram testibus, & tabellione; alioquin ei nulla fides habebatur.

Præmittimus tertio, ab aliis Medicinæ Professoribus ad latera vaginæ orificii statui quatuor caranculas, quas a figura baccarum myrti, myrtiformes appellant; & quæ in Virginibus insigniores apparent, in aliis vero mulieribus per usum veneris, ac per partum atteruntur, & pœne evanescunt; & in his carunculis claustrum Virginale statuunt, alii sine velo superaddito, alii cum superaddito velo. Alii denique ponunt in quibusdam membranosis

nosis corrugationibus, nullo certo numero comprehendendis, quæ ut ait Graaf apud Verheyen, in parturientibus, & post partum, ita obliterantur, ut earum vestigium ne vel minimum quidem remaneat. Hujus etiam sententiæ fuit Soranus, de quo testatur Fallopius: „ Hoc „ (Virginale claustrum) noluit Soranus esse „ membraneum, sed potius esse ipsius sinus „ muliebris angustias factas ex quibusdam „ rugis collectis, quæ a vasis ex utero illuc „ prodeuntibus contrahuntur: dumque hæ „ dictæ rugæ extenduntur in stupratis Vir„ ginibus, atque dum vasa dicta disrum„ puntur, dolorem pariunt, & sanguinem, „ veluti si mactata esset victima, effundunt. „ Sed quicquid sit de his, certum est apud omnes Medicos, Virginitatem consistere in integritate partium muliebrium, a concubitu, & congressu virili non violata. Unde distinguunt Virginitatem in formalem, & materialem; per materialem intelligunt naturalem coangustationem orificii vaginæ, cujus ratione membrum virile, licet proportionatæ magnitudinis, nonnisi difficile, & cum dolore intromitti potest; per formalem vero intelligunt absolutam congressus masculini negationem in muliere; Sicque Virgo materialiter sumpta est illa, cujus vaginæ orificium naturaliter constrictum est; formaliter vero accepta, est illa, quæ nunquam rem cum mare habuit.

His præmissis, quod quærimus, est, utrum Maria Virgo antequam Christum pareret, vel in ipso partu, vel etiam post partum, servaverit illud Virginitatis sigillum, & claustrum illibatum, unde non solum fuerit Virgo, sed etiam fuerit perpetua, & constanter Virgo? Vel, quod idem est, an servaverit sigillum illud, antequam pareret? An conservaverit in actu, in quo peperit? Et an intactum habuerit postquam peperit omni tempore?

Dicimus I. Deiparam Mariam fuisse Virginem purissimam ante partum.

I. Probatur ex Scripturis Isaiæ 7. *Ecce Virgo concipiet, & pariet filium, & vocabitur nomen ejus Emmanuel*. Et Matthæus cap. 1. hoc Isaiæ vaticinium de Maria intelligit, & explicat apertissime: *Hoc autem totum factum est, ut adimpleretur quod dictum est a Domino per Prophetam dicentem: Ecce Virgo in utero habebit, & pariet filium, & vocabunt nomen ejus Emmanuel*. Ezechielis 44. *Dixit Dominus ad me, porta hæc clausa erit, non aperietur, & vir non transiet per eam, quoniam Dominus Deus Israel ingressus est per eam, eritque clausa Principi*. Matthæi 1. 18. *Cum esset desponsata mater ejus Maria Joseph, antequam convenirent, inventa est in utero habens de Spiritu Sancto*. Et cap. 22. *Hoc autem totum factum est, ut adimpleretur, quod dictum est a Domino per Prophetam dicentem: Ecce Virgo in utero habebit, & pariet filium*. Lucæ 1. 26. *In mense autem sexto Missus est Angelus Gabriel a Deo ad Virginem desponsatam viro, cui nomen erat Joseph, & ait Angelus ei: Ne timeas Maria, invenisti enim gratiam apud Deum: Ecce concipies in utero, & paries filium. Dixit autem Maria: Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco? Dixit Angelus: Spiritus Sanctus superveniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi*.

II. Probatur ex Romanis Pontificibus. Leo Magnus serm. 2. de nativit. Domini cap. 2. *Nova nativitate genitus est, conceptus a Virgine, natus ex Virgine, sine paterna carnis concupiscentia, sine materna integritatis injuria &c. Humano usu, & consuetudine, quod credimus, caret, sed divina potestate subnixum est, quod Virgo conceperit, Virgo pepererit, & Virgo permanserit*. Gregorius Magnus in psalm. 4. pœnitential. *Sicut Maria Christum peperit Virgo, & post partum incorrupta permansit: ita & Mater Ecclesia filios Dei sine dolore generat, & Virga semper illibata perseverat*. Innocentius III. in encomio Beatissimæ Virginis Mariæ: *Miranda fecunditatis prærogativa, quod talis talem taliter genuit. Talis Virgo ante partum, & Virgo post partum: qualiter Angelo Annuntiante, Spiritu Sancto operante, virtute Altissimi obumbrante: qualem Sanctum Sanctorum, unicum Matris Virginis, Unigenitum Dei Patris, Deum, & Dominum majestatis. O quam bene, quam recte flos dicitur, qui ex Virginali Virga producitur, in quo semper fuat quæ miremur*. Paulus IV. constit. 4 quæ incipit: *cum quorundam*, & Clemens VIII. constit. 97. quæ incipit: *Dominici* contra negantes Mariæ Virginitatem, hæc statuunt apud Cardinalem Brancatum de Lauræa in Epitome Canonum Verb. *Maria: Mariæ Virginitatem, aut maternitatem negantes, si non fuerint delati, vel inquisiti, & resipiscunt, possunt cum abjuratione absolvi ab Inquisitore. Obstinati vero, vel inquisiti, in posterum puniendi ut relapsi, & Curiæ secularis tradendi sunt*.

III. Probatur ex Conciliis. Concilium Generale V. quod est Constantinopolitanum II. consul. 8. can. 6. ubi legitur, *B. Maria semper Virgo*. Concilium Generale VI. act.

act. 3. in qua Patriarcha Tarasius in confessione fidei, quam ibidem profert, vocat pariter *Beatam Mariam semper Virginem*. Concilium Ephesinum in Epist. Cyrilli ad Joannem Antiochenum, & refertur cap. cum præcelsa, extra de reliquiis, & venerat. Sanctorum. Concilium Lateranense V. sub Martino V. Consult. 5. Can. 3. *Si quis secundum Sanctos Patres non confitetur proprie, & secundum veritatem, Dei genitricem Sanctam, semperque Virginem, & immaculatam Mariam, utpote ipsum Deum Verbum specialiter, & veraciter, qui a Deo Patre ante omnia secula natus est, in ultimis seculorum absque semine concepisse ex Spiritu Sancto, & incorruptibiliter eam genuisse, indissolubili permanente, & post partum ejusdem virginitate, condemnatus sit.* Denique in Symbolo Apostolorum, in Symbolo Nicæno, & in Symbolo Constantinopolitano legitur: *Natus ex Maria semper Virgine.*

IV. Probatur ex Patribus Græcis. Justinus Dialogo cum Tryphone Judæo Ephesi habitus, de cujus genuinitate Bellarminus non dubitat: *Quod quidem certe in genere juxta carnem ipsius Abrahæ nemo unquam e Virgine natus sit, neque natus esse dictus sit, præterquam ipse noster Christus, omnibus est manifestum &c. Filium hominis se ipsum Christus vocavit a nativitate sua e Virgine, quæ, sicut dixi, Davidis, & Jacob, & Isaac, Abrahamique genere fuit &c. Christus ex Virgine homo genitus, ut qua via a serpente inobedientia initium sumpsit, eadem via etiam exitium caperet. Eva enim cum Virgo esset, & incorrupta, serpentis verbo concepto, inobedientiam, & mortem peperit: fide autem & letitia concepta Maria Virgo, cum nuntium ei latum Gabriel Angelus attulisset: Fiat mihi secundum verbum tuum.* Et orat. ad Antoninum Pium: *Atque hic Spiritus, cum in Virginem illapsus esset, & illi obumbrasset, non per concubitum, sed per virtutem, prægnantem eam reddidit.* Irenæus lib. 3. cap. 27. *Et in eo, quod dicit: Audite Domus David significantis erat: quoniam quem promisit Deus David de fructu ventris ejus æternum suscitaturum se Regem, hic est, qui ex Virgine, quæ fuit ex genere David, generatus est. Propter hoc enim & de fructu ventris ejus Regem promisit, quod erat proprium Virginis prægnantis, & non de fructu lumborum ejus, nec de fructu renum ejus, quod est proprium viri generantis, & mulieris ex viro conceptionem facientis.* Eusebius Cæsareensis de demonstrat. Evangelica lib. 4. cap. 10. *Christus more nostro est editus, & mortalis instar hominem indutus; sed non tanquam homo, verum ut Deus de purissima, nullasque experta Virgine nuptias.* Cyrillus Hierosolymitanus Catechesi 12. ,, Sed convincere nos student, tam Græci, quam Judæi, & dicunt, quod erat impossibile, Christum de Virgine nasci. Græcis igitur primum ex ipsorummet fabulis os obstruamus. Qui enim dicitis projectos lapides in homines mutari, quomodo Virginem parere posse, negatis? Qui ex Jovis cerebro natam filiam fabulamini, quomodo ex utero virginali nasci aliquem impossibile esse, dicitis? Qui de femore vestri Jovis prognatum falso dicitis esse Bacchum, cur nostram veritatem rejicitis? Scio me indigna præsenti auscultatione dicere: sed ut opportune tu Græcos redarguas, hæc attulimus ex ipsorum fabulis, ad eos dicentes. Illis vero qui sunt de Circumcisione, sic occurrens, perquire: utrum est difficilius senem & sterilem (mulieribus jam deficientibus) parere: aut virginem juvenem generare? Sterilis erat Sara, & deficientibus jam mulieribus, præter naturam peperit. Igitur cum & sterilem, & virginem parere sic præter naturam: aut utrumque nega, aut utrumque concede. Idem enim Deus utrumque operatus est: Neque enim audebis dicere, quod illic quidem possibile, hic autem impossibile est Deo. Et rursus, quæ natura manum hominis una hora in diversas species mutare potest, & rursus restituere? Quomodo igitur Moisis manus, sicut nix alba apparuit, & rursus statim illa albedine illa destituta est? Sed dices, quia Deus voluit mutata est. Illic Deus volens potest: hic autem nunquid non potest, &c. O Judæi! Utrum autem difficilius est Virginem parere, aut virgam in animal mutari &c.? Taceo hic quod Virga Aaron, quod reliquæ arbores per annos plures faciunt, hoc per unam noctem fecit. Quis enim nescit, quod virga cortice destituta, etiamsi in mediis fluminibus plantetur, nunquam florebit? Quæro igitur sic ab illis: Eva ab initio de quo nata est? Quæ mater conceperat illam, quæ matrem non habuit? Accipiamus porro aliud longe majus. Ex corporibus enim corpora gigni, quanvis sit aliquando paradoxon, sed possibile tamen: sed pulverem terræ hominem fieri, hoc multo mirabilius. Ex unius formæ pulvere & ossium robur, & pulmonis lenitatem, & reliquorum diversitatem membro-

„ rum fieri, hoc admirabile. Lutum animatum circuire terram, & seipsum movere, & ædificare, hoc admirandum? Itaque, o indoctissimi Judæi, unde Adam factus est? Nonne Deus accepit pulverem de terra, & creavit creaturam hanc admirandam? Quid igitur? Lutum quidem in oculum mutatur, & Virgo non generabit &c.? Despiciamus eos, qui ex viro, & muliere generationem Christi asserunt, audentque dicere, ex Joseph & Maria Christum esse, eo quod scriptum: *Et accipe mulierem tuam.* Meminimus enim & Jacob, qui priusquam Rachel acceperat, dicebat ad Laban: *Da mihi uxorem meam.* Sicut enim illic ante nuptiarum constitutionem, cum tantum promissio intercessisset, uxor Jacob nominabatur: sic & Maria propter solam desponsationem, uxor Joseph vocabatur „.

V. Probatur ex Patribus Latinis. Tertullianus de Virginibus velandis cap. 6. *Scribens Apostolus ad Galatas: Misit Deus filium suum factum ex muliere. Quam utique Virginem constat fuisse, licet Hebion resistat. Agnosco & Angelum Gabrielem ad Virginem missum: sed cum benedicit illam inter mulieres, non inter Virgines deputat: Benedicta tu inter mulieres. Sciebat & Angelus mulierem etiam Virginem dici.* De carne Christi cap. 17. *In virginem adhuc Evam irrepserat verbum ædificatorium mortis. In Virginem æque introducendum erat Dei Verbum extructorium vitæ, ut quod per hujusmodi sexum abierat in perditionem, per eundem sexum redigeretur in salutem. Crediderat Eva serpenti; credidit Maria Gabrieli: quod illa credendo deliquit, hæc credendo delevit.* Lactantius lib. 4. de vera sapientia cap. 12. *Descendens de cœlo Sanctus ille Spiritus Dei, sanctam Virginem, cujus utero se insinnuaret, elegit. At illa divino Spiritu hausto repleta, concepit, & sine ullo attactu viri, repente virginalis uterus intumuit. Quod si animalia quædam vento, aut aura concipere solere omnibus notum est: cur quisquam mirum putet, cum Spiritu Dei, cui facile est quicquid velit, gravatam esse Virginem, dicimus? Quod sane incredibile, nisi hoc futurum ante multa secula Prophetæ cecinissent. Salomon ita dicit: Infirmatus est uterus Virginis, & accepit fœtum: & gravata est, & facta est in multa miseratione mater Virgo.* Ambrosius epist. 81. ad Siricium Papam: „ Sed de via perversitatis produntur dicere: Virgo concepit, sed non Virgo generavit. Quæ potuit ergo Virgo concipere, potuit Virgo generare: cum semper conceptus præcedat, partus sequatur. Sed si doctrinis non creditur Sacerdotum, credatur oraculis Christi; credatur monitis Angelorum dicentium: *Quia non est impossibile Deo omne verbum.* Credatur Symbolo Apostolorum, quod Ecclesia Romana intemeratum semper custodit, & servat. Audivit Maria vocem Angeli, & quæ ante dixerat: Quomodo fiet istud? non de fide generationis interrogans, respondit postea: *Ecce ancilla Domini, contingat mihi secundum verbum tuum.* Hæc est virgo, quæ in utero concepit: Virgo, quæ peperit filium. Sic enim scriptum est: *Ecce Virgo in utero accipiet, & pariet filium.* Non enim concepturam tantummodo Virginem, sed & parituram Virginem dixit. Quæ autem est illa *porta Sanctorum, illa exterior ad Orientem, quæ manet clausa, & nemo,* inquit, *pertransibit per eam nisi solus Deus Israel?* Nonne est hæc porta Maria, per quam in hunc mundum Redemptor intravit? Hæc porta justitiæ, sicut ipse dixit; *Sine nos implere omnem justitiam.* Hæc porta est B. Maria, de qua scriptum est; *quia Dominus pertransibit per eam, & erit clausa* post partum, quia Virgo concepit, & genuit. Quid autem incredibile, si contra usum originis naturalis peperit Maria, & Virgo permanet, quando contra usum naturæ *mare vidit, & fugit;* atque in fontem suum Jordanis fluenta remearunt? Non ergo excedit fidem, quod virgo peperit, quando legimus, quod petra vomuit aquas, & in montis speciem maris unda solidata est. Non ergo excedit fidem, quod homo exivit de virgine, quando petra profluxit, scaturivit ferrum super aquas, ambulavit homo super aquas. Ergo si hominem unda portavit, non potuit hominem Virgo generare, atque hominem, de quo legimus: *Et mittet illis Dominus hominem, qui salvos faciet eos, & notus erit Dominus Ægyptiis* „.

VI. Probatur rationibus, seu congruentiis, vel conjecturis. I. Potuit Deus facere, ut Deus-homo a Virgine conciperetur, & eum virgo pareret: ergo fecit. Antecedens non negatur, quia ut de hoc præcipue mysterio Gabriel Angelus ad Virginem dicebat; *Non est impossibile apud Deum omne verbum.* Consequentia probatur. Quæcunque erant magis convenientia, & gloriosa Deo-homini in sua Conceptione, Deus fecit: ergo fecit etiam, ut nasceretur ex Virgine, quum hoc ex una parte non fuisset illi impossibile, & ex altera fuisset Verbo convenientius, ac gloriosius.

riosius. II. Decuit Dei filium concipi non humano semine, sed Spiritu Sancto operante? ergo ita factum est. Antecedens est doctrina S. Maximi serm. 3. de nativit. Domini, authoris Operis imperfecti homil. 1. in Matthæum, Damasceni lib. 3. cap. 2. docentium, Spiritum Sanctum in Conceptione Christi loco seminis fuisse; quod intelligendum est secundum vim effectivam seminis, quæ per Spiritum Sanctum suppleri potest, non vero secundum rationem causæ materialis. Consequentia sequitur ex paritate primæ rationis jam factæ. III. Est ratio Authoris Operis imperfecti hom. 1. in Matth., quæ sub hisce verbis a Suarez adducitur: *Neque enim dignum erat, ut Unigenitus Dei, non propter se, sed propter hominem nascens, more nasceretur humano, homo enim in carne nascitur, ut corruptiani subjaceat, Christus autem natus est, ut sanet corruptionem. Sicut ergo non est consequens, ut corruptibilis homo ex incorruptibilitate virginitatis nascatur, sic non erat consequens, ut filius Dei, qui idea nascebatur, ut corruptibilitatem sanaret, ex corruptione conjugii nasceretur.* IV. Est Cyrilli Hierosolymitani catechesi 12. prope finem, & Damasceni lib. 4. cap. 15. dicentium, quia decuit, ut sicut mulier ex solo viro facta erat, ita vir aliquis ex sola muliere procrearetur. Alias rationes proponit S. Thomas 3. par. qu. 31. art. 4. quas legendas remittimus apud eundem.

Dicimus II. B. Virginem filium pariendo, Virginitatem non amisisse; seu Christum Dominum, illæsa sua virginitate, peperisse; vel, quod idem est, virginem in partu fuisse.

I. Probatur ex Scripturis. Psalm. 21. *Tu es, qui extraxisti me de ventre*; quibus verbis significatur, Christum exisse de utero Virginis mirabili modo, & divina virtute, sicut ait Cyrillus Hierosolymitanus catechesi 12., sed hoc idem est ac exisse de utero, illæsa matris Virginitate: ergo &c. Unde Augustinus Epist. 120. cap. 12. *Quid est, tu es, qui extraxisti me de ventre, si ad ipsum Jesum de Virgine procreatum refertur? An inde significare voluit partum Virginis, servata virginitate mirabili? Ut cum Deus fecisse dicitur, quad illic mirabiliter factum est nemini incredibile videatur.* Isaiæ 7. Et Matthæi 18. *Ecce Virgo concipiet, & pariet: Ecce Virgo in utero habebit, & pariet.*

II. Probatur ex Romanis Pontificibus. Agapetus Papa epist. ad Antimum, si genuinæ sunt epistolæ Romanorum Pontificum usque ad Siricium: Sine Verbi potentia nec conciperet Virgo, nec pareret, & sine veritate carnis, obvoluta pannis infantia, non jaceret. Hormisdas epist. 76. *Praprium est Dei Filii, ut in novissimis temparibus Verbum caro fieret, & habitaret in nobis: sta intra viscera Sanctæ Mariæ Virginis genitricis Dei, unitis utrisque, sine aliqua cansusione, naturis, ut qui ante tempora erat Filius Dei, fieret filius hominis, & nasceretur ex tempore, hominis more, matris vulvam natus non aperiens, & virginitatem matris, Deitatis virtute non solvens. Dignum plane, Deo nascente, mysterium, ut servaret partum sine corruptione, qui conceptum fecit esse sine semine, servans quad ex Patre erat, & repræsentans quod ex Matre suscepit.* Eadem docet in Epist. 5. ad Justinianum Augustum cap. 3., quemadmodum Leo Magnus epist. 10. cap. 21. & serm. 4. & 5. de Nativit.

III. Probatur ex Conciliis. Concilium Chalcedonense in alloqutione ad Martianum Imperatorem: *Deus Patres excitavit velut luminaria in errore degentibus, qui fidei intelligentiam amnibus exposuerunt, & Incarnationis beneficium accurate prædicarunt: quemadmodum ab initio illius ex utera perfectum sit mysterium. Quamodo sic Dei Genitrix, propter eum, qui virginitatem ipsi etiam post conceptum largitus est, atque ut Deo dignum erat, uterum obsignavit.* Hoc idem asserunt Concilia Toletana I., VI., & XI.

IV. Probatur ex Patribus Græcis. Gregorius Nyssenus orat. de Natali Domini: *Puer pannis involutus, & in præsepe requiescens: & illa past partum Virga incorrupta mater fovet filium.* Et orat. de occursu: *Solus ipse inexplicabili moda conceptus, & ineffabiliter natus, haud ante patefactam nuptiis virginalem aperuit vulvam, virginitatis signacula inviolata servans; etiam post admirabilem processionem.* Cyrillus Hierosolymitanus catechesi 124.: *Nascebatur, ut Virgines faceret. Multo ergo magis debuit virgineum canservare corpus.* Nazianzenus orat. 38. de Nativitate: *Christus ex Virgine, Mulieres virginitatem colite, ut matres esse possitis.* Et infra post medium: *Et procreationem honore affici, & virginitatem præferri oportebat.* Chrysostomus hom. 49. in Genesim: *Quando tibi dicit Judæus: quomodo peperit Virgo? Dic ei: quomodo peperit sterilis, & vetula? Dua impedimenta tunc erant, & ætas intempestiva, & natura vitiata: in Virgine autem unum impedimentum fuit, quod non esset particeps concubitus. Sterilitas igitur*

jam

lam viam parat virginitati. Et ut scias, quod propter hoc steriles prius fuerunt, ut credatur virginitatis partus, audi verba Gabrielis, quæ ad Virginem dixit: Postquam enim venit, & dixit. Concipies in utero, & paries filium, & vocabis nomen ejus Jesum; obstupefacta est, & admirata, ac dixit: Quomodo erit mihi istud, quia virum non cognosco? Quid igitur Angelus? Spiritus Sanctus superveniet super te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi. Ne quæras, inquit, naturæ modum, & ordinem, quando super naturam sunt quæ fiunt: ne spectes conjugii dolores, quando major, quam in nuptiis nativitatis modus erit. Et quomodo fiet istud, inquit, quoniam virum non cognosco? Sane propter hoc erit, quoniam virum non cognoscis. Nam si cognosceres virum, non fuisses habita digna, ut huic ministerio servires. Itaque quamobrem dubitas, eam ob rem crede; non quia malum nuptiæ, sed quia melior virginitas. Iterum Nyssenus orat. in die Christi nativitatis: *O rem admirandam! Virgo mater efficitur, & permanet Virgo. Cernis novum naturæ ordinem? In aliis mulieribus quandiu aliqua est virgo, non est mater. Nam posteaquam est facta mater, virginitatem non habet. Hic autem utrumque nomen in idem concurrit. Eadem enim & Mater, & virgo est. Nec virginitas partum ademit, nec partus virginitatem solvit. Decebat enim, ut qui in vitam humanam introibat, ut homines integros, incorruptosque servaret, ab incorrupta sibi deserviente integritate, initium duceret. Nam hominum consuetudo expertem connubii incorruptam appellat. Hoc mihi ante magnus ille Moses, per eam lucem, in qua sibi Deus apparuit, videtur cognovisse, qui cum rubus arderet, nec tamen consummaretur: Ascendam, inquit, & videbo visionem hanc magnam: non loci motum, ut arbitror, per ascensum declarans, sed temporis transitum. Quod enim tunc per flammam, & rubum significabatur, progrediente tempore, quod intercedebat, perspicuo in mysterio Virginis apertum fuit. Quemadmodum enim illic est rubus, & tangit ignem, & non comburitur: ita hic est Virgo, quæ lucem parit, & non corrumpitur.* Damascenus lib. 4. cap. 15. de fide orthodoxa: *Quemadmodum ipse conceptus, eam, a qua conceptus fuerat, Virginem conservavit: sic etiam in lucem editus, virginitatem ipsius incolumem custodivit, ut qui duntaxat per eam transierit, clausamque ipsam tutatus sit. Ac conceptio quidem per aurem contigit: procreatio autem per eam partem, qua fœtus in lucem exire consueverunt. Neque enim impossibile hoc ipsi erat, ut & per portam transiret, & illius tamen signacula minime labefactaret. Mansit ergo etiam a partu Virgo, illa semper Virgo, ut quæ ad extremum usque spiritum nunquam cum viro consuetudinem habuerit.*

V. Probatur ex Patribus Latinis. Ambrosius loquens de porta mystica, quæ est apud Ezechielem cap. 44. hæc scribit epist. 7. ad Siricium Papam: *Hæc porta est B. Maria, de qua scriptum est, quia Dominus pertransibit per eam, & erit clausa post partum; quia Virgo concepit, & genuit. Quid autem incredibile, si contra originis naturalis modum peperit Maria, & Virgo permanet, quando contra usum naturæ, mare vidit, & fugit &c.* Et libro de institutione Virginis cap. 7. *Quæ est hæc porta, nisi Maria? Ideo clausa, quia Virgo. Porta igitur Maria, per quam Christus intravit in hunc mundum, quando virginali fusus est partu, & genitalia Virginis claustra non solvit. Mansit intemeratum septum pudoris, & inviolata integritatis duravere signacula, cum exiret ex Virgine, cujus altitudinem mundus sustinere non posset.* Et epist. 81. ad Siricium Papam: *Sed de via perversitatis produntur dicere: Virgo Concepit, sed non Virgo generavit. Quæ potuit ergo Virgo concipere; potuit Virgo generare: cum semper conceptus præcedat, partus sequatur. Sed si doctrinis non creditur Sacerdotum, credatur oraculis Christi, credatur monitis Angelorum dicentium: Quia non est impossibile Deo omne verbum. Credatur Symbolo Apostolorum, quod Ecclesia Romana intemeratum semper custodit, & servat. Audivit Maria vocem Angeli, & quæ ante dixerat: Quomodo fiet istud? non de fide generationis interrogans, respondit postea: Ecce Ancilla Domini, contingat mihi secundum Verbum tuum. Hæc est Virgo, quæ in utero concepit: Virgo, quæ peperit filium. Sic enim Scriptum est: Ecce Virgo in Utero accipiet, & pariet filium. Non enim Concepturam tantummodo Virginem, sed & parituram Virginem dixit. Quæ autem est illa porta Sanctorum, illa exterior ad Orientem, quæ manet clausa, & nemo, inquit, pertransibit per eam, nisi solus Deus Israel? Nonne est hæc porta Maria, per quam in hunc mundum Redemptor intravit? Hæc porta justitiæ, sicut ipse dixit: Sine nos implere omnem justitiam. Hæc porta est B. Maria, de qua scriptum est: Quia Dominus pertransibit per eam, & erit clausa, post partum, quia Virgo concepit, & genuit. Quid autem incredibile, si contra usum originis naturalis, peperit Maria, & Virgo permanet, quando contra usum naturæ, mare vidit, & fugit, atque in fontem suum Jordanis fluenta re-*

mearunt? Non ergo excedit fidem quod Virgo peperit, quando legimus, quod Petra vomuit aquas, & in montis speciem maris unda solidata est, Non ergo excedit fidem, quod homo exivit de Virgine, quando petra profluxit, scaturivit ferrum super aquas, ambulavit homo super aquas: Ergo si hominem unda portavit, non potuit hominem Virgo generare, atque hominem, de quo legimus: Et mittet illis Dominus hominem, qui salvos faciet eos, & notus erit Dominus Ægyptiis? Hieronymus lib. 1. contra Jovinianum cap. 18. Loquatur Isaias spei nostræ, fideique mysterium: *Ecce Virgo in utero concipiet, & pariet filium, & vocabis nomen ejus Emmanuel*, Scio Judæos opponere solere, in hebræo verbum *alma* non virginem sonare, sed adolescentulam. Et revera Virgo proprie *Bethula* appellatur; adolescentula autem, vel puella, non *alma* dicitur, sed *naara*. Quid est igitur quod significat *alma*? Absconditam Virginem, idest non solum Virginem, sed cum ἐπιτάσει virginem: quia non omnis virgo abscondita est, nec ab hominum fortuito separata conspectu. Denique & Rebecca in Genesi ob nimiam castitatem, & Ecclesiæ typum, quem in sua virginitatom signabat, *alma* scribitur non *bethula*; sicut manifestum esse poterit ex sermonibus pueri Abraham, quos loquitur in Mesopotamia, & dicit: *Domine Deus, domini mei Abraham, si tu dirigis viam, per quam ego ingredior, ecce dum stetero super fontem aquæ, Virgo, quæ egredietur, ut hauriat aquam, & dixero ad eam: Da mihi paululum aquæ, ut bibam de hydria tua; & responderit, & tu bibe, & camelis tuis hauriam: hæc erit uxor, quam præparavit Dominus filio Domini mei*. In eo enim loco, in quo ait; *Virgo, quæ egredietur, ut hauriat aquam*, in hebraico scriptum est *alma*, idest, virgo secreta, & nimia parentum diligentia custodita, aut certe ostendant mihi, ubi hoc verbo appellentur & nuptæ, & imperitiam confitebor: *Ecce Virgo in utero concipiet, & pariet filium* „. Lib. 2. adversus Pelagianos cap. 2. „ Omnes hæretici erraverunt, non intelligentes mysterium nativitatis ejus, magisque ad specialem nativitatem Salvatoris, quam ad omnium hominum referri potest hoc, quod dicitur: *Qui aperit vulvam Sanctus vocabitur Domino*. Solus enim Christus clausas portas vulvæ virginalis aperuit, quæ tamen clausæ jugiter permanserunt. Hæc est porta Orientalis clausa, per quam solus Pontifex ingreditur, & egreditur, & nihilominus semper clausa est „. Et ad cap. 44. Ezechielis: Pulchre quidam portam clausam, per quam solus Dominus Deus Israel ingreditur, & dux, cui porta clausa est, Mariam Virginem intelligunt, quæ & ante partum, & post partum Virgo permansit. Etenim tempore, quo Angelus loquebatur: *Spiritus Sanctus veniet super te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi; quod autem nascetur ex te Sanctum, vocabitur Filius Dei*: Et quando natus est, Virgo permansit æterna, ad confundendos eos, qui arbitrantur, eam post nativitatem Salvatoris habuisse de Joseph filios, ex occasione fratrum ejus, qui vocantur in Evangelio. Super qua quæstiuncula Romæ adversus Helvidium illius temporis hæreticum in adolescentia, non grandem librum scripsisse me novi. Augustinus lib. 4. de Symbolo ad Catechumenos cap. 4. „ Alvus tumescit Virginis, claustrum pudoris permanet, impletur uterus matris sine ullo complexu patris: sentit prolem, quæ se ignorat conjugem. Angelus ad Virginem loquitur, a Virgine cor præparatur: Christus fide concipitur. Miraris hæc? Adhuc mirare. Parit mater, & Virgo, fœta, & intacta: nascitur filius sine homine patre, qui fecit & ipsam matrem. „ De sancta virginitat. cap. 4. „ Ipsa quoque Virginitas Mariæ ideo gratior, & acceptior, quia non eam conceptus Christus viro violaturo, quam conservaret ipse, præripuit, sed priusquam conciperetur, jam Deo dicatam, de qua nasceretur, elegit. Hoc indicant verba, quæ sibi fœtum annuntiante Angelo Maria reddidit: *Quoniam*, inquit, *fiet istud, quoniam virum non cognosco?* Quod profecto non diceret, nisi Deo Virginem se ante vovisset. Sed quia hoc Israelitarum mores adhuc recusabant, desponsata est viro justo, non violenter ablaturo, sed potius contra violentos custodituro, quod illa jam voverat. „ Et Serm. 21. „ Virgo genuit, quia Virgo concepit, inviolata peperit, quia in conceptu libido non fuit. Utrobique miraculum: & sine corruptione gravida, & in partu Virgo puerpera. Et in serm. 23. „ Videte miraculum matris Dominicæ, Virgo concepit, Virgo parturit, Virgo post partum permansit &c. Dignum enim erat, ut Deo nascente, meritum cresceret castitatis; nec per ejus adventum violaretur integra, qui venerat sanare corrupta, nec per eum pudicitia corporalis læderetur, per quem donatur castitas spiritualis „. Gaudentius tract. 9. *Qui sine corruptela matris conceptus credi-*

tur,

tur, cur non etiam sine carruptela editus præsumatur? Incorrupta Virgo peperit, quod intacta Virgo concepit: integritatem nascenda vialare non patuit, qui venerat integrare naturam. Fulgentius serm. 2. de Natali Domini: *De cœlis, inquit, medicus transiens per Virginem, past transitum suum, illam fecit Virginem permanere. Qui enim disrupta corporum membra in aliis poterat integrare tangendo, quanto magis in sua matre, quod invenit integrum, potuit non vialare nascendo? Crevit ejus partu integritas corporis potius, quam decrevit; & virginitas ampliata est potius, quam fugata.*

VI. Probatur Judæorum veterum confessione. Rabbinus Haccados lib. qui inscribitur Revelator secretorum, hæc babet:
„ Quod Beth levius dictionis Lemarbe,
„ positum sit in medio nominis Miriam,
„ id est, Maria, ostendit hujus prophetissæ
„ mentem, & cogitationem omnem esse, ut
„ suam virginitatem conservet. Erit enim
„ Virgo mente, & actu. Quoniam per
„ bethula, id est, virgo significatur „.

VII. Probatur ex oraculis Sibillynis; quanvis enim sciamus, carmina sibyllina interpolata fuisse, & quæ modo extant, non esse omnia genuina, atque sincera; Attamen Eruditiores critici conveniunt, quæ Sibyllarum oracula a SS. Patribus, & ab antiquis scriptoribus citantur, genuina esse, atque sincera, cujusmodi profecto sunt quæ sequuntur;

Sibylla Persica:

Virgine matre satus, pullo residebit asello,
Jucundus Princeps &c.
Ille Deus casta nascetur Virgine magnus.

Sibylla Delphica:

Hujus pertentant cor gaudia magna Propheta
Eximii, qui Virginea cauceptus ab alvo
Prodibit sine contactu maris, omnia vincit,
Hoc natura opera: at faciet qui cuncta gubernat.

Sibylla Samia:

Ecce dies, nigras, qua tollit læta tenebras,
Mox veniet solvens nodosa volumina vatum,
Gentis Judææ referet ut carmina plebi,
Hunc poterunt clarum vivorum tangere regem,
Humano quem Virgo sinu inviolata fovebit,
Annuit hæc cœlum, rutilantia sydera monstrant.

Sibylla Erythræa: lib. 8.

Et brevis egressus Maria de Virginis alvo
Exarta est nova lux &c.

Nuntius hinc tali affatur sermone puellam:
Accipe, Virga, Deum gremio intemerata pudica.
Sic ait; ast illam cœlestis gratia molli
Leniit afflatu, tum virginitatis amatrix
Perpetua, magno subita carrepta stupore;
Atqua metu; trepida, pressit formidine mentem,
Ignotis verbis cammota carde tremiscens.
Hinc, ut latificis mens est recreata loquelis,
Erubuit malas ridens puerile venustas,
Lætitia, dulcique animum demulsa pudare.
Tunc ad se rediit, Verbumque volavit in alvum,
Idque sua factum; atque animatum tempare corpus,
Mortali facie erectum est, puer inda creatus
Virgineo partu: mira est mortalibus hæc res,
Sed res nulla Deo Patri, Natoque stupenda.

VIII. Probatur rationibus. I. Dicere Mariam in partu virginitatem amisisse, vel est dedecus Mariæ, vel est injuria in Deum; sed neutrum est dicendum: ergo &c. Probatur major. Vel hoc accidit, quia Deus non potuit, vel quia Deus noluit; Si Deus non potuit, est injuria in Deum; Si Deus noluit, est dedecus Mariæ: ergo dicere, Mariam in partu virginitatem amisisse, vel est dedecus Mariæ, vel injuria in Deum. Argumentum est S. Ildephonsi de Virginit. Dei Genitricis cap. 1.: „ Si Vir-
„ gini nostræ aut generationem, aut inte-
„ gritatem adimis, grandi dedecore Deo in-
„ juriam facis. Negas enim valuisse incor-
„ ruptam servare, quem fateris absque cor-
„ ruptione adire Virginem potuisse. Negas
„ Deum, quod vellet facere quivisse, quem
„ concedis Genitricem integram invenisse,
„ corruptioni deditam reliquisse. Ut ergo
„ asseris, Omnipotentis divinitàs non pro-
„ fuit Virginitati, sed obfuit: quia dum
„ virgineum decus nascendo violavit, sum-
„ mam Virginitatem destruxit: ac per hoc
„ ipsum astruis Virginem deturpasse na-
„ scendo, quam decoraverat ipsa creando.
„ Obmutescat os talia proloquens &c. Ecce
„ enim Virgo ex Deo, Virgo ex homine,
„ Virgo attestante Angelo, Virgo judice
„ Sponso, Virgo ante Sponsum, Virgo cum
„ Sponso, indubitata Virgo, etiam dubitan-
„ te Sponso. Virgo ante Filii adventum,
„ Virgo post Filii generationem, Virgo
„ cum Filii nativitate, Virgo post Filium
„ natum. In partu Virgo, cum partu Vir-
„ go, post partum Virgo „. II. Christus, quem Virgo concepit, & peperit, caruit omni corruptione: ergo Virgo, quæ con-

cepit, & peperit caruit omni læsione. Probatur consequentia. Si quæ læsio fuisset in Virgine concipiente, & pariente, tota tribueretur Christo Concepto, & in lucem edito; Sed non potest tribui Christo Concepto, & in lucem edito: ergo eam non habuit Virgo concipiens, & pariens. Probatur major. Christus quum sit Deus, & homo sicut potuit omnem corruptionem avertere a seipso, ita & potuit, & voluit omnem corruptionem, & maculam depellere a matre sua: ergo si non depulit, ipsi tribuitur macula, & læsio, quæ fuisset in matre sua. III. Potuit Deus facere hominem nec de viro, nec de femina: ergo a fortiori potuit facere hominem de femina sine viro. Antecedens est certum, ut patet in Creatione Adæ; consequentia sequitur. Utrumque argumentum est Ivonis Carnotensis serm. de Annunciatione B. Mariæ: *Sicut omni corruptione caruit iste conceptus, ita quicquid haretici garriunt, in concipiendo, & pariendo Virginis Uterus permansit intemeratus &c. Quæ ratio est, ut non credatur Deus hominem posse facere de viro sine femina, qui primum hominem nec de viro fecit, nec de femina?* IV. Christus nascens ingressus est mundum, clauso Virginis utero: ergo illæsa Matris Virginitate. Antecedens est traditio Ecclesiæ, Patrum omnium consensu confirmata. Consequentia sequitur, ut discurrenti patet.

Dicimus III. Mariam Deiparam post partum permansisse semper Virginem illibatam.

I. Probatur ex Scripturis. Ezechielis 42. *Dixit Dominus ad me: Porta hæc clausa erit, & vir non transibit per eam, quoniam Dominus Deus Israel ingressus est per eam.* Hæc verba intelliguntur de Maria Deipara a Hieronymo dial. 2. contra Pelagianos, Augustino, Chrisostomo, Damasceno, aliisque apud Suarez. Ulterius Lucæ 1. B. Virgo dixit Angelo: *Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco?* quibus verbis ostendit propositum, quod habebat perpetuæ Virginitatis servandæ; quod in sequenti Dissertatione latius videbitur. Insuper Christus in cruce pendens Matrem Joanni, & Joannem matri commendavit: *Ecce mater tua: Ecce filius tuus.* Non est autem credibile, si Maria habuisset alios filios cum Josepho procreatos, ut Christus illam commendasset Joanni, qui ejus erat consobrinus, & Matris suæ nepos, & non potius fratribus suis, qui ejusdem Matris erant Filii. Si ergo non commendavit, signum est, quod non habebat; & non habebat, quia Maria post partum perpetuam servavit Virginitatem. Hoc argumentum, asserit Suarez se accepisse ex Ambrosio in cap. 1. Lucæ, & epist. 79. ex Epiphanio hæresi 78. & ex Hieronymo contra Helvidium.

II. Probatur ex Romanis Pontificibus. Siricius cum Concilio Romano Epist. decretali, quæ habetur tom. 1. Conciliorum, & inter Epistolas Ambrosii est octuagesima. Gregorius Magnus in psalm. 4. pœnitential.: *Sicut Maria peperit Christum Virgo, & post partum incorrupta permansit: ita & Mater Ecclesia filios Dei sine dolore generat, & Virgo semper illibata perseverat.*

III. Probatur ex Conciliis. V. Synodus can. 6. Deiparam vocat *semper Virginem immaculatam,* & VI. Synodus act. 11. hæc loquitur: *Mariæ Virginitas ante partum, in partu, & post partum intemerabilis.* VII. Synodus act. 3. in confessione Tharasii. Concilium Lateranense sub Martino I. can. 3. Concilium Mediolanense apud Ambrosium in rescripto seu epist. 81. Concilium pariter Generale Ephesinum, & Generale Chalcedonense Deiparam vocant *Mariam semper Virginem.*

IV. Probatur ex Patribus Græcis. Epiphanius hær. 78.: *Quis unquam, aut quo seculo ausus est proferre Mariæ nomen, & interrogatus, non statim intulit Virginis vocem? Ex ipsius enim nominibus etiam virtutis signa elucent.* Basilius hom. 25. referens sententiam eorum, seu potius errorem, qui sentiebant, Mariam post Christi nativitatem matrimonialia opera Josepho viro non negasse, scribit: *Nos vero licet nihil hoc doctrinæ pietatis officeret. Nam donec dispensabatur Christi generatio necessaria erat virginitas, quid vero postea sit factum ad mysterii hujus doctrinam, non anxie conjungendum est. Veruntamen ne hoc eorum, qui Christum amant, ferre cogantur aures, quod Genitrix Dei aliquando desierit esse Virgo, has rationes sufficere, putamus.* Et in eadem, hom., quæ est de humana Christi generatione, subdit: *Virgo videlicet, & Mater, & in Virginitate Sancta perseverans, gloriam nihilominus, ac benedictionem pariendi sortita.* Origenes hom. 7. in Lucam: *Quod asserunt quidam, Mariam nupsisse post partum, unde approbent, non habent. Hi enim filii, qui Joseph dicebantur, non erant orti de Maria, neque est ulla Scriptura, quæ ista commemoret.* Cyrillus Alexandrinus lib. 2. de recta in Deum fide ad Reginas: *Unum, & solum peperit S. Virgo, nempe Emmanuelem. Cur igitur Filium illius primogenitum appellat?*

Neque

Neque enim ulli alii post ipsum ex ipsa nati sunt: Perpetuo nanque illa virginitatem conservavit. Sane quantum ex divina Scriptura conjici potest, Unigenitum Dei Verbum ob id Primogenitum appellatum est, quia carni, & sanguini, cæterisque humanæ æque ac nos communicans, inter multos fratres primatum sortitum est.

V. Probatur ex Patribus Latinis. Chrysologus ser. 117. *Virgo concepit, Virgo parturit, Virgo permanet.* Gennadius Massiliensis de Ecclesiasticis dogmatibus cap. 68. *Integra fide credendum est, B. Mariam Dei Christi matrem, & Virginem concepisse, & post partum Virginem permansisse: nec est blasphemiæ Helvidii acquiescendum, qui dixit: Fuit Virgo ante partum, non Virgo post partum.* Gregorius Turonensis de gloria Martyrum, lib. 1. cap. 9. *Maria Virgo gloriosa, Genitrix Christi, ut ante partum, ita Virgo creditur post partum.* Isidorus Hispalensis de vita, & obitu Sanctorum cap. 68. *Maria Virgo sancta, virgo fœta, virgo ante partum, Virgo post partum, Virgo in partu.* Et cap. 35. de doctrina, & fide: *Integra fide credendum, B. Mariam esse Christi matrem, & Virginem genuisse, & post partum Virginem permansisse, nec hic blasphemiæ Helvidii acquiescendum, qui dicit: Virgo ante partum, non Virgo post partum.* Ildephonsus de Virginit. Dei Genitricis cap. 1. *Ecce enim Virgo ex Deo, Virgo ex homine, Virgo attestante Angelo, Virgo judice Sponso, Virgo ante Sponsum, virgo cum Sponso, indubitata Virgo, etiam dubitante Sponso. Virgo ante Filii adventum, Virgo post Filii generationem, Virgo cum Filii nativitate, Virgo post Filium natum. In partu Virgo, cum partu Virgo, post partum Virgo.* Bernardus serm. 4. in Vigilia natalis Domini: *Non solum sine pudore conceptus, & sine dolore partus; sed & mater est sine corruptione. O vere novitas inaudita! Virgo peperit, & post partum inviolata permansit fœcunditatem prolis cum carnis integritate, & gaudium matris habens cum Virginitatis honore.*

VI. Probatur Rationibus, quas affert S. Thomas 3. p. q. 27. ar. 1. quarum I. est. Christus est Unigenitus Patris: ergo etiam esse debuit Unigenitus Matris; & hæc ratio, seu congruentia, se tenet ex parte Christi. Nec obstat, quod Christus Matth. 1. appelletur *Primogenitus Virginis*: Etenim, ut docent S. Thomas, Damascenus, aliique; Etenim hæc vox *Primogenitus* in Scripturis non dicit semper relationem ad secundogenitum, sed solum importat negationem prioris. Hoc patet, quando in lege præceptum legitur offerri primogenitos; intelligitur enim offerri etiam unigenitos. Addimus ex Cyrillo lib. 2. de fide ad Reginas, probante, Christum esse unum Dei filium, quod etsi aliquando dicatur primogenitus, intelligendus est, quia sortitus est primatum inter multos fratres; unde dicitur primus non respectu filiorum naturalium, sed adoptivorum; & sic etiam intelligi debet, quando dicitur Primogenitus Virginis. II. se tenet ex parte Spiritus Sancti; non enim decebat B. Virginem, quæ Spiritus Sancti erat sacrarium, ab homine, quanvis viro, carnali & nuptiali opere cognosci, & humano semine fædari; ut ait Suarez. III. est ex parte Virginis; quia ut scribebat Siricius Papa, loco nuper citato, *incontinentis & ingrati animi signum fuisset, divitus conservatam virginitatem prodere, & thalamum conceptionis Christi polluere.* IV. est ex parte Joseph; de eo nanque testatur Evangelium, quod erat justus, & omnia mysteria noverat. Non est igitur credibile, quod post Christum natum B. Virginem cognosceret. Accedit, quod B. Joseph non solum fuit castissimus, & ejus castitas fuit in Patriarcha Joseph, Jacobi filio, præfigurata, ut ait Bernardus; verum quoque fuit & ipse virgo, ut ait Hieronymus contra Helvidium num. 9., & in illud Matth. 12. *Ecce mater mea, & fratres mei*; & Augustinus ser. 14. in nativ. Dom. docet: *Habe Joseph cum Maria conjuge tua communem virginitatem membrorum, quia de virgineis membris virtus nascitur Angelorum.* V. „ quia sic decuit, verba sunt Suarez, consilium virginitatis non tantum a Christo, „ sed etiam ab ejus matre perfectissime „ custodiri, ut omnibus virginibus Evangelii ipsa esset perfectum virginitatis exemplum; propterquod a Sanctis Patribus *dux, magistra, & virgo virginum*, appellatur „.

Obstant I. Judæi. Signum illud: *Ecce Virgo concipiet &c.* non poterat videri ab Achaz: ergo non fuit datum Achaz: ergo non est signum Virginis concipientis, & parientis, sed aliud. Prima consequentia sequitur, quia non poterat dari Achaz signum, quod Achaz non poterat videre. Antecedens probatur. Virgo concipiens, & pariens fuit multo tempore post mortuum Achaz: ergo signum illud non poterat videri ab Achaz. II. Plures Patres docent, Virginis uterum fuisse patefactum in partu: ergo B. Virgo non fuit Virgo in partu. Probatur antecedens. Origenes ho-

mil.

mil. 14. in Lucam hæc habet: *Quemcumque de utero effusum marem dixeris, non sic aperit vulvam matris suæ, ut Dominus Jesus, quia omnium mulierum non partus infantis, sed viri coitus vulvam reserat; Matris vero Domini eo tempore vulva reserata est, quo & partus editus; quia sanctum uterum, & omni dignatione (venerationis) venerandum ante Nativitatem masculus omnino non tetigit.* Ambrosius in cap. 2. Lucæ: *Hic, qui aperuit matris suæ vulvam, ut immaculatus exiret.* Tertullianus lib. de Carne Christi cap. 23. *Quis proprie vulvam adaperuit, quam qui clausam patefecit? Cæterum omnibus nuptiis patefaciunt: itaque magis patefacta est, quia magis erat clausa: utique magis non Virgo dicenda est, quam Virgo, saltu Mater ante, quam nupta. Et quid ultra retractandum est? cum hac ratione Apostolus, non ex Virgine, sed ex muliere editum filium pronuntiavit; agnovit adapertæ vulvæ nuptialem passionem.* Basilius in orat. de natali Domini asserit Christum vocari *Primogenitum, qui primus aperit vulvam, non qui post se alios fratres habeat.* Eadem habet Athanasius epist. ad Epictetum; immo ex illo Exodi 13., ut refertur Lucæ 1., eruitur: *Omne masculinum adaperiens vulvam, sanctum Domino vocabitur.* III. Nullus filius habens patrem, & matrem, dicendus est ex Virgine matre conceptus; sed Christus Lucæ 2. dicitur habuisse patrem, & matrem: ergo &c. Probatur minor. Lucæ 2. legitur: *Erant pater ejus, & mater mirantes super his, quæ dicebantur de illo:* Et infra Mater ejus dicebat ei: *Ecce enim pater tuus, & ego dolentes quærebamus te.* IV. Matthæi 1. habetur, Christum fuisse filium Abrahæ, & David, ex eo quia Joseph ex Abraha, & David descendebat; Sed hoc est idem ac dicere, Josephum verum Christi patrem fuisse: ergo mater Christi concepit eum ex semine Joseph, & sic non fuit Virgo in concipiendo. V. Ad Galat. 4. dicitur: *Misit Deus Filium suum factum ex muliere;* sed mulier est illa, quæ est a viro cognita: ergo Christus non fuit conceptus ex Virgine matre. VI. Si Christus fuisset conceptus ex Virgine, conceptio ipsius non fuisset naturalis, sed supernaturalis; sed hoc est falsum: ergo &c. Probatur minor. Ambrosius lib. de Incarnationis dominicæ Sacramento cap. 6. testatur, hoc esse falsum, quia aliter Christus non fuisset vere humana conceptione conceptus. VII. Quæcunque naturalis forma habet sibi determinatam materiam, extra quam non potest esse; sed materia formæ humanæ est semen maris, & feminæ: ergo si corpus Christi non fuit Conceptum ex semine maris, & feminæ, non fuit vere corpus humanum: ergo fuit corpus phantasticum, quod non est dicendum. VIII. Vel Christus fuit ejusdem speciei cum cæteris hominibus, vel non fuit; Si non fuit; ergo non fuit verus homo; si fuit: ergo generari debebat eodem modo, quo cæteri homines generantur; Sed cæteri homines generantur ex commixtione maris, & feminæ: ergo &c. Et hoc, vel eo magis, quia ad Philippenses 2. de Christo dicitur: *In similitudinem hominum factus, & habitu inventus, ut homo.* IX. Lucæ 2. dicitur, quod B. Virgo indiguit purificatione: ergo intendit, quod B. Virgo fuit subdita in pariendo legi naturæ cum cæteris mulieribus; ac proinde peperit fœtum per reserationem uteri: ergo cum læsione virginitatis. X. Matthæi 1. dicitur: *Cum esset desponsata mater ejus Maria Joseph, antequam convenirent, inventa est habens in utero de Spiritu Sancto:* ergo si dicit antequam convenirent, signum est quod postea convenerunt: ergo B. Virgo non fuit Virgo post partum. XI. Matthæi 1. legitur etiam de Josepho Mariæ Sponso: *Non cognoscebat eam, donec peperit filium suum primogenitum:* ergo postquam peperit cognovit eam: ergo non fuit Virgo post partum. XII. Matthæi 12. Nominantur fratres Christi: *Ecce mater tua, & fratres tui foris stant quærentes te;* Et Joannis 2. *Post hoc descendit Capharnaum ipse, & mater ejus, & fratres ejus:* ergo si erant Christi fratres, erant pariter Mariæ filii, quos quidem ex Josepho conceperat: ergo Maria Deipara non fuit Virgo post partum. XIII. Ex Durando, qui negabat posse duo corpora in uno loco inter se penetrari, adeoque dicebat, fieri potuisse in corpore B. Virginis, ut parere posset per dilatationem partium, & naturalium viarum, sine ruptione tamen aliqua, vel divisione; quemadmodum Augustinus lib. 14. de Civit. cap. 26. & S. Thomas 1. par. qu. 98. ar. 2. ad 4. putarunt sic futuram fuisse cæterorum hominum nativitatem, si primus homo in statu innocentiæ perdurasset. XIV. Intelligi nequit quomodo viæ naturales, quæ strictissimæ sunt, possint intra se capere corpus pueri, nisi, vel ipsæ dilatentur, vel corpus quasi comprimatur, vel partium penetratio subsequatur; sed tertius modus repugnat, secundus non est admittendus: ergo primus. Et hoc est argumentum Durandi.

Respondemus ad I. Signum illud non fuisse datum Achaz, sed domui David. Achaz enim renuit petere signum a Domino, & dixit: *Non petam, & non tentabo Dominum*; post quæ Propheta dixit: *Audite ergo Domus David, . . . Propter hoc dabit Dominus ipse vobis signum: Ecce Virgo concipiet &c.* Domus autem David permansura erat usque ad Christum, ut clarum est.

Ad II. dicitur, Patres, ac veteres Theologos per vulvæ aperitionem non intellexisse, quod fuerit in Virgine perfractum, & interruptum integritatis sigillum, sed dumtaxat, quod vere Christus ex Virginis utero processerit. Tertullianus,& Origenes in hoc excesserunt, & errarunt, ut Dissertationis initio dictum est. Apud Lucam aperire vulvam nil aliud est, quam nasci, & ex materno utero in lucem exire; & hoc loquendi modo usi sunt Patres, quia ita est communis, & naturalis modus profundendi fœtus, ut in lucem exeat aperto utero; non autem per hoc intellexerunt, quod vere uterus apertus fuerit, nec etiam per materialis integritatis amissionem.

Ad III. sic respondet S. Thomas 3. par. qu. 28. ar. 1. ad 1. *Quod sicut Beda dicit super Lucam, pater Salvatoris appellatur Joseph, non quod vere juxta Photinianos pater fuerit ei: sed quod ad famam Mariæ conservandam, pater sit ab omnibus æstimatus. Unde & Lucæ 3. dicitur. Ut putabatur filius Joseph. Vel sicut Augustinus dicit in lib. de Bono conjugali: Eo modo pater Christi dicitur Joseph, quo & vir Mariæ intelligitur, sine commixtione carnis, ipsa copulatione conjugii; multo videlicet conjunctius, quam si esset aliunde adoptatus. Neque enim propterea non erat appellandus Joseph pater Christi, quia non eum genuerat concubendo: quando quidem pater esset etiam ei, quem non ex sua conjuge procreatum aliunde adoptasset.*

Ad IV. dicitur, quod genealogia Christi deducitur per Joseph; tum quia, ut ait Hieronymus, non est consuetudo Scripturarum taxari ordinem mulierum in generationibus; tum etiam, quia ex una, & eadem Tribu erant Joseph, & Maria; tum denique, ut docet Augustinus in lib. de nuptiis, & concupiscentia, debebat generationum series usque ad Joseph perduci, ne fieret injuria in illo conjugio virili sexui, vel eo magis, quia veritas semper suum habebat locum, quum ex eodem semine David, & Joseph esset, & Maria.

Ad V. dicit Glossa ad citatum locum ad Galat. 4. Apostolum posuisse mulierem pro femina more loquutionis hebræorum, quæ mulieres appellat Virginitate incorruptas. Glossa autem est Augustini lib. 23. contra Faustum cap. 7. in medio.

Ad VI. Ambrosius potius in illo loco docet fuisse supra naturam, quod Virgo conciperet sine semine viri; quemadmodum cæteri Sancti hoc ipsum inter magna Dei miracula ponunt, ut docet Anselmus lib. de Conceptu Virginali. Cæterum Ambrosius multa dicit, fuisse in illa Conceptione secundum naturam, & alia dicit fuisse supra naturam; secundum naturam fuerunt, quod corpus per conceptionem illam formatum fuit naturale, quod habuit dispositiones connaturales humano Corpori, quod in utero matris inceepit esse, & nutriri naturali modo, & quod vere Christus fuit conceptus humana conceptione naturaliter secundum materiam, & terminum, non vero secundum modum, & principium efficiens.

Ad VII. verbis hisce respondet S. Thomas; *Quod secundum Philosophum in lib. de generat. animalium, semen maris non est sicut materia in conceptione animalis, sed solum sicut agens; Sola autem femina materiam subministrat Conceptui. Unde per hoc quod semen maris defuit in Conceptione corporis Christi, non sequitur quod defuerit ei debita materia. Si tamen semen maris esset materia fœtus concepti in animalibus, manifestum est, quod non est materia permanens in eadem forma, sed materia transmutata. Et quamvis virtus naturalis non possit transmutare ad certam formam, nisi determinatam materiam, virtus tamen divina, quæ est infinita, potest transmutare omnem materiam in quamcunque formam: Unde sicut transmutavit limum terræ in Corpus Adæ, ita in corpus Christi transmutare potuit materiam, a matre ministratam, etiamsi non esset sufficiens materia ad naturalem conceptum.*

Ad VIII. dicit pariter S. Thomas, quod ratio locum habet in his, quæ procedunt in esse per viam naturalem; quia natura & est determinata ad unum effectum, & est determinata ad unum modum producendi illum effectum. Virtus autem supernaturalis divina, quia est infinita, nec est determinata ad unum effectum, nec est determinata ad modum producendi quemcunque effectum. Unde concludit Angelicus, *quod sicut virtute divina fieri potuit, ut primus homo de limo terræ formaretur, ita etiam fieri potuit, ut divina virtute corpus*

pus Christi formaretur de Virgine, absque verili semine.

Ad IX. respondet S. Ildephonsus lib. contra eos, qui disputant de perpetua Virginitate Mariæ, quod Evangelista dixit: *Postquam impleti sunt dies purgationis ejus*, non quod Maria purgatione indigeret, sed ut sequeretur exemplum Filii, qui voluit legem præsentationis implere, quia erat de muliere factus. Hæc sunt verba Ildephonsi: *Et hæc est completio dierum secundum consuetudinem legis, & non secundum necessitatem purificationis: quia beata, & intemerata, & incorrupta permansit, nullis coinquinata sordibus, nullis vexata Evæ cruciatibus.*

Ad X. respondet Hieronymus super cap. 1. Matthæi: *Quod dicitur antequam convenirent, non sequitur ut postea convenerint, sed Scriptura quid factum non sit, ostendit.* Et ratio est, quia particula *antequam* non semper infert aliquid quod sit postea faciendum. Sic Judas mortuus est antequam pœniteret, non sequitur, quod postea pœnituerit: Navis periit, antequam Neapolim perveniret, non sequitur, quod postea pervenerit: Urbs Aggressoribus se dedit, antequam suppetias reciperet, non sequitur, quod postea receperit.

Ad XI. Multæ sunt loquutiones in Sacra Scriptura, in quibus adhibetur adverbium *donec*; per quod non significatur tamen, quod Adversarii intendunt. Genesis 8. de corvo arcæ Noe legitur: *Non revertebatur, donec siccarentur aquæ*; & tamen post siccitatem Corvus non fuit reversus in arcam. Danielis 6. dicitur de illis, qui Danielem accusabant, & qui in lacum leonum projecti fuere: *non pervenerunt usque ad pavimentum, donec arriperent eos leones*; & tamen non importatur, quod deinde pervenerint ad pavimentum. Psalm. 109. habetur: *Sede a dextris meis, donec ponam inimicos tuos &c.* Et 1. ad Corinth. 15. *Oportet illum regnare, donec ponat omnes inimicos &c.* Et tamen quis dicet Christum non amplius sessurum, & regnaturum a dextris Dei, quia jam expugnati fuerunt omnes inimici ejus? Ratio est, quia per *donec* solum exprimitur id, quod dubium esse potest, relinquendo illud quod est certum, tanquam a fortiori inferendum. Et sic voluit Evangelista significare, quod si Joseph non cognovit Mariam ante partum, a fortiori non cognovit post partum; quia tunc jam erat facta Dei templum, Spiritus Sancti Sacrarium, ac Domini sui Mater.

Ad XII. Helvidius in hoc errore fuit, ut qui dicuntur in Evangelio fratres Domini, filios B. Virginis fuisse, crederet; Patres autem quidam Græci, uti Epiphanius, Theophylactus, Euthymius, Oecumenius, Origenes, Nyssenus, Nicephorus, aliique crediderunt, fuisse filios S. Joseph, non ex B. Virgine progenitos, sed ex alia uxore, quam duxerat, antequam B. Virginem Sponsam haberet. Hanc eandem opinionem ex latinis docuerunt Hilarius, Ambrosius, & aliquo modo etiam Augustinus. Communior tamen sententia Patrum est, illos fuisse dictos Fratres Domini, quia erant filii Sororum B. Virginis, & Annæ nepotes, ut volunt quidam; sed melius alii dicunt fuisse filios non Sororum carnalium, sed Consubrinarum B. Virginis, ut nos etiam innuimus supra. Unde Fratres illi non erant vere fratres Domini, sed consanguinei tantum.

Ad XIII. dicimus cum Suarez, quod Christus exivit de utero Matris sine ulla virginei corporis dilatatione, immutatione, aut injuria; ad eum modum, quo exivit de sepulchro, vel ingressus est ad Discipulos, januis clausis, non transiliendo, nec dilatando, aut immutando, sed simpliciter penetrando interjacentia corpora, simulque cum illis in eodem loco existendo. Hæc Suarez, qui & asserit, se hanc conclusionem existimare certam, tum ob communem Theologorum consensum, tum ob authoritatem Patrum, qui hoc miraculum valde exagerant; non esset autem miraculum, si per solam partium dilatationem accidisset Nativitas Christi, neque excessisset modum Nativitatis, qui futurus fuisset in statu innocentiæ. Præterea secundum Durandi sententiam, etsi non amisisset B. Virgo Virginitatem formalem, amisisset tamen materialem; hoc autem dici non potest, quia Patres unanimiter docent Deiparæ Virginitatem in Nativitate Filii non solum non fuisse imminutam, sed etiam auctam. Audiantur Patres. Gregorius Nyssenus in vita Moysis: *A Virgine deitatis lux, assumpta carne, illuxit hominibus, eamque omnino incorruptam servavit, virginitatis viriditate nullo pacto commutata.* Augustinus serm. 15. de tempore: *Crevit in ejus partu integritas corporis potius quam decrevit, & Virginitas ampliata est potius quam fugata.* Chrysologus serm. 142. *Qui ingreditur, & egreditur, & introitus sui & exitus nulla vestigia relinquit, divinus habitator est, non humanus.* Et infra: *In tuo conceptu, in tuo partu, crevit*

pudor,

pudor, aucta est castitas, integritas roborata. Guarricus homil. 2. de laudibus Virginis: *Nequaquam Rex gloriæ vincula laxavit, aut dilatavit*. Nicephorus Constantinopolitanus in epist. ad Leonem, quæ habetur in Concilio Ephesino tom. 5. cap. 2. *Virginem, quæ supernaturaliter, & ineffabiliter pepererat, post partum Virginem conservavit, virginitate illius secundum naturam nulla ex parte demutata, aut labefactata*. Et Proclus Cyzicen: *Naturæ portas reseravit, Emmanuel, ut homo, sed Virginitatis claustra non violavit, neque perrupit ut Deus, ita enim ex utero est egressus, sicut per auxem ingressus: ita natus sicut conceptus, qui impatibiliter fuerat illapsus, impatibiliter est elapsus*.

Ad XIV. Idem Suarez dicit, hoc argumentum esse magis contra Durandum, quia difficilius est intellectui & corpus solidum, & grandioris quantitatis, transire per poros alterius interjacentis corporis, propter solam dilatationem, absque ulla divisione, vel penetratione. Cæterum ex philosophicis probatum supponimus divinitus possibilem esse corporum penetrationem, etiam adæquatam; quemadmodum accidit, quod ex fide habemus, quando Christus exivit de Sepulchro, & quando ad discipulos januis clausis ingressus est, non quidem transiliendo, nec dilatando, aut immutando, sed simpliciter interjacentia corpora penetrando.

DISSERTATIO CCVIII.

De Voto Virginitatis Deiparæ Mariæ. An vere illud emiserit? Quo tempore? An conditionatum, vel absolutum? An simplex, vel solemne?

Posteriorum temporum Heterodoxi, Lutherani scilicet, & Calviniani, in odium votorum monasticorum, eam effutire insaniam, ausi sunt, ut nullum dicerent a Deipara fuisse unquam Virginitatis votum emissum. Et quanvis aliquando asserant, servatam a Maria Virginitatem fuisse, negant tamen fuisse ad hanc servandam ullo voto obstrictam, atque obligatam. Et hæc quidem cum hæreticis in præsenti Dissertatione sola quæstio est. Inter Theologos vero plures emergunt quæstiones circa alia, quæ in Dissertationis titulo proponuntur. Quorum opiniones hic primo legentibus proponimus, ut deinde ad Conclusiones, juxta nostram consuetam methodum, deveniamus.

Primo. Quidam non valentes conciliare votum virginitatis, quod præcessit matrimonium cum matrimonio, quod subsequutum est ipsum votum, dixerunt B. Virginem vovisse Virginitatem post contractum matrimonium cum S. Joseph, ac de illius assensu. Et qui sic sentiunt, etsi non omnes, volunt quoque vovisse Virginem postquam Gabrielis nuncium accepit, & vovisse, quando, testante Angelo, credidit, se absque læsione Virginitatis, parituram Jesum filium suum; quod quidem accidit postquam desponsata, ac matrimonio juncta Josepho fuisset.

Secundo. Alii vero putantes in veteri lege extitisse præceptum, & obligationem certam de prole procreanda, arbitrati sunt, tunc temporis Virginitatem fuisse prohibitam; proinde dixerunt, B. Virginem primitus vovisse sub conditione, nisi Deus prohiberet, vel oppositum revelaret; deinde vero, cognita Dei voluntate absolute vovisse.

Tertio. Alii sentiunt, Deiparam vovisse, & ante Nuncium Angelicum susceptum, & ante quoque cum Joseph desponsationem. Sed non per hoc quæstio terminatur, quia remanet quoque incertum, quo infantiæ, aut pubertatis distincto tempore voverit; quo ætatis anno? Cedrenus ait, vovisse anno ætatis undecimo, viventibus adhuc, ac consentientibus parentibus. Alii putant, vovisse statim ac habuit rationis usum. Alii demum scribunt, vovisse ex quo momento de Virginitate, ac de usu conjugii cogitare cepit; & hoc peculiari Spiritus Sancti instinctu, quo novit, Id genus sacrificii, Deo esse gratissimum. Et hujus sententiæ est Serry in Exercitat. 20. num. 5.

num. 5., qui subdit: An autem id fuerit primum momentum usus rationis, quis certo definiet? concludens postmodum num. 6. illud certius, ac cura dubium omne ex Patrum sententia esse, Deiparam mortalium primam, Virginitatem vovisse, eandemque ex voto servasse.

Quarto. Non pauci mordicus sustinent, Virginitatis votum absolute prorsus fuisse a B. Virgine emissum; nihilque plane causæ fuisse, cui illud primum conditione suspenderet. Et hujus sententiæ est citatus Serry, cujus sunt allata verba.

Quinto. Quidam contendunt, solemne votum Virginitatis fuisse a B. Virgine emissum in templo, simplex vero quando ad rationis usum pervenit. Contra quos alii asserunt, ac tuentur, Virginitatis propositum primo Virginem concepisse in matris suæ utero, quando scilicet inibi fuit absque ulla labe concepta, & a Deo sanctificata; votum vero emisisse, quando in templo fuit præsentata; non fuisse tamen solemne, sed simplex, quia tunc in usu non erant, nec praxi mandari poterant, quæ modo ad solemnitatem voti sunt necessaria.

Dicimus I. Mariam Deiparam tunc primum Deo obtulisse virginitatem suam, quando in matris utero fuit omnis maculæ expers concepta, & a Deo sanctificata; quando vero deinde fuit in templo præsentata, tunc primum propositum confirmasse, & Virginitatis votum emisisse; adeoque ante desponsationem cum B. Joseph, & ante acceptam ab Angelo salutationem.

I. Probatur. Cognoscebat jam Beatissima Maria, ipsomet Serry fatente, gratissimam esse Deo Virginitatem: ergo tunc debebat illam Deo offerre, quando hoc primo cognovit; sed hoc primo cognovit in suo primo Conceptionis instanti, quando rationis compos fuit effecta: ergo tunc, & non postea fecit Deo primam suæ virginitatis oblationem. Probatur minor subsumpta; cæteræ enim propositiones considerantibus patent. Facta rationis compos debebat quid perfectius pro seipsa esset, & quid Deo charius cognoscere: ergo cognovit virginitatis oblationem esse Deo acceptissimam, & in seipsa perfectissimam: ergo tunc illam fecit. Antecedens est certum; quia quum facta fuerit rationis compos per miraculum non naturaliter, non debebat in cognoscendo naturæ legibus coarctari, sed illico pertingere ad perfectissimam cognitionem, quam deinde sequi debebat perfectissima oblatio; quemadmodum Joannes Baptista, qui pariter in utero matris rationis usum accepit, inibi illum ostendit per saltus, qui Ambrosio teste lib. 4. de fide cap. 4. erant simul, & purissimæ intelligentiæ, & ardentissimi amoris signa. *Habebat enim intelligendi sensum, qui exultandi habebat affectum.* Scimus controverti a quibusdam, & a S. Thoma præsertim, qui videtur in negativam partem propendere; an B. Virgo, quæ habuit in utero matris rationis usum, habuerit stabilem, & perseverantem rationis, & libertatis facultatem. At hæc nobis sententia est, quod illam habuerit, conveniens erat, ut haberet eo ipso, quod per miraculum, & non naturaliter rationis compos effecta est.

II. Probatur. Nullus erat locus templo opportunior, aptior, & decentior ad virginitatis votum emittendum; ergo tunc primum B. Virgo illud expresse emisit, quando triennis in templo est præsentata. Tunc enim seipsam totam Deo obtulit; & consequenter tunc etiam quod melius in ea erat, & Deo acceptius obtulit, hoc est, Virginitatis votum emisit. Quod si tunc triennis emisit, jam undecim annis ante desponsationem cum Joseph, Virginitatis votum ab ea factum est, & plus quoque ante acceptam ab Angelo salutationem. Et hoc pacto impugnati remanent illi, qui contendunt tunc tantum conceptum ab ea votum, quum primum ab Angelo intellexit, futurum esse, ut intacta Virginitate pareret Christum. Sed ut hoc luculentius appareat in alterius Conclusionis partis probatione, hæc alia adjungimus momenta sive a Scripturis, sive a Patribus excepta.

III. Probatur. Maria Virgo respondit Angelo nuncianti: *Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco?* Sed hoc impedimentum quod Angelo objiciebat, aliud non erat, quam impotentia cognoscendi virum oborta ex voto Virginitatis emisso: ergo votum hoc fuit emissum ante acceptam ab Angelo salutationem. Probatur minor. Non poterat B. Virgo verbis illis significare solum cognitionis actum, quem nunquam exercuerat; quia, stante potentia cognoscendi, nulla fuisset difficultas objecta. Ut enim ait Serry: partus uti futurus proponebatur ab Angelo; non repugnat autem futurum esse partum, si quæ puella Virum nondum actu cognovit, eundem tamen sit cognitura; nisi emissum virginitatis votum, obicem ponat. Eam porro impotentiam

tentiam cognoscendi eo verbo expressit Virgo Deipara : *Virum non cognosco*; quo pacto Abstemius ait, *vinum non bibo*, hoc est, bibere non possum; & cæcus, *lumen cœli non video*, hoc est videre non possum. Hucusque Serry. Et hoc pacto etiam intellexerunt Patres Ecclesiæ votum virginitatis a Deipara emissum in antecessum; hoc est, collegerunt ex præfato responso Virginis ad Angelum, qui eam salutabat. Proinde ex Patribus hisce hanc aliam subjungimus probationem.

IV. Probatur. Gregorius Nyssenus orat. in diem natalem Christi, Virginem, hæc verba loquentem, inducit : *Interdixi mihi consuetudinem viri, quomodo istud erit mihi, quoniam virum non cognosco? Quia carnem Deo consacratam, tanquam sanctum aliquod oblatum munus, oportebat intactam, integramque præstare : idcirco licet, inquit, Angelus sis, licet e cœlo venias, licet id, quod ostenditur, naturam superet humanam; tamen me virum cognoscere, nefas est*. Ideo nefas virum cognoscere, quia nefas votum violare; ideo consuetudinis viri interdictio, quia Deo carnis facta fuerat consecratio; & ideo Deo carnis facta fuerat consecratio, quia præcesserat voti virginitatis emissio. Augustinus lib. de S. Virginitate cap. 4. *Ipsa quoque virginitas Mariæ ideo gratior, & acceptior, quia non eam Conceptus Christus, viro violaturo, quam conservaret ipse, & præripuit; sed priusquam conciperetur jam Deo dicatam, de qua nasceretur, elegit. Hoc indicant verba, quæ sibi fætum nuncianti Angelo Maria tradidit : Quomodo, inquit, fiet istud, quoniam virum non cognosco? Quod profecto non diceret, nisi Deo Virginem se ante vovisset. Sed quia hoc Israelitarum mores adhuc recusabant, desponsata est viro justo, non violenter ablaturo, sed potius contra violentos custodituro, quod illa jam voverat .... Virginitatem Deo dicavit, cum adhuc quid esset conceptura, nesciret, ut in terreno, mortalique corpore cælestis vitæ imitatio, voto fieret, non præcepto; amore eligendi, non necessitate serviendi*. Bernardus serm. 4. super missus est : *Non quærit, an fiet istud, sed quomodo? Quasi dicat : Dum sciat Dominus meus, testis conscientiæ meæ, votum esse ancillæ suæ, non cognoscere virum; qua lege, quo ordine placebit ei, ut ne fiat istud? Si oportuerit, me frangere votum, ut pariam talem filium, gaudeo de filio, & doleo de proposito*. Et serm. 4. de Assumptione testatur, B. Virginem verbis illis indicasse immobile propositum castitatis. Anselmus homil. in illud Lucæ 10. *Intravit Jesus in quoddam Castellum*, dicit, B. Virginem fuisse miratam, quia *certissime sciebat, nunquam virum cognituram*; & hoc ipsum per divinam revelationem cognovisse : & in lib. de Excellentia Virginis cap. 4. apertius loquitur de voto, asserens, Deiparam Virginitatem suam Deo consecrasse. Beda in cap. 1. Lucæ; *Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco? Propositum suæ mentis reverenter exposuit, vitam, scilicet, virginalem se ducere, decrevisse : Quæ, quia prima feminarum tantæ se virtuti mancipare curavit, jure singulari præ cæteris feminis beatitate meruit excellere*. B. Edmerus lib. de excellentia B. Virginis cap. 4. *Ubi tam sanctam intentionem ejus, tam castum propositum ejus vidit, misericordia sua intuitu egit circa illam, ut nec sanctitas intentionis ejus frustraretur, nec castitas propositi ejus violaretur. Dedit ergo illi, ut & Virgo, quod magis optabat, permaneret, & fœcunda fieret*. Arnoldus Abbas in laudatione B. Virginis : *Credo, secum pertractabat, quomodo sine offensione legis maneret in proposito castitatis: quia hanc elegerat, hanc Deo voverat, & integritatem carnis, ac spiritus apud se Domino consecraverat*.

V. Probatur a Suarez, B. Virginem a principio usus rationis habuisse absolutum, & firmum propositum servandi perpetuam Virginitatem. Primo, hoc ait, esse de mente S. Thomæ, quia asserit, B. Virginem *semper habuisse virginitatem in desiderio*; sed non loquitur Angelicus de imperfecto desiderio, qualis est velleitas, sed loquitur de voluntate deliberata, & de efficace amore castitatis, quod erat ex parte Virginis; & dum dicit *semper*, intelligit omne tempus, quo B. Virgo vixit, & fuit rationis compos : ergo ex S. Thoma primum propositum virginitatis in B. Virgine fuit, statim ac rationis compos effecta est; Sed aliunde nos probavimus, hoc fuisse in utero matris : ergo &c. Secundo, B. Virgini tribuere debemus perfectissimum castitatis, & Virginitatis gradum; sed ad hanc perfectionem spectat perpetuum servandæ virginitatis propositum : ergo &c. Tertio, si pro aliquo instanti non fuisset in B. Virgine virginitatis propositum, non fuisset in illo instanti mota a Spiritu Sancto ad amandum, & perficiendum id, quod erat melius, & Deo gratius, sed Virginitas de se est melior, & Deo gratior, ut habetur ex 1. ad Corinth. 8. ergo &c.

VI. Probatur, Virginem misisse virginitatis votum

votum antequam Josepho desponsaretur. Nyssenus orat. in diem natalem Christi: *Non liberorum causa Josepho nupsit, quinimmo nefas illi fuit cognoscere virum*: ergo jam voverat virginitatem antequam Josepho nuberet; hæc enim, & non alia erat caussa, cur non nuberet liberorum edendorum voluntate, & quod illi esset nefas. Augustinus lib. de S. Virginitate cap. 4. *Desponsata est viro justo, non violenter ablaturo, sed potius contra violentos custodituro, quod illa jam voverat*. Rupertus Abbas lib. 3. in Cantica: *Quia votum egregium Deo prima vovisti, votum Virginitatis, attamen Sponsi nomen admisisti, desponsari viro non renuisti*. Quibus addit Serry rationem, quam ipsimet Patres insinuant, & quam verbis suis afferimus: „Si enim votum non antea nuncupasset, matrimonium cum Josepho iniisset animo cognoscendi virum, & dandi operam liberis; atque ita in futuram copulam, quantum in ipsa fuerat, consensisset. Quominus enim hunc haberet animum, atque in copulam consentiret nubendo, votum dumtaxat impedimento esse poterat. Hanc porro eo nupsisse animo, summæ illius puritati repugnat, quæ cæteris virginibus exemplo esse, ac prælucere debebat: Alias excellentiores bene multæ Virgines extitissent, quibus nullus unquam hujusmodi fuit animus, nullus unquam consensus in copulam. Ante igitur nuncupaverat votum, quam nuberet viro „.

Dicimus II., vere B. Virginem virginitatem vovisse.

I. Probatur a S. Thoma. Quod perfectius est tribui debet Deiparæ; sed quæcunque virtutis opera perfectiora sunt, si ex voto fiant: ergo virginitas, quæ perfectior, quam in aliis, debuit esse in matre Dei, ex voto fuit.

II. Probatur juxta Patres, ac cæteros catholicos Scriptores. Maria Deipara fuit Virginitatis exemplar, omnibus, qui post ipsam virginitatem colere voluissent; sed non conveniebat, quod exemplar minus haberet perfectionis in eo, in quo erat exemplar: ergo quicquid perfectionis est in Virginitate, fuit in B. Virgine: atqui innumeræ fuerunt, & sunt quoque Virgines, quæ virginitatem observant ex voto, quod quidem majoris est perfectionis: ergo ne desit B. Virgini hæc perfectio, dicendum est, illam coluisse Virginitatem ex voto. Quod servare Virginitatem ex voto sit majoris perfectionis, apud Catholicos certissimum est, & contra Hæreticos probatur; quia illud est majoris perfectionis, quod plurium virtutum in se actus includit, quod majorem obligationem in operante supponit, quod ad excellentiorem virtutem ordinatur; sed quod fit, & exercetur ex voto, includit actus plurium virtutum, supponit majorem in operante obligationem, & ad excellentiorem virtutem operatur: ergo &c. Probatur minor. Quod fit ex voto, præter virtutem illam, cujus est actus, includit etiam actum religionis, ad quam votum ordinatur, quæ quidem est virtus excellentior, quam sit virginitas, vel alia quæcunque moralis; Insuper dicit majorem obligationem, quia superadditur obligatio, ex voto contracta, & dicit quoque majus meritum; quia quum sit gravius peccatum non observare rem ex voto promissam, ita pariter debet esse majus meritum illam observare.

III. Probatur. Si Beata Virgo non concepisset votum virginitatis, vel ideo fuisset, quia illam noluit, vel quia non debuit, vel quia non potuit, vovere; sed hoc totum est falsum: ergo &c. Probatur minor. Non est credendum quod noluit, quia quum offerret Deo Virginitatem suam, intendebat illam offerre meliori modo, adeoque per votum; debuit quoque, quia quum Christus deberet ex Virgine nasci, nasci oportebat ex Virgine virginitate perfectiori, quia perfectior est Virginitas, quando est ex voto; potuit denique, quia nullum ad hoc impedimentum habebat; non ex parte legis, ut dicetur infra, non ex parte Parentum, ut mox quoque explicabitur, neque ex parte Dei; Deus enim non reprobat quod est perfectius, & promptius acceptat quod in se majus includit meritum.

IV. Probatur. Patres docent, Deiparam mortalium primam virginitatem vovisse, eandemque ex voto servasse: ergo vere B. Virgo virginitatem vovit. Antecedens probatur a Serry sequentium Patrum testimonio. Origines in cap. 13. Matthæi: *Arbitror rationi consentaneum esse, virilis quidem puritatis in castitate primitias fuisse Jesum, muliebris vero Mariam. Non enim plausibile est, alii præter hanc virginitatis primitias adscribere*. Ambrosius lib. de instit. Virginis cap. 5. *Egregia igitur Maria, quæ signum sacræ virginitatis extulit, & intemeratæ integritatis pium Christo vexillum levavit*. Hieronymus epist. 22. quæ est ad Eustochium de custodia Virginitatis cap. 7. *Habeant nuptæ suum tempus, ac titu-*

titulum; mihi Virginitas in Maria dedicatur, & Christo. Augustinus tract. 10. in Joannem: *A Maria cœpit dignitas Virginum*. Bernardus hom. 3. super *Missus est*: *O Virgo prudens, o Virgo devota, quis te docuit, Deo placere Virginitatem? Quæ lex, quæ justitia, quæ pagina veteris Testamenti vel præcipit, vel consulit, vel hortatur, in carne non carnaliter vivere, & in terris Angelicam ducere vitam? ... Et Apostolus quidem, de Virginibus*, inquit, *præceptum non habeo, consilium autem do; tu vero, non dicam præceptum, sed nec consilium, nec exemplum habuisti, nisi quod unctio docebat te de omnibus; & sermo Dei vivus, & efficax ante tibi factus est Magister, quam filius; prius instruxit mentem, quam indueret carnem*. Post quæ subdit Serry: „ Quæ omnia de virginitate ex „ voto servata a Patribus dicta fuisse, nemo „ non videt; cum virginitatem citra votum „ coluisse ante Mariam aliquos, nemo nesciat. „ Expressius tamen loquitur Bernardus serm. de Virgine, quem mox adducemus.

V. Probatur ex Patribus, qui expressioribus verbis de Virginis voto loquuntur. Bernardus serm. de Virgine ad illa verba Apocalypsis: *Signum magnum apparuit in cœlo &c.* scribit: *Propositum virginitatis, & ipsius quoque propositi novitas virginitatem carnis illustrat: quod, videlicet, in libertate Spiritus, legis Mosaicæ decreta transcendens, illibatam Deo corporis simul, & Spiritus Sanctimoniam vovit*. Rupertus Abbas lib. 3. in Cantica: *Quia votum egregium Deo prima vovisti, votum virginitatis; attamen Sponsi nomen admisisti, desponsari vero non renuisti*. Beda in cap. 1. Lucæ: *Quia prima feminarum tanta se virtuti mancipare curavit, jure singulari præ ceteris feminis beatitate meruit excellere*. Anselmus in Stimulo amoris ita Christum alloquens: *Descendisti a regali solio sublimis gloriæ tuæ in humilem, & abjectam in oculis suis puellam, primo virginalis continentiæ voto sigillatam*.

Dicimus III. votum Virginitatis in Maria Deipara fuisse absolutum, non conditionatum; & non fuisse solemne, si quæ modo ad solemnitatem voti concurrunt, considerentur; fuisse tamen eo modo, quo non poterit dici omnimodo simplex.

I. Probatur. Patres omnes, qui meminerunt voti, illudque summis laudibus exaltarunt, quod de Virginitate perpetuo servanda Maria Dei parens emisit, semper illud simpliciter, & absolutum nominarunt, nunquam conditionatum; nec ullam distinctionem in scriptis suis induxerunt, quam posterioribus temporibus Scriptores alii in medium adduxerunt, voti scilicet, in absolutum, & conditionatum: ergo signum est, quod Patres illi nec votum conditionatum in Virgine agnoscebant, sed absolutum; & quod universim hujus conditionati voti, nullam habentes cognitionem, de solo absoluto scribebant, ac loquebantur. Probatur antecedens. Bernardus absolute dicit, habuisse Virginem virginitatis propositum, & quod vovit Deo illibatam corporis simul, & spiritus sanctimoniam; Rupertus Abbas similiter asserit, quod ipsa votum egregium Deo prima vovit, votum virginitatis; Beda, quod prima feminarum tantæ se virtuti mancipare curavit; Anselmus eam vocans primo Virginalis continentiæ voto sigillatam; Hieronymus, quod Virginitas in Maria fuit Deo dedicata, & sic alii, in quorum verbis nullum est conditionati voti vestigium.

II. Probatur. Conditio, quam Adversarii fingunt in Virginitatis voto, quod Dei Mater emisit, est hæc; *nisi Deus prohiberet, aut oppositum revelaret*. Hoc posito, ita discurrimus. Si sub proposita conditione Virginitatis votum Deipara vovisset, audita prius ab Angelo promissione, *Ecce concipies in utero, & paries filium*; & non intellecta ab eodem Angelo etiam promissa Spiritus Sancti obumbratione, qua, absque virginitatis læsione, filium suum conceptura erat, ac paritura; jam illico se intellexisset voto solutam; quia voluntas Dei erat, ut conciperet, & pareret, & virginitatem consequenter non observaret. Quod si hoc fuit, non debebat postmodum subjungere, *quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco*; cessabat enim servandæ Virginitatis votum, quia quum fuisset votum conditionatum; si Deus aliter non revelaret, vel non præciperet, posito quod Deus aliter revelabat, & præcipiebat, non erat amplius voto locus. At potius Virgo subjunxit difficultatem augens, & non minuens, quando dixit; *quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco*: ergo signum est, quod vere votum non fuerat conditionatum, sed absolutum, & quod ipsa per Angeli verba non se intelligebat voti religione solutam; quin potius se ad Virginitatem servandam ex voto obligatam agnoscens nesciebat concipere modum, quo esse poterat Virgo simul, & mater; Unde de hoc Angelum interrogans, humillime dicebat; *quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco*.

III. Pro-

III. Probatur. Ideo Adversarii ponunt conditionem in voto, quod emisit Maria Virgo, quia supponunt in lege veteri præceptum de prole procreanda, privatis datum, & interdictum servandæ castitatis privatis impositum; quod sciens Deipara ex una parte, & ex altera volens Virginitatem suam Deo offerre, primitus quidem sub conditione vovit, nisi Deus prohiberet, vel oppositum revelaret; & deinde cognita Dei voluntate, vovit absolute; sed nullum præceptum datum est privatis procreandæ prolis in veteri lege, nullum servandæ castitatis interdictum: ergo B. Virgo nunquam conditionate, sed semper absolute vovit. Probatur minor exemplis plurimorum, qui in veteri lege castitatem servarunt; qui quidem fuerunt Josue, Elias, Eliseus, Jeremias, Daniel, Misaach, Sidrach, & Abdenago. Ex his Daniel, & Abdenago e Tribu Juda erant, in qua tribu potior erat ratio prolis procreandæ, quia ex ea oriturus erat Messias. Alii adjungunt Mariam, quæ fuit Moysis Soror, fuisse Virginem, & nunquam nuptam; uti testantur Ambrosius lib. 1. de Virginibus, & Nyssenus lib. de virginitate cap. 19. contra Josephum Judæum lib. 3. antiquitatum cap. 2. Hic idem Joseph lib. 2. de bello Judaico cap. 7. & lib. 18. antiquitatum cap. 2. addit Essenos, qui apud Hebræos peculiarem sectam constituebant, & in communi absque feminis vivebant. Præterea adjungi potest exemplum Christi, Joannis Baptistæ, & Apostolorum, quorum aliqui virginitatem coluerunt, alii vero relictis uxoribus, quas antecedenter duxerant, continentiam servarunt; & nihilominus nunquam Judæi illos persequuti sunt, quia virginitatem, vel castitatem colerent, & ob hoc essent Mosaicæ legis violatores. Profertur quoque in commendationem Virginitatis, & Virginum adhuc in lege veteri, hoc Isaiæ oraculum cap. 56. *Hæc dicit Dominus Eunuchis, qui custodierint Sabbatha mea, & elegerint, quæ ego volui, & tenuerint fœdus meum: dabo eis in domo mea, & in muris meis locum, & nomen melius a filiis, & filiabus: nomen sempiternum dabo eis, quod non peribit*. Quæ quidem verba Patres intelligunt de Eunuchis illis, qui seipsos castraverunt propter regnum cœlorum; hoc est, qui servarunt libere, & sponte coluerunt vel Virginitatem, vel castitatem; & sunt Hieronymus in Comment. in Isaiam, Ambrosius in exhortatione ad Virgines, Basilius lib. de Virginit. Nyssenus lib. 3. curæ pastoralis cap. 29., Augustinus lib. de S. Virginit. cap. 14. Rupertus in Isaiam.

IV. Probatur. Si quod fuisset in veteri lege præceptum prolis procreandæ, & interdictum servandæ Virginitatis, ob propagationem humani generis, & ad multiplicationem populi electi; temporibus tamen B. Virginis jam advenerat hujus præcepti desitio, quia cessaverat finis; quod plane omnibus notum est: ergo tunc temporis poterat B. Virgo virginitatem absolute vovere, tum quia agnoscebat voti absolutam honestatem magis Deo gratam esse; tum etiam, quia nulla erat violandæ legis suspicio, cujus ratione posset votum conditione suspendere. Argumentum est S. Thomæ in 4. sentent. dist. 37. qu. 3. art. 2. ad 2. *Non est inconveniens, aliquid esse illicitum uno tempore, quod est licitum, vel virtuosum, si alio tempore fiat. Et ideo si in tempore, quo Deus ad multiplicationem generis humani, vel cultus divini, homines operi conjugali insistere volebat, aliquis proprio motu incorruptionem, seu castitatem servasset, omnino peccasset. Sed postea facta multiplicatione sufficienti humani generis, vel colentium Deum, non peccabat, virginitatem servans, etiam in Lege Moysis, nec faciebat contra præceptum; quia & tunc qualiscunque multiplicatio per alios fieri poterat.*

V. Probatur ex verbis illis Lucæ 1. *Missus est Angelus Gabriel a Deo in Civitatem Galilææ, cui nomen Nazareth ad Virginem desponsatam viro, cui nomen erat Joseph de Domo David, & nomen Virginis Maria.* In quibus duo observanda sunt; primum, quod Maria Deipara dupliciter, & semper absolute vocetur Virgo; alterum, quod dicatur desponsata viro; quæ quidem non quamcunque integritatem indicant, sed plane ostendunt immobilem, & Deo consecratam virginitatem. Quum enim ante aliquot menses esset Josepho viro desponsata, cur adhuc Virgo permanet, & Virgo nominatur? Insuper cur dicitur Virgo desponsata, & nominatur ejus vir, quum non esset amplius dicenda Virgo, si votum Virginitatis fuisset conditionatum, quia jam conditio completa erat, & votum amplius non obligabat? Igitur signum est quod Virgo etiam post desponsationem erat, ac esse debebat; & hoc non aliunde, quam quia votum ejus de Virginitate servanda fuerat absolutum, & non conditionatum.

VI. Probatur, quod votum non fuerit sidemne

lemne, ut modo est. Vel solemnitas voti consistit in traditione facta Deo, vel in forma praescripta ab Ecclesia, sub qua nuncupatur; non in traditione facta Deo; quia aliter omne votum esset solemne: ergo in forma praescripta ab Ecclesia; sed haec forma ante Christum nulla inveniebatur praescripta: ergo nullum tunc erat votum solemne, sicuti modo est: ergo votum virginitatis a B. Virgine emissum non fuit solemne, sicuti modo est. Fuit autem solemne ratione intensioris affectus, ac majoris meriti, quod in Virgine erat; & ratione etiam vel publicitatis, vel manifestationis, vel voluntatis ipsius Virginis, quae votum illud emittere intendebat omni meliori modo, qui tunc possibilis erat. Audiatur Vasquez in 3. par. qu. 28. ar. 4. disp. 124. cap. 5. „ Denique quod attinet ad voti solemnitatem, certum esse debet, votum B. Virginis solemne non fuisse, sicut nunc solemne dici consuevit; tametsi Henr. quodl. 9. qu. illa 11. litera F. dicat ipsam, & Josephum, quantum erat ex parte sua, illud solemne fecisse, tamen an simpliciter fueris solemne, aperte non definit. Votum indicare videtur, ideo non fuisse solemne, quia tunc nulla erat definita forma, sub qua solemne fieret. Putat autem, votum Mariae ante matrimonium occultum fuisse inter ipsam, & Deum tantum: postea vero contracto matrimonio, simul cum marito votum nuncupasse, & quantum ex se erat solemne fecisse. Nullus autem alius Scholasticus ex antiquis aliquid de solemnitate hujus voti dicit. Certum igitur sit, illud non fuisse solemne tam in opinione eorum, qui dicunt, solemnitatem voti esse juris divini, & totam in traditione voventis, quae fiat Deo, positam esse, quam in sententia eorum, qui asserunt, solemnitatem solo jure ecclesiastico introductam fuisse: nam hi manifeste docent, post Christum inventam fuisse in statu tantum religionis, & ordine sacro; illi vero dicunt, traditionem nunquam per votum factam fuisse Deo; vel fieri potuisse, nisi assignata per Ecclesiam aliqua forma, sub qua aliqua persona loco Dei talem traditionem acceptet; & sicut nunc in manibus Praepositi in religionibus, & sub certa forma fieri solet, sicut 1. 2. disp. 165. memoravimus; tametsi hoc verum non sit, ut ibidem diximus; ostendimus enim cap. 8. illius disputationis, solemnitatem voti non consistere in traditione facta Deo, sed in forma praescripta ab Ecclesia, sub qua nuncupatur; contra vero convincimus plane, si voti solemnitas in sola traditione facta Deo consisteret, fore, ut in veteri Testamento per omne votum fieret traditio, ac proinde omne votum illius temporis fuisset solemne, quanto magis votum B. Mariae, & Josephi, qui multo majori affectu, quam reliqui, castitatem suam Deo per votum mancipassent „.

Arguunt I. Ut Virgo Deipara prudenter se gereret, debebat Virginitatem vovere postquam ab Angelo intellexit, se pariturum filium suum Jesum Christum, sua illaesa Virginitate; tunc enim erat certa, quod votum ab ea emissum, & Deo placeret, & suum sortiretur effectum; & in hac sola ratione potuisset votum esse absolutum. II. Deuteronomii 7. legitur: *Non erit apud te sterilis utriusque sexus*. Sterilitas ergo erat contra praeceptum veteris legis, & non aliunde, nisi quia erat impedimentum multiplicationi generis humani, & propagationi populi Judaici; atqui etiam virginitas hoc idem impedimentum causabat: ergo quemadmodum sterilitas in veteri lege damnabatur, ita etiam prohibebatur virginitas. III. Ante Christi nativitatem lex Mosaica obligabat ad ejus observantiam quoscunque illam profitebantur: ergo obligabat etiam B. Virginem: ergo pro tempore illo non poterat B. Virgo licite virginitatem vovere. IV. Apostolus 1. ad Corinth. 7. scribit: *De Virginibus autem praeceptum Domini non habeo, consilium autem do*; perfectio autem Consilii debebat a Christo incipere, ut ait idem Apostolus ad Rom. 10. *Est finis legis*: ergo non conveniebat, quod B. Virgo ante Christum virginitatis votum emitteret. V. Iis, qui castitatem vovent, Apostolus 1. ad Timoth. 5. damnabile, ait, non solum nubere, sed etiam velle nubere; sed B. Virgo fuit desponsata B. Joseph, ut habetur Lucae 1. ergo signum est, quod ante virginitatem non voverat. Ut enim loco suo probavimus, nullum peccatum, nec etiam veniale, vel quomodolibet leve commisit unquam B. Virgo; commisisset autem, si post omissum ab ea Virginitatis votum permisisset, se B. Josepho desponsari; quod non est dicendum. VI. B. Virgo non ignorabat, Messiam de Virgine fuisse nasciturum; sciebat enim prophetiam Isaiae cap. 7. *Ecce Virgo concipiet, & pariet filium &c.*: ergo quod illa proposuerit Angelo difficultatem voti, ab ipsamet emissi anteceden-

cedenter, quando Angelus ei nunciabat Messiam, de se proxime nasciturum, non importat difficultatem voti, sed potius modi, quo componi debebant Virginitas, & Maternitas. VII. Frustra objiciuntur exempla Virginitatis olim servatæ sub veteri lege; dato enim, quod aliqui eam servaverint, non servarunt tamen voti religione, sed studio tantum temperantiæ. Et probatur: Si quæ proponuntur, quæ Virginitatem ante Christi adventum servaverint, sunt potissimum filia Jephtæ apud Judæos, & Virgines Vestales apud Gentiles; & hæc exempla nil probant: ergo &c. Probatur minor. Filia Jephtæ vel ob votum patris, & non ex suo libero consilio, adeoque coacta Virginitatem servavit, vel finxit, eam servare se velle, ne patris gladio occideretur. Vestales vero Virginitatem servabant tantum ad tempus, at non vovebant; quia expleto tempore, quo ministerio illi se mancipabant, nubebant. Neque Eliæ exemplum aliquid pro re præsenti facit. Testimonium enim, quod producitur Joannis Hierosolymitani lib. de instit. Monachi scribentis: *Mariam adhuc infantulam Virginitatem perpetuam ad exemplum Eliæ amplexam esse*. Liber enim ille non est illius Joannis Hierosolymitani Patriarchæ, qui vivebat temporibus Hieronymi, & Epiphanii, sed recentis Monachi Carmelitæ; ut post censuram Cardinalis Bellarmini lib. de scriptoribus Ecclesiasticis in Joanne Hierosolymitano, & Cardinalis Baronii ad annum 444., discurrit Serry. VIII. Genesis 1. Protoparentibus nostris benedixit Deus, & ait illis: *Crescite, & multiplicamini, & replete terram*; & Genesis 9. *Benedixitque Deus Noe, & filiis ejus, & dixit ad eos: crescite, & multiplicamini, & replete terram*; quibus verbis satis ostenditur præceptum prolis procreandæ, & populi judaici multiplicandi. IX. Exodi 23. legitur: *Non erit infœcunda, & sterilis in terra tua*: ergo neque Virgo; par enim est ratio. X. Sterilitas mulieribus veteris Testamenti erat probro, ac dedecori, & maledictionis instar habebatur: ergo ob rationis paritatem etiam Virginitas. Probatur antecedens. Oseæ 9. *Da eis vulvam sine filiis, & ubera arentia*. Genesis 30. Rachel quando peperit filium dixit: *Abstulit Deus opprobrium meum*; & 1. Reg. 1. Anna uxor Helcanæ *vehementer angebatur, quod Dominus conclusisset vulvam ejus*. Ex opposito autem fœcunditas habebatur pro felicitate, & benedictione; Isaiæ 26. *Beatus, qui habet semen in Sion, & propinquos in Jerusalem* & Lucæ 1. quod Joannem in lucem ediderit, Elisabethæ *congratulabantur amici, & cognati, quia magnificavit Dominus misericordiam suam cum illa*. XI. Augustinus lib. de bono viduitatis cap. 7. *Sanctas feminas propheticis temporibus nubere obedientia, non concupiscentia, compellebat, ut propagaretur Populus Dei*; ergo erat nubendi præceptum. Cui concinit Bernardus serm. de Virgine ad Apocalypsis verba, *Signum magnum apparuit in cœlo*, clare dicens, Virginem Deiparam, quando Deo virginitatem dicavit *legis Mosaicæ decreta transcendisse*: ergo virginitas legis Mosaicæ decretis repugnabat. XII. Votum debet esse de meliori bono; sed temporibus B. Virginis propositum Virginitatis secundum legem veterem non erat de meliori bono: ergo non poterat eam vovere Virgo Deipara. Probatur minor. Tempore illo meliores erant nuptiæ, quam continentia, quod etiam docet D. Thomas: ergo Virginitatis propositum, seu votum non erat de meliori bono. XIII. Poterat B. Virgo formidare, ne ob Virginitatem suam impediretur Messiæ adventus; si scilicet ex ipsa generanda esset Messiæ Mater; sed hæc formido impediebat, ne ipsa Virginitatem voveret. XIV. Si B. Virgo habuit voluntatem contrahendi matrimonium, habuit etiam voluntatem tradendi alteri sui corporis dominium: ergo habuit quoque animum reddendi debitum conjugi petenti; Sed hoc est incompossibile cum virginitatis voto: ergo &c. XV. Potuit B. Virgo intelligere Angeli verba, quod isto eodem momento fuisset conceptura Verbum: ergo absque eo quod mentem haberet ad votum, de illo potuit interrogare, quomodo fiet istud. XVI. Angelicus Doctor aperte docet in 4. dist. 3. qu. 2. art. 1., & 3. par. qu. 28. ar. 4., Beatam Virginem vovisse sub conditione, si ita Deo placeret, vel nisi Deus aliter ordinaret; & deinde cognita Dei voluntate, absolute vovisse.

Respondemus ad I. quod qui sic discurrunt, asserunt quoque Virginem Deiparam post contractum cum Joseph matrimonium, ac pariter de ejusdem Joseph assensu vovisse. At quum rationes, & auctoritates a nobis allatæ plane convincant votum fuisse emissum ante desponsationem, & ante angelicam salutationem, horum Auctorum opinioni non est amplius locus, adeoque de illa nulla habenda est ratio.

Ad II.

Ad II. Respondet Angelicus, quod quia videbatur esse lege prohibitum non dare operam ad relinquendum semen super terram, ideo Dei Genitrix non simpliciter vovit virginitatem, sed sub conditione, si Deo placeret: postquam autem agnovit, hoc esse Deo acceptum, tunc absolute vovit, sed antequam ab Angelo annunciaretur. Attamen hæc responsio valet in sententia illorum, qui dicunt, votum fuisse conditionatum; in sententia autem nostra, qua dicimus, votum fuisse absolutum, aliter respondemus; dicendo nimirum, quod in prædicto loco Deuteronomii non contineatur præceptum de non colenda castitate, & continentia, sed promissio futuræ fœcunditatis in terra promissa. Et hoc patet, tum quia nequit dici vetita sterilitas, & præcepta fœcunditas, quæ non a nostra voluntate, sed a naturæ dispositione dependent; tum etiam quia interdictum videtur factum quoque peeudum gregibus, quæ quidem incapaces erant adimpletionis ejus, quum ratione careant, qua homines Deo præcipienti obedientiam exhibent.

Ad III. Argumentum supponit vere in veteri lege fuisse præceptum de non servanda virginitate, itaut omnes & singulos ad generandum filios obligaret; at hoc est falsum ex Hieronymo lib. 1. contra Jovinianum, & ex aliis Patribus; quod etiam asserunt Abulensis in Leviticum cap. 30. qu. 32. Sotus, Medina, & alii. Immo a Suarez sic probatur; quia vel illud præceptum fuisset naturale, vel positivum; non naturale, quia jam tunc genus humanum erat satis propagatum, & potuisset sufficienter per alios tam genus humanum, quam populus electus conservari, & augeri, etiam si multi virginitatem vovissent: neque positivum, quia nullibi hoc præceptum in tota lege veteri reperitur. Testimonia, quæ adducuntur in contrarium ex eadem lege veteri, in aliis objectionibus proposita, in responsionibus ad illas congruentes, & peculiares habebunt explicationes.

Ad IV. dicit S. Thomas, quod sicut gratiæ plenitudo perfecte quidem fuit in Christo, quanvis aliqua ejus inchoatio in matre præcesserit; ita etiam consiliorum observatio, quæ per gratiam Dei fit, perfecte quidem incepit in Christo, sed aliquo modo fuit inchoata in Virgine matre ejus. Et re vera quia B. Virgo tempore præcessit Christum in hac vita, ideo fuerunt virtutes aliquæ antequam fuissent in Christo; sed hæc fuit tantum prioritas temporis, quæ secum non portabat plenitudinem perfectionis, quæ tantum fuit in Christo; & ob hanc salvatur excellentia major in virtutibus Christi supra virtutes omnes Matris ejus, quanvis hæ tempore præcessissent illas.

Ad V. respondet etiam Angelicus, verbum illud Apostoli esse intelligendum de illis, quæ absolute castitatem vovent. Quod quidem Mater Dei non fecit antequam Joseph desponsaretur: Sed post desponsationem ex communi voluntate simul cum sponso suo votum virginitatis emisit. Hæc S. Thomas, & quidem in sua sententia, qua votum virginitatis in Deipara conditionatum fuisse existimavit. Attamen in sententia illorum, qui dicunt hujusmodi votum fuisse absolutum, textus Apostoli explicatur, quod B. Virgo voluit quidem nubere, sed non per hoc intendebat non servare castitatem; sperabat enim, quod sponsus ejus hoc illi permitteret. Immo addunt post S. Bernardinum Senensem, quod B. Virgo a Deo illuminata cognovit futurum ejus sponsum, nempe S. Joseph, votum virginitatis pariter emisisse; unde velle nubere, & nubere tali Sponso, qui Virgo erat, & Virgo permansurus erat, nullam in B. Virgine culpam importat.

Ad VI. respondet Suarez, quod B. Virgo, quando illa verba protulit, nondum intellexerat sibi nunciari Messiæ conceptionem; quia Angelus non satis aperte se expresserat, nisi quando illa verba subjunxit: *Spiritus Sanctus superveniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi; quod enim ex te nascetur sanctum, vocabitur Filius Dei*. Addit, quod B. Virgo erat humillima, & ideo non statim fortasse cogitavit, se ad tam excellentem dignitatem elevari. Citat Augustinum serm. 2. de Annunciat., qui post citata verba sic inducit Angelum ad Virginem loquentem: *Recole Maria in libro Esaiæ Prophetæ Virginem, quam parituram legisti, & gaude, atque exulta, quia tu esse meruisti. Tu ibi præfigurata es Virgo. Tu ecce concipies in utero non de viro, sed de Spiritu Sancto*. Et tunc ait, quod Virgo responderit: *Ecce Ancilla Domini &c.* Tandem subdit, quod si B. Virgo cognovisset mysterium, non fuisset sollicita interrogare de modo; hoc enim potius ad curiositatem, quam ad pietatem pertinebat; quare de Sanctissima Virgine, nec est credendum, nec asserendum.

Ad VII. Nobis sufficit, quod in veteri lege fue-

fuerint exempla plurium, qui virginitatem servarunt; ut ex hoc concludamus, Virginitatem non fuisse in veteri lege probibitam, & insoluam. Cæterum, quod non servaverint ex voto ultro concedimus; in ea enim opinione sumus, quod B. Virgo prima fuerit in virginitate vovenda, etsi prima non fuisset in illa servanda; ut late probat Suarez 3. par. qu. 28. art. 4. disp. 6. sect. 3.

Ad VIII. In verbis illis utriusque loci Genesis non continetur præceptum procreandæ prolis, sed potius benedictio, per quam Deus fœcunditatem promittebat. Et hoc probatur, quia si fuisset præceptum, datum quoque fuisset brutis, quæ sunt suscipiendi præcepti incapacia. Addunt, quod admissu fuisse præceptum, fuisset tamen temporarium, duraturum nempe certo tempore donec scilicet fuisset humanum genus sufficienter propagatum; cujus modi erat temporibus B. Virginis.

Ad IX. verba Exodi sunt: *Non erit infecunda, & sterilis terra tua*; & sic legitur in sextu hebraico, quem Latini etiam multi Codices exhibent. Diversa autem sunt verba, quæ objiciuntur; nempe: *Non erit infecunda, & sterlis in terra tua.* Et quamvis hæc verba in nostra Vulgata legantur, quod Serry dissimulavit; tamen dicitur, quod etiam in verbis hisce contineatur benedictio, & non præceptum, ut de superiori textu Deuteronomii diximus.

Ad X. concedimus quidem, sterilitatem in veteri Testamento probro fuisse, at negamus fuisse quoque virginitatem. Magna enim est differentia sterilitatem inter, & virginitatem. Sterilitas enim est impotensia ad generandum, virginitas vero est, quando quis potest generare, sed non vult, & hoc majoris perfectionis gratia; Unde sterilitas importat vitium naturæ, quod capax est probrum ingenerare; Virginitas vero est virtus animi, & corporis, quæ meretur laudem, & non injuriam.

Ad XI. Idem Augustinus lib. de Sancta virginit. cap. 4. loquens de Virginitatis voto, quod Deipara emisit, illud vocat moribus Judæorum contrarium: *hoc Israelitarum mores adhuc recusabant.* Igitur Augustinus intelligendus est in verbis propositis in objectione de obedientia, quæ præstabatur a Sanctis feminis consuetudini, non legi; vel de obedientia, quæ præstabatur mandato impulsito communitati tantum, non singulis de communitate; vel mandato, quod primis temporibus Synagogæ obligabat, quando scilicet populus Dei non erat sufficienter propagatus, non vero sequentibus temporibus, quando jam erat propagatus sufficientissime. Et sic etiam respondetur ad Bernardum.

Ad XII. dicimus, quod admisso, B. Virginem habuisse revelationem, votum suæ virginitatis esse Deo acceptum, jam virginitas erat de meliori bono. Dissentio autem inter nos & Adversarios in eo est, quod illi putant, B. Virginem habuisse hanc revelationem, quando vovit absolute, non vero quando vovit conditionate, & ideo dicunt, conditionate vovisse: Nos autem dicimus, quod ab initio habuit, & ideo Virginitatis votum quod emisit semper fuit absolutum. Quod late probat Suarez cit. loco disp. 6. sect. 1.

Ad XIII. respondet pariter Suarez, B. Virginem, quia erat prudentissima, & Sapientissima, non ignorasse sui muneris esse id amare, & eligere, quod perfectius est; & non ob hoc divinam providentiam, & promissionem impediri. Addit etiam, quod cognoscebat Deipara amorem, quem erga virginitatem habebat a Spiritu Sancto esse; adeoque si quid aliud magis Deo placuisset, sperabat, se etiam cognituram, Spiritu Sancto dictante, a quo in omnibus actibus suis regebatur.

Ad XIV. dicitur, B. Virginem habuisse animum contrahendi matrimonium, sed quod esset compatibile cum Virginitatis voto, uti de facto fuit; ideoque nunquam habuit animum tradendi alteri corpus suum, a quo semper abhorruit ob virginitatis amorem.

Ad XV. Non dixit ei Angelus subito nunc concipies, sed *Concipies, & paries*, quod futurum tempus indicat non præsens. Ulterius etsi objectio possit habere locum in concipiendo, nunquam tamen habere poterat in pariendo, quia non poterat illico concipere, & parere. Unde videtur recte hanc objectionem frivolam a Suarez vocari.

Ad XVI. Conatur quidem Serry explicare S. Thomam; at num ad mentem ejus explicet, vel ne, Legentes sint judices. Summa autem responsionis ipsius est, quod illa non fuerit certa, & fixa S. Thomæ sententia, sed potius præsumpta S. Augustini opinatio, in quam ob suam in Sanctissimum Doctorem venerationem, adductus est. Audiatur tamen propriis verbis Serry exercit. 21. num. 8. „ Seu, ut planius dicam, in eam sententiam inclinavit D. Tho-

„ D. Thomas falso, ac plane supposititio D. Augustini testimonio delusus ex Gratiano, & Magistro sententiarum bona fide transcripto; cujus suppositionem, & apocryphiam pro ætate sua, & in ea, qua laborabat probatorum Codicum penuria, deprehendere omnino non potuit. Sic enim Augustinum loquentem inducunt Magister sentent. lib. 4. dist. 30., & Gratianus Can. *Sufficiat* causa 27. qu. 2. *B. Virgo proposuit, se servaturam votum Virginitatis in corde, sed ipsum votum non expressit in ore. Subjecit se divinæ dispositioni; proposuit se perseveraturam Virginem, nisi Deus aliter ei revelaret. Committens ergo Virginitatem suam divinæ dispositioni, consensit in carnalem copulam, illam non appetendo, sed divinæ inspirationi in utroque obediendo. Postea vero simul cum viro labiis expressit, & uterque in virginitate permansit.* Quod Augustini testimonio bona fide admisso, sententiam firmat, ac munit Doctor Angelicus in 4. sentent. dist. 30. qu. 2. ar. 1. Nil tamen hujusmodi habet Augustinus, tum lib. de nuptiis, & Concupiscent., qui apud Magistrum sententiarum citatur ad marginem, tum lib. de S. Virginitate, qui apud Gratianum est adnotatus. Imo non pauca ex directo contraria habet verus Augustinus. Quippe qui cap. 4. laudati lib. de S. Virginit., Deiparam ante desponsationem vovisse docet; non itaque cum Josepho. Capite vero 12. lib. 5. contra Julianum expresse ait, Josephum diu post desponsationem, ac etiam post Angeli monitum vovisse; ac tum demum *commiscendæ carnis spem abjecisse*, dum Virginem divina fœcunditate donatam vidit, Matthæus cap. 1. v. 20. Qua de re plenius loco suo „.

DISSERTATIO CCIX.

De Matrimonio inter Deiparam, & B. Josephum inito. An vere fuerit inter illos initum? An verum fuerit matrimonium? Qua de caussa, & quo tempore fuerit maxime celebratum?

PRimo nobis se offerunt aliqui, qui dixerunt nec matrimonium, inter Deiparam, & B. Joseph fuisse initum, nec sponsalia contracta; sed tantum B. Virginem fuisse traditam Josepho nomine desponsationis, ut eam custodiret, atque servaret; & hoc consilio Sacerdotum fuisse factum, tum quia non licebat amplius puellis post nubilem ætatem in templo permanere, tum etiam, quia mortui erant Parentes B. Virginis, adeoque non poterant iisdem illam tradere Sacerdotes: Unde divino consilio factum putant, ut ab his Josepho traderetur, qui ex eadem cum Virgine familia, & Tribu, erat. Rem narrat Baronius in Apparatu n. 59. ex authoritate Gregorii Nysseni orat. de Sancta Christi nativitate; & Baronii, & Nysseni simul verba sunt: „ Quid autem non sine divino consilio de Virgine statutum esset, Gregorius Nyssenus his verbis recitat: Cum puella crevisset, & adulta esset, Sacerdotes consilium agitare, ne quid de sacro illo corpore statuentes, in Deum peccarent, cœperunt. Nam subjugare eam legi naturæ, & addicere quasi servam, si quis eam in matrimonium duceret, res longe absurdissima, minimeque decora videbatur. Sacrilegium enim prorsus existimabatur, si homo jus, ac potestatem in donarium, quod Deo consecratum, & dedicatum esset, haberet: quoniam legibus sancitum, & constitutum est, ut vir potestatem habeat in uxorem: ut autem intra templum una cum Sacerdotibus mulier versaretur, & in sanctis conspiceret, neque consuetum, neque usitatum erat, & simul gravitas, & honestas rei non aderat. Deliberantibus igitur eis super hac re, divinitus incidit consilium, ut darent eam cuidam viro nomine desponsationis, is autem ad custodiendam virginitatem ejus esset idoneus. Inventus est igitur Joseph talis, qualem ratio consilii requirebat, ex eadem cum Virgine familia, & tribu; isque de consilio Sacerdotum sibi puellam de-

„ spondet; conjunctio autem non ultra sponsalia progrediebatur.„ Hoc ipsum asserit pariter Suarez 3. par. qu. 29. ar.2. disp. 7. verbis hisce: „ Addunt denique „ Patres consuetudinem illius populi fuisse, ut hujusmodi Virgines, quæ in templo manebant, cum primum convenientem explessent ætatem, a Sacerdotibus ad paternas domos remitterentur, ut nuptui traderentur: Parentes autem B. Virginis fuisse mortuos post annos undecim, quibus B.Virgo in templo vixerat. Sacerdotes vero iniisse consilium, quid de sacro illo corpore statuerent; quia nec decebat, nec usitatum erat, ut mulier jam adulta in templo versaretur, & aliunde timebant alicui viro jus, & potestatem in corpus illud facere; tandem vero divina inspiratione, & instinctu decrevisse, eam tradere nomine desponsationis cuidam viro, ad custodiendam ejus virginitatem idoneo, qualis Joseph ex eadem familia, & tribu inventus, & existimatus est. Ita fere Gregorius Nyssenus homil. de Christi nativit. Damascenus lib. 4. de fide cap. 15. Nicephorus ex Hevodio lib. 1. cap. 7. & lib. 2. cap. 3. Andreas Cretensis orat. de dormit. Virginis, & Simeon Metaphras. orat. de ortu Virginis. Indicant etiam Origenes tract. 26. in Matthæum, & Theophilactus Matth. 23., & alii Authores supracitati. „ Si igitur Deipara desponsationis nomine fuit tradita B. Joseph, non fuit inter illos vera desponsatio, adeoque neque vere fuit matrimonium.

Secundo alii dicunt, Mariam dictam fuisse Josephi uxorem, & Joseph Mariæ Virum, quia tales secundum vulgi opinionem existimabantur; quemadmodum Christus Joseph filius dictus est, hoc est, putabatur. Hanc opinionem refert Serry cit.loc. n.2., & ante ipsum retulerat Suarez cit. disputat.7. sect. 1. verbis hisce. „ Nisi quis fortasse dicat, sicut fuit Joseph existimatus pater Christi: ita fuisse existimatum maritum Virginis, non quia revera talis fuerit; sed quia exterius talis apparebat cohabitando cum Virgine, & alia exteriora onera matrimonii cum illa sustinendo, ut verbi gratia, suis laboribus familiam sustentans, & Virginem, ac Christum in Ægyptum ducens, ac reducens, &c. „

Tertio. Alii negarunt intercessisse inter Mariam, & Joseph verum ac ratum matrimonium, & tantum concesserunt inita fuisse inter illos sponsalia, quæ nunquam in matrimonium transierunt. Hujus opinionis, quam errorem vocat, meminit Serry cit. exercitat. n. 1.

Quarto. Quidam quoque de tempore scribentes, quo inter Mariam, & Joseph fuit initum matrimonium, putarunt, non fuisse initum quo tempore ab Angelo salutata est, sed tantum antecedenter fuisse verbis de futuro desponsatam; matrimonium vero inierunt, quando Joseph ab Angelo didicit mysterium divinæ fœcunditatis Mariæ, & tunc conjugem accepit, & in domum suam induxit, hoc est, mense tertio post angelicam salutationem. Citantur pro hac opinione Origenes, vel quisquis alius sit author homiliæ primæ in diversa Evangelii loca apud Origenem, Hieronymus, Hilarius, Theophilactus in cap. 1. Matthæi, Epiphanius hæresi 78. Basilius homil. de Christi nativit., Cyrillus catechesi 12.

Quinto. Alii Patres magis communiter volunt, Virginem Mariam, quando fuit ab Angelo salutata jam fuisse matrimonio junctam Josepho. Patres sunt Chrysostomus hom.4. in Matth.5. Ambrosius lib.2. in Lucam cap. 1. Chrysologus serm. 175. Euthimius in cap. 1. Matth. Bernardus hom.2. super missus est, quibus subscripsit S.Thomas 3. par. qu. 29. art.2. ad 3.

Sexto. Multæ assignantur rationes, propter quas fuerit initum inter Mariam & Joseph Matrimonium, antequam B.Virgo Christum conceperit; quæ quidem rationes expenduntur a Scriptoribus, & a cavillationibus aliquorum, contra ipsas scribentium, vindicantur.

Dicimus I. inter Mariam, & Joseph vere fuisse initum matrimonium, illudque verum, ac ratum matrimonium fuisse.

I. Probatur, inter Mariam, & Joseph vera sponsalia intercessisse, quæ ad verum matrimonium præsupponuntur. Matthæi 1. *Cum esset desponsata Mater Jesu Maria Joseph*. Lucæ 2. *Ut profiteretur cum Maria desponsata sibi uxore prægnante*. Lucæ 1. *Missus est Gabriel Angelus ad Mariam Virginem desponsatam viro, cui nomen erat Joseph*. Quibus verbis clare intelligitur Mariam Virginem vere desponsatam fuisse B. Joseph, & non tantum illi traditam desponsationis nomine; nec dictam fuisse desponsatam Joseph sola hominum opinione, & existimatione, verum quoque rei veritate.

II. Probatur, vere quoque inter Mariam, & Joseph matrimonium fuisse initum; etenim in Scripturis vicissim dicitur Joseph

Mariæ

Mariæ vir, & Maria Josephi uxor, & conjux. Matthæi 1. verf. 16. *Jacob genuit Joseph virum Mariæ*; & verf. 19. *Joseph autem vir ejus cum esset justus*; & verf. 20. *Joseph, noli timere accipere Mariam conjugem tuam*; & verf. 24. *Joseph accepit conjugem suam*. Lucæ 1. *Missus est Gabriel Angelus ad Virginem desponsatam viro, cui nomen erat Joseph*; & cap. 2. *Ascendit Joseph in Bethlehem, ut profiteretur cum Maria desponsata sibi uxore prægnante.* Quibus ultimis verbis clare intelligitur desponsationis nomine non venire simpliciter tantum desponsationem, quæ per verba de futuro concipitur, sed strictiorem alteram, quæ fit per verba de præsenti, & per corporum traditionem. Et ratio est, quia quæ simpliciter desponsatur, hoc est, quæ dedit tantum fidem matrimonii futuri, nequit dici conjux; & multo minus dici potest conjux prægnans.

III. Probatur. Matthæi 1. legitur: *Joseph autem vir ejus cum esset justus, & nollet eam traducere, voluit occulte dimittere eam*. Quæ verba nequeunt intelligi de simpliciter desponsata, quæ in uxorem nondum est accepta. Dimittere autem supponit, quod eam jam acceperat in uxorem; quum nemo dicatur dimittere, quod non accepit, & quod non habet. Quod autem dicatur: *Noli timere accipere Mariam conjugem tuam*, ait Serry, esse phrasim hebraicam, qua significatur actus continuatus non inchoatus. Unde idem est ac dicere: *Acceptam conjugem serva, ac retine; noli dimittere*.

IV. Probatur. In Evangelio S. Joseph nominatur Pater Christi; sed non potuisset Pater Christi nominari, nisi inter Mariam, & Joseph verum intercessisset matrimonium: ergo &c. Probatur minor. Ideo in Evangelio Joseph dicitur Pater Christi, quia talis putabatur; sed non poterat talis putari, nisi Joseph duxisset Matrem Christi, sibi uxorem; ergo non poterat Joseph dici Pater Christi, nisi inter ipsum & Mariam vere fuisset initum Matrimonium. Probatur minor. Vel Christus putabatur filius Joseph legitimus, vel illegitimus, & spurius; non illegitimus, & spurius, quia nunquam ei tam gravem injuriam Judæi objecerunt; immo hoc asserunt Patres Deiparam fuisse B. Josepho matrimonio junctam, ne ipsa putaretur adultera, & ne filius ejus consequenter illegitimus, & spurius haberetur: Si legitimus: ergo jam vere supponitur, inter Mariam, & Joseph fuisse initum matrimonium; illi enim filii legitimi vocantur, qui ex Sponsis vere matrimonio junctis procreantur.

V. Probatur inter Mariam, & Joseph verum fuisse matrimonium, seu conjugium, ex hoc, quod suam perfectionem attigerit; & quidem probatur ratione, & verbis Angelici Doctoris 3. par. qu. 29. art. 2. in corpore: „ Duplex est autem perfectio rei, prima, & secunda. Prima quidem rei perfectio consistit in ipsa forma, ex qua speciem sortitur: Secunda vero perfectio consistit in operatione rei, per quam res aliqualiter suum finem attingit. Forma autem Matrimonii consistit in quadam indivisibili conjunctione animorum, per quam unus conjugum indivisibiliter alteri fidem servare tenetur. Finis autem Matrimonii est proles generanda, & educanda. Ad quorum primum pervenitur per concubitum conjugalem: ad secundum per alia opera viri, & uxoris, quibus sibi invicem obsequuntur ad prolem nutriendam. Sic igitur dicendum est, quod quantum ad primam perfectionem, omnino verum fuit matrimonium Virginis Matris Dei, & Joseph: quia uterque consensit in copulam conjugalem: non autem expresse in copulam carnalem, nisi sub conditione, si Deo placeret. Unde & Angelus vocat Mariam conjugem Joseph, dicens ad Joseph Matth. 1. *Noli timere accipere Mariam conjugem tuam*. Quod exponens Augustinus in lib. de Nuptiis, & Concupiscentia dicit: Conjux vocatur ex prima desponsationis fide, quam concubitu nec cognoverat, nec fuerat cogniturus. Quantum vero ad secundam perfectionem, quæ est per actum matrimonii, si hoc referatur ad carnalem concubitum, per quem proles generatur, non fuit illud matrimonium consummatum. Unde Ambrosius dicit super Lucam: Non te moveat, quod frequenter Mariam Scriptura vocat conjugem, non enim Virginitatis ereptio, sed conjugii testificatio, & Nuptiarum celebratio declaratur. Habuit tamen illud matrimonium etiam secundam perfectionem, quantum ad prolis educationem. Unde Augustinus dicit in lib. de Nuptiis, & Concupiscentia. Omne nuptiarum bonum impletum est in illis parentibus Christi, proles, fides, & sacramentum. Prolem cognoscimus ipsum Dominum Jesum: fidem, quia nullum adulterium: Sacramentum, quia nullum divortium, solus ibi nuptialis concu-

„ bitus

„ bitus non fuit. „

VI. Probatur congruentiis quibusdam, quas affert Suarez; quarum prima est; quia, ut indicaret inter Mariam & Joseph verum fuisse initum matrimonium, Matthæus cap. 1. genealogiam Christi duxit usque ad Josephum. Quare non usque ad alium? Nisi quia Joseph erat Mariæ Deiparæ vir, & non alius. Secunda, quia sicut apud Lucam Gabriel prædixit Virgini nomen Jesus, quod imponendum erat Christo; ita apud Matthæum Angelus nuntiavit idem nomen Josepho, tanquam viro Mariæ, & illius familiæ, veluti capiti. Tertia, quia communis Patrum traditio hoc ipsum semper, & constanter docuit; ut videre est apud Augustinum lib. 23. contra Faustum cap. 8. & lib. 2. de consensu Evangelistarum cap. 1., Ambrosium de institut. Virginis cap. 6., Basilium homil. 25. de humana Christi generatione, Origenem homil. 6. in Lucam, Chrysostomum hom. 4. in Matthæum, Bernardum homil. 2. in *Missus est*, aliosque, tam Græcos, quam Latinos Patres, & Expositores. Quarta, quia hoc matrimonium vere, & essentialiter potuit perfici absque Virginitate, & detrimento ex una parte; & ex altera valde fuit conveniens; primum ostendemus in solutionibus objectionum; & secundum ex verbis S. Thomæ allatis clare patet. Quinta, quia in B. Virgine sicut fuerunt unitæ Virginitas, & fœcunditas, ita in eadem perfectione summa conjungi debebant status virginitatis, & status conjugii; Unde ipsa vere esset, & Virginum, & Conjugum perfectissimum exemplar.

VII. Si inter B. Virginem, & S. Joseph non fuisset verum matrimonium, ideo esset, quia inter ipsos non fuit usus matrimonii per carnalem copulam; sed hæc non est de essentia matrimonii: ergo &c. Probatur minor ex Concilio florentino in Decreto Eugenii, ubi definitur, matrimonium vere perfici ex mutuo consensu; sed mutuus consensus antecedit copulam: ergo &c. Item ex Concilio Tridentino sess. 24. ubi distinguitur matrimonium ratum a consummato, & supponitur matrimonium ratum esse verum matrimonium, etsi non sit consummatum. Præterea, quia inter Adam, & Evam fuit verum matrimonium in Paradiso terrestri; sed in Paradiso terrestri carnalem copulam non habuerunt: ergo &c. Denique, quia, ut docet Suarez, sicut in rebus, quæ usu non consumuntur distinguitur dominium ab usu, & potest haberi dominium absque usu; ita pariter in matrimonio potest dari potestas, & dominium in corpus conjugis absque usu copulæ carnalis, & in traditione illius dominii, vel potestatis, vera ratio matrimonii consistit; quod docet Apostolus 1. ad Corinth. 7. *Mulier sui corporis potestatem non habet, sed vir.*

VIII. Probatur. Inter Mariam Virginem, & Joseph fuit, quod essentialiter constituit matrimonium: ergo fuit verum matrimonium. Probatur antecedens ex Nicolao Papa in C. *Sufficiat.* 27. qu. 2. vinculum matrimonii perficitur mutuo consensu, quo Conjuges adinvicem sibi tradunt jus, & potestatem in sua corpora, quanvis non sit usus hujusmodi juris, & potestatis: ergo hoc vinculum constituit essentialiter matrimonium; sed hoc fuit inter B. Virginem, & Joseph: ergo inter B. Virginem, & Joseph fuit quod essentialiter constituit matrimonium. Quod totum confirmatur verbis Ambrosii loco supra citato dicentis: *Virgo desponsata viro, conjugis nomen accepit; non enim defloratio Virginitatis facit conjugium, sed pactio conjugalis.*

Objiciunt I. Non debebat Christus de desponsata nasci: ergo Deipara nunquam fuit desponsata Joseph. Probatur antecedens: Desponsatio ordinatur ad carnalem copulam; sed nunquam uti voluit carnali copula Virgo, ex qua Christus nasci debebat: ergo non debebat Christus ex desponsata nasci. II. Miraculum erat, quod Christus e Virgine nasceretur; at miraculum non apparuisset, si Christus fuisset ex desponsata natus: ergo non debuit Christus ex desponsata nasci: miracula enim fiunt ad fidei confirmationem; unde debent esse manifesta. III. Hieronymus contra Helvidium dicit, quod Joseph fuit potius custos Mariæ, quam maritus; Et Matthæi 1. eundem Joseph vocat *nutricium non maritum*. Similiter Chrysologus serm. 175. asserit; *Joseph maritus solo nomine, conscientia sponsus*. Pariter Chrysostomus hom. 4. in Matthæum conjugis nomine sponsum intelligit: Hilarius in cap. 1. Matthæi, Mariam ait fuisse, sponsam, non vere conjugem: Cyrillus Hierosolymitanus catechesi 12. circa finem ait: *Meminitans Jacob, qui prius, quam Rachel acciperet, dicebat ad Laban: da mihi uxorem meam, sicut enim illic ante nuptiarum constitutionem, tum tantum promissio intercessisset, uxor Jacob*

Jacob nominabatur; *sic & Maria propter solam desponsationem uxor Joseph vocabatur*. Bernardus homil.2. *in Missus est*, habet: *Virum nominat, quia homo virtutis erat, non quia maritus*. Eadem fere scribunt Gregorius Magnus homil.26.& 27. in Evangelia, Epiphanius hæresi 78. Nyssenus homil. de nativit. &c. IV. Cyprianus serm. de passione Domini, Ambrosius Epist.79. & lib.2. in Lucam in principio, & lib. de Institut. Virginis cap.6. & 7. dicunt, quod Christus in Cruce separavit Matrem a Joseph, & eam tradidit Joanni, ut ostenderet, inter Deiparam, & Joseph verum non fuisse matrimonium. V. Sicut Christus putabatur filius Joseph, & non erat, ita etiam dicendum est, quod Joseph putabatur Mariæ maritus, & non erat; Unde Maria & Joseph in Scripturis dicuntur Conjuges, quod tales vulgi opinione essent, seu potius censerentur. VI. Multi Patres docent, quod Joseph custodiebat Mariam desponsationis nomine: ergo non vere fuerat illi desponsata. VII. Matthæi 1. dicitur, quod *Joseph vir ejus cum esset justus, & nollet eam traducere*, hoc est, in domum suam ducere ad assiduam cohabitationem, voluit eam occulte dimittere, scilicet tempus nuptiarum mutare, ut exponit Remigius: ergo nuptiæ nondum erant celebratæ; sed nuptiis non celebratis non est verum matrimonium: ergo inter Mariam, & Joseph non fuit verum matrimonium. VIII. Post matrimonium contractum, non licet alicui dimittere sponsam; sed Joseph volebat dimittere Deiparam: ergo inter illos non fuit vere matrimonium contractum. IX. Matthæi 1. dicitur: *Jacob genuit Joseph virum Mariæ*, ad quæ Hieronymus scribit: *Cum virum audieris, suspicio tibi non subeat nuptiarum, sed recordare consuetudinis Scripturarum, quod Sponsi viri, & Sponsæ vocentur uxores*; sed verum matrimonium non efficitur ex sponsalibus, sed ex nuptiis: ergo inter Mariam & Joseph non fuit verum matrimonium. X. Castitatis votum repugnat cum vero matrimonio, quia matrimonium includit intrinsece consensum in copulam conjugalem; Virgo autem habuit propositum, & votum Virginitatis; & Augustinus lib. de bono viduitatis cap.8. expresse docet: *Voventibus castitatem, non solum nubere, sed etiam velle nubere, damnabile est*: ergo satis est, ut dicatur inter Mariam, & Joseph fuisse tantum Sponsalia, non autem verum matrimonium.

Respondemus ad I. cum S. Thoma 3. par. qu.29. ar.1. ad 1. *quod B.Virgo mater Dei, ex familiari instinctu Spiritus Sancti credenda est desponsari voluisse, confidens de divino auxilio, quod nunquam ad carnalem copulam perveniret. Hoc tamen divino commisit arbitrio, unde in nullo detrimentum passa est virginitas*.

Ad II. Dicit idem S.Doctor, quod quædam miracula sunt, de quibus est fides, quædam vero sunt ad fidei comprobationem; primi generis sunt miraculum partus virginei, Resurrectionis Domini, Sacramenti Eucharistici &c. Et hæc debent esse occultiora, ut fides eorum magis sit meritoria; miracula vero, quæ sunt ad fidei comprobationem, debent esse manifesta. Cæterum docet Ambrosius lib.2. in Lucam, non procul a principio, quod maluit Dominus aliquos de suo ortu, quam de Matris pudore dubitare. Quum enim sciret teneram esse Virginis verecundiam, & lubricam famam pudoris, non putavit ortus sui fidem Matris injuriis astruere.

Ad III. Dicitur citatos Patres nomine Sponsalium intelligere matrimonium ratum, non consumatum; & ideo non usurpasse nomen matrimonii, vel mariti, ut significarent Sanctos Sponsos ad statum copulæ conjugalis non pervenisse. Idem Hieronymus notat, quod in Sacra Scriptura Sponsa dici solet, quæ nupta est, & interdum dicitur, accipi in conjugem, quando matrimonium consummatur; quod constat Genesis 24.& 29. in Rebecca, Lia, & Rachele. Verum advertit Suarez, quod hic usus vocum non semper est idem, ut patet in illo exemplo, quo Cyrillus Hierosolymitanus utebatur, quod ait esse prudenter interpretandum: ,, Non enim affertur, quia in omnibus sit ,, simile, sed quia fortiori concludit. Nam ,, si Rachel propter solam promissionem ,, vocata est *conjux*, multo magis B.Virgo ,, propter Sponsalia, quanvis nulla copula ,, intercesserit. ,, Rem conficit Ambrosius dicens: *Virgo desponsata Viro, conjugis nomen accepit. Non enim defloratio Virginitatis facit conjugium, sed pactio conjugalis*.

Ad IV. Tempore, quo Christus mortuus est, Joseph non vivebat, & ideo Christus Matrem Joanni commendavit. Hoc patet; tum quia usque ad duodecimum Christi Domini annum fit mentio Joseph in Evangelio, & non amplius, neque in nuptiis Canæ Galilææ, neque in historia passio-

paſſionis, neque in aliis locis, in quibus fit mentio matris, & fratrum Domini; quod aperte indicat, Joſeph temporibus illis fuiſſe mortuum; aliter ſi vixiſſet, fuiſſet cum Virgine nominatus, ſicut, quando vivebat numinabatur. Cæterum Joſeph ante trigeſimum Chriſti annum fuiſſe mortuum, docet Epiphanius hæreſ.78. quem ſequuntur Vincentius ſerm. de S. Joſeph, Petrus Comeſtor cap. 38. ſuæ hiſtor., aliique plurimi,

Ad V. Non adhibet Scriptura vocem, quando Joſeph vocat filium Mariæ, quam uſurpat, quando vocat Chriſtum filium Joſeph. De hoc enim dicit: *putabatur filius Joſeph*, ſed non dicit de Joſeph, quod putabatur Sponſus, vir, conjux, maritus Mariæ, ſed abſolute eum Mariæ virum, & Mariam Joſephi uxorem appellat. Addimus ex Serry: „ Matrimonium, ratione cujus vir, & uxor evadunt aliqui, res erat apud Judæos publicæ ſolemnitatis: adeoque fieri omnino non poterat, ut quis in ſua ſaltem Patria alterius vir communiter diceretur, qui talis reipſa non eſſet: copula vero conjugalis, ratione cujus alter alterius pater evadit, occulta, ſecretaque res eſt, quæ in vulgi oculos non incurrit: atque adeo de facili accidit, ut quis alterius putetur filius, tametſi re ipſa non ſit. Potuit ergo Chriſtus Joſephi filius etiam in Patria eredi, qui tamen re ipſa non erat; minime tamen Mariæ vir credi potuiſſet Joſephus, & viciſſim Joſephi conjux æſtimari Maria, ſi tales matrimonii celebratione non eſſent. Certe ut Chriſtum Joſephi filium crederent Judæi, externa rei ſpecie ducebantur; quod nempe Mariæ uxoris ipſius filius eſſet; nulla tamen externa rei ſpecie capi poterant, ut Joſephum Mariæ virum crederent, niſi talis re ipſa fuiſſet. Quænam enim hæc, rogo vos? Forte quia cohabitabant? At nec id quidem fingi poteſt; cum nec honeſtas paſſa eſſet, ut cohabitarent, ſi matrimonio juncti non fuiſſent. Juliano idem ſuffugium quærenti, & Evangeliſtam ex vulgi opinione loquutum effutienti, dum Mariam Joſephi uxorem, & conjugem dixit, arguta obſervatione occurrit S. Auguſtinus lib. 5. contra Julianum cap. 12. *Hoc putemus Evangeliſtam facere potuiſſe, cum vel ſua, vel cujuslibet alterius hominis verba narraret, ut ſecundum opinionem populi loqueretur. Nunquid, & Angelus loquens unus ad unum contra conſcientiam ſuam, & ipſius, cui loquebatur, ſecundum opinionem potius, quam ſecundum veritatem fuerat; cui & dixit, noli timere, accipere Mariam conjugem tuam.* ”

Ad VI. Titulus & nomen non deſtruunt veritatem rei, immo magis confirmant: quum potius dicatur, vel injuſte aliquem retinere aliquid, vel falſo ſibi adſcribere ſi ſine titulo poſſideat, & ſine nomine adſcribat. Admiſſo igitur, quod aliqui Patres dixerint, B. Joſeph fuiſſe datum vel ſociatum, vel unitum cum B. Virgine Deipara Deſponſationis nomine, non per hoc fit, quod verus ejus non fuerit Sponſus. Quod præcipue patet ex verbis ipſiuſmet Gregorii Nyſſeni, quæ ſupra cum Baronio recitavimus, in quibus vere dicitur, *quod divinitus incidit conſilium, ut darent eam cuidam viro nomine deſponſationis*; ſed in ſubſequenti dicitur etiam: *Inventus eſt igitur Joſeph talis, qualem ratio conſilii requirebat, ex eadem cum Virgine familia, & Tribu: Iſque de conſilio ſacerdotum ſibi puellam deſpondet; conjunctio autem non ultra ſponſalia progrediebatur*. En igitur, quod idem Joſeph, cui data eſt Maria nomine deſponſationis, ſibi eandem de Sacerdotum conſilio, deſponſavit.

Ad VII. Verbum traducere melius explicatur per diffamare in publicum, quam per traductionem in domum, ut ait Angelicus; qui ſubdit, quod quanvis B. Virgo eſſet a B. Joſeph domi habita propter primam deſponſationis fidem, nondum tamen intervenerat ſolemnis celebratio nuptiarum. Quod probat ex Chryſoſtomo homil. 4. in Matth. ſuper illud. *Antequam convenirent &c.* addens: *Unde ſicut Chryſoſtomus dicit, Non dicit Evangeliſta, antequam duceretur in domum Sponſi, etenim intus jam erat. Conſuetudo enim fuit veteribus, ut Sponſæ in Sponſorum domibus haberentur. Et ideo etiam Angelus dicit Joſeph: Ne timeas accipere Mariam conjugem tuam, ideſt, non timeas nuptias ejus ſolemniter celebrare. Licet alii dicant, quod nondum erat in domum inducta, ſed ſolum deſponſata. Primum tamen magis conſonat Evangelio*,

Ad VIII. Aliqui dicunt, quod matrimonium nondum erat contractum, quando Joſephus volebat dimittere Mariam, ſed tantum erant contracta ſponſalia de futuro, & tunc volunt licitum fuiſſe Joſeph eam dimittere. At admiſſo quoque quod poſt matrimonium contractum voluiſſet eam dimittere; hoc tamen intelligebatur, ſi vera fuiſſet ſuſpicio, a qua angebatur Joſeph

ſeph

seph videns tumidam sponsam suam. Cæterum potest etiam dici, quod volebat eam dimittere ad tempus, usque dum scilicet cognosceret caussam, quam apprehendebat, & a qua maxime affligebatur; quod proprie non est dimittere uxorem, sed domum uxoris.

Ad IX. Angelicus dicit, Hieronymum vocare nuptias nuptialem concubitum; & quia inter Mariam, & Joseph nunquam fuit nuptialis concubitus, ideo dixit, inter ipsas nunquam fuisse nuptias. Distinguenda igitur sunt semper, ut omnis æquivocationis tollatur occasio, Matrimonium ratum, & non consummatum, & matrimonium ratum, & consummatum. Quando aliqui Patres dicunt inter Mariam, & Joseph non fuisse matrimonium, intelliguntur de matrimonio rato, & consummato; quando vero cæteri omnes asserunt verum fuisse matrimonium, intelligendi sunt de matrimonio rato, non consummato, quod verum est matrimonium ex dictis supra, & ex dicendis inferius.

Ad X. Falsum est, quod matrimonium intrinsece dicat copulam conjugalem. Quomodo autem concordetur in B. Virgine virginitatis votum cum matrimonio, in sequenti Dissertatione videbitur.

Dicimus II. Caussas, propter quas Deipara Virgo debuit Matrimonio jungi, plures a Patribus assignari; easque omnes veras, legitimas, ac ineluctabiles esse.

Prima causa fuit honor B. Virginis, ac etiam Christi Domini; si enim Judæi ignorantes fœcunditatem Virginis, didicisent, eam peperisse, facile dixisent, eam concepisse ex stupro, & fornicatione, & Christum spurium existimasent, ac traduxisent. Hanc causam afferunt Origenes, vel quisquis alius sit author homiliæ 1. in diversa Scripturarum loca apud Origenem, Basilius homilia de humana Christi generatione, Hieronymus in cap. 2. Matthæi, Ambrosius lib. de Institut. Virginis, & lib. 2. in Lucam, Bernardus serm. 2. de laudibus B. Virginis. Contra hanc rationem præcipue ut eam concipiunt, & proponunt Hieronymus, & fictus Origenes; *ne scilicet Maria a Judæis lapidaretur ut adultera*; insurgunt aliqui dicentes: Si peperisset innupta, non fuisset adultera; innupta enim fornicari quidem potest, adulterari non potest; adeoque lapidari non debuisset. At respondet S. Thomas 3. par. qu. 29. art. 1. ad 4. verbis hisce. *Ad quartum dicendum, quod judicio adulterarum lapidabatur secundum legem non solum illa, quæ jam erat desponsata, vel nupta, sed etiam illa, quæ in domo patris custodiebatur, ut virgo quandoque nuptura. Unde dicitur Deuteronom. 22. Si non est in puella inventa virginitas, lapidibus obruent eam viri civitatis illius, & morietur, quia fecit nefas in Israel, ut fornicaretur in domo patris sui, vel potest dici secundum quosdam, quod B. Virgo erat de stirpe Aaron: unde erat cognata Elisabeth, ut dicitur Lucæ 1. Virgo autem de genere sacerdotali, propter stuprum occidebatur: Legitur enim Levitici 21. Sacerdotis filia si deprehensa fuerit in stupro, & violaverit nomen patris sui, flammis exuretur. Quidam referunt verbum Hieronymi ad lapidationem infamiæ.*

Secunda caussa dicitur a Patribus ut mysterium Dominicæ Conceptionis diabolo celaretur, quia quum videret Virginem matrimonio junctam cum Josepho putare poterat, Christum non fuisse de Virgine natum, sed de muliere nupta, ac a viro suo cognita. Hanc caussam memorant Chrysostomus, Basilius, Hieronymus, Ambrosius, Bernardus locis citatis, & eam asserunt fuisse primitus a S. Ignatio martyre allatam. Contra hanc caussam Scotus in 4. dist. 30. qu. 2., Abulensis, & Maldonatus insurgunt dicentes, primo, quod virginitas consistens in nativa integritate corporis, poterat naturaliter ab Angelo cognosci; secundo, quia uteri feminei obseratio, in qua consistit Virginitatis sigillum poterat etiam ab Angelo facile deprehendi; tertio, quia per negationem, hoc est, quia nullum actum venereum, nullam copulam conjugalem viderat, Angelus quoque servatam Virginitatem agnoscebat. At respondemus etiam cum S. Thoma cit. loco, ad 3. sic: *Ad tertium dicendum, quod sicut Augustinus dicit in 2. de Trinit. Diabolus multa potest virtute suæ naturæ, a quibus tamen prohibetur virtute divina. Et hoc modo potest dici, quod virtute naturæ suæ diabolus cognoscere poterat, Matrem Dei non fuisse corruptam, sed Virginem: prohibebatur tamen a Deo cognoscere modum partus divini. Quod autem postmodum eum aliqualiter cognovit diabolus esse filium Dei, non obstat: quia jam tempus erat, ut Christus suam virtutem contra diabolum ostenderet, & persequutionem ab eo concitatam pateretur. Sed in infantia oportebat impediri malitiam diaboli, ne eum acrius persequeretur, quando Christus nec pati disposuerat, nec vir-*

virtutem suam ostendere; sed in omnibus aliis infantibus se similem exhibebat. Unde Leo Papa in serm. de Epiphania dicit, quod Magi viderunt, & adoraverunt puerum Jesum quantitate parvulum, alienæ opis indigum, fandi impotem; & in nullo ab humanæ infantiæ generalitate dissimilem. Ambrosius tamen super Lucam videtur hoc magis referre ad membra diaboli. Præmissa enim hac ratione, scilicet de fallendo Principem mundi, subdit: Sed tamen magis fefellit principes seculi: Dæmonum enim malitia facile etiam occulta deprehendit, at vero qui secularibus vanitatibus occupantur, scire divina non possunt.

Tertia caussa est, ut per Joseph genealogiam demonstraretur Mariæ, ac Christi Domini origo; Judæi enim non in more habebant descriptionem generis ducere per Avos, Atavosque matris, sed patris. Ita asserunt Hieronymus loc. cit., & post ipsum Damascenus lib. 4. de fide cap. 15. verbis hisce: *Quo circa scire operæ pretium est, nec apud Hebræos, nec apud Scripturam Sacram hoc in more positum fuisse, ut mulierum genus recenseretur. Verum hoc demum lege cautum erat, ne tribus ulla uxores ex altera tribu accerseret.*

Quarta caussa est, ut B. Virgo per Viri societatem haberet adjutorium ad prolem educandam, fovendam, atque regendam, & ut in peregrinatione Joseph esset ipsi comes, & ductor ad pueri tutelam; & denique, ut totam familiam arte, industria, ac laboribus aleret, ac sustentaret. Hanc caussam innuit quoque Hieronymus lib. 1. Comment. in cap. 1. Matthæi scribens: *Tertio, ut in Ægyptum fugiens, haberet solatium.*

Dicimus III. Matrimonium inter Mariam, & Joseph, fuisse contractum, atque perfectum ante Filii Dei incarnationem, tam quoad essentiam, quam quoad solemnitatem. Est contra Cajetanum negantem incarnationis divinæ tempore fuisse celebratam inter Mariam, & Joseph nuptiarum solemnitatem. Est pariter contra alios credentes tempore Annunciationis Angelicæ Mariam, & Joseph habitasse quidem simul, sed inter ipsos nuptiarum solemnem celebrationem nondum intervenisse. Est denique contra plures, qui dicunt, Mariam fuisse Josepho matrimonio junctam mense tertio post Angelicam salutationem, & Dei Verbi Conceptionem.

I. Probatur. Authoritate SS. Patrum, Chrysostomi hom. 4. in cap. 5. Matthæi, Ambrosii lib. 2. in Lucam cap. 1. Chrysologi serm. 175. Euthimii in cap. 1. Matth. Bernardi homil. 2. super *Missus est*, S. Thomæ 3. par. qu. 29. art. 2. ad 3. Et quanvis defendentes tertiam sententiam pro seipsis adducant Larvatum Origenem homil. 1. in diversa Evangelii loca, Hieronymum, Hilarium, Theophilactum in cap. 1. Matthæi, Epiphanium hæresi 78. Basilium homil. de Christi nativit., Cyrillum catechesi 12., nihilominus, si attentius prædictos Patres legissent, & connexionem inter principia ab ipsis alias posita intendissent, non illos pro sua opinione citassent.

II. Probatur. Maria Virgo debuit esse matrimonio juncta, ne fornicaria putaretur a Judæis, si peperisset innupta: ergo antequam ab Angelo salutaretur, & antequam Christum conciperet debuit esse matrimonio juncta. Probatur consequentia. Si fuisset matrimonio juncta post Angelum salutantem, & nunciantem fœtum, peperisset ante nonum mensem: ergo jam occasionem habuissent eam judicandi adulteram, & fœtum ejus fornicarium. Quod confirmatur contra illos, qui dicunt, fuisse initum matrimonium tertio mense post montanam peregrinationem, quando inventa est in utero habens de Spiritu Sancto; tunc enim post sextum tantum mensem peperisset, adeoque vel graviditas non fuisset tributa Josepho, vel si fuisset tributa potuissent dicere Judæi, mysterium nescientes, quod habuissent carnalem copulam post contracta dumtaxat sponsalia de futuro, & nondum matrimonio de præsenti celebrato; quod nemo non videt, quam sit Sponsorum sanctitati, ac dignitati incongruum, ac indignum.

III. Probatur. Non fuisset Virginis partus diabolo celatus, si Deipara juncta fuisset matrimonio post angelicam salutationem, & non ante; sed Patrum est sententia Virginem fuisse matrimonio junctam, ut partus ejus diabolo celaretur, qui Christum non de Virgine, sed ex Josephi copula generatum putabat: ergo B. Virgo ante Angelicam Salutationem, & ante Christi Conceptionem fuit matrimonio juncta. Probatur major. Non potuissent Judæi existimare Christum genitum ex Josephi copula, quando vidissent matrem ejus antea gravidam, quam Josepho jungeretur, & parientem observassent post sextum tantum mensem a matrimonio contracto: ergo non fuisset

Vir-

Virginis partus diabolo celatus, si Deipara fuisset juncta matrimonio post angelicam salutationem, & non ante.

IV. Probatur. Apud Judæos non erat licita conversatio sponsorum de futuro, donec juncti fuissent de præsenti per matrimonium subsequutum. Sed Scriptura passim nobis repræsentat post angelicam salutationem Josephum familiariter cum Maria conversantem: ergo tunc temporis Maria erat matrimonio juncta. Consequentia sequitur; quia aliter conversatio illa familiaris iis, qui divinum mysterium nesciebant, scandalo fuisset. Minor in Scriptura legitur. Major probatur: Apud Hebræos puellæ innuptæ vel in templo habitabant Deo consecratæ usquedum tempus nuptiarum adveniret, vel domi occlusæ, ad Virginitatis custodiam, servabantur. Maria vero statim postquam Christum concepit, & postquam accepit angelicam salutationem, simul cum Josepho longam trium mensium peregrinationem aggressus est, & complevit, ut Lucæ 1. legitur.

V. Probatur. Matth. 1. dicitur, quod Joseph videns Mariæ graviditatem, voluit occulte dimittere eam; sed nemo dimittit uxorem, quam reipsa non duxit: ergo tunc temporis eam jam duxerat. Minor probatur ab Ambrosio dicente lib. 2. in Lucam cap. 1. *Quam non accepit, nemo dimittit*; & ideo si volebat dimittere, fatebatur acceptam. Insuper dixit Angelus Josepho: *Noli timere accipere Mariam conjugem tuam*, & subditur: *Accepit Joseph conjugem suam*; sed hæc verba debent intelligi de accipere ad convictum, non ad conjugium: ergo jam acceperat eam ad conjugium. Probatur minor; qui enim matrimonio primum jungitur, ut ait Serry, non dicitur accipere conjugem suam; sed accipere in conjugem suam.

Obstant I. Lucæ 1. dicitur: *Missus est Angelus Gabriel a Deo in civitatem Galilææ, cui nomen Nazareth, ad Virginem desponsatam viro, cui nomen erat Joseph, de domo David, & nomen Virginis Maria.* Et Matth. 1. *Cum esset desponsata Mater Jesu Maria Joseph, antequam convenirent inventa est in utero habens de Spiritu Sancto. Joseph autem vir ejus cum esset justus, & nollet eam traducere, voluit occulte dimittere eam. Hæc autem eo cogitante, ecce Angelus Domini apparuit in somnis ei, dicens, Joseph fili David, noli timere, accipere Mariam conjugem tuam, quod enim in ea natum est de Spiritu Sancto est; pariet autem filium, & vocabis nomen ejus Jesum .... Exurgens autem Joseph a somno, fecit, quod præcepit ei Angelus Domini, & accepit conjugem suam*: ex quibus verbis plane deducitur, Mariam Virginem tunc primum fuisse Josepho matrimonio junctam, quando post Angelicam salutationem, & post Christi conceptionem fuerunt in ea deprehensa divinæ graviditatis signa. II. Verba illa Evangelii: *Antequam convenirent, inventa est in utero habens de Spiritu Sancto*; vel intelliguntur de conventione ad copulam, vel de conventione ad habitationem; non de conventione ad copulam; quia hic est error, uti diximus: ergo de conventione ad habitationem: ergo antecedenter non cohabitabant: ergo neque fuerant antecedenter matrimonio juncti. Probatur hæc ultima consequentia; quia qui sunt matrimonio juncti, habitatione pariter junguntur. III. Est multorum sententia, qui putant, Mariam sine Josepho comite in montana ad salutandam Elisabeth, perrexisse: ergo signum est, quod tunc temporis non erat vir ejus: ergo nondum inter illos initum erat matrimonium. Probatur antecedens; & quia Evangelista in toto illo itinere Josephum non memorat; & quia alias Joseph ab Elisabetha mysterium didicisset, quod postea Angelus eum docuit; audisset enim verba, quæ Elisabeth voce magna Mariæ dixerat Lucæ 1. *Repleta Spiritu Sancto exclamavit voce magna, & dixit: Benedicta tu inter mulieres, & benedictus fructus ventris tui. Et unde hoc mihi, ut veniat Mater Domini mei ad me?* IV. Perfectio matrimonii saltem accidentalis consistit in cohabitatione Sponsorum; sed Maria, & Joseph non cohabitabant, quando Angelus dixit Joseph: *Noli timere accipere Mariam conjugem tuam*: ergo tunc inter illos matrimonium non erat contractum: ergo postmodum fuit contractum, atque perfectum. V. Pro nostra sententia ipsemet Suarez fatetur, nullum extare in Scriptura fundamentum: ergo gratis a nobis, & sine fundamento asseritur, ac defenditur.

Respondemus ad I. Aliud est post angelicam salutationem, & Divini Verbi conceptionem, fuisse in B. Virgine deprehensa prima graviditatis indicia, aliud est, tunc primum fuisse illam B. Josepho matrimonio juncta. Equidem indicia illa deprehendi non poterant ante angelicam salutationem, & ante Divini Verbi conceptionem, sed post, ut de se patet;

virtutem suam ostendere ; sed in omnibus aliis infantibus se similem exhibebat. Unde Leo Papa in serm. de Epiphania dicit, quod Magi viderunt, & adoraverunt puerum Jesum quantitate parvulum, alienæ opis indigum, fandi impotem; & in nullo ab humanæ infantiæ generalitate dissimilem. Ambrosius tamen super Lucam videtur hoc magis referre ad membra diaboli. Præmissa enim hac ratione, scilicet de fallendo Principem mundi, subdit: Sed tamen magis fefellit principes seculi: Dæmonum enim malitia facile etiam occulta deprehendit, at vero qui secularibus vanitatibus occupantur, scire divina non possunt.

Tertia caussa est, ut per Joseph genealogiam demonstraretur Mariæ, ac Christi Domini origo; Judæi enim non in more habebant descriptionem generis ducere per Avos, Atavosque matris, sed patris. Ita asserunt Hieronymus loc. cit., & post ipsum Damascenus lib. 4. de fide cap. 15. verbis hisce: *Quo circa scire operæ pretium est, nec apud Hebræos, nec apud Scripturam Sacram hoc in more positum fuisse, ut mulierum genus recenserrtur. Verum hoc demum lege cautum erat, ne tribus ulla uxores ex altera tribu accerseret.*

Quarta caussa est, ut B. Virgo per Viri societatem haberet adjutorium ad prolem educandam, fovendam, atque regendam, & ut in peregrinatione Joseph esset ipsi comes, & ductor ad pueri tutelam; & denique, ut totam familiam arte, industria, ac laboribus aleret, ac sustentaret. Hanc caussam innuit quoque Hieronymus lib. 1. Comment. in cap. 1. Matthæi scribens: *Tertio, ut in Ægyptum fugiens, haberet solatium.*

Dicimus III. Matrimonium inter Mariam, & Joseph, fuisse contractum, atque perfectum ante Filii Dei incarnationem, tam quoad essentiam, quam quoad solemnitatem. Est contra Cajetanum negantem incarnationia divinæ tempore fuisse celebratam inter Mariam, & Joseph nuptiarum solemnitatem. Est pariter contra alios credentes tempore Annunciationis Angelicæ Mariam, & Joseph habitasse quidem simul, sed inter ipsos nuptiarum solemnem celebrationem nondum intervenisse. Est denique contra plures, qui dicunt, Mariam fuisse Josepho matrimonio junctam mense tertio post Angelicam salutationem, & Dei Verbi Conceptionem.

I. Probatur. Authoritate SS. Patrum, Chrysostomi hom. 4. in cap. 5. Matthæi, Ambrosii lib. 2. in Lucam cap. 1. Chrysologi serm. 175. Euthimii in cap. 1. Matth. Bernardi homil. 2. super *Missus est*, S. Thomæ 3. par. qu. 29. art. 2. ad 3. Et quanvis defendentes tertiam sententiam pro seipsis adducant Larvatum Origenem homil. 1. in diversa Evangelii loca, Hieronymum, Hilarium, Theophilactum in cap. 1. Matthæi, Epiphanium hæresi 78. Basilium homil. de Christi nativit., Cyrillum catechesi 12., nihilominus, si attentius prædictos Patres legissent, & connexionem inter principia ab ipsis alias posita intendissent, non illos pro sua opinione citassent.

II. Probatur. Maria Virgo debuit esse matrimonio juncta, ne fornicaria putaretur a Judæis, si peperisset innupta: ergo antequam ab Angelo salutaretur, & antequam Christum conciperet debuit esse matrimonio juncta. Probatur consequentia. Si fuisset matrimonio juncta post Angelum salutantem, & nunciantem fœtum, peperisset ante nonum mensem: ergo jam occasionem habuissent eam judicandi adulteram, & fœtum ejus fornicarium. Quod confirmatur contra illos, qui dicunt, fuisse initum matrimonium tertio mense post montanam peregrinationem, quando inventa est in utero habens de Spiritu Sancto; tunc enim post sextum tantum mensem peperisset, adeoque vel gravidus non fuisset tributa Josepho, vel si fuisset tributa potuissent dicere Judæi, mysterium nescientes, quod habuisset carnalem copulam post contracta dumtaxat sponsalia de futuro, & nondum matrimonio de præsenti celebrato; quod nemo non videt, quam sit Sponsorum sanctitati, ac dignitati incongruum, ac indignum.

III. Probatur. Non fuisset Virginis partus diabolo celatus, si Deipara juncta fuisset matrimonio post angelicam salutationem, & non ante; sed Patrum est sententia Virginem fuisse matrimonio junctam, ut partus ejus diabolo celaretur, qui Christum non de Virgine, sed ex Josephi copula generatum putabat: ergo B. Virgo ante Angelicam Salutationem, & ante Christi Conceptionem fuit matrimonio juncta. Probatur major. Non potuissent Judæi existimare Christum genitum ex Josephi copula, quando vidissent matrem ejus antea gravidam, quam Josepho jungeretur, & parientem observassent post sextum tantum mensem a matrimonio contracto: ergo non fuisset

Virginis partus diabolo celatus, si Deipara fuisset juncta matrimonio post angelicam salutationem, & non ante.

IV. Probatur. Apud Judæos non erat licita conversatio sponsorum de futuro, donec juncti fuissent de præsenti per matrimonium subsequutum. Sed Scriptura passim nobis repræsentat post angelicam salutationem Jusephum familiariter cum Maria conversantem: ergo tunc temporis Maria erat matrimonio juncta. Consequentia sequitur; quia aliter conversatio illa familiaris iis, qui divinum mysterium nesciebant, scandalo fuisset. Minor in Scriptura legitur. Major probatur: Apud Hebræos puellæ innupræ vel in templo habitabant Deo consecratæ usquedum tempus nuptiarum adveniret, vel domi occlusæ, ad Virginitatis custodiam, servabantur. Maria vero statim, postquam Christum concepit, & postquam accepit angelicam salutationem, simul cum Josepho longam trium mensium peregrinationem aggressus est, & complevit, ut Lucæ 1. legitur.

V. Probatur. Matth. 1. dicitur, quod Joseph videns Mariæ graviditatem, voluit occulte dimittere eam; sed nemo dimittit uxorem, quam reipsa non duxit: ergo tunc temporis eam jam duxerat. Minor probatur ab Ambrosio dicente lib. 2. in Lucam cap. 1. *Quam non accepit, nemo dimittit*; & ideo si volebat dimittere, fatebatur acceptam. Insuper dixit Angelus Josepho: *Noli timere accipere Mariam conjugem tuam*, & subditur: *Accepit Joseph conjugem suam*; sed hæc verba debent intelligi de accipere ad convictum, non ad conjugium: ergo jam acceperat eam ad conjugium. Probatur minor; qui enim matrimonio primum jungitur, ut ait Serry, non dicitur accipere conjugem suam; sed accipere in conjugem suam.

Obstant I. Lucæ 1. dicitur: *Missus est Angelus Gabriel a Deo in civitatem Galilææ, cui nomen Nazareth, ad Virginem desponsatam viro, cui nomen erat Joseph, de domo David, & nomen Virginis Maria*. Et Matth. 1. *Cum esset desponsata Mater Jesu Maria Joseph, antequam convenirent inventa est in utero habens de Spiritu Sancto. Joseph autem vir ejus cum esset justus, & nollet eam traducere, voluit occulte dimittere eam. Hæc autem eo cogitante, ecce Angelus Domini apparuit in somnis ei, dicens, Joseph fili David, noli timere, accipere Mariam conjugem tuam, quod enim in ea natum est de Spiritu Sancto est; pariet autem filium, & vocabis nomen ejus Jesus .... Exurgens autem Joseph a somno, fecit, quod præcepit ei Angelus Domini, & accepit conjugem suam*: ex quibus verbis plane deducitur, Mariam Virginem tunc primum fuisse Josepho matrimonio junctam, quando post Angelicam salutationem, & post Christi conceptionem fuerunt in ea deprehensa divinæ graviditatis signa. II. Verba illa Evangelii: *Antequam convenirent, inventa est in utero habens de Spiritu Sancto*; vel intelliguntur de conventione ad copulam, vel de conventione ad habitationem; non de conventione ad copulam; quia hic est error, uti diximus: ergo de conventione ad habitationem: ergo antecedenter non cohabitabant: ergo neque fuerant antecedenter matrimonio juncti. Probatur hæc ultima consequentia; quia qui sunt matrimonio juncti, habitatione pariter junguntur.. III. Est multorum sententia, qui putant, Mariam sine Josepho comite in montana ad salutandam Elisabeth, perrexisse: ergo signum est, quod tunc temporis non erat vir ejus: ergo nondum inter illos initum erat matrimonium. Probatur antecedens; & quia Evangelista in toto illo itinere Josephum non memorat; & quia alias Joseph ab Elisabetha mysterium didicisset, quod postea Angelus eum docuit; audisset enim verba, quæ Elisabeth voce magna Mariæ dixerat Lucæ 1. *Repleta Spiritu Sancto exclamavit voce magna, & dixit: Benedicta tu inter mulieres, & benedictus fructus ventris tui. Et unde hoc mihi, ut veniat Mater Domini mei ad me?* IV. Perfectio matrimonii saltem accidentalis consistit in cohabitatione Sponsorum; sed Maria, & Joseph non cohabitabant, quando Angelus dixit Joseph: *Noli timere accipere Mariam conjugem tuam*: ergo tunc inter illos matrimonium non erat contractum: ergo postmodum fuit contractum, atque perfectum. V. Pro nostra sententia ipsemet Suarez fatetur, nullum extare in Scriptura fundamentum: ergo gratis a nobis, & sine fundamento asseritur, ac defenditur.

Respondemus ad I. Aliud est post angelicam salutationem, & Divini Verbi conceptionem, fuisse in B. Virgine deprehensa prima graviditatis indicia, aliud est, tunc primum fuisse illam B. Josepho matrimonio juncta. Equidem indicia illa deprehendi non poterant ante angelicam salutationem, & ante Divini Verbi conceptionem, sed post, ut de se patet;

matrimonium autem ante utranque pote: rat inter illos esse initum, ut nos in probationibus ostendimus; ubi praecipue probare conati sumus, Deum hominem non solum de Virgine matrimonio juncta nasci voluisse, sed etiam eadem matrimonio pariter juncta voluisse esse conceptum; aliter Judaei foetum divinum fornicarium judicassent, quia ipsum conceptum dignovissent non nono mense ab inito matrimonio, sed antea, ut dictum est.

Ad II. dicimus verba illa nec de conventione ad copulam, nec de conventione ad habitationem intelligenda esse; non de prima, quia Sanctissimi Sponsi nunquam ad illam convenerunt; non de secunda, quia ad hanc jam convenerant antecedenter, post matrimonium enim inter ipsos initum jam cohabitabant; quod de prima intelligi non possint, docuit Hieronymus contra Helvidianos, afferens, quod Scriptura, quid antea factum non sit, simpliciter notat, non quid postea factum fuerit. Et hoc exemplis comprobat Serry; nimirum si dicamus, Antiochus mortuus est, antequam poenitentiam ageret; non sequitur, quod Antiochus egerit poenitentiam, postquam extinctus est, sed quod nunquam egerit. Pariter, Judices sententiam pronunciarunt, antequam caussam cognoscerent, non sequitur, quod caussam cognoverint post pronunciatam ab ipsis sententiam, sed potius, quod nunquam caussam cognoverunt. Non absimiliter in casu nostro: *Antequam convenirent inventa est in utero habens de Spiritu Sancto*: ergo postea convenerunt; falsissima consequutio; legitima vero est haec: ergo nunquam convenerunt. Pro conventione vero ad habitationem, dicimus, quod jam ante salutationem, & Conceptionem cohabitabant; at deinde Josephus post suspicionem, quam conceperat volens eam dimittere, volebat pariter habitationem initam dirumpere, & vere recedens ab ea, quasi jam disrupetat; at monitus postea ab Angelo, reassumpsit habitationem, vel animo, vel opere, & iterum convenerunt ad habitandum; Verba ergo illa, *antequam convenirent*, intelligenda sunt de habitatione, non quidem primum inita, sed interrupta, vel animo, vel opere, & postmodum reassumpta.

Ad III. Utique Joseph perrexit in montana simul cum B. Virgine ad salutandam Elisabeth; non enim decebat, ut puella, virgo purissima, & modestissima sola, & sine comite longum iter aggrederetur, atque perficeret; quod expresse scripsit post plurimos Sylveira tom. 1. cap. 6. qu. 8. num. 24., & 25. Ratio autem est manifesta, quia inter alios fines, ob quos voluit Deus, B. Virginem habuisse sponsum, ac virum, unus fuit, ut comitem, & socium haberet; habebat ergo domi Josephum comitem, & socium, & foris non habebat in peregrinatione, & itinere, maxime quod per Civitatem Jerusalem transire debebat, ubi maxime indecens fuisset, quod puella sine socio, & sine comite iter faceret? S. Lucas in itineris illius descriptione, Josephum non nominat, quia superfluum videbatur, eum nominare; satis enim cognovissent omnes cum Maria in itinere fuisse Josephum, qui ejus erat custos, socius, & comes. Verba denique, quae dixit Elisabeth Mariae, eam salutando, non audivit Joseph, qui cum Zacharia loquebatur, quando cum Maria Elisabeth verba faciebat; & hoc divino consilio factum est, ut Joseph mysterium nesciret, usquedum ab Angelo de eo edoceretur.

Ad IV. dicimus cum Suarez distinguenda esse tria, quae possint in matrimonio intervenire: „ Primum est vinculum matrimonii, quod perficitur mutuo consensu, quo conjuges ad invicem sibi tradunt jus, & potestatem in sua corpora, ut constat ex Nicolao Papa in cap. sufficiat 27. q. 2. Secundum est mutua cohabitatio in eadem domo, cum mutuis obsequiis, quae neque ad matrimonium sufficit, ut de se constat, quia sine vinculo reperiri potest inter fratrem, & Sororem, nec est necessaria, ut etiam per se notum est, quia est quid posterius, & valde extrinsecum. Tertium est usus matrimonii, per carnalem copulam, & hanc etiam constat non esse de essentia veri matrimonii, ut tradunt omnes Theologi in 4. d. 30. „ At nos jam diximus inter purissimos Sponsos cohabitationem intervenisse; unde contra nos argumentum non procedit.

Ad V. verum est quod Suarez de conclusione nostra loquens, dicit: Haec conclusio (ut ingenue id fatear) non potest satis ex Scriptura probari: attamen subjungit: ad illam vero persuadendum, satis esse videtur, quod in Evangelio nullum omnino sit fundamentum ad hoc negandum. Post quae ad hoc ipsum probandum, ipsemet Suarez subdit: „ Nam verbum illud: *Noli ti-*

„ *li timere accipere Mariam conjugem tuam*, „ non oportet intelligi de solemni traditione, seu acceptione, quia phrasis illa: *accipere uxorem*, multiplex est in Scriptura. „ Interdum enim significat *uxorem ducere*, „ ut patet Genesis 4., & 6., interdum eam „ cognoscere, ut exponit Lyranus Deuteron. 20. *Quis est homo, qui despondit uxorem, & non accipit eam?* quavis possit „ etiam hic locus intelligi de receptione ad „ cohabitandum, quæ est alia illius vocis „ significatio, sicut Genesis 12. dicitur: *Accipe eam, & vade*. Hoc ergo ultimo modo „ sumi in citato loco Matth., Chrysostomus, & Ambrosius supra exposuerunt. „ Nam quia Joseph decreverat illam dimittere, monetur, ne timeat cum illa cohabitare, ut supra dictum est. Supposito ergo Scripturam nullo modo repugnare, „ sine dubio est magis consequens, & rationi consentaneum, ut nulla solemnitas „ huic matrimonio defuerit ante conceptionem Filii Dei. Primum quidem, quia „ non est verisimile, Sponsam solitam esse „ traduci ad cohabitandum cum Sponso „ ante expletam omnem matrimonii cæremoniam, & solemnitatem, sicut nunc fieri videmus in familiis bene institutis, & „ ordinatis. Deinde vero, quia cujusdam „ incontinentiæ excessus est, quod Sponsi „ copulentur ante perfectam omnem matrimonii cæremoniam; fuit ergo fini hujus matrimonii consentaneum, & ad vitandam omnem suspicionem valde conveniens, ut ante filii conceptionem fuerit matrimonium omni ex parte perfectum. Quo circa supposita historia, quam „ in capite hujus disputationis præmisimus, „ verisimile mihi est, B. Virginem non „ rediisse a templo in domum parentum, „ qui fortasse jam mortui erant, ut Cædrenus „ refert in compendio historiæ; sed post „ captam omnem matrimonii solemnitatem ab ipsis Sacerdotibus, immediate „ datam esse Josepho, ut Gregorius Nyssenus, & alii Patres, ibi citati, indicant „.

DISSERTATIO CCX.

De Concordia matrimonii in Deipara cum Virginitatis voto, antecedenter emisso. An rite, ac legitime B. Virgo matrimonium contraxerit cum S. Joseph, non obstante, quod antecedenter absolute emiserit Virginitatis votum? In qua quisque ætate purissimi Sponsi matrimonium contraxerit?

PRIMO ad difficultatem hanc vitandam, concordiæ scilicet matrimonii cum Virginitatis voto antecedenter emisso, Julianus, Pelagii Sectator, commentus est, inter Sacratissimam Deiparam, ac B. Joseph, verum non fuisse matrimonium; ut testatur Augustinus lib. 1. de nuptiis cap. 11. & lib. 5. contra Julianum cap. 12. quem simul irridet, & confutat verbis hisce: *Contra me conaris ostendere, quia in Maria, & Josepho concubitus defuit, nullo modo fuisse conjugium. Ac per hoc secundum te, cum destiterint concumbere conjuges, jam non erunt conjuges, & divortium erit illa cessatio. Quod ne contingat; agant, si possunt, decrepiti, quod juvenes agebant: & ab hoc opere, quo etiam continens nimium delectaris, nec in effœtis corporibus parcant.*

Secundo. Alii Hæretici, de quibus loquuti fuimus supra, aliam commenti sunt insaniam, eadem difficultate pressi; nimirum, quod inter Sacratissimos Sponsos carnalis copula intercesserit, unde Christum æquè dixerunt Mariæ, ac Josephi filium fuisse. Hi fuerunt Cerinthiani, Ebionitæ, aliique, ut superius dictum est.

Ter-

Tertio. Inter Catholicos sunt, qui putarunt, potuisse Mariam licite nubere, quanvis ante desponsationem virginitatis votum emisisset, quia pater ejus præcepit ei matrimonium. Credunt enim Numerorum 3. contineri, quod possit Pater votum virginitatis, seu castitatis a filia emissum irritare, modo id faciat eadem die, qua ipsi constet de voto emisso. Refert Hennus tract. de præcipuis vitæ Christi mysteriis art. 4., qui subdit, quod hoc non obstante retinuit B. Virgo in se propositum castitatis servandæ, quantum posset; & ideo credibile putat, quod contracto matrimonio inter se convenerint Maria & Joseph de Virginitate servanda.

Quarto. Alii existimant Mariam & Joseph obligatione voti, antecedenter contracti, vel fuisse solutos, vel saltem dubitasse, an voti religione tenerentur, quando matrimonium invicem contrahere debuerunt. Tribuitur a Graveson hæc opinio Bollando tom. 3. de actis Sanctorum ad diem 19. mensis Martii, cujus hæc retulit verba: „ Dirarum, omniumque malorum extremum censebatur in veteri lege „ desperatio posteritatis, maxime si qui pa„ rentibus suis sic vicini essent, ut nisi pro„ creandæ proli operam darent, frustrandi „ essent majores sui speratæ successionis „ bono, & retro in caput volvenda hære„ ditas. Cum itaque hæc omnia in Josepho, „ atque Maria tantum fuerint majora, „ quanto propius illi per rectam tam na„ turæ, quam legis lineam ad illam spem „ admovebantur, cur ergo hic verear co„ gitationem meam utriusque honori non „ parum forte conducturam aperire, fate„ rique, suspicari me rebus sic constitutis; „ re vera, & ex ipsa natura obligationis, si„ mul cum tali voto vix ac ne vix quidem „ consistentis, potiori debito prævalente, „ solutum fuisse ea religione utrumque, aut „ saltem dubitasse, num adhuc obligaren„ tur? „

Quinto. Post S. Thomam 3. p. q. 28. art. 4. alii asserunt, Mariam, antequam matrimonium cum Josepho iniret, vovisse virginitatem, non absolute, sed conditionate; hac scilicet conditione, si Deo placeret; & hoc pacto volunt, vere posse virginitatis votum cum matrimonio convenire. At Nos superius ostendimus, virginitatis votum, a B. Virgine emissum fuisse absolutum, non conditionatum; ac proinde hæc sententia in nostris principiis nequit habere locum.

Sexto. Sotus existimat, B. Virginem emisisse votum virginitatis post nuptias, & ideo potuisse per contractum matrimonialem se obligare ad reddendum debitum. At nos etiam superius probavimus, non post, sed ante nuptias virginitatis votum fuisse a B. Virgine nuncupatum; quod præcipue diximus ex Augustino lib. de Sancta Virginit. cap. 4. docente: *Tradita est viro justo, non ablaturo, sed custoditure, quod jam ipsa voverat.*

Septimo. Scotus, Suarez, Sanchez, aliique sentiunt, B. Virginem consensisse in obligationem ad copulam, non vero in ipsam copulam, quam sciebat per revelationem, quod S. Joseph nunquam esset petiturus. Verum hanc viam, scribit Viva, communiter rejici; quia illicitus est consensus in obligationem ad actum illicitum; scilicet ad homicidium injustum, si illud Rex præcipiat, quanvis quis certo sciat, nunquam esse illud a Rege præcipiendum. Ex quo infert, quod non poterat B. Virgo per contractum matrimonialem consentire in obligationem ad copulam, quæ ratione voti supponitur illicita; quanvis certo sciret, eam Joseph nunquam fore petendam. Ita Viva par. 5. de justitia, & jure, disp. 2. qu. 3.

Octavo. Canisius, aliique apud Sanchez lib. 2. disp. 28. volunt, B. Virginem non matrimonium, sed sponsalia contraxisse; & hoc pacto nullam, credunt, esse difficultatem conciliandi Virginitatis votum cum Sponsalibus, cum quibus recte stare posse, prætendunt. At sententia hæc fuit etiam in superioribus a Nobis impugnata, quando probavimus inter B. Virginem, & S. Joseph verum intercessisse matrimonium.

Nono. Hugo de S. Victore, quem sequitur Ægidius Columna lib. 2. de regimine Principum, aliique apud Vasquez 3. p. disp. 125. & apud Sanchez lib. 7. disp. 97., putavit, matrimonium B. Virginis fuisse solum in ordine ad convivendum B. Joseph, non vero in ordine ad procreandam prolem, & ob hoc bene potuisse cum virginitatis voto componi. Subdens, quod sicut matrimonium permittitur ab Ecclesia decrepitis, qui prolem procreare non possunt, ita etiam permitti potest Virginibus, qui prolem procreari nolunt; quia finis primarius matrimonii est conjunctio animorum, non corporum; explicans denique verba illa Genes. 1. *Relinquet homo Patrem, & matrem, & adhærebit* (hoc est associabitur) *uxori suæ*: & finis secundarius est prolis procreatio; pro-

proinde subditur: *Crescite, & multiplicamini.* At iidem Vasquez, & Sanchez hunc modum impugnant; dicentes, quod si subsisteret in rigore, dari posset matrimonium verum inter fratres & Sorores, inter Parentes, & filios, inter Religiosos quoque; quia inter illos esse potest societas in charitate ad perpetuam cohabitationem. Præterea dicit Apostolus 1. ad Corinth. cap. 7. *Mulier sui corporis potestatem non habet, sed vir; similiter vir sui corporis potestatem non habet, sed mulier:* ergo finis primarius matrimonii est prolis procreatio. Denique ideo matrimonialis contractus est indissolubilis, quia est in ordine ad prolem educandam: ergo pariter matrimonium principaliter contrahitur ad prolem procreandam. Senes autem ideo nubere possunt, quia per accidens est, quod prolem procreare non possint. Docent Doctores apud Sanchez citato loco disp. 92.

Decimo. Alii explicant, quod B. Virgo matrimonium contraxerit cum mutuo pacto servandi votum castitatis, adeout facultas petendi debitum esset perpetuo impedita, sicut per usumfructum perpetuum facultas utendi re data in usumfructum est perpetuo impedita in Domino directo. Tribuitur hæc via Vasquez 3. par. disp. 125. Et a Viva dupliciter intelligitur; primo scilicet, quod si votum dispensetur, & contractus in contractu matrimoniali subinsertus de non petendo debito rescindatur, matrimonium sit nullum; secundo, quod si votum dispensetur, & contractus subinsertus de non petendo debito rescindatur, matrimonium perseveret, & tunc detur facultas expedita ad petendum debitum: subdens, quod juxta primum sensum via hæc non subsistit, quia facultas, quæ nunquam potest esse expedita, est nulla. Et ideo concludit Viva, quod Vasquii mentem, juxta secundum sensum interpretatur Dicastillo disp. 5. nu. 154., & in hoc eodem sensu illam docent Paludanus, Henricus Gandavensis, Gerson, Abulensis, & alii apud Suarium 3. par. disp. 6. Rebellus, Perez, Pontius, & alii.

Undecimo. Alii docent, Deiparam Virginem, antequam Josepho nuberet, per certam revelationem didicisse, Josephum tradita sibi in corpus ipsius potestate nunquam usurum, & nunquam debitum petiturum, vel quia ipsemet Joseph Virginitatis votum nuncupaturus esset, vel quia Deus mentem ipsiusmet Joseph esset aversurus a debito petendo. Unde divina revelatione certior facta B. Virgo, consensit, quando matrimonium cum B. Joseph celebravit in traditionem juris ad copulam conjugalem, quod satis fuit ad matrimonii substantiam, non vero consensit in usum juris illius, quem sibi interdixerat per virginitatis votum, & quem noverat certissime nunquam sequuturum. Unde concludunt, quod jus, atque dominium in alterius corpus ex vi matrimonii uterque habuerunt; at usum hujusmodi juris atque dominii ex vi voti non habuerunt. Refert hanc viam Serry exercit. 23. nu. 3. eanque dicit plerisque Theologis placuisse. Revera eam docuit S. Thomas, citatus a Graveson, & post ipsum Cornelius a Lapide in c. 1. Matthæi, ipsemet Graveson, Bavarus in vita S. Joseph, aliique multi.

Dicimus I. Rite, ac legitime B. Virginem cum S. Joseph matrimonium iniisse, etiam supposito virginitatis voto, ob hoc, quod ob rationem matrimonii ambo habuerunt jus, atque dominium in alterius corpus, & quod ob rationem voti non habuerunt usum illius juris, atque dominii.

I. Probatur exemplo S. Ceciliæ, quæ protecta ab Angelo, qui erat suæ virginitatis custos, citra periculum virginitatis amittendæ, Valeriano nupsit; quia certo sciebat, quod Angelus aut avocaret Valerianum a debito petendo, aut quocunque alio modo conjugalem congressum impediret; & hoc ipsi fideliter cessit: ergo pariter B. Virgo per divinam revelationem discere poterat, quod Cecilia per Angelum didicit, scilicet B. Joseph per virginitatis votum conjugale debitum nunquam ab ipsa petiturum; & ob hoc sicut fuit verum matrimonium inter Ceciliam, & Valerianum, quanvis Cecilia antecedenter virginitatis votum emisisset; ita pariter verum, ac legitimum fuit matrimonium inter B. Virginem, ac S. Joseph initum, quanvis B. Virgo antecedenter virginitatis votum nuncupasset.

II. Probatur. Usus juris vel dominii in aliqua re est separabilis a jure, & ipso dominio, adeo ut possit in aliquo esse jus, atque dominium absque eo quod sit usus; sed matrimonium consistit in jure, atque dominio corporum, non vero in usu, & virginitas consistit in abdicatione usus: ergo rite; ac legitime in B. Virgine, ac in S. Joseph potuit stare matrimonium ob rationem juris, ac dominii in corpora, & potuit stare virginitatis votum ob abdica-

dicationem usus talis juris, atque dominii. Minor est certa; quia matrimonium contrahitur per traditionem juris ad copulam conjugalem; per usum vero talis juris matrimonium consummatur, non contrahitur; matrimonium autem ratum, & non consummatum est verum matrimonium: ergo ad substantiam matrimonii sufficit traditio juris ad copulam conjugalem, & non requiritur usus talis juris. Major sequenti ratione elucidatur, atque magis roboratur.

III. Probatur. Ita se habent dominium, seu jus ad usum, sicut se habet dominium directum ad usumfructum, seu ad dominium utile; sed dominium directum potest separari ab usufructu, seu a dominio utili perpetuo: ergo potest etiam separari jus, seu dominium ab usu: ergo bene potest per matrimonium alteri conjugi conferri dominium directum, & radicale in corpus, retento dominio utili in perpetuum, & potest etiam eidem conferri jus ad conjugalem copulam, absque eo quod conferatur usus hujusmodi juris. Probatur minor. Ideo non possunt separari, quia dominium directum esset prorsus inutile in proprietario post translationem ususfructus perpetui, & traditio juris esset etiam inutilis, absque traditione usus talis juris; sed hæc inutilitas non esset: ergo sunt separabiles. Probatur minor. Supposita separatione illa, usufructuarius non posset rem destruere, vel alienare, invito Domino directo; similiter qui haberet jus, quamvis non haberet usum, posset rem illam vere dicere suam, & cuicunque alio prohibere, & a quolibet alio vindicare: ergo non esset inutilitas illa, quæ ab Adversariis fingitur.

IV. Probatur. Ponamus casum, quod Conjuges post matrimonium consummatum ingrediantur religionem, in tali casu in omnium sententia durat vinculum matrimoniale cum facultate tamen perpetuo impedita; ad debitum petendum; & quod duret vinculum matrimoniale patet, quia committeret adulterium, qui cum alia peccaret. Insuper si uxores emittant votum simplex castitatis, ex tali consensu, cessat obligatio reddendi debitum, quia uterque juri suo cessit: ergo matrimonium cum facultate perpetuo impedita, seu cum abdicatione usus juris ad petendum debitum conjugale, vel quomodocunque aliter explicetur, non repugnat.

Arguunt I. Matrimonium substantialiter importat corporum traditionem; sed corporum traditio importat ex tunc consensum in futuram copulam, si ab altero conjuge debitum petatur, & hoc virginitatis voto repugnat, quia ut docet Augustinus lib. de bono viduitatis cap. 8. *Voventibus virginitatem non solum nubere, sed etiam velle nubere, damnabile est*: ergo &c. II. Per votum virginitatis traditur proprium corpus Deo; per matrimonium traditur proprium corpus alteri Conjugi; sed quod est traditum Deo non potest tradi homini: ergo post emissum virginitatis votum non potest matrimonium contrahi. III. Qui non potest alteri proprium corpus tradere, nec potest alieni corporis traditionem acceptare; sed qui virginitatem vovit, non potest proprium corpus alteri tradere: ergo nec potest alieni corporis traditionem acceptare: ergo non potest matrimonium contrahere. Consequentia sequitur, quia matrimonium consistit in mutua corporum traditione, & acceptatione. IV. Procreatio prolis est finis matrimonii; sed qui virginitatis votum emisit, non potest habere hunc finem: ergo nequit matrimonium contrahere. V. Frigidus, & Eunuchus non possunt valide matrimonium contrahere, quia debitum reddere omnino non possunt; sed qui votum virginitatis emisit, nequit debitum reddere; ergo nequit valide matrimonium contrahere. Major patet ex cap. *quod sedem*, ex cap. *quod literis; de frigidis, & maleficiatis*; minor etiam est evidens, quia qui castitatis votum emisit, voto ipso prohibetur debitum reddere. Consequentia currit. VI. Si licuit Deiparæ post emissum virginitatis votum contrahere matrimonium: ergo licebit pariter iis; qui voto castitatis sunt obstricti, matrimonium inire; sed hoc dici non potest. VII. Ex cap. *Si conditiones extra de conditionibus appositis in desponsatione* habemus Gregorii IX. Romani Pontificis rescriptum, in quo dicitur: *Nullum esse, & irritum matrimonium, si conditiones contra substantiam conjugii inferantur: puta si alter alteri dicat, contraho tecum, si generationem prolis evites.* Huic rescripto subscribit pariter S. Thomas in 4. dist. 28. art. 4. ad 3., ubi rejicit hanc conditionem: *Consentio in te, ut non cognoscas me*: tanquam destructivam substantiæ matrimonii; Sed contrahens cum virginitatis voto, antecedenter emisso, cum hac conditione, aut verbo expressa, aut mente concepta contrahit: ergo matrimonium est nullum. VIII. Implicat matri-

matrimonium, quod est essentialiter ordinatum ad procreandam prolem, initum sub conditione, quod neuter petat debitum: ergo nullum est. Probatur antecedens: Implicat donatio alicujus rei, facta alteri sub conditione, quod hic alter re donata non utatur: ergo pariter implicat matrimonium &c. IX. Ejusdem rei dominium nequit esse in duobus: ergo non potest esse simul in Domino directo, & in usufructuario: ergo neque dari potest in conjugibus verum jus radicale in corpus alterius, & verum jus formale ad debitum negandum. X. Nullum est matrimonium initum sub conditione vitandi prolem: ergo nullum est matrimonium sub conditione servandi votum castitatis. Probatur consequentia. Pactum de servando voto castitatis est pactum de prole evitanda: ergo sicut est nullum matrimonium initum sub uno pacto, ita etiam est nullum contractum sub altero.

Respondemus ad I. distinguendo minorem. Corporum traditio importat ex tunc consensum in copulam, si fiat nulla prævia certitudine, quod copula nunquam sit sequutura, concedimus; si præsupponatur certa illa notitia per revelationem a Deo habitam, negamus. In hoc enim casu conjux consentit in traditionem juris ad copulam, non vero in ipsam copulam, quæ consistit in usu juris illius.

Ad II. Distinguimus minorem: Quod est traditum Deo, non potest tradi homini eo modo, quo est traditum Deo, concedimus, diverso modo, negamus. Qui emittit virginitatis votum, non habet liberum usum sui corporis ad actum conjugalem, & hunc usum non tradit illi, quem novit nunquam petiturum esse eundem usum; tradit autem jus, quod distinctum est ab actu, & usu. Sicque B. Virgo, quæ voverat Deo virginitatem, Deo obtulerat corpus suum sub ratione, quod nunquam consentiret ad usum copulæ conjugalis; & hoc pacto corpus suum Josepho non tradidit, quum per revelationem rescivisset nunquam Josephum petiturum esse hunc usum.

Ad III. Per votum virginitatis impeditur exercitium potestatis in corpus alterius, non impeditur autem ipsamet potestas, quæ distincta est ab exercitio, & ab actu, & quæ sola ad matrimonii substantiam sufficit. Conjuges, qui post contractum matrimonium votum virginitatis emittunt, retinent quidem potestatem alter in corpus alterius, quia etiam in hoc casu vinculum matrimonii est insolutum; at non retinent usum illius potestatis, quia per virginitatis votum hic usus factus est illicitus. Pariter vir, qui est adulter, & mulier, quæ est adultera perdunt usum, & exercitium juris, vel potestatis in corpus, quia non possunt petere debitum; retinent tamen jus, & potestatem, quia non possunt alteri nubere. Quod quidem non esset si jus, & potestas non essent ab actuali usu, & exercitio sejunctæ, atque distinctæ.

Ad IV. Theologi, & Canonistæ tria in matrimonio distinguunt, nimirum, substantiam, usum, & finem. Substantia consistit in mutua corporum traditione, seu in traditione mutuæ potestatis in corpus: usus positus est in copula conjugali, quia conjuges per hanc copulam utuntur potestate sibi tradita: finis denique stat in prolis procreatione. Stare igitur potest substantia matrimonii sine fine, hoc est sine prolis procreatione. Cæterum in matrimonio Deiparæ cum S. Joseph fuit quoque finis, si non ab ipsis intentus, intentus quidem a Deo. Christus fuit profecto matrimonii illius finis, & fructus; quia, ut Scholastici dicunt, non fuit ex eo natus, sed in eo, & ob hoc conjugium Deiparæ cum B. Joseph etiam ratione finis quocunque alio conjugio dicendum est præstantius, ut dixit Augustinus lib. I. de nuptiis cap. 2. *Nuptiarum bonum impletum est in illis Parentibus Christi; proles, fides, Sacramentum: prolem cognoscimus ipsum Dominum Jesum; fidem, quia nullum adulterium; Sacramentum, quia nullum divortium.*

Ad V. Respondet Serry, quod Frigidus, & Eunuchus non possunt valide matrimonium contrahere, quia ad reddendum debitum laborant impotentia physica, & naturali: Qui vero castitatem vovit, hujusmodi impotentiam non habet, quanquam ratione voti non liceat ipsi potentia illa uti. Subdit: „ Neque moveor, si dixeris, ludicram, & futilem esse potentiam, qua non possis uti, nec liceat. Porro est enim plane ea uti, jure matrimonii, „ quanquam non jure voti. Licet & illa uti „ per leges conjugii, adeo ut non sit adulter, si ea fuerit usus: quanquam non liceat uti ex obligatione voti; adeo ut sit „ irreligiosus, & sacrilegus, si utatur. „

Ad VI. Dicitur cum eodem Serry, quod liceret omnino, si solum jus naturale spectaretur, ac poneretur par revelatio, seu certitudo, quod alter conjux sponte cederet

deret juri, debitum petendi; quia virginitas per se se matrimonio non repugnat: non licet tamen; spectato jure scripto, & præsertim ecclesiastico, quod id omne vetat, ob periculum violandi voti in matrimonio. Proinde præcipit Ecclesia illis, qui post contractum matrimonium ex mutuo consensu vovent, ut perpetuo separentur; quod legitur toto titulo de conversatione conjugatorum. Cæterum, quando B. Virgo Josepho juncta est matrimonio non erat hæc juris scripti dispositio; & insuper nullum erat in ipsis violandi voti in matrimonio periculum, ob utriusque evidentissimam sanctitatem.

Ad VII. Idem Serry hæc reponit: „ Aliud „ longe est, contrahere cum aliquo matri„ monium, quem aliunde noveris genera„ tionem prolis se ipso evitaturum; aliud „ contrahere cum aliquo ea lege, & condi„ tione contractui inserta: *si generationem* „ *prolis evitet*. Qui contrahit ea conditio„ ne contractui inserta, adversatur expres„ se fini matrimonii, ejusque substantiam „ destruit, talem ab eo conditionem exi„ gendo. Atque hoc est, quod declaravit „ Gregorius IX., quod & docuit Doctor „ Angelicus, irritum esse tunc matrimo„ nium. At qui simpliciter contrahit cum „ eo, quem aliunde novit, se ipso gene„ rationem prolis evitaturum, excedit ut„ ut maxime a fine matrimonii, sed ei ex„ presse non adversatur: ad illum finem „ veluti *negative* se habet, ut Schola loqui„ tur; adeoque substantiam matrimonii „ minime destruit. Atque hoc est, quod „ egit Virgo Deipara; contraxit, scilicet, „ cum eo, quem aliunde divina revelatio„ ne noverat, non esse debitum petiturum; „ non contraxit tamen ea conditione, con„ tractui velut inserta, & postulata, ut de„ bitum minime postularet. Idcirco stetit „ substantia matrimonii. Exemplum rei „ hujus esto in contractu donationis. Si „ quis dicat: Do tibi domum meam, si eam „ non acceptes, contractus est nullus; quia „ ea non acceptatio exigitur a donatore, & „ quia exigitur, ludicram facit donatio„ nem, ipsamque destruit. At vero si de„ dero domum meam ei, quem aliunde no„ verim non acceptaturum, tunc non ac„ ceptatio erit extrinseca contractui, ac „ veluti ex accidente: atque ita contractus „ ipsius substantiam minime destruit. Ita „ plane in casu, quem expendimus. Audi „ Doctorem Angelicum, rem illam totam „ paucis expedientem in 4. Sent. dist. 30. „ qu. 2. art. 1. quæstiuncula 2. ad 2. *Beata* „ *Virgo antequam contraheret cum Joseph, fuit* „ *certificata divinitus, quod Joseph in simili* „ *proposito erat; & ideo non se commisit pe*„ *riculo, nubens. Nec tamen propter hoc ali*„ *quid veritati* (Matrimonii) *deperiit; quia* „ *illud propositum non fuit conditionaliter in* „ *consensu appositum; talis enim conditio, cum* „ *sit contra matrimonii bonum, scilicet, pro*„ *lem procreandam, matrimonium tolleret.* „

Neque dicatur, quod B. Virgo non consensisset, si non didicisset, B. Josephum debitum non petiturum: ergo causa consensus fuit cognitio non petitionis debiti in B. Joseph: ergo fuit conditio. Ne dicatur hoc, quia aliud est scire quod futurum est, & aliud est illud ipsum apponi, ut conditionem matrimonialis contractus; quamvis ex illa scientia nata fuerit contrahendi voluntas, non per hoc tamen evenit, quod scientia illa causæ, vel conditionis induat naturam. Affertur ad hoc probandum, atque explicandum Pulcheriæ Imperatricis exemplum, quæ Marciano nupsit hac expressa conditione, ac etiam jurisjurandi religione interposita, illum virginitati, quam adolescentula voverat, non insidiaturum; quod legitur apud Nicephorum lib. 14. hist. cap. 58. & apud Baronium ad an. 450. Quod quidem exemplum est contra Gregorii IX. definitionem, quia interposita est conditio. In B. Virginis vero matrimonio nulla fuit conditio, sed tantum præscientia interposita. Et nihilominus qui Pulcheriæ matrimonium defendunt, reponunt, quod Pulcheria diu ante Gregorium Marciano nupsit, adeoque ab illius decreto nubere non impediebatur. Revera tamen contra hanc responsionem insurgunt alii dicentes, quod Gregorius illud non statuit, ut legem ecclesiasticam, & positivam, sed ut naturale jus declaravit, quo, scilicet, pronuntiavit quid ad matrimonii substantiam sit necessarium, quod quidem pro omni tempore servandum erat. Hoc tamen nihil ad nos, ut bene ait Serry, qui de salvando matrimonio Virginis Deiparæ cum B. Joseph scribimus, non vero de matrimonio Pulcheriæ cum Marciano.

Ad VIII. Respondet Viva, quod si ita contrahatur matrimonium, ut rescissu contractu superaddito de servando voto castitatis, matrimonium sit nullum, & nulla tunc consurgat formalis, & expedita obligatio ad debitum reddendum, concedit: si ita contrahatur, ut rescisso eo contractu

tractu consurgat talis obligatio, negat antecedens, & consequentiam. Ad probationem distinguit pariter: donatio alicujus rei, facta alteri, sub conditione, quod nunquam ea re utatur, implicat; si rescisso hoc pacto, quod nunquam utatur, statim possit uti, negat antecedens; secus, concedit antecedens, & negat consequentiam. Hoc tamen procedit in principiis Vasquez, & ipsiusmet Vivæ, qui sequitur Vasquez; qui conantur conciliare in B. Virgine matrimonium cum virginitatis voto per conditionem oppositam, ut S. Joseph conjugale debitum nunquam esset petiturus, ut pluries supra, & nuper explicavimus; non vero in principiis nostris, in quibus hanc conditionem non requisivimus, sed tantum conciliavimus matrimonium cum Virginitatis voto per præscientiam B. Virginis, qua revelatione habita, cognoverat, quod Joseph nunquam esset usurus jure sibi tradito in corpus illius.

Ad IX. Dicitur, quod solum dominium plenum ejusdem rei non potest esse simul in duobus; at potest esse in uno dominium directum, & radicale, & in altero dominium utile, & formale. In casu autem Conjuges habent dominium radicale in corpus alterius, atque adeo obligationem radicalem reddendi debitum; habent tamen jus formale, & dominium utile ad proprium corpus; atque adeo carent obligatione formali ad reddendum debitum. Sic respondet Viva in principiis Vasquez, & suis; in quibus ex conditione illa apposita potest nasci dominium formale, quod explicat, & inducit. At in principiis nostris cognoscimus in B. Joseph jus, & dominium plenum in corpus B. Virginis, non cognoscimus vero usum talis juris, & dominii, non quia non habebat, vel habere non poterat, sed quia habere nolebat, ut dictum est. Et hinc fit, quod jus illud, & dominium sine usu in B. Joseph nequit dici vanum, futile, ociosum, inutile, aereum, umbratile, &c., quia usus non deficit ex impotentia, sed ex voluntate ipsius Sponsi, quem B. Virgo prævidit, vel per revelationem scivit, jure sibi tradito nunquam uti velle.

Ad X. Respondet Viva, negando consequentiam, & negationis rationem assignans, ait, „ quod sicut non opponitur
„ matrimonio, quod uterque velit, præcisa ulla obligatione, castitatem servare;
„ aut quod uterque velit vovere castitatem,
„ aut ingredi Religionem, post matrimo-
„ nium consummatum, quia sic vitatur pro-
„ les per media negativa, & licita; ita nec
„ opponitur pactum annexum de servando
„ voto castitatis: & ratio a priori est, quia
„ ad matrimonium spectat solum, quod
„ proles ametur, & apte educetur, si a Deo
„ conceditur; non vero spectat, quod po-
„ sitive ad prolem procreandam vacetur. „

Pro secunda Dissertationis parte, de ætate nimirum, qua B. Virgo, ac S. Joseph nuptias contraxerunt, non una est Scriptorum sententia, quas omnes, ut invenire potuimus, singillatim afferemus; & deinde illi, quæ probabilior videbitur, adhærebimus. Primo autem de Virginis ætate, & postea subsequenter de illa Joseph loquemur.

Primo. Joannes Annæus in Commentariis Chronographiæ Philonis putavit, B. Virginem anno decimo quarto ætatis suæ Christum peperisse. Ex qua sententia sequitur, quod B. Virgo anno decimo tertio nondum completo S. Joseph nupserit. Hanc sententiam sequitur Driedo lib. 3. de Dogmatibus Sacræ Scripturæ tit. 3. cap. 5. par. 4. paulo ante finem.

Secundo. Cardinalis Cajetanus commentario in Lucæ 1. censuit, B. Virginem in ætate viginti quatuor annorum peperisse Christum, adeoque anno vigesimo tertio nondum completo fuisse B. Josepho nuptam.

Tertio. Nicolaus, Monachus S. Albani scripsit, Mariam vix duodennem nuptui fuisse traditam, ut legere est in epistola, quam dedit Petro Cellensi.

Quarto. Suarez dicit, probabiliorem esse sententiam illorum, qui asserunt Virginem Deiparam fuisse nuptam paulo post inchoatum decimum quartum annum; quia undecim fere annis, ait ipse, in Templo mansit, & tunc tradita fuit Josepho, & post quatuor menses Angelicum Nuncium habuit; agens vero decimum quintum annum, Filium peperit.

Quinto. Vasquez vult ex communi sententia, ut ipse loquitur, Deiparam nuptam fuisse anno decimoquinto, nondum expleto, sed inchoato; quod asserit ex Baronio in Apparatu num. 53.

Pro ætate vero B. Joseph; Primo S. Epiphanius scribit hæresi 78. fuisse octogenarium, quando matrimoniali fœdere Mariæ Virgini est junctus. Epiphanio subscribit Necephorus lib. 1. hist. cap. 7. Epiphanius autem in Anchorato circa medium scripsit fuisse senem, sed non determinavit ætatem. Serry autem asse-

rit, hæc exscripsisse Epiphanium ex Spuria Josephi historia.

Secundo. Alii docuerunt, S. Josephum, quando matrimonium contraxit, fuisse quidem senem, sed non determinarunt ætatem. Tribuitur hæc sententia Evodio epist. de B. Virginis educatione, cujus fragmentum refert Nicephorus lib. 1. hist. cap. 7. ac etiam Josepho Hebræo in historia, quam Serry dicit, esse spuriam.

Tertio. Gersonius serm. de Nativit. B. Virginis, quem habuit in Concilio Constantiensi, putavit, Josephum tunc temporis quinquaginta annos habuisse.

Quarto. Viguerius lib. Institutionum Theologicarum cap. 20. docuit, Josephum fuisse juvenem, quando B. Virginem duxit uxorem, non determinat tamen ætatem, sicut nec eam designat Suarez, qui vult, non fuisse senem, sed potius aptissimæ, & convenientissimæ ætatis, hoc est potius maturæ, quam juvenilis, subdens: „Qua vero ætate fuerit, juve„nis ne, vel vir triginta, quadragintave „annorum, definiri non potest, cum ex „historiis nihil habeamus„. Similiter „Vasquez scribit: „Josephum non fuisse „impotentem ad generandum, quando con„traxit, non solum re ipsa, sed etiam opi„nione hominum, ac proinde non fuisse „octogenarium, ut putavit Epiphanius, „neque valde senem, de quo impotentiam „homines suspicari possent. Id, quod ex „professo probat etiam Abulensis in cap. „30. Num. q. 31. & in 1. cap. Matth. „quæst. 32. post medium, ubi addit oppo„situm contra rationem esse, & (ut ipse „ait) irrationabile„.

Dicimus II. Virginem Deiparam, quando fuit B. Josepho matrimonio juncta, adolescentulam fuisse, non puellulam, nec mulierem maturioris ætatis. Pariter B. Joseph non fuisse senem, nec adolescentem, sed virum maturæ quidem ætatis, at non devexæ, annisque gravis. Quo autem anno utriusque id factum fuerit, omnino incertum.

I. Probatur prima Conclusionis pars. Ut servaretur æqualitas inter virum, & uxorem, quum esset S. Joseph maturæ ætatis, conveniebat quoque, B. Virginem esse non puellulam, sed adolescentem; ergo vere fuit adolescens, quando B. Josepho nupsit, & non puellula. Probatur antecedens; tum quia improprium apparuisset, tenellam cum perfecto viro matrimonio jungi; tum etiam quia eam Judæi derisissent, vel etiam culpassent, si ab iis, quæ tantum extrinsecus videbantur permoti, matrimonio junctam vidissent cum homine, qui potius ei apparuisset Genitor, quam maritus.

II. Probatur. Et quia B. Virgo erat virginitatis voto obstricta, & quia non libidinis caussa jungebatur viro, nec prolis procreandæ studio; Unde per hoc debuisset matrimonium ejus accelerari. Et quia quum deberet iter in Montana suscipere, non debebat ita esse teneræ ætatis, ut itineri illi impar inveniretur: & quia Judaicæ Gentis ritus non ferebant ut feminæ in tenera adhuc ætate positæ, matrimonio jungerentur, quum sat esset, ut nuberent in adolescentia, non autem in pueritiate.

III. Probatur. Nemo ex Patribus Deiparam, quando fuit matrimonio juncta, mulierem, vel feminam dixit, sed puellam, vel adolescentem, & ita etiam eam vocarunt Patres omnes, quando peperit Christum: ergo signum est, quod tunc temporis B. Virgo maturæ ætatis non erat. Præterea hoc vere fuisset contra Judæorum consuetudines, vi quarum, ipsorum mulieres, ut dictum est, non provectæ ætatis matrimonio jungebantur: ergo semper stat, quod B. Virgo, quando fuit Josepho nuptui tradita, nec fuit acerbæ, nec maturæ ætatis, sed mediæ inter utranque.

Secunda pars Conclusionis probatur I. Deus nasci voluit ex Virgine, matrimonio juncta, ut matris graviditas, & partus marito possit tribui ab illis, qui mysterium ignorabant, sicque matris honori non detraherent: ergo S. Joseph in ea debebat esse ætate positus, ut potuisset illi Mariæ graviditas, & partus tribui, & non alteri; atqui si fuisset senex, non potuisset illi rationabiliter tribui: ergo senex non erat, quando ipsi fuit B. Virgo matrimonio juncta.

II. Probatur. Patrum quoque doctrina est, B. Virginem habuisse virum, ut esset illi in subsidium, præsidium, atque solatium in fovenda, atque educanda prole, & in aliis matrimonii oneribus ferendis; atqui non poterat hic esse homo grandævus ætate; & senio confectus: ergo quando S. Joseph fuit B. Virgini matrimoniali fœdere junctus, non erat grandævus ætate, & senio confectus.

III. Probatur ex Augustino lib. 5. contra Julianum cap. 12. Joseph duxit Mariam conjugem *in spem procreandæ prolis*, quanvis deinde *procreandæ prolis spem amiserit*; scilicet quando admirans divinam

uxoris

uxoris fœcunditatem, virginitatis votum emisit: ergo illius debebat esse ætatis, ut prolem posset procreare; atqui senio confectus, & pene octogenarius prolem procreare non poterat: ergo &c.

IV. Probatur ex Lucæ 2., quando Christus duodecim erat annorum, Joseph vivebat: ergo si octogenarius erat, quando Mariam in uxorem duxit, nonaginta etiam, & duos annos numerabat, quando Christus duodecim habebat. Præterea sunt qui dicunt, Josephum vivere desiisse, quando Christus trigesimum annum agebat; tunc enim de Josepho, ut adhuc vivente, loquebantur Judæi; quod legitur Joannis 6. *Nonne hic est filius Joseph, cujus nos novimus Patrem, & Matrem?* Et Matth. 13. *Nonne hic est fabri filius? Nonne Mater ejus dicitur Maria, & fratres ejus Jacobus, & Joseph, & Simon, & Judas, & Sorores ejus; nonne omnes apud nos sunt?* Insuper Chrysostomus homil.5. in Matth., Ambrosius lib. de Instit. Virg. cap. 6. ep. 5. lib. 1. & lib.2. in Lucam ad caput. 1., & lib.10. ad cap.23., & Augustinus serm. 81. de tempore, scripserunt, Josephum fuisse adhuc vivum, quando Christus mortuus est. Quibus suppositis opinionibus, Joseph omnino superâsset annum centesimum decimum, & accessisset ad annum centesimum vigesimum, si octogenarius fuisset, quando primum junctus Mariæ fuit.

V. Probatur. Non conveniebat pudori Virginis, modestiæ, atque honestati, ut ei adolescentulus daretur in virum, qui nec posset matrimonii onera sustinere, nec proli fovendæ, atque educandæ, par esse, nec illius Virginitatem tegere, defendere, atque servare; nec pariter in juvene ea esse poterat prudentiæ laus, si ad miracula non recurramus, qualis in viro maturæ ætatis inveniebatur. Quod pariter evincitur, quia S. Joseph semper in Scripturis nominatur vir, qui importat maturæ ætatis hominem, non adolescentem, neque senem; & quidem non tantum: dicitur vir Mariæ, hoc est, Mariæ maritus, sed etiam vir ætatis ratione, ut passim Patres, & Doctores explicant.

VI. Probatur. Quod in Scripturis expresse non legitur, nec a Patribus explicite definitur, nec ab antiquis historicis enarratur, id omne omnino incertum putandum est; sed de Mariæ, & Joseph ætatis anno, quo inter se invicem matrimonio juncti sunt, Scriptura nihil expresse dicit, Patres nihil explicite definiunt, veteres Historici nihil aperte narrant: ergo omnino est incertum. Probatur minor, & quidem de Scriptura non dubitatur; de Patribus vero, & antiquis Historicis vel dubia, vel supposita, vel illegitima sunt fundamenta, ut in solutionibus objectionum videbimus: ergo &c.

Obstant I. Cardinalis Baronius probat ex Epistola Evodii, Episcopi Antiocheni, B. Virginem anno decimo quarto ætatis suæ Josepho nupsisse: ergo non est incertum, quo ætatis anno Virgo Deipara cum B. Josepho matrimonium inierit. II. Idem Baronius hoc ipsum probat ex Gregorio Nysseno oratione in Christi natale, ex Germano Constantinopolitano, ex Georgio Nicomediensi, ex Joanne Damasceno, Cedreno, Elia Cretense: ergo ex Patribus determinatur ætatis annus, quo B. Virgo Josepho nupsit. III. Conveniebat, ut B. Virgo esset firmo, & perfecto corpore ad concipiendum; sed hoc esse non poterat ante ætatem vigintiquatuor annorum: ergo &c. Et hoc argumentum est Cajetani. IV. Patres passim vocant Mariam, quo tempore nupta est B. Joseph, puellam, atque juvenculam; quod etiam legitur in Sacris Ecclesiæ precibus: ergo non erat adolescens, ut Nos diximus. V. Ex Nicephoro lib. 2. hist. cap. 3. B. Virgo, quando fuit in templo præsentata, erat trium annorum; undecim annis in templo mansit, & deinde fuit Josepho tradita: ergo vere tunc quatuordecim annos habebat. VI. Citantur etiam Hieronymus lib. de Nativit. S. Mariæ, Origenes tract. 26. in Matthæum, Theophylactus in cap. 23. Matthæi; qui omnes docent, atque determinant ætatis annum, quo Virgo matrimonium cum Josepho celebravit. VII. Antiquæ picturæ omnes Josephum senem decrepitum repræsentant: ergo vere erat senex, quando B. Virgini matrimoniali fœdere junctus est. VIII. Conveniebat, ut tunc temporis B. Joseph senex esset, & ut virtutes seniles, & præcipue prudentiam haberet, & ut nulla suspicio carnalis operis cum B. Virgine nasceretur; quod cecinit Gersonius in Josephina. IX. ex Evodio cit. epist. apud Nicephorum lib. 1. hist. cap. 7. ex hist. Josephi, quam refert Epiphanius hæres. 78. habetur, Josephum fuisse octogenarium, ac viduum, quando Mariam in uxorem duxit; & ex Hieronymo lib. de nativit. B. Virginis tom. 9., fuisse grandævum, quamvis non determinet ætatem:

tem : ergo ex Patribus, Josephus erat in extrema senectute positus, quando Mariam Virginem in uxorem duxit. X. Ex Abulensi paradoxo 1. cap. 80. & paradoxo 2. cap. 73. qui refert quod Judæi dicebant, Christum natum ex adulterio, quia videntes Josephum grandævum, eum putabant ad generandum impotentem. XI. Josephus dicitur mortuus anno ætatis Christi duodecimo; Sed tunc erat valde senex : ergo senex quoque erat, quando Matrimonium cum B. Virgine contraxit. XII. Viguerius citat S. Hieronymum, scribentem „Josephum fuisse juvenem, quando B. Virginem duxit: ergo non fuit vir maturæ ætatis.

Respondemus ad I. Epistolam Evodii ab omnibus Criticis haberi uti spuriam, apocryphum, & commentitiam; unde nullam in præsenti authoritatem inducit; quod Serry respondet : vel saltem, si dubia pronunciatur, quod nemo negat, semper remanet, dubium esse, & incertum ætatis annum, quo Virgo Deipara, ac B. Joseph matrimonio juncti sunt.

Ad II. Nyssenus in orat. illa citata, quicquid sit, an ut legitima, vel ut supposititia habeatur, nec verbum facit de ætate, quam Virgo habebat, dum nupsit. Germanus, Georgius, Damascenus, Cedrenus, Elias Cretensis, testatur Serry, quod nec annos notant, quos tunc Deipara numerabat; nec si forte notarent, fidem merentur; quia Scriptores moderni sunt, & Scriptorum veterum testimonium non afferunt.

Ad III. Illa est sola Cajetani conjectura, ut ait Suarez, quæ nec plene probat intentum suum, nec omnino experientia verificatur; Siquidem conceptio illa non naturæ viribus, sed Dei omnipotentia fieri debebat; atque pariter multas videmus mulieres, quæ ante annum vigesimum quartum, & etiam decimum nonum, bene concipiunt, & optime pariunt.

Ad IV. Rebecca Genesis 24. quando Isaaco nupsit, & Abisag 3. Reg. 1. quando ad Davidem Regem adducta est, dicuntur quoque puellæ, atque juvenculæ; & nihilominus annos circiter viginti habebant. Insuper Ruth Moabitis a Boozo nominatur puella, & annos habebat viginti quinque; ut habetur ex lib. Ruth cap. 1., & cap. 2. Non ergo mirum, si B. Virgo dicatur puella, vel juvencula a Patribus, etiam si quando nupsit annos quatuordecim ætatis suæ excesserit.

Ad V. Nos quidem diximus in superioribus, B. Virginem fuisse trimulam, quando fuit in templo præsentata; diximus quoque undecim annis in templo permansisse: at tamen non est communis Scriptorum omnium sensus; nec pariter est certum, quod statim post undecim annos, in templo exactos, fuerit B. Joseph matrimonio juncta. Cæterum Nyssenus, quem quoque Adversarii citant solum dicit, quod Sacerdotes videntes, B. Virginem in templo adolescere, de ea nubenda consultasse, & Josepho viro justo tradidisse; quæ verba sunt Vasquez: in quo vero anno adolescentiæ eam desponderint, non explicat, neque ex eo colligi potest, quia non dicit quanto tempore in templo permanserit.

Ad VI. Liber de Nativit. Mariæ Virginis non est Hieronymi, sed alterius Authoris; & solum scribit, quod B. Virgo, quum in templo præsentaretur, sola ipsa, & sine manuducentis adjutorio gradus omnes ascendit, quibus ad templum iter parabatur. Origenes tantum dicit, quod Zacharias occisus fuit inter templum, & altare, eo quod permisisset, B. Virginem post partum inter Virgines in templo orare; & hoc etiam a Hieronymo censetur apocryphum. Idem dicitur de Theophylacto.

Ad VII. Pictoribus, atque Poetis quidlibet addendi semper fuit æqua potestas; non ergo ex Pictorum audacia bene deducitur argumentum senectutis B. Joseph. Additur, quod Gersonius scribit, B. Josephum in Germania juvenem passim depingi consuevisse, ut legere est apud Vasquez. Insuper nec tam decrepitæ ætatis efformatus unquam fuit, ut octogenarius appareret. Denique ideo senex depingi solitus fuit, ut de eo nihil mali suspicari possent homines, sed in castitatis exemplum simul cum Sanctissima Virgine omnibus proponeretur. Quod post Gersonium asseruit Vasquez.

Ad VIII. Etiam in ipso juventutis flore multi fuerunt prudentiæ, & virtutum omnium laude conspicui; ut de Josepho Jacobi filio omnibus notum est; in ipsa etiam devexa ætate plurimi fuerunt imprudentiæ, & impudicitiæ vitio damnabiles; ut in senibus, qui Susannæ castitatem aggressi sunt perturbare, adnotare est. Cæterum Virginis pudor nunquam poterat in suspicionem venire, quia si de exteris loquimur, jam sciebant, Josephum illius esse maritum; si vero de illis, qui mysterium profitebantur, jam de utriusque castimonia satis edocti erant.

Ad IX.

Ad IX. Ad Pseudo-Evodium, ad fictum Hieronymum, & ad falsam Josephi historiam, quam Epiphanius exscripsit, eadem respondemus, quæ nuper de ætate Virginis tractantes, pro responsione dedimus.

Ad X. Abulensis refert tantum Judæorum opinionem, sed ipse illam non probat; immo potius contrarium asserit, & præcipue, in cap. 30. Numer. qu. 31. & in cap. 1. Matth. qu. 32., scilicet Josephum nec re ipsa, nec hominum opinione, quando B. Virginem duxit, fuisse ad generandum impotentem, adeoque nec fuisse octogenarium, nec ita senem, ut de eo homines merito possent impotentiam suspicari; additque, oppositum esse contra rationem, & ut ipse loquitur, irrationabile. Denique Gerson in serm. de nativit. Virginis, quem habuit in Concilio Constantiensi, ut dictum est, B. Josephum quinquagenarium fuisse, affirmat, quando Mariam Virginem duxit, & eum pariter sequitur Abulensis.

Ad XI. Falsum omnino est, quod S. Joseph statim post duodecimum ætatis Christi annum obierit; nam Lucæ 2. dicitur, quod Christus Dominus duodecim habens annos, descendit Nazareth cum Parentibus suis, & erat subditus illis: ergo per aliquot annos post duodecimum vixit quoque Christus cum Parentibus suis. Ulterius verisimile putat Suarez, quod B. Joseph ante trigesimum ætatis Christi annum fuerit vita functus; & non incredibile dicit, vixisse illum usque ad Christi prædicationis annos, ut Christum Jesum simul cum B. Virgine illius Matre, laboribus suis sustentaret.

Ad XII. Jam diximus cujus authoritatis sit liber ille, qui S. Hieronymi nomen præfesert, & a Viguerio citatur; attamen admisso etiam illo, admittimus quoque fuisse juvenem, hoc est, non senem, nec adolescentem, sed virum, qui juvenis quoque dici potest, dummodo ad senectutis limites non pervenerit. Quod idem est cum illo, quod nos in conclusione posuimus, hoc est, B. Joseph nec grandævæ, nec acerbæ fuisse ætatis, quando Virginem Deiparam duxit, nec senem, nec adulescentem, sed juvenem maturæ ætatis, virum videlicet, uti pluries in Evangelio nominatur, non tantum ad connubium, sed etiam ad ætatem habito respectu, ut explicant Patres.

DISSERTATIO CCXI.

De Sancto Joseph. An semper fuerit Virgo? An aliquando votum Virginitatis emiserit? Et an ante, vel post matrimonium cum B. Virgine initum? Quomodo dicatur Christi Pater? Quantæ perfectionis fuerit apud Deum, & quantæ dignitatis sit in Ecclesia?

De Beatissimo Josepho, novæ legis Patriarcha, purissimo Virginis Deiparæ viro, ac Sanctissimo, juxta limitationes inferius dandas, Christi Domini Patre, hic paucis disserere, & dictorum, & dicendorum connexio inducit. Multa enim dicta sunt, & multa quoque dicentur, quæ majorem assequentur claritatem, si de eo, & de iis, quæ ipsum spectant, peculiari disputatione tractabimus. Accedit, quod quum ad præsens majori celebritatis cultu illum Catholica Ecclesia veneretur, majori nos etiam libertate gaudemus de ipso loqui, & scribere, quæ in Ecclesiæ exordio, ob varias, ac rationabiles caussas, negabatur. Denique noster pariter erga ipsum peculiaris devotionis affectus, suaviter, ac fortiter nos cogit, ut fusius de ejus laudibus pertractantes, impensius quoque ipsum celebremus. Devenientes igitur ad primam Dissertationis partem, illos enumeramus, qui contra Sanctissimi sponsi virginitatem, senserunt, atque scripserunt.

Primo

Primo adnumeratur Helvidius, qui contra Deiparæ Virginitatem insaniens, illam quoque Josephi perturbare conatus est. Asserens enim, Sanctissimam Virginem, post Christi Domini nativitatem, alios filios ex Josepho suscepisse, hoc ipsu, Deiparæ, & Josephi virginitatem impie denegavit. Contra Helvidium acerrime, atque invicte S. Hieronymus pugnavit, ut in sequentibus videbimus. Helvidio adhæsit Jovinianus, ut refert Augustinus in lib. de hæresibus in Joviniano. Post Jovinianum, eandem docuit insaniam Episcopus quidam, nomine Bunosus, & contra ipsum luculentam, ac elegantem scripsit epistolam Siricius, Pontifex Romanus ad Theophilum Alexandrinum, & Anysium, Thessalonicensem Episcopum, quæ a quibusdam S. Ambrosio tribuitur. Postmodum fuerunt in Hispania nonnulli seculo septimo, qui huc idem delirium amplexi sunt, & contra ipsos invicte pugnavit S. Hildephonsus, Episcopus Toletanus. Denique circa nostrorum Patrum tempora, Calviniani ministri fere omnes Helvidii blasphemiam dixerunt, probabilem esse sententiam, & fidei minime repugnantem; eo quod non refellatur aliquo Scripturæ testimonio, quod apertum, & manifestum videatur, ut refert Serry exercitat. 40.

Secundo ponitur S. Epiphanius hæres 78. dicitur, quod dixerit, S. Josephum, quando Mariam Virginem duxit in uxorem, fuisse viduum, & ex alia uxore plures filios suscepisse, qui, Christo Domino vivente, adhuc superstites erant. Hunc non tantum errorem Hieronymus in cap. 13. Matthæi, verum quoque appellat delirium, dicens: *Quidam suspicant sequentes deliramenta Apocryphorum, Fratres Domini de alia uxore Joseph filios fuisse.* Et S. Thomas aperte errorem nominavit in cap. 2. Joannis lect. 2. *Cavendi sunt duo errores, scilicet Helvidii dicentis, quod B. Virgo post Christum alios filios habuit, & hos dicit Fratres Domini, quod est hæreticum. Item error quorundam dicentium, Joseph ex alia conjuge filios genuisse, & hos vocari fratres Domini, quod Ecclesia non tenet; & ideo Hieronymus eos improbat.* Verum vindicatur ab hujusmodi erroris suspicione Epiphanius a pluribus, & præcipue a Toleto in cap. 1. Lucæ, qui putat, Hæreticos delirium illud in Epiphanii operibus inseruisse; quod & probat ex eo, quia Epiphanius dixit, Christum Dominum in cruce matrem suam Joanni commendasse, quia Joannes erat Virgo. Si ergo Christus ex Epiphanio filium Virginem Matri suæ dedit, quare credendum erit ex eodem Epiphanio, sponsum pariter Virginem ei non dedisse? Videatur Hieronymus Gratianus de excellentiis S. Joseph lib. 4. cap. 2., & Cancellottus in Annis Marianis, anno Virginis 39. num. 8.

Tertio Tertullianus lib. de Monogamia scripsit, quod post nativitatem Christi Domini Maria Virgo conjugale debitum solvit utique B. Joseph. Unde consequenter putavit, B. Joseph Virginem non fuisse. Verum quando hæc scribebat Tertullianus jam factus erat hæreticus montanista; quapropter Helvidio ejus testimonium adducenti Hieronymus lib. contra Helvidium cap. 9. sic respondebat: *De Tertulliano nihil amplius dico, quam Ecclesiæ hominem non fuisse. Subsequens error detraxit scriptis probabilibus authoritatem.*

Quarto S. Basilius traducitur a Casaubono heterodoxo, quod Helvidio subscripserit, quando homil. 25. de humana Christi generatione docuit, *nihil pietati doctrinæ officere*, si dicatur, B. Virginem post Christum Dominum, filios alios peperisse. At testatur Serry, nihil tale scripsisse S. Doctorem; sed tantum, quod interpretando Isaiæ vaticinium: *Ecce Virgo concipiet*: dixit, quod per hoc enunciatur tantum partus Virgineus, sed non dicitur unigenitus. Et ut pluris est, subdit S. Basilius: *Aures hominum Christi amantium, non sustinent hoc audire, quod Dei Genitrix aliquando Virgo esse desierit.* Ex quibus clare patet, B. Virginem, post Christum Jesum, nunquam alios genuisse filios, ac per consequens, semper Virginem cum Virgineo Sponso Josepho, permansisse.

Quinto adducitur Gregorius Nyssenus, vel ut aliis placet, Hesichius, presbyter hierosolymitanus orat. 2. de resurrect., Eusebius lib. 2. hist. Ecclesiast. cap. 1. Nicephorus lib. 2. hist. cap. 3. Theophilactus, Chrysostomus homil. 5. in Matth., aliique Græci Scriptores, qui dixerunt, B. Joseph filios alios, non ex Deipara Virgine, sed ex priori uxore, antequam Deiparæ jungeretur, suscepisse. Ex his aliqui excusantur a Scriptoribus nostris, asserentibus pariter, quod Hæretici in ipsorum operibus has nugas inseruerunt. Verum præter hoc excusari quoque possunt, si dicatur, quod contrarium non est ab Ecclesia definitum, quamvis illud

Eccl-

Ecclesia non teneat, ut docet S. Thomas supracitatus in cap. 2. Joannis sect. 2.

Sexto ex Patribus Latinis induuntur pariter Hilarius in cap. 1. Matthæi, Ambrosius lib. de instit. Virg. cap. 6. & alii, qui volunt, B. Josephum, quando Virginem Deiparam in uxorem duxit, fuisse viduum, & filios ex præcedenti uxore habuisse; sed de his eadem est habenda ratio, ac de Patribus Græcis, quos nuper adduximus.

Dicimus I. B. Josephum semper fuisse Virginem; virginitatis vero votum emisisse post contractum cum Virgine Deipara matrimonium.

Prima Conclusionis pars probatur I. Nullum fuit Conjugium perfectius illo, quod inter Mariam, & Joseph celebratum est; ergo in illo fuerunt perfectiori modo omnes prærogativæ, & dotes, quæ in aliis Conjugiis inveniuntur; Sed principalior prærogativa inter Conjuges est æqualitas: ergo inter purissimos hosce Sponsos fuit æqualitas; atqui æqualitas, ut sit commendabilior in virtutibus principaliori modo esse debet, quam in cæteris: ergo si inter hosce Sponsos beatissimos fuit æqualitas, fuit etiam in virginitate, quæ in Conjugio illo eminentiori modo elucebat: ergo si Deipara Maria fuit Virgo, Virgo pariter fuit ejus Sponsus, ac maritus B. Joseph. Argumentum hoc præclare corroborat S. Hieronymus contra Helvidium arguens loco superius citato hoc pacto: *Tu dicis Mariam Virginem non permansisse: ego mihi plus vendico, etiam Joseph Virginem fuisse per Mariam, ut ex virginali conjugio Virgo filius nasceretur*. Augustinus serm. 24. in nativit. Domini: *Habe Joseph cum Maria Conjuge tua communem virginitatem membrorum, quia de Virginis membris virtus nascitur Angelorum. Sit Maria Sponsa Christi in carne sua, virginitate servata: sis autem & tu Pater Christi, cura castitatis, & honorificentia virginitatis, ut de virgineis membris Genitricis, saeculis christianis nulla sit zelotypia . . . . . Gaude itaque, Joseph, nimiumque congaude virginitati Mariæ, qui solus meruisti virginalem affectam possidere conjugii, quia per meritum virginitatis ita separatus es a concubitu uxoris, ut pater diceris Salvatoris*. Sic & ceteri. Unde B. Petrus Damiani epist. 11. ait, Ecclesiæ fidem in eo esse, ut non modo Deipara, sed & Joseph ejus maritus, & nutritius Christi, virgo habeatur. Ita refert Cornelius a Lapide.

II. Probatur. Si Maria Deipara fuit Virgo post partum, Virgo etiam permansit S. Joseph post Christi Domini nativitatem; Sed Maria Deipara post partum fuit semper Virgo ex probatis superius, ubi de ejus omnimoda, & perpetua Virginitate actum est: ergo S. Joseph post Christi nativitatem fuit etiam semper Virgo. Major negari non potest, quia non cum alia Muliere poterat S. Joseph connubii opera exercere, quam cum Maria Deipara, quæ erat ipsius uxor; tum quia non poterat aliam ducere, Maria vivente; tum etiam, quia antequam Maria moreretur, mortuus est Joseph. Piaculum autem gravissimum est, cogitare, B. Josephum cum fœmina, quæ sibi uxor non esset, carnalem copulam habuisse. Minor supponitur certa ex probatis loco suo. Consequentia sequitur.

III. Probatur. Si inane, futile, & vanum est fundamentum, cui innituntur, qui dicunt, S. Joseph aliam, vel alias habuisse uxores, antequam Virginem Deiparam duceret, & cum ea, vel cum eis filius procreasse, inanis est etiam, vana, & prorsus futilis ipsorum assertio; Sed ita est vere fundamentum, cui innituntur: ergo &c. Probatur minor. Fundamentum, cui innituntur, est Evangelium quoddam, Petro, aut Jacobo adscriptum, & quod re vera composuit Seleucius hæreticus, ut testatur Innocentius I. epist. 3. ad Exuperium cap. 7. & confirmat Author libri de fide contra Manichæos, Augustino attributus; immo etiam Origenes citatus a Suarez cognovit. Sed hoc fundamentum est omnino vanum, futile, & inane: ergo &c.

IV. Probatur. Quos Christus Dominus peculiari modo dilexit, & cum iisdem familiariter conversatus est, hi omnes Virgines fuerunt: ergo a fortiori Virgo fuit S. Joseph, qui eum inter brachia sua, post B. Virginem, stringere meruit, qui eum sæpissime osculatus est, quem nutricavit, & ad Ægyptum profugum duxit, atque reduxit. Antecedens est certum; Virgo enim fuit Sanctissima ejus Mater, Virgo Joannes Baptista, Virgo Joannes Evangelista, & ut plerisque placet, Virgines etiam fuerunt Sancti Pastores, qui eum in præsepio adoraverunt. Argumentum hoc confirmat S. Petrus Damianus epist. 6. ad Nicolaum Pontificem cap. 4. verbis hisce: *Ecclesiæ fides in eo est, ut non modo Deipara, sed etiam patativus Pater, atque Nutritius Virgo habeatur . . . Sic igitur Redemptor noster tantopere dilexit floridi pu-*

dris integritatem, ut non modo de virgineo utero nasceretur, sed etiam a Nutritio Virgine tractaretur.

V. Probatur. Non conveniunt, qui S.Josepho tribuunt aliam uxorem ante Mariam de illius nomine, Sunt enim qui eam vocant Escam; & hoc testantur Origenes, & Hieronymus ex Apocryphis fuisse nomen deductum, nimirum ex pseudepigraphis Petri, & Jacobi Evangeliis. Sunt qui Mariam appellant, quæ dicitur in Evangelio Jacobi Minoris, Mater; & hoc quoque falsum est, quia quando Christus de Cruce pendebat, Maria, Mater Jacobi præsens in Calvario erat, ut legitur Marci 15. *Erant autem mulieres de longe aspicientes, inter quas erat Maria Magdalene, & Maria Jacobi Minoris*: Ex quibus consequens esset, vel quod Joseph duas simul habuisse uxores, Mariam, scilicet, illam, & Mariam Deiparam; vel quod priorem uxorem repudiasset, quando Mariam Deiparam duxit; quæ omnino indigna sunt, & prorsus incompetentia Sanctissimi Patriarchæ pietati, puritati, atque prudentiæ.

VI. Probatur. Quod B. Joseph virginitatis votum emiserit post matrimonium, cum Virgine Deipara initum; & quidem Augustinus lib.5. contra Julianum cap. 12. docet, Josephum diu post desponsationem, ac etiam post Angeli monitum, virginitatem vovisse; cujus testimonium refert Serry exercit. 21. num. 8. Asserit etiam Gersonius orat. de Nativit. B. Mariæ considerat. 4. *Vovit Maria Virginitatem, vovit & ipse Joseph*. Et Ultraneus confirmare etiam hoc ipsum videtur S. Bernardinus Senensis serm. de S.Joseph art.2. cap. 1. *Quomodo cogitare potest mens discreta, quod Spiritus Sanctus tanta unione uniret menti Virginis aliquam animam, nisi ei virtutum operatione simillimam? Unde credo, Joseph fuisse mundissimum in Virginitate, profundissimum in humilitate, ardentissimum in charitate, altissimum in contemplatione, ut esset adjutorium simile Virgini*. Non fuisset autem adjutorium simile Mariæ, si Virgo non fuisset, & si virginitatis votum non emisisset. Et quidem hoc, postquam a Maria didicit, se etiam Deo virginitatis votum nuncupasse, quod priusquam cum ipsa matrimonium contraheret, discere non potuerat.

Objiciunt I. Pluribus in locis Evangelii Joannis, Matthæi, Marci, & etiam Epistolæ ad Galatas legimus, Christum habuisse Fratres; atqui esse non potuerunt, nisi filii Joseph, vel cum Maria Deipara, post Christi nativitatem procreati, vel cum priore uxore, quam habuit antequam duceret Beatissimam Mariam: ergo in utroque casu S.Joseph non fuit Virgo. II. Matth. 1. dicitur: *Joseph non cognoscebat eam, donec peperit filium suum primogenitum*: ergo postquam peperit filium suum primogenitum cognovit eam, & alios genuit Filios, respectu quorum Christus dictus est primogenitus. III. Matth. 1. *Antequam convenirent, inventa est in utero habens de Spiritu Sancto*: ergo postmodum convenerunt, & quidem ad matrimonialem copulam, cujus ratione, filios alios procrearunt; ac proinde S.Joseph non dicendus est virgo. IV. Lucæ 2. dicitur, quod Maria *peperit filium suum primogenitum*; sed primogenitus dicit ordinem ad secundo, tertio, & quartogenitum: ergo præter Jesum Christum Maria alios habuit filios; atqui hos alios procreare non potuit, nisi cum Joseph: ergo Joseph alios filios cum Maria generavit: ergo non fuit Virgo. V. Credibile non est, quod S.Joseph in ætate illa, in qua Virginem Deiparam duxit, sine uxore esset, quum Judæi omnes matrimonium inirent, ut filios procrearent: ergo si uxorem duxit, antequam Virginem duceret, ex ea filios habuit: ergo Virgo non fuit. VI. Augustinus explicans illud ad Galatas I. *Alium autem Apostolorum vidi neminem, nisi Jacobum fratrem Domini*; asserit, quod Jacobus fuit frater Domini vel quia fuit filius Joseph ex alia uxore, vel ex cognatione, hoc est ratione solius cognationis remotioris, ut explicat Vasquez in 3. partem qu.28. art.3. disp.122. cap. 1. VII. Ambrosius in lib. de instit. Virg. cap. 6. docet pariter, quod Joseph ex alia uxore filios habuerit. Ait enim: *Potuerunt autem & fratres esse ex Joseph, non ex Maria, quod quidem si quis diligentius prosequatur, inveniet*: ergo ex Ambrosio Joseph non fuit Virgo. VIII. Sunt qui putant, B. Joseph virginitatis votum emisisse, statim ac ad rationis usum pervenit; & alii pariter asserunt, illud emisisse undecimo, vel duodecimo ætatis suæ anno; alii quoque communiter asserunt quod virginitatem suam Deo sacraverit, antequam cum B. Virgine matrimonium contraheret; quod authoritate S. Thomæ, firmant, asserentis in 4. disp. 30. qu.2. art. 1. quæstiunc. 2. ad 2., quod B. Virgo, antequam matrimonium cum B. Josepho celebraret, edocta a Deo fuit,

Jose-

Josephum virginitatis servandæ, habera propositum. IX. Ex Abdia Babylonio in vita Sanctorum Simonis, & Judæ, Scriptores aliqui recentiores probant, S. Joseph, antequam cum Maria Virgine desponsaretur, Deo Virginitatis votum consecrasse: ergo non post contractum cum Virgine matrimonium. X. Ut esset Joseph similis in virginitate Virgini Deiparæ, debebat, ante desponsationem cum illa, votum Virginitatis emittere; quia si post desponsationem, & matrimonium emisisset, non fuisset inventus a Deo similis uxori suæ, sed fuisset factus; adeoque non in electione ad dignitatem illam Sponsi Matris suæ fuisset similis, sed post electionem, quod dicendum non est, quia similitudo debebat præcedere electionem, non subsequi.

Respondemus ad I. Eodem modo, quo respondimus in Dissertatione CCVII. Conclusione 3. respons. ad 12. argumentum; nimirum Fratres Domini illos fuisse dictos, vel quia erant filii sororum B. Virginis, & S. Annæ nepotes, ut volunt quidam; vel melius, ut alii dicunt, & congruentius dictis a nobis, fuisse filios non Sororum carnalium, sed Consubrinarum B. Virginis. Unde fratres illi non erant vere fratres Domini, sed consanguinei tantum. Quam explicationem, ut afferit Vasquez cit. loco cap. 2., primo dedit S. Hieronymus lib. contra Helvidium num. 9. & sequentibus; quem sequutus est Beda in illud Marci 6. *Nonne iste est Faber, filius Mariæ?* Et in illud Lucæ 8. *Venerunt autem ad illum Mater &c.* Et illud Joannis 2. *Descendit Jesus Capharnaum*. Eandem quoque explicationem amplexati sunt Anselmus in cap. 12. Matth. Ugo de S. Victore tom. 1. qu. 5. in epist. ad Galatas. Et insuper universa Theologorum Schola, ut Vasquez testatur.

Ad II. Responsionem quoque dedimus in cit. nostra Dissert. CCVII. Conclus. 3. respons. ad 11. argum. Hic tamen superaddimus, quod ad verbum *donec*, quod græce scribitur ἕως, vel ἕως ἄν aliquando significat tempus certum, aliquando vero indefinitum; hoc est, ut ait Vasquez, non semper denotat affirmationem post tempus illud, quod signat, si negatio præcessit, nec semper denotat negationem, si præcessit affirmatio. Quod omnino observarunt Chrysostomus hom. 5. in Matth., Auctor Operis imperfecti homil. 1. in Matth. Euthymius, & Theophylactus in eundem locum, Basilius, vel quisquis sit Auctor sermonis illius de humana Christi generatione, Ambrosius lib. de Noe, & Arca cap. 17. Gregorius Magnus lib. 9. Moral. cap. 40., & Bernardus serm. 72. in Cantica. Et quod verbum *donec* significet aliquando tempus indefinitum, probatur etiam aliis Scripturæ exemplis, nimirum Isaiæ 46. ubi legitur in Vulgata: *Usque ad senectam Ego & ipse, & usque ad Canos ego portabo;* Hieronymus, & Beda legunt: *Ego sum, ego sum, donec senescaris, ego sum.*

Ad III. quoque data est responsio in citata Dissertatione in responsione ad 10. argum. Attamen subnectimus hic quoque, quod quando dixit Evangelista: *Antequam convenirent*, Maria jam erat Josephi uxor, nec tamen ex eo tempore desierat esse Sponsa; unde erat & uxor, & Sponsa, & tamen non convenerant, si convenire accipitur per conjugii opus exercere. Ratio autem matrimonii, ut superius a nobis dictum est, consistit in conjunctione animorum, non autem in conjunctione corporum; proinde Joseph verus erat Mariæ sponsus, verus erat Mariæ maritus, quanvis nec antea convenissent, nec postea convenerint. Quod totum docet Hieronymus apud Vasquez citato loco.

Ad IV. Respondet Hieronymus in lib. contra Helvidium cap. 8. quod primogenitus in Sacra Scriptura non semper significat illum, qui ordine primus est inter multos, sed aliquando etiam significat Unigenitum, itaut omnis unigenitus sit primogenitus, non vero omnis primogenitus sit unigenitus. Et sic primogenitus est ille, ante quem nullus alius est natus. Et hoc probat ex illo Numerorum 18. *Quicquid primum erumpit e vulva carnis, quam afferunt Domino, sive ex hominibus, sive de pecoribus fuerit, tui juris erunt, ita duntaxat ut pro hominis primogenito pretium accipias*. Ex quibus verbis sic Vasquez post eundem Hieronymum argumentatur: *Si primogenitus hominis is tantum esset, quem sequuntur fratres, Sacerdotibus primogenitus hominis tandiu non debebatur, quandiu alius frater non fuisset procreatus;* quod est falsum. Hoc ipsum confirmat Hieronymus Exodi 12. *Factum est autem in noctis medio percussit Dominus omne primogenitum in terra Ægypti*. At in nocte illa etiam omnes unigeniti interempti fuerunt: ergo nomine primogeniti venit etiam unigenitus. Quam Hieronymi doctrinam amplectuntur Author

Operis imperfecti homil. 1. in Matth., Damascenus lib. 4. de fide cap. 8. & cap. 15. paulo ante finem, & S. Thomas art. 5. ad 4.

Ad V. Quia Joseph virginitatem servandi propositum fecerat, quanvis non emiserit votum, ideo incredibile apparere non debet, quod quum esset, non senex, sed maturæ ætatis, quando Virginem duxit, nulli tamen feminæ matrimonio junctus fuerit. Et hoc neque novum fuisse apud Judæos, superius probavimus exemplis multorum hominum, & mulierum, qui per totam ipsorum ætatem nullo matrimonii vinculo adstricti; Virgines permanserunt.

Ad VI. Augustinus loquitur ex sententia Eusebii, aliorumque Græcorum Patrum post Eusebium, qui movebantur ex illo apocrypho Evangelio Petri ad id dicendum, ut hoc pacto perpetuam Mariæ Virginitatem defenderent. Cæterum quod Jacobus non fuerit Christi in rigore frater, sed consanguineus tantum, ex aliorum Patrum testimonio, & Augustini etiam, aperte apud Vasquez habetur. Immo Augustinus serm. 14. de natale Domini, qui est 18. de tempore paulo ante finem, manifestissime affirmat, Josephum perpetuam servasse virginitatem.

Ad VII. Ambrosius loquitur de possibili, & non de facto, & factum ipsum aliis relinquit investigandum; ipse autem non determinat, neque definit. Et illud totum ab Ambrosio dicitur, ut salvet Scripturæ loquendi modum circa fratres Domini, quem quum nos usque modo in tuto posuerimus, non est cur de aliis loquendi, vel explicandi modis curemus.

Ad VIII. Non negamus B. Josephum, antequam Virgini jungeretur habuisse Virginitatis servandæ propositum, dicimus tamen, non habuisse votum. Si enim votum hoc emisisset, quum pervenit ad rationis usum, ipse antecedenter ad Virginem, virginitatem vovisset; quia quum esset Virgine antiquior, ante illam ad rationis usum pervenisset, adeoque ante illam vovisset. Hoc autem est contra communem Scriptorum assertionem, qui volunt, quod quanvis plures ante Virginem Deiparam virginitatem servaverint, nemo tamen ante illam virginitatem vovit.

Ad IX. Cardinalis Bellarminus de Abdia Babylonio, de Scriptoribus Ecclesiasticis agens, hæc scribit: „ Abdias Babylonius, unus ex discipulis Domini fuisse
„ dicitur. Sed vitas Apostolorum, quæ sub
„ nomine ejus circumferuntur, fabulis similiores sunt, quam vitæ narrationi. Sed
„ neque ejus Abdiæ, aut libri ejus, ullam
„ in veteribus mentionem invenio „. Igitur quum ex putrido fonte puras nequeamus haurire aquas, nec pariter ex fabuloso libro possumus nec veram, nec verosimilem, narrationem educere.

Ad X. Sat est, quod Beatissimus Joseph fuerit Virgo, quando electus est, ut esset B. Virginis Sponsus ad hoc, ut æqualitas inter ipsos servaretur. Si autem antecedenter ad ipsam votum emisisset, B. Virgo assimilata fuisset ipsi, non ipse B. Virgini; sicque, ut dictum est, B. Virgo non fuisset primum Virginitatis exemplar in præcelsa ratione voti; quia non fuisset ipsa prima, quæ Virginitatis votum emisisset, quod est contra communem loquendi modum omnium Scriptorum, ut diximus. Cæterum placet nobis hoc idem explicare præclaro exemplo, quo utitur S. Franciscus Salesius tom. 4. coll. 19. qu. 4. quem refert Bavarus in S. Josephi historia; nimirum, quod Maria & Joseph fuerunt tanquam duo specula, unum a fronte alterius positum, a quo in alterum demandabantur radii, qui in unum a justitiæ Sole immittebantur. Speculum autem, quod primo radios recipiebat, fuit absque dubio B. Virgo, a quo deinde in alterum speculum, quod erat S. Joseph, demandabantur. Primitus ergo oportebat, B. Virginem virginitatis votum emisisse, a qua deinde S. Joseph exemplum acceperit, ut & ipse pariter emitteret. Hoc autem exemplum S. Joseph accipere non poterat priusquam cum ipsa desponsaretur? ergo accepit post desponsationem peractam, & matrimonium initum: ergo vera stat nostra conclusio, quod S. Joseph virginitatis votum Deo nuncupaverit, postquam duxit Virginem Deiparam in uxorem.

Pro Secunda Dissertationis parte, nimirum quomodo S. Joseph dicatur Christi Pater; Primo communis Doctorum æque, ac indoctorum hominum loquendi modus hic est, quod S. Joseph fuerit Christi Domini Pater putativus, adoptivus, nutritius, & nil amplius; Putativus quidem, quia dicitur in Evangelio; *Putabatur filius Joseph* Lucæ cap. 3.; Unde Bernardus serm. 2. super *missus est*, ait, quod Joseph ea appellatione, licet dispensatoria, meruerit honorari a Deo, ut Pater Dei dictus, & creditus sit. Adoptivus dicitur quasi

quasi quadam similitudine translata ab adoptione filiorum ad adoptionem Patris; & sicut quis, quando ab aliquo adoptatur in filium, eligitur, & sibi adscribitur in filium, ita Joseph, a Dei Verbo adoptatus in Patrem, ab illo fuit electus, & sibi adscriptus, attributus, & nominatus, ut Pater. Nutritius denique, quia S. Joseph fuit Christi Domini Nutricator, Educator, Custos, atque Defensor. Proinde Origenes homil. 12. in Levitic. indicat eum dictum Patrem Christi, quia nutricius erat, & nutriciam illi operam præstabat. Hæc sunt Origenis verba apud Estium: *Pro fideli ministerio, Patris ei vocabulum, Scriptura concessit.*

Secundo affertur a Serry systema cujusdam moderni Scriptoris, qui peculiarem librum edidit sub titulo de Paternitate S. Joseph, & in eo totus est, ut probet, S. Patriarcham fuisse, seu potius dici posse Patrem Christi verum secundum naturam; & hoc, non quod genuerit Christum ex copula cum Maria Virgine habita, quod est hæreticum dicere; sed quod Spiritus Sanctus efformavit in Virginis utero illud ipsum individuum Christi corpus, quod Josephus editurus erat, si rem veneream fecisset. At hoc, quodcumque sit systema, sic a Serry optime confutatur. Concedamus enim, quod id facere potuisset Spiritus Sanctus; concedamus, quod fecisset quod facere poterat; nec quoque per hoc Josephus hujusmodi fœtus editi habendus esset Pater secundum naturam. Quod quidem verbis hisce a Serry probatur exercitat. 25. „ Relatio
„ enim paternitatis naturalis, ut Philo-
„ phi docent, in actione generante funda-
„ tur, quæ nulla etiam tunc Josephi fuisset,
„ Nec Divinus Spiritus eandem indivi-
„ duam humanitatem producendo, quam
„ Joseph ipsemet producturus erat, ipsam
„ Josephi actionem eliquisset, sed alteram
„ longe diversam. Uti plane dum Deus in
„ extremo judicio Isaacum a mortuis exci-
„ tabit, eundem quidem hominem secun-
„ do producet; qui quondam ab Abraha-
„ mo genitus est: non eadem tamen erit
„ actio Dei secundo producentis, qualis
„ olim fuit Abrahæ generantis; hæc enim
„ supernaturalis erit, ac plane divina; ista
„ humana fuit, & naturalis. Ac nisi Abra-
„ hæ olim generantis actio præcessisset, in-
„ dividuus ille homo a mortuis excitandus,
„ Abrahæ filius minime censeretur. Sit
„ igitur, ut lubet, liberque inepto argutia-
„ tori, eadem a Deo in utero virgineo pro-
„ ducta humanitas, quam producturus es-
„ set Josephus, si copulam habuisset: quia
„ tamen non habuit, nullumque generantis
„ actum elicuit, Christi Pater secundum na-
„ turam, dici nequit „.

Tertio Estius in 4. dist. 30. §. 11. affert sententiam Joannis Gersonis in serm. quondam de nativit. B. Mariæ consid. 4., asserentis Josephum vere dici Christi Patrem, ex eo quod ex corpore, & carne Joseph Christus sit natus; quia, scilicet, duorum conjugium unum corpus, & una caro est; addentis etiam, quod Joseph vere quoque dici potest Christi Pater, quia natus fuit in terra, seu fundo ipsius Joseph; scilicet, ex ea carne conceptus, & natus, cujus potestas, seu dominium, jure conjugali penes ipsum Joseph erat. Citatur etiam ab Estio Cardinalis Cajetanus tom. 1. opusc. 31. responsione 2.

Quarto. Idem Estius loco citato antequam exprimat sententiam suam, præmittit, quod ut plenius intelligatur, quam vere Joseph fuerit Christi Pater, observare oportet, non esse parem rationem de aliis quibusdam qui etiam vere Patres dicuntur illorum, quos carnaliter non genuerunt. Privigni dicuntur filii conjugum posterioris matrimonii; pariter adoptivi dicuntur filii illorum, a quibus sunt adoptati. At non sunt tam proprie filii, neque similiter, ut fuit Christus filius Joseph; & ratio est, quia illi in diverso matrimonio sunt nati, Christus autem in eodem. Citat Estius Augustinum lib. 2. de consensu Evangelistarum cap. 1. ubi ait: *Putabatur Christus etiam aliter filius Joseph, tanquam ex ejus omnino carne progenitus; sed ab eis hoc putabatur, quos Mariæ latebat integritas.* Et paulo post: *Manifestum est illud, quod ait, ut putabatur filius Joseph, propter illos dixisse, qui eum ex Joseph, sicut alii homines nascuntur, natum arbitrabantur.* Ex quibus Estius deducit: alia igitur ratione verus Christi Pater fuit Joseph, alia putatitius; verus jure conjugii, putatitius generatione carnali. Insuper ex eodem Augustino citato loco, qui testatur, Joseph esse Christi Patrem multo conjunctius, quod ex ejus conjuge natus sit, quam si esset ei aliunde adoptatus; & subdens, ex ejus conjuge sic intelligendum in ipso conjugio, & sine ejus injuria; prælaudatus Estius hæc habet: „ Nam
„ privignus quidem ex conjuge natus est
„ ejus, qui pater dicitur, sed in alio con-
„ jugio: filius autem adulteræ in conjugio
„ quidem eodem susceptus est, non tamen

sine

„ sine grandi injuria, tum alterius conjugis, tum ipsius conjugii. Hoc autem conjugium, de quo agimus, per Christi generationem ex Virgine divinitus fœcundata, nullam injuriam accepit; utpote in quo fides conjugii prorsus illibata permanserit. Quin potius tam sanctæ, ac divinæ Prolis generatione fuit magnifice cohonestatum „.

Dicimus II. S. Joseph fuisse verum Christi Domini Patrem; non quidem natura, sed jure, & jure strictissimo conjugii.

I. Probatur. Christus Dominus natus est ex vero matrimonio, inito inter Mariam, & Joseph: ergo Joseph fuit verus illius Pater, non quidem natura, sed jure conjugii. Probatur consequentia, simul & explicatur. Quia matrimonium inter Mariam & Joseph fuit ratum, & non consummatum, inde est, quod inter ipsos non intercessit copula carnalis, & ideo S. Joseph non fuit verus Christi Pater natura; quia tamen in S. Joseph fuit verum jus veri matrimonii, inde est, quod propter hoc jus fuit Joseph verus Christi Pater jure conjugii. Et hoc probatur; quia ex dictis Joseph habuit verum jus, & verum dominium in corpus B. Virginis, quanvis non habuerit usum; sed usus, qui non fuit, facit, ut non sit verus Christi Pater natura: ergo jus, & dominium, quod fuit, facit, ut sit verus Christi Pater jure conjugii. Hoc totum explanatur simul, & confirmatur Augustini verbis, quæ retulimus nuper, & quæ modo etiam luculentius recitamus, ut magis Conclusionis nostræ veritas elucescat. Ait igitur Augustinus lib. 2. de consensu Evangelistarum cap. 1. *Neque enim propterea non erat appellandus Joseph Pater Christi, quia non eum concubendo genuerat, quandoquidem recte Pater esset etiam ejus, quem non ex sua conjuge procreatum, aliunde adoptasset. Putabatur quidem Christus etiam aliter filius Joseph, tanquam ejus omnino carne progenitus; sed ab eis hoc putabatur, quos Mariæ latebat virginitas. Nam Lucas ait:* Et ipse Jesus erat incipiens quasi triginta annorum, ut putabatur filius Ioseph. *Qui tamen Lucas non ejus parentem solam Mariam, sed ambos Parentes ejus appellare, minime dubitavit, ubi ait:* Puer autem crescebat, & confortabatur plenus sapientia, & gratia Dei erat in illo: & ibant Parentes ejus per omnes annos in Jerusalem, in die solemni Paschæ. *Sed ne quis hic Parentes, consanguineos potius Mariæ cum ipsa Matre ejus, intelligendos putet, quid ad illud respondebit, quod ipse etiam Lucas superius dixit:* Et erant Pater ejus, & mater mirantes super iis, quæ dicebantur de illo? *Cum igitur ipse narret, non ex concubitu Joseph, sed ex Maria Virgine natum Christum; unde eum Patrem ejus appellat, nisi quia, & Virum Mariæ recte intelligimus sine commixtione carnis, ipsa copulatione conjugii, & ob hoc etiam Christi Patrem multo conjunctius, qui ex ejus conjuge natus est, quam si ei esset aliunde adoptatus?*

II. Probatur ab eodem Estio, qua probatione utitur etiam Serry. Christus Dominus, ut filius Mariæ, pertinebat ad Josephum, ut Mariæ Sponsum, titulo peculiari paternitatis: ergo S. Joseph fuit vere Pater Christi Domini. Probatur antecedens. Christus Dominus sub illa consideratione fuit fructus matrimonii Mariæ, & Joseph, non quidem natus ex illo, sed natus in illo; ac veluti in Josephi fundo satus, & procreatus; nimirum in illo, & ex illo corpore virgineo, id quod jure conjugii S. Joseph potestatem habebat: ergo Christus Dominus, ut filius Mariæ pertinebat ad Josephum, ut Mariæ sponsum titulo peculiari paternitatis. Prima consequentia sequitur, quia non aliud requiritur, ut sit aliquis vere Pater, quam ut ad ipsum pertineat fœtus, jure paternitatis.

Objiciunt I. Si vera esset nostra Conclusio, etiam puer ex muliere adultera genitus ad ipsius maritum pertineret, quia in illius fundo esset satus, & procreatus; atqui hoc dici non potest: ergo &c. II. Nequit dici, quod B. Virginis, & S. Joseph, utpote duorum conjugum fuerit unum corpus, & una caro: ergo nostra Conclusio non subsistit. Antecedens est certum, quia conjuges per matrimonium fiunt unum corpus, & una caro, non quidem per matrimonium simpliciter ratum, sed consummatum, cujusmodi non fuit matrimonium Mariæ cum Josepho. Consequentia probatur. Si corpus Mariæ, & corpus Joseph non sunt unum corpus, & una caro: ergo corpus Mariæ non erat S. Joseph; sed hæc est ratio, per quam nos nostram probavimus Conclusionem: ergo &c. III. Si nostra Conclusio haberet locum, Sara etiam fuisset vere mater Ismaelis, quia Ismaelem genuit Abraham maritus Saræ ex diverso matrimonio, quum fuerint illa duo distincta matrimonia, unum cum Sara, & aliud cum Agar. IV. Origenes, quem sequitur Theophylactus in cap. 2. Lucæ, docet, Josephum fuisse tantum honoratum respectu Christi,

sti, Patris titulo, propter fidele ministerium, quod Christo ut Nutricius exhibebat.

Respondemus ad I, quod Spurius generatur ad mariti dedecus, ad matrimonii injuriam, ac matrimonii fide violata; unde adultero nascitur non marito. Christus vero natus est Mariæ, & Josepho, ad Parentum decus, & ad matrimonii gloriam, & integra quidem fide procreatus fuerat. Sic respondet Serry, qui subdit, quod idcirco Jesus putabatur filius Joseph, respectum habendo ad carnalem generationem; respiciendo vero jus conjugii, non tantum putabatur, sed etiam erat.

Ad II. Aliud est dicere, quod conjugum corpora sint unum corpus, & caro, & aliud, quod unius conjugis corporis potestas, jus, & dominium sit penes alium conjugem. Primum habetur in matrimonio rato, & consummato, quod ipsemet Adversarius fatetur; secundum vero verificatur etiam in matrimonio rato, sed non consummato. Propterea subdit Serry; per Sacros Canones in matrimonio simpliciter rato dari potest aliqua relaxatio, seu dispensatio, non autem in matrimonio rato, & consummato; quia nimirum per matrimonii consummationem conjuges facti sunt unum corpus, & una caro.

Ad III. Diversa est ratio Saræ respectu Ismaelis, & Joseph respectu Jesus, quia in primo casu duo erant matrimonia, ut etiam Adversarius fatetur; in nostro autem casu unum; & ideo, subdit Estius, Sara non habebat plenum dominium corporis viri sui propter ejus bigamiam, sicut Joseph habebat suæ conjugis perfectum Dominium. Unde, idem Estius concludit, majori ratione dicitur Christus natus ex carne, & corpore Joseph, quam Ismael genitus ex carne, & corpore Saræ.

Ad IV. Dicitur cum eodem Estio, rationem Origenis nequaquam subsistere; primo, quia nunquam legitur in Scripturis, ut Nutricius dicatur Pater, & Nutrix dicatur Mater. Secundo, quia Virgo præposuit sibi Josephum sub Patris vocabulo; *Pater tuus, & ego*; & ne dicatur hoc fecisse Virginem propter humilitatis devotionem, ipsemet Evangelista dicit; *Erant Pater ejus, & Mater*. Tertio, quia Lucas ambos appellat Parentes, græce γονεῖς, quasi Genitores, quia, ut dicimus, generatio Jesus etiam ad Joseph jure conjugii pertinebat. Quarto, quia idem Evangelista subdir, quod Jesus *erat subditus illis*; nimirum tanquam filius parentibus; & hunc locum urget Augustinus lib. 1. de Nuptiis, & Concup. cap. 11. Ultimo, quia & Lucas, & Matthæus ducunt Christi genealogiam per Joseph; quod quidem non esset bene factum, si Joseph non alia ratione, quam quia Nutricius, Christi Pater fuisset.

Ad tertiam modo Dissertationis partem devenientes; Primo censet Gerson homil. de Nativit. B. Virginis, & 3. par. Alphabeti 59. lib. a., S. Joseph fuisse in utero matris suæ sanctificatum, asserens id ipsum inveniri in officio Hierosolymitano. Eandem opinionem sequutus est Jacobus de Valentia super Magnificat: Hoc autem privilegium expendens Cornelius a Lapide in cap. 1. Matth. hæc scribit: „ Idem de S. Jacobo fratre Domini, qui ea de caussa vocatus sit justus, opinantur Hegesippus apud S. Hieronymum lib. de Script. Eccles. in Jacobo, & Epiph. hæresi 29. Idem de S. Nicolao, & S. Dominico suspicatur S. Antoninus 3. par. Summæ tit. 18. cap. 15. §. 6. Idem de Jacobo Patriarcha, qui in utero Matris collisus fuit cum Esau, illumque supplantavit, censet S. Ambrosius lib. 4. de fide cap. 4. hist. eccles. cap. 66. in Genes., & Dionys. Carthus. in Genesi cap. 25. & 28., ubi pro eadem sententia citat D. Augustinum. Idem de Mose autumat S. Ephrem orat. de Transfig. Christi. Alii idem privilegium dant Samsoni, quia de eo dicitur Judic. 13. *Et erit Nazareus* (idest, separatus, & consecratus) *Dei ab infantia sua, & ex matris utero*, Verum hæc incerta sunt, & tantum exemptionis a communi peccati, & nativitatis maculatæ lege privilegium nulli dandum est, nisi de eo constet è S. Scriptura, vel traditione. Hic autem nihil tale constat de ullo, nisi de Jeremia cap. 1. 5. Et de Joanne Baptista Lucæ 1. 44. ita Barrad. lib. 7. Concord. Evangel. cap. 12. & Franc. Suarez 1. par. qu. 27. disp. 8. sect. 1. Excipio Christum ex vi suæ conceptionis, quia conceptus est de Spiritu Sancto, & natus ex Maria Virgine, Item B. Virginem, utpote Matrem Dei, uti habet traditio Ecclesiæ. Potuit Deus pluribus hoc privilegium dare, sed an de facto dederit, nescimus. Sane si post B. Virginem illud alicui alteri, ex initio recensitis dedit, S. Josepho ejus Sponso idipsum non negasse, videtur. „ Suarez vero in 3. part. qu. 29. ar. 2. hæc ait: „ Multo autem mi-

„ nus

" nus censeo esse afferenda, vel credenda, " quædam privilegia, quæ nonnulli huic " Sancto tribuunt, ut fuisse sanctificatum " in utero matris, caruisse fomite, vel om- " ni actuali peccato, ut videre licet in Ger- " sone serm. quodam de Nativit. Mariæ, " & Jacobo Christopolitano, exponente " Canticum Virginis. Hæc enim, & simi- " lia, quæ sunt præter generales canones " Scripturæ, non sunt sine convincente " ratione, & magna authoritate Ecclesiæ, " vel Sanctorum Patrum, approbanda. " Denique quæ dona scientiæ, aut sapien- " tiæ, aut quæ gratiæ gratis datæ huic San- " cto donatæ fuerint, incertum nobis est: " illud solum ex Evangelio habemus rece- " pisse interdum Angelicas illustrationes, " & propheticas revelationes. De aliis ve- " ro solum dicere possumus, ea ut mini- " mum accepisse, quæ suo muneri conve- " nienter obeundo fuerunt opportuna, re- " liqua vero ignota nobis esse. Unde in " bis donis, & gratiis facile credi potest " superatum fuisse hunc sanctum non so- " lum ab Apostolis, sed etiam ab aliis, qui- " bus, ad utilitatem Ecclesiæ magis erant " necessaria. "

Secundo ex eo, quod S. Joseph fuerit vere, ac proprie Virginis Sponsus, & habuerit jura omnia, & munera veri Sponsi; excepto carnalis copulæ usu; & ex eo, quod Patris Christi obtinuerit nomen, & rem, quæ huic nomini subest, excepta carnali generatione; sequitur, ut S. Patriarcha fuerit aliquo modo caput, & superior Virginis, & Christi, ut hominis. Apostolus enim 1. ad Corinth. 2. ait, *caput mulieris vir*; & S. Petrus in 1. epist. canonica cap. 3. *Mulieres subditæ sint viris suis*. Insuper de Christo Domino Lucæ 2. dicitur: *Erat subditus illis*. Ex bis deducit Suarez, quod inter Mariam, & Joseph, & inter Jesum & Joseph intercesserit singulare vinculum mutui amoris, ac perfectissimæ amicitiæ, quæ intrinsece oriebatur ex dignitate, & statu, ad quem S. Joseph assumptus est.

Tertio asserit pariter Suarez, Josephi dignitatem majorem fuisse, quam dignitas Præcursoris, aut Apostolorum, vel Evangelistarum; quia quamvis apostolicum munus sit supremum omnium eorum, quæ in Christi Ecclesia inveniuntur, ut docent Anselmus, & S. Thomas; munus tamen S. Joseph, quia fuit altioris ordinis, potest dici perfectius. Quod explicat dicendo, in Ecclesia quædam esse ministeria, quæ præcise pertinent ad ordinem gratiæ gratum facientis; & in hoc ordine Apostoli habuerunt supremum dignitatis fastigium: alia vero esse ministeria, quæ attingunt ordinem unionis hypostaticæ, qui perfectior est suo genere; & in hoc ordine constitutum fuit ministerium S. Joseph. Cæterum etiam dici potest, quod ipsumet apostolicum ministerium ante Apostolos quoscunque, immo ante ipsummet Domini Præcursorem B. Joseph exercuit in Bethleemitica spelunca, quando puerum natum, quis esset, & quare sic nasci dignatus fuisset, & finem, ob quem in mundum venerat, aperiebat, exponebat, ac prædicabat Pastoribus, ac Magis adoratoribus.

Quarto existimat pariter Suarez, non esse temerarium, neque improbabile, sed potius pium, ac verisimile, si dicatur, S. Joseph reliquos omnes in gratia, & in beatitudine antecellere. Et hoc tum quia ex Scriptura nihil est, quod repugnet, & ex Patribus nemo est, qui contradicat. Rationem addit Cornelius a Lapide loco citato, quia plus est esse Patrem, & Rectorem Christi, quam ejus Præconem, & Præcursorem.

Quinto ex eodem Cornelio a Lapide in familia illa Josephi tres erant summæ, & excellentissimæ totius Orbis personæ; scilicet Christus Deus, & homo; Virgo Deipara Christo conjunctissima, utpote mater naturalis; Joseph Christi Pater matrimonialis. Et ex hoc infert, quod Christo debetur cultus adorationis, & Latriæ; B. Virgini cultus hyperduliæ; ac B. Josepho summæ duliæ cultus. Et quamvis Ecclesia prioribus Ecclesiæ seculis satis parce in B. Joseph celebrando se continuerit, & S. Patres in ejusdem laudibus recensendis parum se dilataverint; hoc tamen fuit ut illorum temporum Hæreticis occasionem præcluderet asserendi fuisse ipsum Patrem Christi Domini naturalem, uti de facto Ebionitæ, aliique cum ipsis Heterodoxi impie, ac falso dixerunt. Cæterum posteriorum temporum universalis Ecclesiæ Pastores, ac Pontifices S. Joseph in Ecclesia solemnius voluerunt celebrandam esse memoriam, ac anniversariam festivitatem. Et præcipue Gregorius XV. festum ejus ritu duplici solemniter a toto populo, totaque Ecclesia quotannis celebrari jussit die 19. Martii. Posteriores vero Pontifices idem festum de præcepto observandum ab omnibus Christi Fidelibus, statuerunt, & Innocentius XII. pro Hispa-

nicæ

nicæ Monarchiæ Regnis indulgentiam plenariam iis omnibus elargitus est, qui sacramentali confessione præmissa, & Eucharistica communione refecti, ejus Ecclesiam visitaverint, & in ea, ut in simillibus fieri solet, preces ad Deum fuderint. Postremo Clemens XI. ejus officium cum Octavâ, & cum Antiphonis, & responsoriis propriis recitandum, jussit; ac Benedictus XIII. ejus nomen in Litaniis majoribus apponi, præcepit. Denique S. Teresiam a Jesu Carmelitarum Reformatricem, omnino fateri oportet, fuisse illam, quæ S.Joseph devotionem in Catholico Orbe propagavit; ipsa enim, ut asserit Cornelius a Lapide, mira devotione colebat S. Josephum, eundemque omnibus commendebat, asserens, se per intercessionem S. Josephi, multa, & magna, immo omnia, quæ habebat, a Deo impetrasse.

Sexto. Multi probabile putant S. Joseph anima, & corpore cum Christo regnare in Cœlis. Quod & scribit Suarez cit.loco verbis hisce: „Illud vero advertere non „prætermittam, ex quadam satis recepta „sententia, probabile fieri, Sanctum hunc „corpore, & animo glorioso cum Christo „regnare, quia cum ante Christum mor„tuus fuerit, verisimile est fuisse unum ex „illis, qui tempore mortis, vel resurrectio„nis Christi surrexerunt, quos multi sen„tiunt ad immortalem vitam animi,& cor„poris transiisse, ut suo loco dicemus. „

Obstant I. Augustinus opusc. de Assumpt. Virg. cap.4. docet, B. Virginem fuisse exemptam a lege illa: *sub viri potestate eris*; quia, statim subdit, *non fuisse sub potestate viri, quæ integerrimis visceribus de Spiritu Sancto Christum suscepit*. II. Anselmus Matth. 3. de Joanne Baptista dicit, *Officio ministerii, fuisse minorem Apostolis; majus enim ministerium non fuit, quam Apostolatus*: ergo ministerio Apostolorum non fuit majus ministerium S. Joseph. III. 1. ad Corinth.12. dicitur: *Posuit Deus in Ecclesia primum Apostolos*; quod & confirmat S. Thomas in cap. 3. Matth. docens, Apostolos esse majores officio Novi testamenti; & ad Ephes. 1. dicit: *Temerarium est ergo, aliquem Sanctum Apostolis comparare*. IV. In Litaniis majoribus postponitur S. Josephi nomen nomini S. Joannis Baptistæ: ergo Ecclesia censet, majoris dignitatis esse Baptistam, quam Joseph. V. Est aliquorum sententia, qui dicunt asseveranter, S. Joseph supra omnes Apostolos, ac Angelorum Choros in Cœlo esse constitutum; Atqui hoc ab omnibus non recipitur: ergo &c. VI. Si Joseph in tam excellenti fuisset dignitate constitutus, non permisisset Spiritus Sanctus, dignitatem ejus esse tanto tempore Ecclesiæ ignotam, nec minore dignitate coli, quam Apostolos, & alios etiam non paucos Sanctos.

Respondemus ad I. cum Suarez, Augustinum intelligi, Virginem non fuisse sub potestate viri, quantum ad usum carnalis copulæ. Addit ex S. Thoma, quod in iis, quæ pertinebant ad cognitionem mysteriorum Dei, & ad suscipienda gratiæ privilegia, non debebat B. Virgo a viro pendere, nec sub ejus esse potestate; in externis vero, & domesticis rebus potuit suo modo subesse viro, quia ad illum familiæ gubernatio pertinebat. Quapropter quando aliquid agere debebant ex divina revelatione, revelatio fiebat non Mariæ, sed Josepho; ut videre est quando fuit revelata impositio nominis Jesu, fuga in Ægyptum,& reditus ex Ægypto. Cæterum opusculum illud, quod ab Adversariis citatur inter Augustini opera apud Bellarminum non invenitur.

Ad II. Ministerium S Joseph fuit supra ministerium Apostolorum ratione ordinis ut diximus, quanvis illud Apostolorum fuerit superius ratione gratiæ gratum facientis. Et ratio est, quia ministerium Joseph tetigit Ordinem unionis hypostaticæ, qui quidem ordo ex suo genere est perfectior. Et sic intelligendus est S. Anselmus, nimirum de ordine gratiæ gratum facientis, non vero de ordine unionis hypostaticæ.

Ad III. Dicit idem Suarez, quod quanvis Apostoli sint majores Officio Novi Testamenti, officium tamen Joseph non pertinuit ad novum Testamentum,neque proprie ad vetus,sed ad utriusque Authorem, qui fuit *lapis angularis,qui fecit utraque unum*. Apostolus ad Corinth. intelligitur, quod Apostoli fuerunt primi in fundatione Ecclesiæ per universum mundum diffusæ per eorum prædicationem; in qua quidem nullam habuit partem S. Joseph, nisi in illis primitiis Christianorum Pastoribus nimirum, & Magis, quos diximus in Specu nativitatis Christi ante Apostolorum tempora erudivisse.

Ad IV. In iisdem Litaniis præponitur etiam nomen S. Joseph nominibus Apostolorum;& nihilominus Adversarii dicebant, quod Apostoli sint majores Baptista,cujus nomen Apostolis etiam præponitur. Igi-

tur ex hoc capite non bene desumitur in Sanctis cum Deo regnantibus majoritatis argumentum; Ecclesia enim dum hos ritus exercet, nec aliquid declarat, neque definit, quod Sanctorum respiciat majorem, minoremque dignitatem.

Ad V. Est quidem pia illa sententia, quam diximus; sed illa tamen non destruit, immo potius firmat opinionem nostram. Quod autem ab omnibus non recipiatur, facit, ut non sit illa universalis traditio in Ecclesia, quod ultro fatemur. Nos tamen non ex illa ratione probamus assertum nostrum, sed ex aliis; unde etiam dato, quod illa non sit firma, non per hoc assertum nostrum ruit.

Ad VI. Respondet Suarez verbis hisce: „ Ecclesia non semper nititur majori sanctitate in modo colendi aliquem Sanctum, alias esset Laurentius existimandus sanctior multis Apostolis; considerat ergo alias rationes, & circumstantias, ministerium, videlicet, quod in Ecclesia habuit singularem aliquam utilitatem, vel Ecclesiæ ædificationem majorem; denique notitiam, & cognitionem, & alia hujusmodi. Adde etiam eos præsertim colere, qui ad novum Testamentum pertinent. Itaque ex cultu Ecclesiæ non potest efficax argumentum sumi. „

DISSERTATIO CCXII.

De Angelica Virginis salutatione, & de Christi Conceptione in ejus utero peracta. A quo, sub qua specie, ubi, & quando, fuerit facta Angelica ad Virginem salutatio? An Conceptio Christi fuerit plane miraculosa, & supernaturalis? Et quas in ea Conceptione partes Spiritus Sanctus habuerit, quas vero B. Virgo?

PRæsupponimus primo ex S. Thoma 3. par. qu. 30. art. 1. fuisse congruum annunciari B. Virgini quod ipsa esset Christum conceptura. Quod primo probat, quia congruus ordo poscebat, ut prius mens Virginis de mysterio instrueretur, & deinde, ut Christum conciperet. Secundo, ut posset Virgo esse certior hujus mysterii testis, quando super hoc fuisset divinitus instructa. Tertio, ut offerret Deo, se promptam ad obediendum exhibendo obsequii, & servitutis suæ munera. Quarto, quia quum esset quoddam spirituale matrimonium inter Filium Dei, & humanam naturam, conveniens erat, ut per annunciationem, Virginis consensus, loco totius humanæ naturæ expectaretur. Hæc ex S.Thoma observat quoque Serry.

Præsupponimus secundo conveniens quoque fuisse, ut B. Virgo disceret mysterium potius ab Angelo, quam ab homine, & potius ab Angelo, quam a Deo ipso immediate. Primo, ut idem asserit S.Thomas loc. cit. art. 2., ut servaretur divina ordinatio, qua divina perveniunt ad homines Angelorum ministerio. Secundo, quia sicut per Diabolum alloquentem ad Evam incepit humana perditio, ita per Angelum alloquentem ad Mariam incipere debebat humana reparatio. Tertio, quia sic Matris Dei virginitati congruebat; unde Hieronymus, quem citat Angelicus, dicit: *Semper est Angelis cognata Virginitas. Profecto in carne præter carnem vivere, non terrena vita est, sed cœlestis.* Et quanvis ratione dignitatis B. Virgo esset Angelis eminentior, conditione tamen naturæ erat iisdem inferior.

Præsupponimus tertio, Annunciationem fuisse congruo ordine factam, quatenus, ut docet Doctor Angelicus ex epist. ad Rom. cap. 13., *quæ a Deo sunt, ordinata sunt*; sed Angelus missus est a Deo ad hoc, quod Virgini annuntiaret, ut dicitur Lucæ 1. ergo ordinatissime fuit annuntiatio

per

per ordinem completa. His præsuppositis, modo investigandum venit quod quum sit certum ex Scriptura, & Patribus fuisse Angelum Divinæ Incarnationis Nuncium, esse tamen incertum, a quo Angelo, seu cujus Hierarchiæ, vel Ordinis sit peracta, & sub qua specie Virgini Angelus apparuerit, & quo tempore, & loco annunciatio facta fuerit? Pro quibus

Primo. Bernardus homil. 1. de Annuntiat. scribit, non fuisse ex Minoribus Angelis, qui frequenter mittuntur; & postmodum subdit, propterea dici Angelum illum missum esse a Deo, quia a Deo immediate mysterium intellexit, & a Deo immediate est missus: ergo fuit ex illis Angelis, qui a Deo immediate illuminantur; Atqui hi sunt Angeli Supremi: ergo Angelus, qui fuit Nuncius, non fuit ex infimis, sed ex Supremis.

Secundo. Plures Patres Nuntium illum modo Angelum, modo Archangelum nominant. Citatur a Suarez Irenæus lib. 5. contra hæreses cap. 25. qui eum vocat Archangelum, cui concordant Ambrosius lib. 1. de Spiritu Sancto cap. 7. Augustinus serm. 14. de Nativit., si legitimus ipsius est fœtus. Hesichius vero hom. 2. de S. Deipara, appellat Angelorum Principem, quanvis homil. 1. dixerit Archangelum. Gregorius Magnus homil. 34. in Evang. nominat Archangelum, & summum Angelorum. Andreas Hierosolymitanus homil. de Annunciat. vocat Archangelum, & unum ex præcipuis Angelorum.

Tertio. S. Thomas docet, fuisse ex ultima Hierarchia, Caput, & Principem Secundi Ordinis Archangelorum. Quod probare intendit conjectura deducta ab Authore libri de Cœlesti Hierarchia cap. 3., quem credidit fuisse S. Dionysium Areopagitam.

Quarto. Aliqui dixerunt, quod quum convenientius fuerit revelationem illam fuisse intellectualem, adeoque abstractam ab omni sensu, & imaginaria visione, non est recurrendum ad corpoream, & visibilem speciem; adeoque non fuisse necessarium, ut Angelus ille Divinæ Incarnationis Nuncius in humana specie appareret.

Quinto. Alii vero docent, Angelum in specie humana exteriusque sensibili Virgini Deiparæ apparuisse. Hanc sententiam testatur Suarez esse Ambrosii lib. 1. de Officiis cap. 8. & lib. 1. in Lucam, Origenis homil. 4. in Lucam, Chrysologi serm. 140. Hieronymi epist. 7. ad Lætam, & epist. 22. ad Eustochium. Eam quoque sequitur S. Thomas, qui pro se citat Augustinum, Suarez supradictus, aliique passim.

Sexto. Circa annum, mensem, diem, & horam, quibus Angelica, facta est salutatio, nos non intendimus de Anno disputare, quia de hoc magna est controversia inter Chronologos, disputantes quo anno Christus Dominus natus fuerit, & pene inveniuntur sententiæ diversæ supra quinquaginta, ut apud illos videre est. De hac tamen controversia differere hic non est locus. Circa reliqua vero, asserit Suarez ex Ecclesiastica traditione haberi, factam esse Angelicam salutationem octavo Kalendas Aprilis. Circa horam sunt qui asserunt fuisse peractam circa noctis initium; Alii in noctis medio.

Septimo. Circa locum, in quo peracta est salutatio, refert Suarez fuisse Hæreticos, qui dixerunt impudenter quidem, & temere, Angelum non invenisse Virginem domi, sed per plateas vagantem, & ibi eam salutasse. Sed contra hos stat Patrum omnium universitas, & ipsa universalis Ecclesiæ traditio, ut mox videbimus.

Octavo. Patres omnes docent, locum illum fuisse domum, & Cubiculum Virginis, in qua ipsa inventa est Orationi vacans, & forsitan Messiæ adventum desiderans, deprecans, & expectans.

Dicimus I. Nuntium Salutationis Angelicæ fuisse Gabrielem, ob peculiarem rationem in ipso nomine inclusam; fuisse Archangelum, ob rationem excellentissimæ missionis, & fuisse unum ex primo ordine primæ Hierarchiæ Angelorum.

Prima Conclusionis pars probatur ex dictis a nobis tom. 2. Differt. 137. nimirum Gabriel vocari *fortitudo Dei*, vel *fortis*; quia scilicet præest prœliis, ac bellis fidelium, ut patet Danielis 12. Unde ait Cornelius a Lapide in cap. 1. Lucæ, quod „ ipse hic mittitur nunciaturus Christum, „ qui bellum acerrimum erat gesturus contra Luciferum, ceterosque dæmones, & „ homines impios. „ Subdit idem Cornelius, quod Gabriel dicitur גבר אל *Geber el*; nimirum vir Deus „ quasi dicat, sunt verba Cornelii, Deus incarnabitur, eritque homo puer, quantum ad „ naturam, ac ætatis, & corporis progressum; idem tamen erit vir, quia a primo „ Conceptionis instanti anima ejus erit ple- „ na

„ na omni scientia, gratia, fortitudine, „ juxta illud Jeremiæ 31. 22. *femina circumdabit virum*."

Secunda Conclusionis pars probatur ex dictis pariter a nobis tom. 2. Dissertat. 130. Angeli dicuntur Angeli non ratione naturæ, sed ratione officii; quod & docent Augustinus in psalm. 103. Ambrosius in cap. 1. Epist. ad Hebræos, & Gregorius Magnus homil. 34. in Evang. ante medium. Adeoque Angeli, qui natura sunt spiritus, dicuntur Angeli, quando mittuntur: Si mittuntur ad ea nuncianda, quæ sunt ordinis inferioris, dicuntur Angeli; si vero ad ea nuncianda, quæ sunt ordinis altioris atque supremi, dicuntur Archangeli; atqui missio ad annunciandam Divini Verbi Incarnationem, erat ordinis sublimissimi: ergo qui mittebatur, debebat esse non simpliciter Angelus, sed Archangelus.

Tertia pars Conclusionis probatur. I. In Dissertat. citata probavimus Michaelem, quanvis dicatur Archangelus, esse etiam unum, immo Principem ex primo ordine, & ex prima Hierarchia, scilicet Seraphinum; sed illæ eædem rationes, quæ probant de Michaele, probant etiam de Gabriele: ergo &c. Insuper Gabriel est unus de illis Angelis, qui immediate a Deo illuminantur; sed hi sunt Seraphini, qui sunt primi ordinis, & primæ Hierarchiæ: ergo Gabriel est unus ex Seraphinis. Minor est certa, quia illi sunt septem Angeli, qui adstant ante Dominum, & qui stant in conspectu Dei, ut legitur Apocalypsis 18. *Et vidi septem Angelos stantes in conspectu Dei*; Et Tobiæ 12. ubi Raphael de seipso dicit: *Ego sum Raphael Angelus, unus ex septem qui adstamus ante Dominum*; Sed hoc, quod est adstare ante Dominum, & stare in conspectu Dei, importat esse Angelos, qui Deo sunt proximiores, adeoque a Deo immediate, & non per alios Angelos illuminantur: ergo &c. Major primi argumenti probatur; quia communiter a Scriptoribus post Michaelem, & ante Raphaelem adnumeratur Gabriel, quando septem illos Angelos enumerant: ergo &c. Denique convenientius erat, ut immediate a Deo instrueretur Angelus ille, qui tam alti mysterii nuncium afferre debebat, quam ut ab altero Angelo edoceretur, aliter enim Deus antequam Virgini per Angelum suum Incarnationis mysterium manifestaret alteri Angelo, qui est inferior ad Virginem apertuisset; quod non est dicendum; & quanvis Gabrieli manifestaverit, hoc tamen fuit, quia Nuncii officium fungebatur. Quod si Gabriel a Deo immediate missionem suam accepit, non per alium Angelum: ergo ex illis Angelis erat, qui sunt Deo proximiores, adeoque unus ex illis, qui sunt ex primo ordine, & ex prima Hierarchia, nempe unus ex Seraphinis.

II. Probatur hæc tertia pars. S. Gregorius Magnus homil. 34. in Evangel. docet: *Ad hoc quippe ministerium Summum Angelum venire, dignum fuerat, qui summum omnium nunciabat*. Quæ verba explicans Cornelius a Lapide cit. loco, ait. „ Verum verius est, Michaelem esse primum „ inter Seraphinos; Gabrielem vero ei esse „ proximum, & vicinum."

III. Probatur Lucæ 1. Ipsemet Gabriel de se dicit: *Ego sum Gabriel, qui adsto ante Deum*; ad quæ verba citatus Cornelius subdit: „ Adsto significat Gabrielem „ proxime adstare Deo, esseque unum e „ septem primariis Angelis, qui sunt Prin„ cipes aulæ cœlestis, sicut est Michael, ac „ Raphael." Et post pauca: „ Quare licet „ aliqui, ut Toletus hic, censeant Gabrie„ lem esse ex ordine penultimo, qui est ex „ ordine Archangelorum; eo quod alibi „ vocetur Archangelus; verius tamen vi„ detur primo ex ordine, qui est Seraphim, „ adeoque esse unum e primis aulæ cœle„ stis Principibus, ideoque a multis vocari „ Archangelum, id est, Angelum prima„ rium, & Principem; immo non desunt, „ qui censeant, eum inter Seraphinos esse „ omnium primum. Ita censet Marcus Vi„ gnerius Cardinalis in Decachordo Chri„ stiano chorda 1. cap. 2., idque probat „ octo rationibus, vel potius congruentiis, „ quas recensui Daniel. 9. ver. 21. quæ „ omnes ad hanc unam reducuntur: Ad „ opus summum decebat mitti Summum „ Angelum: atqui summum Dei opus est „ Incarnatio Verbi: ergo Gabriel qui vers. „ 26. ad illud nunciandum est missus, est „ summus Angelus. Sed hæc ratio non „ concludit, ut ibi ostendi. Nam commu„ nis Theologorum sententia est, Michae„ lem esse supremum Angelorum omnium, „ & Antagonistam Luciferi. Apocal. p. „ 12. v. 7."

Dicimus II. Gabrielem apparuisse B. Virgini in specie humana, & exterius sensibili.

I. Probatur authoritate Ambrosii lib. 1. de Officiis cap. 8. & lib. 1. in Lucam, Origenis homil. 4. in Lucam, Chrysologi serm. 140., Hieronymi epist. 7. ad Lætam, & epist.

& epist. 22. ad Eustochium, Augustini serm. 14. de Nativit., si ejus legitimus est foetus, & cujus verba retulit S. Thomas 3. par. quæst. 30. ar. 3. *Venit ad me Gabriel Archangelus, facie rutilans, veste coruscans, incessu mirabilis*.

II. Probatur ex S. Thoma. Credibile est, Deum misisse Gabrielem ad Virginem modo suaviori, & humanæ naturæ accommodatiori; sed hic erat, ut sub humana specie appareret: ergo &c. Probatur major. Angelus apparens sub corporea specie aliquo modo repræsentabat illud, quem nuntiare veniebat, & Virginem non solum in mente, sed etiam in corpore cum specie illa poterat confortare, & recreare; Unde modus ille erat suavior, & accommodatior, quod pertinet ad minorem propositionem: ergo &c.

III. Probatur ex Chrysostomo. Per modum hunc visio fiebat certior Virgini: ergo per modum hunc facta fuit. Probatur antecedens. Quæ subjecta sunt oculis, certius, ac firmius apprehenduntur, quam quæ tantum imaginamur, & sola mente capimus: ergo &c.; Unde per hoc B. Virgo intellectuali simul, & visibili visione firmata est.

IV. Probatur. B. Virgo non solum mente, sed etiam corpore paritura erat Dei Filium: ergo non solum mente, sed etiam corporis sensu angelica visione recreanda erat. Unde Tertullianus, quem citat Serry, afferebat interdum fuisse exhibitas species humanas Justis, ac Patriarchis Veteris Testamenti, & species illas sensibiles, & corporeas, quibus Deus aliquando conspicuus factus est illis, vocat *incarnationis tyrocinia*; & filii Dei experimenta *hominem inter homines agere condiscentis*.

Pro tempore, & loco, quibus facta est salutatio, quidquid alii in contrarium dicant, quos in Dissertationis exordio retulimus, & quorum ratiunculas in objectionibus adducemus, atque solvemus.

Dicimus III. Angelicam salutationem factam fuisse die 25. Martii, hora statim post mediam noctem, ac sub initium naturalis diei; factam insuper fuisse in Civitate Galilææ, cui nomen Nazareth, & in domo, atque in cubiculo, in quibus B. Virgo habitabat; quæ quidem domus postmodum translata est primo in Illyricum, & deinde in Italiam; & quæ modo visitur in Picæno, & Lauretana Ecclesia nominatur.

I. Probatur. Augustinus lib. octaginta trium quæstionum qu. 56. docet, ex Ecclesiæ traditione haberi, definitam esse diem vigesimamquintam Martii, quæ respondet diei vigesimæ quintæ Decembris, quæ ab Ecclesia nativitati Christi præfixa est. Quis enim credet, Christum non permansisse in matris utero per totos novem menses, quibus ceteri infantes in matrum suarum ventre manent?

II. Probatur. Christus natus est die vigesimaquinta Decembris post mediam noctem: ergo pariter Angelica salutatio facta fuit die vigesimaquinta Martii post mediam noctem. Consequentia sequitur, quia hoc pacto adimpleretur justa mensura novem mensium gestationis in utero. Pariter S. Athanasius in serm. de Deipara prope finem dicit: *Angelum in exordio diei*, naturalis quidem, *Virginem salutasse*. At hic sermo Athanasio abjudicatur, utpote Athanasii ætate posterior, ac post quintam, & sextam Synodum Oecumenicam exaratus; ut ait Serry.

III. Probatur ex cap. 18. Sapientiæ, ubi legitur: *Cum quietum silentium contineret omnia, & nox in suo cursu medium iter haberet, omnipotens sermo tuus exiliens de cœlo a regalibus sedibus, durus debellator, in mediam exterminii terram prosilivit*. Quibus additur, quod figura missionis hujusce fuit missio altera Angeli a Deo facta ad occidenda Ægyptiorum primogenita, & ad Judæos liberandos ab Ægyptiaca captivitate; sed missio illa Angeli, quæ fuit figura hac eadem hora, scilicet immediate post mediam noctem peracta est: ergo &c.

IV. Probatur de loco. Expresse enim S. Lucas ait fuisse Nazareth: *Missus est Angelus Gabriel a Deo in Civitatem Galilææ, cui nomen Nazareth*. Præterea facta est domi; dicit enim Evangelista; *Et ingressus Angelus ad eam*; ingressus quidem verificari non potest, nisi vel in cubiculum, vel in domum. Unde Patres omnes apud Suarez docent, locum illum fuisse domum, & cubiculum Virginis, ubi orationi vacans inventa est. Et Cornelius a Lapide de eadem domo hæc scribit in cap. 1. Lucæ: „ Unde Christus ab ea, quasi a
„ Patria, in qua conceptus fuit (nam in
„ Bethlehem natus est) cognominatus est
„ Nazarenus, Matth. 2. 23. In Nazareth
„ ergo habitabat B. Virgo cum Josepho
„ Sponso suo. Porro domus, vel cubicu-
„ lum ejus, in quo Angelo nuntiante, con-
„ cepit Christum, a S. Jacobo, aliisque Apo-
„ stolis consecrata fuit in Ecclesiam, uti
„ refert L. Dexter in Chronico anno Chri-
„ sti

„ sti 42., & alii : Ibidem post trecentos „ annos S. Helena elegans templum exædificavit, teste Nicephoro lib. 8. cap. 30. „ Eamdem visitavit S. Paula, & S. Ludovicus, ceterique peregrinantes. Vide „ Tursel. in histor. Lauret. cap. 1. & seq. „ Eadem post mille annos e Galilæa, & „ Nazareth ab Angelis translata est in Dalmatiam, inde in Italiam, pura Lauretum, „ ubi etiamnum consistit, & totius Orbis „ concursu pie visitur, adeo ut ipse Erasmus, quem Novantes ut antesignanum „ sequuntur in orat. ad Virginem, ita Lauretanam Virginem salutet : *Salve inclyta Regum progenies, Sacerdotum decus, Patriarcharum gloria, Cœlitum triumphus, inferorum formido, Christianorum spes, & solatium ; divinitati proxima es, ne illic nobis desses. Certa est fiducia tua, pronus tuis advolvor pedibus, serva animulam hanc, quæ se tibi quanta est nuncupat.* „

Objiciunt I. In Scripturis Gabriel nominatur Angelus, non Archangelus; dicitur enim Lucæ 1. *Missus est Angelus Gabriel* : ergo Gabriel non fuit Archangelus, sed Angelus. II. Gabriel fuit missus ad Danielem, & fuit missus ad Zachariam: ergo non conveniebat, ut mitteretur ad Virginem, ut ei nunciaret Verbi Incarnationem; hæc enim majoris erat dignitatis. III. Perfectior est revelatio intellectualis imaginaria visione, ut docet S. Thomas 2.2. qu. 174. art. 2. & 3., sed Virgini debebat fieri revelatio perfectior: ergo visio Angeli non fuit corporea, sed intellectualis. IV. Si B. Virgo vidisset Angelum sub specie corporea, non fuisset turbata, nec de salutatione dubitasset : ergo visio Gabrielis non fuit corporea. V. Gabriel, vel corpoream speciem assumpsit ante ingressum ad Virginem, vel post ingressum; non ante ingressum, quia non poterat cum illa corporea mole cubiculum ingredi; nec post ingressum, quia assumendo corpus in Virginis præsentia, illi fuisset alterius perturbationis, & timoris caussa : ergo visio Angeli corporalis non fuit. VI. Ecclesiæ consuetudo est, ut in noctis principio Virginem salutemus : ergo tunc etiam fuit Virgo ab Angelo salutata. Et hoc eo magis, quia S. Bonaventura, ut legitur in ejus vita, hanc ob caussam a Pontifice obtinuit, ut Virgo in illa hora a fidelibus salutaretur. VII. Græci non celebrant Annunciationis festum die 25. Martii : ergo quod fuerit die illa Angelica salutatio peracta, non est traditio universalis Ecclesiæ. VIII. Joseph, & Maria ambo erant ex Tribu Judæ : ergo domum habere debebant in Judæa, quæ Tribubus Judæ, & Beniamin contigerat, non vero in Galilæa, quæ spectabat ad Tribus Zabulon, & Nephtali. IX. S. Petrus Damianus memorat Epistolam allatam Virgini a Gabriele, verbis hisce in serm. de Annunciat. *Traditur epistola Gabrieli, in qua Salutatio Virginis, Incarnatio Redemptoris, plenitudo gratiæ, gloriæ magnitudo, multitudo lætitiæ continetur* ; Sed ad hanc epistolam afferendam non erat necessarium, quod Angelus corporea specie appareret : ergo corporea specie non apparuit. X. Domus Virginis, in qua peracta est Angelica salutatio, vel fuit domus Joachim, vel domus Joseph, vel fuit domus, in qua habitabant Virginei Sponsi ante fugam in Ægyptum, vel in qua habitarunt post ab Ægypto reditum, vel fuit domus, in qua nata est B. Virgo, vel in quam ducta est post e Templo egressum; hæc autem quomodocunque explicentur, nunquam ita concordari possunt, ut una fuerit; vel si plures, qualis fuit ergo domus illa, quam Lauretanam dicimus, & Laureti in Piceno summa devotione visitamus, ac veneramur?

Respondemus ad I. Quum nos diximus Angelum esse nomen officii, & non naturæ, inde est, quod omnes illi cœlestes Spiritus Angeli vocari possunt, quia a Deo mittuntur. Si autem res, ob quas mittuntur, sunt majoris, vel maximi momenti, Archangeli etiam vocantur. Et quamvis Angeli ultimum ordinem tertiæ Hierarchiæ constituant, & Archangeli penultimum; hoc tamen ideo est, quia spiritus illi ultimi, & penultimi ordinis tertiæ Hierarchiæ sæpius, & de more a Deo mittuntur, ceteri vero non nisi quam ob gravissimas caussas, ut videre est in Michaele, Gabriele, & Raphaele, qui sunt ex primo ordine primæ Hierarchiæ, hoc est ex ordine Seraphinorum, & qui fuerunt a Deo missi ob caussas peculiares graviores, atque gravissimas. Unde Gabriel dicitur Angelus ratione communis nominis omnium spirituum, quia missus scilicet a Deo fuit; quia vero a Deo missus fuit ob caussas gravissimas, dicitur Archangelus, & ob alias rationes, quas adduximus, dicimus etiam cum ex ordine Seraphinorum fuisse.

Ad II. Respondet Suarez, quod „ quamvis „ Gabriel sit supremus omnium Archangelorum, & ideo ad supremum Dei opus „ nun-

,, nunciandum miſſus fuerit, non eſt ali-
,, quod inconveniens, quod aliquid aliud
,, aliquando nunciaverit, & præſertim
,, quia omnes aliæ legationes, quæ de hoc
,, Angelo leguntur, ad hoc myſterium
,, ſpecialiter ordinabantur. Nam Danieli
,, nunciavit tempus adventus Chriſti, &
,, præclarum illud ſignum ſeptuaginta
,, hebdomadarum dedit. Zachariæ vero
,, dixit illa verba: *Ipſe præcedet ante illum*,
,, ideſt ante Chriſtum, *in ſpiritu, & virtu-*
,, *te Eliæ*. In quibus ſignificavit, jam pro-
,, xime inſtare Chriſti adventum. Ex quo
,, etiam veriſimile eſt, quod Bernardus
,, ſupra indicat, eundem fuiſſe Angelum,
,, qui Matthæi 1. & 2. Joſeph apparuit, &
,, qui Virgini filium nunciaverat. Quia
,, totum illud erat veluti unum miniſte-
,, rium, ad eundem proximum finem ordi-
,, natum. ,,

Ad III. Reſpondet Vaſquez, quod idem Angelicus Doctor docet: ,, Viſionem
,, per intellectum perfectiorem eſſe, quam
,, corporalem, & imaginariam, ſi corpora-
,, lis, & imaginaria ſola ſit ſine ea, quæ fit
,, per intellectum; at vero, ſi corporalis,
,, & imaginaria ſimul ſit cum ea, quæ fit
,, per intellectum perfectiorem eſſe, & vi-
,, detur doctrina Auguſtini in prædicto ca-
,, pite. Cumque B. Virgo habuerit non
,, ſolum imaginariam, & corporalem, ſed
,, etiam intellectualem, infert in B. Virgi-
,, ne perfectiorem fuiſſe. ,,

Ad IV. Non conveniunt Patres in hujuſcemodi turbationis cauſſa aſſignanda, ut videre eſt apud prædictos Suarez, & Vaſquez; & quanvis fere omnes dicant, ortam fuiſſe ea timore, quod evincitur ex verbis, quæ ſubjunxit Gabriel: *Ne timeas Maria*, diſcordant tamen in declarando hujus timoris origine. Et quanvis Ambroſius lib. 2. de Abraham Patriarcha cap. 9. dicat, quod origo timoris, & perturbationis fuerit ingreſſus inopinatus Angeli, qui viri ſpeciem referebat; ex verbis tamen Evangelii ſatis conſtat, fuiſſe potius ſalutationem; dicitur enim ibi: *Et cogitabat, qualis eſſet iſta ſalutatio*. Bernardus vero ſerm. 3. ſuper *Miſſus eſt*, Origenes homil. 6. in Lucam, Iſidorus Theſſalonicenſis homil. de Annunciat., Auguſtinus ſerm. 2. de Annunciat., Nyſſenus orat. de Chriſti nativitate, alias afferunt marianæ perturbationis, atque timoris cauſſas, quæ apud Serry videri poſſunt. Nobis ſufficit, ut non fuerit Angeli ſub humana ſpecie apparentis viſio, ut dictum eſt.

Ad V. Ex iis, quæ nos diximus in 2. Tom. Diſſert. 134. ſecundum Patris Maignani ſententiam, ſatis apparet, quod non fuerit neceſſaria corporis aerei aſſumptio, ut Angelus humanam ſpeciem exhiberet, ſed tantum ſufficiens erat, quod Angelus humani corporis ſpeciem in Virginis aſpicientis oculos immitteret; hoc eſt ageret in illos eo modo, quo humanum corpus egiſſet. Aliter reſpondent, qui viſiones Angelorum juxta communem Scholaſticorum dicendi modum explicant, ad quos legentes remittimus. Certum nihilominus apud illos omnes eſſe debet, quod ſi corpus ab Angelo ante ingreſſum aſſumptum fuerat, poterat per penetrationem ingredi; & ſi fuit aſſumptum intus, poterat aſſumi antequam Virgo illud intueretur. Etenim corpora, quæ Angeli efformant, atque aſſumunt non omnium oculis aperiuntur, ſed ad Angelorum arbitrium uni aliquando patent, & alterum latent, ut ait Serry.

Ad VI. Eccleſiæ conſuetudo eſt, ut Virginem ſalutemus, & in noctis initio, & in noctis medio, & in noctis fine; Unde ex hac Eccleſiæ conſuetudine nihil poteſt certi deſumi. Quod & aſſeruit Suarez, ad hoc argumentum reſpondens, & dicens: ,, Sed hæc levis eſt conjectura,
,, nam etiam ſummo mane datur ſignum
,, ad Virginem ſalutandam, qua hora, Al-
,, bertus Magnus ſuper Miſſus eſt dixit, An-
,, gelum ingreſſum eſſe ad Virginem, ne-
,, ſcio tamen quo fundamento, nam etiam
,, in meridie in multis Eccleſiis datur ſi-
,, gnum ad ſalutandam Virginem. Unde ſi
,, hoc ſignum datur in memoriam Incarna-
,, tionis Dominicæ, vel id fit diverſis ho-
,, ris, quia de hora certa non conſtat, vel
,, certe, quia non eſſet alia hora commoda,
,, ut hujuſmodi ſignum poſſet omnibus fi-
,, delibus præberi. ,,

Ad VII. Etſi ante Concilium Florentinum Armeni, non Græci, altera die quam vigeſimaquinta Martii angelicæ Salutationis feſtum celebraſſent, in eodem tamen Concilio Florentino in Decreto unionis ſub Eugenio IV. præſcriptum legimus iiſdem Armenis, ut die 25. Martii Annunciationis feſtum celebrent. Ceterum Eccleſiæ Orientalis praxis ſemper fuit Conceptionis, ſeu Incarnationis Divini Verbi feſtum celebrare die 25. Martii, vel, quod idem eſt, octavo Kalendas Aprilis; ut legitur in Græcorum Menologiis, Meneis, & Synaxariis, apud Bollandum tom. 3. de actis Sanctorum

pag. 135. Ægyptii etiam Copti, Syrii, Chaldæi,& Rutheni hoc idem observant, ut habetur in ipsorum Kalendariis, & Martyrologiis. Et pro traditione Universalis Ecclesiæ satis est Authoritas Augustini lib.4.de Trinit. cap.5. ubi scribit: *Sicut a Majoribus traditum suscipiens Ecclesiæ custodit authoritas, octavo Kalendas Aprilis conceptus creditur Christus, quo & passus*.

Ad VIII. Occurrit Serry dicendo: „ Judæos „ nulla lege fuisse obstrictos, in suarum „ Tribuum sortibus habitare, sed id in illorum arbitrium fuisse relictum, etsi „ agros, & possessiones extra suarum Tribuum sortem habere non possent. Possessionum enim; non habitationum partitio a Josue facta fuerat. Potuerunt ergo Maria, & Joseph fixam Nazarethi in „ Galilæa habitationem habere, locatam „ forte domunculam, aut commodatam, „ tametsi essent ambo Judæ Tribules, suasque (si tamen pauperculis essent aliquæ) „ possessiones in Judæa obtinerent. Quibus „ & illud addi potest, limites a Josue præscriptos Tribuum possessionibus haud ita „ religiose fuisse servatos post captivitatem „ Babilonicam. Tot enim progressu temporis pressa malis, bellis jactata, afflicta „ calamitatibus gens infelix, nec communes Regni, nec peculiares familiarum, ac „ Tribuum fines servare facile potuit, sed „ omnia sudeque misceri passa est vel invita. „

Ad IX. Damianus per figuram metonymiam loquutus est, & contentum nomine continentis significavit; hoc est, quodcunque dixit Angelus, ore, voluit dictum ab Angelo fuisse per epistolam. Recitans enim S.Cardinalis, quæ in epistola, verba continebantur, hæc fuisse, scribit: *Ingressus ad eam Angelus dixit: Ave gratia plena, Dominus tecum, benedicta tu in mulieribus*; Atqui hæc eadem verba fuerunt ab Angelo prolata, & consequenter a Virgine audita, & non lecta in epistola, quam Adversarii comminiscuntur: ergo commenticia est epistola illa, si eam per figuram intelligere nolimus. Et revera Gabriel ex Evangelio non tradidit Virgini epistolam, sed cum illa colloquutus est, dicitur enim ibi: *Angelus dixit*; adeoque Gabriel non fuit Tabellarius ad Virginem, sed Nuncius.

Ad X. Suarez putat, domum illam fuisse domicilium B. Annæ, & in ea B. Virginem fuisse natam, & Christum conceptum, & saltem usque ad fugam in Ægyptum educatum. Post reditum vero ab Ægypto Canisius censet cum aliis quibusdam in eadem domo Virginem, & Christum habitasse. Beda tamen lib. de locis sanctis cap.16. apud Suarez, tradit, in loco illo, in quo Angelica salutatio facta est, Ecclesiam fuisse edificatam; & deinde refert, in eadem Civitate Nazareth aliam edificatam fuisse Ecclesiam in illa domo, in qua Christus post reditum ex Ægypto usque ad grandiorem ætatem educatus est. Post quæ subdit Suarez: Sed illa prior fuit semper sanctior, ac celebrior habita, & nunc etiam est in Ecclesia celeberrima.

Dicimus IV. Conceptionem Christi Domini fuisse plane miraculosam, & supernaturalem.

I. Probatur, & explicatur ex Mariæ virginitate, ac simul maternitate. Miraculosum plane, ac supernaturale est, Virginem esse matrem; sed hoc solum in Christi conceptione verificatum fuit: ergo &c. Minor est certa, quia sedes Apostolica anno 1677. damnavit *Imperialem*, qui asserebat, S. Annam concepisse Mariam absque virginitatis jactura; atque insuper communiter improbantur qui dicunt, Annæ puerperium fuisse absque dolore; & Joachimum, & Annam concepisse Mariam absque actu conjugii, & in solo mentis raptu, & obsculo in momento, & sine præscriptis a natura documentis: ergo sola conceptio Christi fuit ex muliere, quæ erat simul mater, & Virgo.

II. Probatur ex repentina efformatione Corporis Christi in Virginis utero. Statim ac Virgo præbuit Gabrieli assensum, dicens: *Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum*, compactum est Spiritus Sancti operatione in Virginis utero corpus Christi integrum, & omnibus organicis membris absolutum; sed hoc est plane miraculosum, & supernaturale: ergo &c. Major est S. Gregorii Magni lib.18. Moralium cap.35. dicentis: *Angelo nunciante, & Spiritu Sancto adveniente, mox Verbum in utero, mox intra uterum Verbum caro.* Minor patet, quia hoc ipsum limites naturæ excedit, quæ paulatim omnia operatur. Additur, quod corpus Christi non solum in momento conceptionis fuit integre formatum, sed etiam eodem momento fuit anima rationali animatum; ut scribebat S.Damascenus lib.3. de Orthodoxa fide cap.2., quod sane non potuit sine miraculo esse.

III. Probatur ex instantanea unione corpo-

ris Christi Verbo divino. Christus in instanti ita fuit Divino Verbo unitus, ut per unionem illam, & per divinæ, & humanæ naturæ consortium fuerit Deus, & homo in instanti, habuerit duas voluntates, & operationes, divinam, & humanam; fuerit verus Sacerdos; fuerit Rex quantum ad jus, & dominium, non quantum ad usum & exercitium, fuerit caput omnium prædestinatorum &c.

IV. Probatur ex copia cœlestium donorum, atque virtutum, quibus Christus in conceptionis suæ momento fuit exornatus. In instanti enim illo Christus fuit Sanctus sanctitate accidentali per gratiam habitualem, & fuit Sanctus sanctitate substantiali per unionem cum Verbo divino. Insuper in eodem instanti habuit gratiam capitalem, de qua suo loco loquuti fuimus, per quam constitutus est caput Angelorum, & hominum. Præterea scientiam divinam habuit ut Deus, & ut homo habuit scientiam acquisitam, scientiam infusam, & scientiam beatam, ut pariter suo loco diximus. Denique in eodem instanti habuit perfectum intellectus, & voluntatis usum, per quem statim promereri cœpit sui corporis gloriam accidentalem. Quæ omnia declarat S. Bernardus hom. 2. super *Missus est*, quem laudat Graveson in tract. de Vita, & mysteriis Christi, Dissert. 2. conclus. unica.

Dicimus V. Spiritum Sanctum in Christi conceptione excellentiori modo præstitisse quicquid activæ virtutis solet esse in semine virili, & sumpsisse de Virgine quicquid corporalis substantiæ in fœtum transformari debebat: Virginem vero concursum omnem adhibuisse, quem ceteræ Matres ad corporis efformationem adhibere solent; suam insuper substantiam contulisse, & fœtum edidisse ejusdem secum naturæ. Et per hoc Spiritum Sanctum non fuisse Patrem Christi, fuisse vero Virginem Matrem ejus vere, ac proprie Matrem.

I. Probatur prima pars, & explicatur simul: Spiritus Sanctus deduxit sanguinem Virginis purissimum, qui erat necessarius ad efformationem corporis Christi, deduxit quidem in uterum ejusdem Virginis, ubi effinxit corpus Dominicum cum organis suis, & idem corpori sic organizato creatam animam univit; atqui hoc est præstare excellentiori modo quicquid activæ virtutis solet esse in semine virili: ergo &c.

II. Probatur ab Estio in 3. dist. 4. §. 2. In semine duæ rationes considerantur, & ratio caussæ materialis, & ratio caussæ efficientis: in prima ratione non fuit Spiritus Sanctus loco seminis in Christi conceptione; & in hoc sensu intelligendus est Hieronymus in explanatione Symboli ad Damasum; fuit autem in secunda; quia quicquid præstat virtus seminis in aliorum hominum generatione, perfectius præstitit virtus Spiritus Sancti in conceptione, & formatione corporis Christi. „ Et in hoc sensu, ait Estius, accipiendum „ est quod Ambrosius lib. 2. in Lucam cap. „ 7. dicit, & citatur ab Augustino lib. de „ peccato originali cap. 40. Spiritum Sanctum utero Virginis immaculatum semen infudisse. Non enim aliud vult quam „ Spiritum Sanctum in utero Virginis operatum fuisse quod semen operari solet; „ idest, quantum ad operationem, seu efficientiam attinet, Spiritum Sanctum vicem seminis supplevisse. „

III. Probatur utraque Conclusionis pars: Ideo Spiritus Sanctus non est Pater Christi, quia quanvis contulerit illud omne, quod diximus, nihil tamen contulit de sua substantia ad efformationem corporis Christi, nec fœtum produxit, qui fuerit ejusdem cum eo naturæ; atqui Maria Virgo, & concursum omnem præbuit, quem ceteræ Matres ad fœtus efformationem adhibent, & suam substantiam contulit, & fœtum genuit ejusdem cum ea natura: ergo Spiritus Sanctus quanvis partes illas egerit in Christi corporis efformatione, non fuit tamen illius Pater; & contra B. Virgo fuit vere, & proprie Divini Verbi, quod in ea factum est caro, Mater.

Obstant I. Corpus Christi debuisset esse pulcherrimum, si conceptio ejus fuisset miraculosa; atqui non fuit pulcherrimum ex dictis a nobis suo loco: ergo conceptio ejus non fuit miraculosa. II. Conceptio Christi fuit ex muliere: ergo non fuit supernaturalis. Antecedens est certum: dicitur enim ad Galatas 4. *Misit filium suum factum ex muliere*; consequentia sequitur ex Job 25. *Nunquid potest apparere mundus natus ex muliere?* III. Maria concurrit active in conceptione Christi Domini: ergo ejus conceptio non fuit supernaturalis ex parte virtutis activæ. Antecedens est doctrina Galeni, & Avicennæ, aliorumque Medicorum eximiorum docentium, Matres in conceptione filiorum per seminis effusionem active concurrere. IV. Christus, ut habemus Lu-

Lucæ 3. *Proficiebat sapientia, & ætate coram Deo, & hominibus:* ergo in instanti conceptionis suæ non habuit plenitudinem scientiæ, virtutum, ac supernaturalium Donorum. V. Opus conceptionis Christi quum sit opus ad extra, tribui debet toti Trinitati: ergo non soli Spiritui Sancto. VI. Christi conceptio, vel perfecta est ante Virginis consensum, vel post; Si ante: ergo Virgo non concurrit; Si post: ergo non concurrit Spiritus Sanctus. VII. Absurdum est cogitare, quod Spiritus Sanctus fuerit Virgini loco seminis, aut materiæ, ex qua cato Christi formaretur; quia hoc idem esset, ac cogitare, Spiritum Sanctum, ut rem corpoream, ex qua humanum corpus fiat: absurdum etiam est, imaginari, quod Spiritus Sanctus, vel sementinam materiam aliunde acceperit, vel de nihilo creaverit, & eam virgineo ventri infuderit; quia sic B. Virgo non esset Christi Mater: ergo Spiritus Sanctus in Conceptione Christi nullas egit partes. VIII. Antiqui Scholastici, puta Durandus, Alexander de Ales, aliique docuerunt, posse Spiritum Sanctum dici Christi Patrem cum quibusdam adjectionibus, quibus sermonis temperatur absurditas: ergo &c.

Respondemus ad I. Diximus nos suo loco, Corpus Christi non fuisse pulcherrimum, nec tamen fuisse deforme, & utrunque Patrum authoritatibus, ac rationum, seu congruentiarum momentis probavimus. Ex quibus liquet, quod non per hoc, quod pulcherrimum non fuerit, deduci potest, illud non fuisse Spiritus Sancti opera efformatum, ac proinde Conceptionem ejus non fuisse supernaturalem, & miraculosam. Spiritus Sanctus enim illa ei tribuit dona, quæ ad redemptionis munus peragendum erant aptiora; hujusmodi certe non erat summæ pulchritudinis donum: Unde stat, quod Corpus Christi non fuerit pulcherrimum, nec fuerit deforme, & nihilominus fuerit Spiritus Sancti opera in Virginis utero compactum.

Ad II. S.Thomas respondet 3. par. qu. 33. art.4., quod conceptio Christi considerari potest, & ex parte materiæ, quam Maria Mater ejus subministravit, & in hoc sensu fuit naturalis; & considerari etiam potest ex parte virtutis activæ, & in hac ratione fuit omnino supernaturalis, & miraculosa, quia fuit novum opus Spiritus Sancti, illudque admirabile. Ex quo infertur cum eodem Angelico, quod conceptio Christi fuit omnis immunditiæ expers; quia immunditiæ, quæ in aliis conceptionibus inveniuntur, ex peccato proveniunt, quatenus alii ex commixtione maris, & feminæ cum libidine concipiuntur.

Ad III. Sancti Patres totam efficaciam, seu virtutem activam conceptionis Christi soli Spiritui Sancto tribuunt; & hoc pacto Maria active per seminis effusionem non fuit operata. Absurdum enim plane videtur dicere, quod B.Virgo in Christi conceptione active concurrerit, & ad aliarum mulierum instar semen emiserit; quod docet S.Thomas 3.par. qu.3 1.art.6. 7.& 8.rationibus pluribus probans, quod in B. Virgine nulla fuerit facta seminis resolutio ratione ejus integerrimæ virginitatis; quæ quidem Angelici rationes Medicorum illorum ratiunculis præferri omnino debent.

Ad IV. Verba illa Lucæ explicantur a S.Thoma 3. par. qu. 12. ar.2. quod Christus proficiebat sapientia quoad actum, non vero quoad habitum. Quod confirmatur Nazianzeni authoritate orat.1. ad Cledonium, docentis, quod Christus licet fuisset ab initio cum omni gratia, ac sapientia, dotes tamen illas in dies magis expromebat. Unde in dies se magis admirandum redderet, tum apud homines, quorum salutem procurabat, tum apud Deum, cujus gloriam miraculorum virtute illustrabat.

Ad V. Concedimus Conceptionis opus quum sit ad extra toti Trinitati tribuendum esse; at per quandam loquutionis proprietatem illud Spiritui Sancto specialius adjudicandum esse, pronunciamus. Et hoc triplici ratione Angelicus Doctor probat 3.par.qu.32.art.1. in corpore; Primo, quia incarnatio est divini amoris opus, & amor peculiariter Spiritui Sancto tribuitur; Secundo, quia est opus maxime gratuitum, seu proveniens ex sola gratia Dei, & ob hoc etiam Spiritui Sancto adjudicari debet; Tertio, quia incarnatio valuit ad peculiarem Christi humanitatis sanctificationem; & sanctificatio est etiam proprium Spiritus Sancti opus.

Ad VI. Certum est inter Catholicos, concepisse Christum antequam Angelus ab ea discederet; disputant tamen de tempore, vel de verbis, post quæ facta est conceptio; aliqui enim dicunt factam esse post verba illa ab Angelo dicta: *Ave gra-*

gratia plena, Dominus tecum. Alii vero volunt, perfectam esse post verba a Virgine prolata: *Ecce Ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum*. Hanc sententiam defendit Suarez, ad quem legentes remittimus. Non tamen ex hoc legitime inferri potest, quod Spiritus Sanctus non concurrerit, quia B. Virgo per verba illa præbuit quidem assensum, ut perficeretur Incarnationis opus, ipsa tamen sola non perfecit.

Ad VII. Dicimus cum Estio, quod in hoc sensu dicitur, Christum fuisse conceptum per Spiritus Sancti operam, quod non opere virili, sed sola virtute, & operatione Spiritus Sancti conceptum, & formatum fuerit in Virginis utero corpus illud, quod in ipsa sui formatione assumptum est a Filio Dei.

Ad VIII. Quibuscumque adjectionibus positis, omnino dici non potest Spiritum Sanctum fuisse Christi Domini Patrem; quia, ut docet S. Bonaventura, simpliciter fugiendus est ille sermo, ne duos infinitate Patres agnoscamus, vel ne ipsum, & filium sui ipsius Patrem dicere, cogamur. Ceterum in Christi conceptione considerari potest & ipsa corporis formatio, & animatio; & ipsa corporis animati cum Divino Verbo unio. Hæc postrema proprie est incarnatio, & est, si spectetur ut actio, totius Trinitatis opus; Corporis vero formatio, & animatio, est opus Spiritus Sancti; ac demum humanæ naturæ terminatio, seu subsistentia, vel suppositatio, non est opus Spiritus Sancti, nec totius Trinitatis, sed est solius filii, qui solus dicitur factus homo.

DISSERTATIO CCXIII.

De Virginis erga cognatam Elisabeth visitatione. An fuerit civilis tantum, & officiosa, an religiosa & sacra? In qua Civitate fuerit facta? An perrexerit Virgo sola, an vero S. Josepho comite?

PRIMO. Imperator Julianus, impius Religionis nostræ desertor, & cum eo Porphirius, implacabilis nostræ pariter Religionis hostis, S. Lucam Evangelistam oscitantiæ redarguerunt, quod Civitatis nomen, ad quam Sanctissima Virgo cognatam Elisabetham visitatura, festinanus accessit, non expresserit; solummodo afferens, accessisse in Civitatem Juda, quæ in montanis posita inveniebatur. Asserit Baronius in Apparatu num. 77.

Secundo. Theophylactus, & Beda voluerunt, illa ipsa die, qua Virgo Angelicam salutationem accepit, nulla mora interposita, peregrinationem in montana suscepisse, seque itineri dedisse; & hoc, quia Lucas scribit, Virginem cum festinatione abiisse: *Et discessit ab illa Angelus. Exurgens autem Maria in diebus illis abiit in montana cum festinatione in Civitatem Juda*. Contrarium autem evincitur per hæc verba: *in diebus illis*; ex quibus Cornelius a Lapide infert: „ Non ergo „ eodem die, ut insinuat Theophylactus, „ Beda, & S. Ambrosius, quo salutata ab „ Angelo, Filium Dei concepit, & corporavit, abiit; sed post duos, vel tres dies, „ hos enim insumpsit contemplando, gratias agendo, orando, & dissuaviando „ eum Filio Dei, in se jam incarnato. Ita „ Franciscus Lucas, Baradius, & alii.„ Et Serry exercit. 28. „In illis, inquam, diebus; quæ loquendi formula susceptum „ iter innuit, non qua die Angelicam salutationem excepit, sed eo circiter tempore, ac post exactos dies aliquos; ne „ forte, si suis insalutatis abiret, suspicionem fugæ relinqueret „.

Tertio. Theophylactus, Euthymius, Bonaventura, putarunt, Virginem suscepisse iter erga montana explorandæ veritatis caussa; nimirum probatura, an Angelus ei vera nunciasset, quando dixerat: *Ecce Elisabeth cognata tua, & ipsa* con-

concepit filium in senectute sua, & hic mensis sextus est illi, quæ vocatur sterilis; vel, ut alii cum majori moderatione loquuntur, ut proprio experimento majorem quæreret certitudinem illorum, quæ ab Angelo audierat.

Quarto. Est plurium opinio apud præfatum Cornelium, S. Josephum non ivisse cum Virgine in peregrinatione illa; quam sequitur Serry; quum tamen aliorum apud Jansenium, Episcopum Gandavensem, sit sententia iter illud suscepisse Virginem, comite Josepho, Sponso, & Viro suo. Hæc addimus ex Cornelio a Lapide in cap. 1. Lucæ: „ Opinatur Jansenius, & alii, cum B. Virgine ivisse Josephum, utpote ejus sponsum, & maritum. Verius alii id negant: quia si Joseph ivisset cum ea, audisset utique illam ab Elisabetha salutari matrem Dei, ac proinde post reditum videns eam intumescente utero gravidam, non voluisset eam dimittere: quod tamen facere voluit, ut patet Matth. 1. v. 19. Joseph ergo domi cura rei familiaris detentus, B. Virgini Sponsæ suæ eunti in montana associavit ancillam, vel matronam quampiam gravem, quæ ei fidelis esset itineris comes, adjutrix, testis actionum omnium.„ Acrius autem, ac insolentius loquitur Serry, hæc scribens: „ Iter illam egisse, Josepho comite, vulgus putat: quod jam essent matrimonio juncti. At juncti licet essent, Josephum tamen ivisse comitem, non est verisimile. Liquet quippe ex Evangelio Matth. 1. v. 19. Josephum, Maria ex peregrinatione subinde reduce, divinæ illius fœcunditatis mysterium ignorasse; ac de illa sinistrum quidpiam fuisse suspicatum, ubi gravidam deprehendit, deque illa dimittenda cogitasse. Mysterium porro novisset, divinamque Sponsæ graviditatem intellexisset, si factus viæ comes, patrata in Zachariæ domo prodigia suis ipse oculis usurpasset, vocemque cognatæ Elisabethæ inaudisset: *Benedicta tu inter mulieres, & benedictus fructus ventris tui: & unde hoc mihi, ut veniat Mater Domini mei ad me?* Non ergo Josepho comite fecit iter: sed, vel sola fecit, ne quem secretorum, quæ tunc Deus volebat occulta, haberet conscium; vel, quod postulare videbatur honestas, & pudor, sumpta sibi socia prudenti, gravique matrona. Quod utrumque tamen incertum est. Quare castiganda omnino venit Pictorum audacia, qui, ubi officiosum illum Mariæ Virginis ad cognatam Elisabetham aditum adumbrant penicillo, ambasque matres inter se consultantes repræsentant; binos quoque Seniculos Josephum, & Zachariam mutuæ salutationis officium, invicem peragentes effingunt. Bina utique soliditate. Namque Joseph, ut probavimus, procul aberat: Zacharias vero surdus æque erat, ac mutus, peragendæ consultationi parum idoneus. Mutum quippe diserte testatur Evangelium Lucæ 1. v. 20. *Ecce eris tacens, & non poteris loqui usque in diem, quo hæc fiant*, seu nascatur filius. Surdum probat ejusdem capitis versiculus 26. *Innuebant Patri ejus, quem vellet vocari eum*: nutibus enim Zachariam interrogare non fuisset opus, nisi fuisset & surdus. Unde pro eo, quod in Vulgata legimus: *Eris tacens, & non poteris loqui* (quæ tautologia videtur esse) plerique Veterum legunt: *Eris surdus, & non poteris loqui*.„

Quinto. Pro Civitate, in quam se contulit B. Virgo, quando abiit in Montana ad salutandam Elisabeth, aliqui voluerunt fuisse Jerosolymam, alii Betlehem, alii Macherontem, alii Emmaus, plerique Hebronem, cui etiam est nomen Cariatharbe; & quæ sita est in montanis, & posita in Tribu Judæ, & in partitione terræ Sanctæ attributa fuit Sacerdotibus ad habitandum.

Sexto. Plures Hæretici exultationem Joannis in utero Matris suæ naturaliter factam fuisse, dixerunt; scilicet fuisse infantis saltum, qui provenerit ex exultatione Matris propter inopinatum adventum Virginis ad eam. Naturale enim putant, esse pueris in matrum utero existentibus, ut gaudio matribus gestientibus, ipsi quoque in utero moveantur, ac modo suo exiliant. Et quando mater dixit: Exultavit in gaudio infans in utero meo, Novatores ipsi intelligunt, quod in gaudio matris, non in suo, infans exultaverit, & tantum corporis, non animi, motu exilierit.

Septimo. Theologi quidam, quos refert Vincentius Regius in libro Elucidarii cap. 6. agnoscentes quidem Joannis exultationem præter naturam, ac miraculo factam, dicunt tamen motum illum, atque subsaltum ex conversione faciei Joannis erga Virginem, & Christum in ejus utero latentem accidisse. Credunt enim, quod ante Virginis adventum infans faciem obversam habebat erga Matris scapulas; in adventu deinde Virginis obvertit

venit faciem versus matris uterum, ut Christum adoraret; & ob hoc saltum illum fuisse factum.

Octavo. Plurimi existimant exultationem Joannis in utero provenisse ex rationis usu, quo Christum in Virginis utero novit; ac proinde illum illico Christum novisse; quod significatum dicunt ex verbis illis Lucæ v. 44. *Exultavit in gaudio infans*, Et v. 15. Spiritu Sancto replebitur adhuc ex utero Matris suæ. Hoc idem asserunt Origenes hom. 10. in Lucam, Irenæus lib. 3. adversus hæres. cap. 18. Chrysostomus hom. 2. de S. Joan. Ambrosius lib. 5. de fide cap. 4. & serm. 63. Hieronymus in Dialogo adversus Luciferianos, aliique apud Serry.

Dicimus I. B. Virginis visitationis officium erga cognatam Elisabeth fuisse religiosum & sacrum, ob motiva, quæ superaddimus; quorum fuit præcipuum sanctificatio Joannis in utero, quæ fuit plane miraculosa, non naturalis.

I. Probatur. Si B. Virgo dubitasset, & non credidisset Gabrielis dictis, Elisabeth non dixisset ei: *Beata, quæ credidisti, quoniam perficientur ea, quæ dicta sunt tibi a Domino*; ad quæ verba dixit Beda: *Vere beata, quæ Sacerdote præstantior* (Zachariam intelligit) *cum enim Sacerdos negasset, Virgo correxit errorem*. Unde Cornelius a Lapide rem explicans, ut nos intendimus ad cap. 1. Lucæ ver. 45. hæc, habet: Cognovit ergo Elisabeth per Spiritum Sanctum, B. Virginem credidisse Angelo nuncianti Christi conceptionem, & nativitatem. Et præ omnibus Ambrosius lib. 2. Comment. in Lucam, firmat hoc ipsum auctoritatis suæ calculo, dicens: *Ubi hoc audivit Maria, non quasi incredula de oraculo, nec quasi incerta de Nuntio, nec quasi dubitans de exemplo; sed quasi læta pro voto, religiosa pro officio, festina præ gaudio, in montana perrexit*.

II. Probatur. Non recte competiuntur in B. Virgine hesitatio, & firmitas in dictis angelicis fide danda; sed ex Evangelio habemus firmitudinem, qua angelicis dictis fidem præstitit: ergo excludenda est ab ea omnis hesitatio: ergo non perrexit in montana ad visitandam Elisabeth, ut seipsam de angelicis dictis redderet certiorem. Major est certa; quia in eodem intellectu, & de eodem objecto non compatiuntur fides, & dubium, cujus nomine venit hesitatio, maxime quando fides est divina; dubius enim in fide est infidelis. Minor vero probatur ex illis verbis, quæ Virgo Deipara Angelo nuncianti dixit: *Ecce Ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum*. Nec dicatur, quod Virgo credidit quæ dicta fuerant de seipsa, non vero de Elisabeth; nam si credidit, quod Virgo conceptura, & paritura erat, quod est difficilius, a fortiori credidit, quod vetula conceperat, & paritura etiam erat. Ceterum fides in omnibus esse debet integra; quia si in uno deficit nulla est.

III. Probatur. Si nos habemus sacra, & religiosa motiva, quæ B Virginem moverunt ad visitandum Elisabeth, non est ratio, ut dicamus, visitationem ejus fuisse civilem, & mere officiosam; sed hæc motiva ex Sanctis Patribus habemus: ergo &c. Probatur minor. Primum motivum adducit Cornelius a Lapide dicens: « Primo, ut Verbum in se conceptum aliis annuntiaret, ejusque gratiam eis aspiraret. Volebat enim Christus in ea incarnatus illico inchoare officium Salvatoris. ad quod a Patre missus erat ». Et ad hoc confirmandum adducit verba Ambrosii, quæ retulimus: *Abiit, non quasi incredula de oraculo, &c.* Secundum motivum fuit; idem Cornelius inquit, « ut Joannem a peccato originali expiaret, eunque cum Elisabetha Matre Spiritu Sancto impleret; sicque Christi honor, omniumque devotio cresceret »; Et Origenes confirmat homil. 7. in Lucam. *Jesus, qui in utero Virginis erat, Joannem adhuc in ventre matris positum sanctificare festinabat*. Tertium motivum fuit, prosequitur Cornelius, « ut Elisabethæ cognatæ suæ de concepto per miraculum Joanne congratularetur, eique gravidæ, & seni serviret, ideoque mansit cum ea toto reliquo tempore, quo gravida fuit, puta mensibus tribus, usque dum pareret Joannem. Ita Beda, & alii ». Quartum motivum fuit, ut B. Virgo daret omnibus charitatis, & humilitatis exemplum, a quo proinde plures in Ecclesia occasionem arripuerunt, ut similia peragerent, & in sodalitiis instituti sodales ad eadem peragenda obligarent. Denique hæc omnia concludit Cardinalis Toletus annot. 115. in c. 1. Lucæ, dicens, quod B. Virgo illi se itineri dedit, ut divinam voluntatem impleret. Sunt ejus verba: *Non habemus certitudinem ullam, neque ex Scriptura ipsa, neque ex traditione, nec ex Patrum doctrina, B. Virginem hæc omnia, quæ subinde per illam prodigialiter facta sunt, novisse tunc, cum*

pro-

profecto est. Ad quæ subdit Serry: „Unde ingens illi, in obeunda peregrinatione, fidei, & obedientiæ accessit meritum„.

IV. Probatur de Joannis exultatione miraculosa, non naturali. Joannis exultatio subsequuta est Virginis salutationem: ergo non fuit naturalis, proveniens scilicet ex matris gaudio, vel ejus ex sui corporis motu tantum, non animi. Antecedens legitur Lucæ 1. ver. 41. *Factum est, ut audivit salutationem Mariæ Elisabeth, exultavit infans in utero ejus, & repleta est Spiritu Sancto Elisabeth*. Consequentia sequitur; quia sicut ex salutatione Mariæ provenit exultatio Joannis, ita etiam repletio Spiritu Sancto in Elisabeth; sed hæc Spiritus Sancti plenitudo non fuit naturalis sed miraculosa: ergo & illa Joannis exultatio.

V. Probatur: Fuit facta promissio Zachariæ Lucæ 1. ver. 15. de Joanne: *Spiritu Sancto replebitur adhuc ex utero matris suæ*; Sed hoc adimpletum non fuit, nisi quando infans in utero matris suæ exultavit: ergo &c. Nec dici potest, quod ex matris gaudio provenerit Joannis exultatio; quum potius ex Joannis exultatione originem duxit matris gaudium; quod indicant verba illa Lucæ: *Ut audivit Salutationem Mariæ Elisabeth, exultavit infans in utero ejus, & repleta est Spiritu Sancto Elisabeth*. Et apertius confirmant Ambrosius & Augustinus; Ille lib. 2. Comment. in Lucam: *Exultavit infans, & repleta est mater. Non potius repleta Mater, quam filius; sed quum filius esset repletus Spiritus Sancto, replevit & matrem*. Augustinus vero Epist. 57. ad Dardanum, quæ modo est 187. *Repleta est Spiritu Sancto Elisabeth, quo procuidubio revelante, cognovit, quid illa exultatio significaret infantis: idest illius venisse Matrem, cujus præcursor ipse, & monstrator futurus esset*. Et post pauca: *Joannes nondum in hanc editus lucem, tamen exultavit in gaudio: quod utique nisi operatione Spiritus Sancti fieri potuisse, quis credat?*

VI. Probatur. Si exultatio Joannis provenit ex rationis usu, certe fuit miraculosa, & non naturalis; sed Patres docent, Joannem tunc habuisse rationis usum: ergo &c. Probatur minor. Hoc ipsum enim docent Origenes homil. 10. in Lucam, S. Irenæus lib. 3. adversus hæreses cap. 18. S. Joannes Chrysostomus hom. 2. de S. Joanne, Ambrosius lib. 5. de fide cap. 4., & serm. 63., Hieronymus in dialogo adversus Luciferianos, S. Leo serm. 4. de Epiphania, Cyrillus Jerosolymitanus catechesi 3., S. Gregorius Magnus lib. 7. moral. cap. 5., S. Maximus homil. 2. de nativit. S. Joannis, Petrus Chrysologus serm. 84., Bernardus serm. de nativit. S. Joannis, Euthymius, & Theophylactus in Comment. in Lucam; qui quidem Patres omnes rationis usum Joanni tribuunt, adhuc in matris utero existenti, & ibidem exultanti; quidam vero ex ipsis propheticum etiam lumen superaddunt, tunc illi fuisse a Deo inditum, quando Jesum in Virginis utero clausum agnovit, & præ gaudio illius exultavit.

VII. Probatur. Fuit exultatio illa non naturalis, sed miraculosa, si eadem fuit, aut effectus, aut signum Sanctificationis Joannis in utero; sed talis fuit: ergo &c. Probatur minor. Ex verbis illis Lucæ 1. *Spiritu Sancto replebitur adhuc ex utero Matris suæ*. Joannis in utero sanctificationem Patres inferunt; nimirum Origenes homil. 10. in Lucam: *Sancta erat anima B. Joannis, & adhuc in matris utero clausa, venturaque in Mundum, quasi per experientiæ sensum sciebat, quæ Israel ignorabat*. Cyprianus epist. 73. quæ est ad Jubajanum: *Gratia divina in utero matris Joannes impletur*. Athanasius serm. 4. contra Arianos: *Permulti fuerunt Sancti puri omnis criminis: Siquidem Jeremias in utero sanctificatus fuit, & Joannes, dum adhuc a gravida matre gestaretur, exultavit in gaudio ad vocem Deiparæ Virginis*. Cyrillus Jerosolymitanus catechesi 3. *Cum gestaretur in utero, a Spiritu Sancto sanctificatus est*. Ambrosius lib. 2. in Lucam: *In Joanne fuit prius spiritus gratiæ, quam vita*. Gregorius Magnus lib. 3. moral. cap. 5. *Intra matris uterо Spiritu prophetiæ repletus est, prius, ut ita dixerim, renatus, quam natus*. Petrus Damiani serm. 1. de Joanne Baptista: *Neminem unquam mortalium intra materna viscera sanctificatum legimus, præter Joannem Baptistam, & Jeremiam. Sed longe minor Jeremiæ sanctificatio, quam Joannis. Ille quidem in utero matris sanctificatus est, hic repletus Spiritu Sancto fuisse cognoscitur. Multo quippe excellentius est, Spiritu Sancto repleri, quam sanctificari. Ibi enim sanctificatio emundationem, hic repletio inundationem signat. Denique & Apostoli, qui moribus suis tractaverant de verbo vitæ, cum Spiritum Sanctum accepissent de Salvatoris afflatu, vix quinquagesimo a Resurrectionis die ad illum gradum potuerunt pervenire, ut diceretur de eis: Repleti sunt omnes Spiritu Sancto*. Et

licet

licet Spiritus Sanctus largiori tunc munere credentium corda repleverit; hoc tamen Joannes legitur in utero assequutus, quod Apostolica celsitudo tandem longiori permissione potuit obtinere.

VIII. Probatur. Usus rationis in Joanne non fuit momentaneus, ac transitorius, sed perseveravit usque ad ortum, ac deinceps; & gratia sanctificationis, quæ in eo fuit etiam regenerationis, per quam nimirum originalis culpa deletur; sed his positis, statim sequitur exultationem ejus fuisse non naturalem, sed supernaturalem: ergo &c. Minor patet; quia hæc omnia non naturaliter, sed supernaturaliter evenerunt; sed evenerunt in exultatione ejus in utero: ergo exultatio ejus in utero fuit miraculosa, non naturalis. Major principalis argumenti probatur authoritate Origenis, & Ambrosii. Ille siquidem homil. 9. in Lucam sic ait: *Si ex eo, quod tantum venit Maria ad Elisabeth, & salutavit eam, & exultavit infans in gaudio, & Spiritu Sancto plena Elisabeth prophetavit, & in una hora tantos profectus habuit: nostræ conjecturæ relinquitur, quid in tribus mensibus Joannes profecerit; assistente Maria Elisabethæ. Valde quippe indignum est, in puncto horæ, atque momento exultasse infantem, & quodammodo lascivisse, repletamque esse Spiritu Sancto Elisabeth; per tres vero menses nec Joannem, nec Elisabeth ex vicina Matris Domini, & ipsius Salvatoris præsentia profecisse.* Ambrosius vero lib. 2. Comment. in Lucam: *Non sola familiaritatis est causa, quod apud Elisabetham Maria diu mansit, sed etiam tanti Vatis profectus. Nam si primo ingressu tantus profectus extitit, ut ad salutationem Mariæ exultaret infans in utero, repleretur Spiritu Sancto Mater infantis: quantum putamus usu tanti temporis Sancta Mariæ addidisse præsentiam?* Hæc quantum ad primam partem majoris: quantum vero ad secundam partem ejusdem invicte probandam, adjungimus authoritatem Augustini, & Bernardi. Hic quidem epist. 57. ad Dardanum hæc habet: *Excepto angulari lapide Christo, non video quomodo ædificentur homines in domum Dei, ad habendum in se inhabitantem Deum, nisi cum fuerint renati: quod non possunt esse, antequam nati. Quamlibet itaque sententiam de prægnantibus, imo de hominibus habeamus adhuc intra materna viscera constitutis: utrum existimemus, eos donari posse aliquo sanctificationis modo, nec ne: vel propter Joannem, qui nondum in hanc editus lucem, tamen exultavit in gaudio: (quod utique nisi operatione Spiritus Sancti fieri potuisse, quis credat?) vel propter Jeremiam, cui Dominus dixit: Priusquam exires de vulva sanctificari te; tamen illa sanctificatio, qua efficimur, & singuli templa Dei, & in unum omnes templum Dei, non est nisi renatorum, quod nisi nati homines esse non possunt.* Ille vero epist. 174. *Certissime Spiritus Sanctus, quem replevit sanctificavit. Cæterum quatenus adversus originale peccatum hæc ipsa sanctificatio valuerit, sive pro isto, sive pro Jeremia, sive quis alius simili præventus est gratia, non temere dixerim. Sanctificatos tamen non dubitaverim dicere, quos Deus sanctificavit, & cum eadem sanctificatione prodisse ex utero, quam acceperunt in utero: nec reatum, quem in conceptione traxerunt, valuisse ullatenus horum natali jam donatam præpedire, seu præripere benedictionem. Attamen quis dicat: Spiritu Sancto repletum manere adhuc filium nihilominus iræ, & si mori in utero contigisset, cum hac plenitudine Spiritus pœnas luiturum damnationis? Durum est, Minime tamen ausim, hinc quidpiam mea sententia definire.*

Dicimus II. Civitatem Judæ, in qua facta fuit Visitatio hæc, fuisse Hebronem; & Comitem, quo iter illud eadem Virgo perfecit, fuisse B. Joseph.

Prima pars Conclusionis probatur I. Visitatio B. Virginis erga Cognatam Elisabeth, peracta in montanis Judæ, in illa Civitate facta est, quæ erat Civitas Sacerdotalis; sed in montanis non erat alia Civitas Sacerdotalis, quam Hebron: ergo Civitas, in qua facta est prædicta salutatio, fuit Hebron. Major patet, quia in Civitate illa habitabat Zacharias, qui erat Sacerdos de Tribu Levi, & de domo Aaron; ac proinde debebat esse Civitas Sacerdotalis; verum clarius constabit eadem major, sicut etiam & minor ex his, quæ habet Baronius in Apparatu num. 77. „Nemo quatenus sibi videatur Sapiens, instar Juliani, atque Porphirii divinum Historicum S. Lucam Evangelistam redarguat oscitantiæ, quod nomen Civitatis, quam incolebat Zacharias, ad quam Sanctissima Virgo festinans accessit, non exprimat; nam satis expressit, dum Civitatem Juda in Montanis positam, ibique Zachariam habitare scribit: sicque ob eam causam Civitatem Sacerdotalem fuisse demonstrans quænam esset, cum de nulla alia ambiguitas possit oriri, antonomastice signat. Sed ut hæc clariora reddantur, altius necesse est hi-

„ storiæ

„ storiæ principium peramus. Divisit ex „ instituto Moysis Josue tribui Levitica filiis Aaron quadraginta octo Civitates ad „ habitandum, easdemque non simul positas; sed quod e cæteris tribubus essent acceptæ e diversis Palæstinæ locis, ubi singulæ degerent, ab invicem longioribus „ interdum spatiis separatas. Cum itaque „ easdem Civitates fortirentur; prima, quæ „ egressa est sorte, data est familiæ Caath „ Levitici generis ex filiis Aaron, Civitas „ e tribu Juda, quæ Cariatharbe, aliter vero Hebron, sive Chebron est nominata, „ posita (ut eadem divina Scriptura testatur) in monte Juda, in qua quidem regione nulla alia erat civitas Sacerdotalis „.

II. Probatur. Civitas illa, de qua loquitur S. Lucas, non fuit Hierusalem, quia hæc non pertinebat ad tribum Juda, sed ad tribum Beniamin; non fuit Betlehem, quia hæc quanvis fuisset de tribu Juda, non erat tamen Civitas Sacerdotalis; non fuit Emmaus, quia nec etiam hæc erat Civitas Sacerdotalis; nec fuit Civitas Macherontis, quia hæc erat de tribu Ruben: ergo remanet, quod fuerit Hebron, quæ etiam dicitur Cariatharbe, quum hæc in montanis sita fuerit ad tribum Juda pertinuerit, & Civitas fuerit Sacerdotalis, in qua Zacharias habitabat. Prosequitur Baronius narrare Hebronis decora, nimirum, quod hæc Civitas, excepta Jerosolyma fuerit ceteris Urbibus Palestinæ excellentior; ibi enim habitavit Abraham, David est unctus, Patriarcharum sepulchra videbantur. Joseph antiquit. lib. 5. cap. 1. multa de ejus antiquitate scribit, quemadmodum etiam de bello judaico lib. 5. cap. 6., & Hieronymus de locis hebraicis hæc habet: *Est quercus Mambre, juxta Chebron, in qua usque ad ætatem infantia mea, & Constantii Regis imperium, terebinthus monstratur pervetus, & annos magnitudine indicans, sub qua habitavit Abraham; miro enim cultu ab Ethnicis habita est, & velut quodam insigni nomine consecrata*. Et epist. 27. *Ascendit Chebron, hæc est Cariatharbe, idest Oppidum virorum quatuor, Abraham, Isaac, Jacob, & Adam magni, quem ibi conditum, juxta librum Jesu Nave, Hebræi autumant, licet plerique Caleb quartum putent, cujus ex latere memoria monstratur*. Baronius vero hæc de eadem Civitate Hebron prosequitur, dicens citato loco: „ Qui vero regionis illius „ loca descripserunt, viginti duobus milliaribus Chebron ab Jerosolymis distare, „ testantur. Quomodo autem idem locus „ quod ibi fuisset quercus Mambre, ubi tres „ visi sunt Abrahæ Angeli, quorum unum adoravit, summa veneratione a Christianis, „ Judæis, pariterque Gentilibus haberetur, „ Sozomenus pluribus scribit. Sed de his „ nos suo loco deinceps habemus. Jam „ ex dictis satisfactum putamus de prætermisso nomine Civitatis, nimirum non „ incuriæ historici esse tribuendum: cum „ quod diximus, sufficienter eam nominasse „ videatur. Etenim cum dicat Zachariæ „ in illa sedem fuisse, constat Sacerdotalem „ fuisse Civitatem; cum vero adjiciat in „ montanis Juda sitam, Chebron necessario „ significatam esse apparet. Unde & certum est, errare illos, qui per Civitatem „ Juda in montanis positam, putant Jerosolymam esse intelligendam; nam non est „ annumerata inter Civitates Sacerdotales „ apud Josue Herusalem, quæ potius regia „ erat Civitas; quo tantum tempore vicis „ suæ Sacerdotes, qui in suis habitabant Civitatibus, accedere consueverunt. Burchardus autem in descriptione Terræ „ sanctæ, domum Zachariæ sic ponit in „ montanis Judææ, ut tamen ab Hebron, „ seu Chebron, novem leucis distare, eademque non in Civitate, sed in campestribus sitam dicat; at certe auctore Luca „ Evangelista, intra Civitatem Juda positam fuisse Zachariæ domum, non in „ campestribus, constat. Quæ autem „ (ut ad rem redeamus) ibi ea salutatione „ sunt facta, nempe quod infans in utero „ Elisabeth exultavit, simulque sanctificatus est, de Mariæ Cantico, spirituque „ prophetico, Joannis natali, atque Zachariæ recepta loquela, & gratiarum actione, „ exacte S. Lucas describit, ut non sit opus „ aliquid addere, vel verbis aliis recensere „.

Secunda Conclusionis pars probatur I. B. Joseph datus fuit B. Virgini, ut custos fidelis, ut comes individuus, ut adjutor fidissimus in omnibus operibus, ac laboribus ejus: ergo convenientissimum fuit, ut ipsam in itinere illo longo equidem, arduo, ac laborioso, comitaretur. Antecedens est fere Scriptorum omnium, & Patrum, qui de B. Josepho loquuntur, & scribunt. Consequentia sequitur; etenim in nullo alio opere, ac labore indigebat magis Maria Josephi Custodia, ac adjutorio, quam in itinere illo, quod suscipere debebat Virgo prægnans & sola.

II. Probatur. Qui nobis hæc in parte contradi-

tradicunt, sunt præcipue Serry, Graveson, & Cornelius a Lapide; sed hi omnes non alio argumento, quam negativo utuntur: ergo parum, vel nihil contra nos probant. Probatur minor. Serry in citata Exercitat. num. 4. hæc habet: „ Iter illam egisse, Josepho comite, Vulgus putat; quod jam essent matrimonio juncti. At juncti licet essent, Josephum tamen ivisse comitem, non est verisimile. „ Et post pauca: „ Non ergo Josepho comite fecit iter, sed vel sola fecit, ne quem secretorum, quæ tunc Deus volebat occulta, haberet conscium, vel quod postulare videbatur honestas, & pudor, sumpta sibi socia prudenti, gravique matrona; quod utrumque tamen incertum est. „ Hæc Serry. Graveson vero loco nuper citato hæc scribit: „ Huic itineri Mariam non quidem solam, & absque comite se dedisse certum est, sed quem itineris comitem habuerit, an Josephum maritum suum? An prudentem aliquam Matronam? Non liquet. Narrat dumtaxat Scriptura Sacra, Mariam Virginem, quoniam ex Angeli sermone didicerat, Elisabetham consubrinam suam, sextum jam mensem esse gravidam, relictis ædibus suis, profectam esse in montana, magnaque celeritate pervenisse in Civitatem Judæ, ubi habitabat Zacharias, Pater Joannis Baptistæ. „ Cornelius vero a Lapide inquit: „ Opinatur Jansenius, & alii, cum B. Virgine ivisse Josephum, utpote ejus Sponsum & maritum. Verius alii id negant: quia si Joseph ivisset cum ea, audisset utique illam ab Elisabetha salutari matrem Dei, ac proinde post reditum videns eam intumescente utero gravidam, non voluisset eam dimittere, quod tamen facere voluit, ut patet Matth. 1. ver. 19. Joseph ergo domi cura rei familiaris detentus, B. Virgini Sponsæ suæ cunti in montana associavit ancillam, vel matronam quampiam gravem, quæ ei fidelis esset itineris comes, adjutrix, testis actionum omnium. „ Ex quibus patet, quod, si quæ afferunt contra nostram conclusionem, omnia ad negativum argumentum reducuntur; quod quidem, & in nostris probationibus, & in responsionibus, quas dabimus ad argumenta, quæ objicientur, sufficienter, ni fallimur, diruemus.

Arguunt I. Lucæ 1. dicitur B. Virginem post angelicam salutationem *cum festinatione abiisse* statim ad visitandum Elisabeth: ergo illico post Angeli discessum B. Virgo abiit in montana. II. Genesis 25. legitur, Jacob, & Esau in utero matris Rebeccæ rixatos fuisse; sed ille motus naturalis fuit: ergo pariter exultatio Joannis naturalis fuit, non miraculosa. III. Augustinus epist. 77. quæ nunc est 187. ad Dardanum, & S. Eucherius Lugdunensis in quæst. in vetus, & novum Testamentum qu. 3. in Lucam, asserunt, Joannem Baptistam in matris utero rationis usum non habuisse: ergo male ex hoc infertur a nobis exultationem Joannis in utero non fuisse naturalem, sed miraculosam. IV. Dato, quod rationis usus datus fuisset Joanni in utero Matris suæ, ut Christum agnosceret qui in Virginis Matris utero existebat; non fuisset tamen necessarium, ut Joannes illum habuisset etiam per illos alios tres menses, quibus in utero permansit: ergo etiam si admitteretur in Joanne rationis usus in utero, ille tamen fuisset momentaneus, & transitorius, non vero permanens, & continuatus; & hoc vel eo magis, quia deinceps Christum præsentem non habuit. V. Quanvis admittatur, quod Joannes in utero sanctificatus fuerit, admitti tamen non debet, quod ibidem habuerit regenerationis gratiam; hæc enim datur natis, non vero non natis; & hoc maxime patet, quia per regenerationis gratiam renascimur: ergo jam supponimur nati; atqui Joannes natus non fuerat: ergo non poterat in utero renasci: ergo in utero regenerationis gratiam non habuit. VI. In montanis octo aliæ Civitates erant, quæ dicebantur Lobna, Jether, Estemo, Holon, Dabir, Ain, Jeta, & Bethulames; ut legitur Josue 21., & hæ omnes Civitates erant pro tribu Judæ: ergo non est ratio, ut nos restringamus ad Hebron, Civitatem Judæ in montanis, de qua loquitur Lucas, & non potius ad unam, aut alteram ex illis octo Civitatibus, quas diximus. VII. Julianus Apostata arguit oscitantiæ Evangelistam, quia proprio suo nomine Civitatem illam non designavit, sed dixit solum; abiisse Mariam in Montana in Civitatem Juda: ergo, vel necessarium erat eam nominare, & Lucas non nominavit, & sic nec nos debemus illam nominare, & Lucam accusare, sed potius defendere; vel necessarium non erat, & quum eam Lucas non nominaverit, nec nos debemus circa illam divinare. VIII. Si S. Joseph comitatus fuisset Virginem in itinere illo usque ad domum Elisabeth, jam ex ipsius verbis per-

cepisset, Virginem concepisse Christum; at hoc non percepit Joseph, nisi quando fuit ei ab Angelo nunciatum, quod quidem post menses aliquot, a visitatione illa evenit: ergo Joseph in itinere illo a Virgine suscepto ad visitandum Elisabeth non fuit Virginem comitatus. IX. Pictores exprimunt in visitatione illa Josephum loquentem cum Zacharia; atqui Zacharias tunc temporis erat mutus: ergo licentia Pictorum est, Josephum in Visitatione annumerare: ergo ex picturis desumi non potest argumentum, quod Joseph fuerit Virginis comes in itinere, & visitatione. X. Joseph debuit etiam audire canticum a Virgine in illa Visitatione dictum, scilicet: *Magnificat anima mea Dominum*; sed ex illo Cantico deprehendere jam debebat Verbi Dei Incarnationem in Virginis utero peractam: ergo si eam non cognovit in Visitatione cômes non fuit. XI. Cornelius a Lapide testatur, Patrum fere omnium sententiam esse, quod Joseph comes Virginis non fuerit, & Jansenium tantum docuisse, quod fuerit; atqui nos sequi debemus potius Patrum, quam solius Jansenii opinionem: ergo &c. XII. Probavimus nos Josephum comitem fuisse Virginis, quia indecens erat, ut Virgo sola, & sine comite pergeret; atqui ex hoc inferri non potest, quod Joseph fuerit ejus comes: ergo &c. Probatur minor. Dici potest, quod Virginem comitata fuerit aliqua pia Matrona, & Joseph in domo remanserit ad res domesticas procurandas; & ita de facto dicunt plures apud Graveson, Serry, Cornelium a Lapide, aliosque, quos retulimus supra: ergo &c.

Respondemus ad I. Festinationem non fuisse in susceptione itineris, sed in ipso itinere peragendo, seu in ipsa deambulatione, quatenus scilicet susceptum iter festinanter faciebat. Quod & ex verbis Lucæ clare deducitur; dicitur enim ibi: *Abiit in montana cum festinatione in Civitatem Juda*; ex quibus patet, eum festinatione abiisse, hoc est ambulasse; quam quidem itineris festinationem Origenes homil. 7. in Lucam Dei Verbo in Virginis utero existenti applicabat, dicens: *Jesus, qui in utero Virginis erat, Joannem adhuc in ventre matris positum sanctificare festinabat.* Bene autem ab Evangelista dicitur; *In illis diebus*, & non *in illa die*: ut ostendatur, iter a Virgine fuisse susceptum, ut ait Serry, non qua die angelicam salutationem accepit, sed eo circiter tempore, ac post exactos dies aliquot; ne forte, si suis insalutatis abiret, suspicionem fugæ relinqueret.

Ad II. Negatur minor; non enim naturalis fuit, sed mysteriosa rixa, quam in utero Matris Rebeccæ duo fratres Jacob, & Esau habuerunt. Quod vel maxime ex eo patet, quia Rebecca sentiens in utero parvulorum luctam, eam insolitam judicavit, & Dominum consuluit, ut ei, quid per illam voluisset significare dignaretur. Dominus autem dixit ei; per duos parvulos in ejus utero existentes significari duas gentes, seu duos populos, qui erant inter se pugnaturi, & quorum unus alterum superaret, & major minori serviret. En verba Genesis num. 22. & 23. ejusdem capitis 25. *Sed collidebantur in utero ejus parvuli; quæ ait: Si sic mihi futurum erat, quid necesse fuit concipere? Perrexitque ut consuleret Dominum; qui respondens, ait: Duæ gentes sunt in utero tuo, & duo populi ex ventre tuo dividentur, populusque populum superabit, & major serviet minori.*

Ad III. Augustinus quidem citata epistola dicit, Exultare in gaudio non solum esse parvulorum, sed etiam pecudum. Verum intelligendus est Augustinus non de exultatione in spirituali gaudio, qualis fuit illa Joannis, & quales non sunt pecudum exultationes, sed de exultatione materiali corporali, & ad naturalis machinæ instar, qualis est omnis brutorum motus. Deinde Augustinus quæstionem non definit in eadem epistola, sed eam indecisam relinquens, inquit: *Etiamsi usqueadeo in illo puero acceleratus est usus rationis, & voluntatis, ut intra viscera materna jam posset agnoscere, credere, consentire, quod in aliis parvulis ætas expectatur, ut possint: etiam hoc in miraculis habendum est divinæ potentiæ, non ad humanæ trahendum est exemplar naturæ.* Attamen deinde lib. 2. de consensu Evangelist. cap. 15. aperte asserit, quod in citata epistola, vel negando, vel dubitando differebat. Dicit enim, & probat, quod Joannes novit Christum, antequam videret columbam Christi capiti insidentem, quando eum baptizabat; *quia etiam in utero matris exultavit cum etiam ad Elisabetham Maria venisset.* Hæc autem ratio inanis esset, si Augustinus non cognovisset Joannis exultationem in utero ex rationis usu provenisse. Eucherius vero hanc sibi quæstionem proponit: *Ad adventum Matris Domini quomodo Joannes adhuc sensu carens, in utero, potuit exultare materno?* Et respondet,

Hoc

Hoc magis matris sensu, vel gaudio a quibusdam factum estimatur, ut etiam interioribus posset exultare visceribus. Aut certe, si hoc ad Joannem potius referre placet, inter miracula divina reputandum est. Quibus verbis innuit sententiam aliorum, qui dicunt, Joannem utpote sensu, & rationis usu carentem, matris gaudio exultasse; & postmodum ponit sententiam suam, asserens, Joannem suo ipsius gaudio exultasse, atque ita mentis, & voluntatis actum divinitus, & miraculose habuisse.

Ad IV. Origenes, & Ambrosius, in probationibus citati dicunt, quod in illis tribus mensibus Joannes profecit ob Mariæ præsentiam, & Christi etiam, qui in ejus utero existebat; profectus autem iste intelligi non potest sine mentis, & rationis usu. Quod autem eundem usum habuerit, quando natus est, & quod intellexerit jam recens natus Zachariæ Canticum, asserunt Origenes homil. 10. in Lucam: *Si dubitas, statim de utero matris effusum probe verba Patris audire, & scire, quid sit hoc, quod de se dicitur: Et tu puer Propheta Altissimi vocaberis: considera multo fuisse mirabilius, quod præcessit: Ecce ut facta est vox salutationis tuæ in aures meas, exultavit infans in gaudio in utero meo. Si enim in ventre matris conclusus audivit Jesum, & audiens exilivit, atque lætatus est: quare non credas, eum jam genitum prophetiam patris audire, & intelligere potuisse dicentem ad se: Et tu puer Propheta Excelsi vocaberis; antecedens enim coram Domino parare vias ejus?* Ambrosius vero lib. 2. Comment. in Lucam, exponens illud idem Canticum Zachariæ: *Sed fortasse aliqui quasi irrationabilem mentis excessum putant, quod Zacharias octo dierum alloquatur infantem. Verum si advertamus, intelligemus profecto, quod potuit vocem Patris natus audire, qui Mariæ salutationem, antequam nasceretur, audivit. Sciebat profecto alias esse aures Prophetæ, quæ Spiritu Dei, non corporis ætate reserantur. Habebat intelligendi sensum, qui exultandi habebat affectum.* Quibus subscribit etiam Theophylactus, eundem Evangelii locum exponens: *Rarum videtur, quod Zacharias ad puerum loquitur adhuc insensatum. Quomodo potuit loqui? Dicendum igitur, quod sicut raram, & admirabilem habuit nativitatem puer, qui exultavit, & prophetavit in utero ad adventum Mariæ; sic non est mirum, si etiam ea, quæ a Patre dicebantur, intellexit.* Nihilominus subjungit Serry quod „ Non sic tamen rationis usum „ continuatum habuisse Joannes putandus „ est, quasi ante solitos discretionis annos „ ad quæcunque intelligenda valeret: sed „ sola mysteria gratiæ, quorum notitia ad „ Præcursoris officium pertineret, hancque ipsam intelligentiam externis tunc „ actibus minime prodidisse. „

Ad V. Respondet Serry, quod „ Quanquam „ in communi regeneratione, quæ Baptismi Sacramento confertur, id locum habeat: quia eum salutaris unda nequit „ abluere, cujus, aut corpus integrum, aut „ pars illius aliqua extra uterum non prodierit; in ea tamen regeneratione, quæ „ occulta Dei virtute, ac miraculo fit, duplex secernenda nativitas est: altera quidem in utero, quæ & conceptio de more „ dicitur: altera ex utero, quæ nativitatis „ nomen vulgo sortitur; satisque, ut renasci in Christo quis quis possit, omnino „ est, si natus in utero fuerit, seu conceptus cum vel sic originali peccato teneatur, & gratiæ sanctificantis divinitus suscipiendæ sit capax. „

Ad VI. Ostendat Adversarius aliquam ex prænominatis Urbibus fuisse Sacerdotalem, qualem nos fuisse Hebronem, ostendimus; & tunc argumentum, ab eo propositum aliquantulum habebit roburis. At quum hoc non ostenderit, & Civitatem illam sacerdotalem fuisse, oporteat, nos jure merito nullam ex illis fuisse Civitatem, quam Lucas memorat, dicimus, sed tantum Hebronem, quæ & in montanis erat, & Civitas erat sacerdotalis. Cæterum, quia Adversario ipso, hoc est Serry, fatente, Hebron totius tribus Judæ Urbs erat maxima, ac etiam Tetrapolis, olim per septem annos Davidis regia, ac insuper sub Chananæis Imperii sedes omnium antiquissima; inde est, quod illam absque nomine proprio, sed Civitatis tantum Judæ titulo, quasi anthonomastice designavit.

Ad VII. Julianus de more insaniit, arguens oscitantiæ Evangelistam, quod Civitatem Judæ proprio nomine non expresserit; quum ei satis fuerit anthonomastice, ut dictum est, designasse. Etsi autem in tribu Juda plures fuerint Civitates Sacerdotibus assignatæ ad habitandum; Hebron tamen erat prima in montibus posita; sicque semper stat, quod omissis aliis Civitatibus, quæ in montanis erant, & etiam de tribu Juda, & forsitan quoque sacerdotales, Hebron tamen intelligenda veniat per Civitatem, quam Lucas antho-

anthonomastico nomine designavit, & quia præstans aliis, & quia præcipua, & quia prima inter Sacerdotales Urbes ex tribu Juda; ut dictum est.

Ad VIII. Deo difficile non erat facere, ut Joseph Elisabeth verba non audiret; vel si nolunt ad miracula confugere, quando præsertim, in domo illa fere omnia, quæ evenerant, miraculosa fuerant; possumus insuper superaddere, quod Joseph cum Zacharia detentus non audivit, quæ ab Elisabetha dicebantur.

Ad IX. Zacharias, quia mutus erat, nequibat cum Josepho per verba tractare; at quia cæcus non erat, poterat agere per signa; & hinc est, quod veteris picturæ traditionem defendimus, & non eam Pictorum audaciam cogitamus, ut Serry nimia licentia ductus, accusavit, scribens: „ Quare castiganda omnino venit Pictorum audacia, qui, ubi officiosum illud Mariæ Virginis ad cognatam Elisabetham aditum adumbrant penicillo, ambasque Matres inter se consalutantes repræsentant; binos quoque Seniculos Josephum, & Zachariam mutuæ salutationis officium invicem peragentes, effingunt. Bina utique stoliditate. Namque Joseph, ut probavimus, procul aberat, Zacharias vero surdus æque erat, ac mutus, peragendæ consultationi parum idoneus. Mutum quippe diserte testatur Evangelium Lucæ 1. vers. 20. *Ecce eris tacens, & non poteris loqui usque in diem, quo hæc fiant*, seu nascatur filius: Surdum probat ejusdem capitis versiculus 26. *Innuebant Patri ejus, quem vellet vocari eum*: nutibus enim Zachariam interrogare non fuisset opus, nisi fuisset & surdus. Unde pro eo quod in Vulgata legimus: *Eris tacens, & non poteris loqui* (quæ tautologia videtur esse) plerique Veterum legunt: *Eris surdus, & non poteris loqui*. „

Ad X. Eadem est responsio, ac ad VIII., nimirum vel quod Deus effecerit, ut Joseph Mariæ verba non audiret, ut remaneret adhuc peracti mysterii inscius usque ad diem, quam ipse designaverat, vel quod cum Zacharia alloquens per signa, non adverterit quæ Deipara canebat.

Ad XI. Cornelius a Lapide nominat Jansenium, & alios, qui quidem plures fuerunt, & antiqui, & moderni Doctores, ut legitur apud Sylveiram tom. 1. cap. 6. qu. 8. n. 24., & 25. Bavarus autem in S. Joseph historia §. 12. rationem assignat, quare S. Lucas Josephum non nominaverit, eumque non dixerit, in comitatu fuisse; nimirum, quod hoc supponendum omnino erat, absque eo quod ab altero diceretur; & quia Joseph vir erat tunc temporis Mariæ, & cum ea in eadem domo habitabat; & custos erat etiam illius, & adjutor in itineribus, & in laboribus, & quemadmodum eam comitatus est in aliis itineribus, quæ B. Virgo suscepit, ita pariter & in hoc comitatum fuisse eam, omnino tenere debemus.

Ad XII. Indecens erat, ut uxor, puella, & prægnans, modesta, & verecunda sine Sponso suo per iter trium dierum pergeret, & per Hierusalem transiret, & in ea templum intraret, Deum adoratura. Quævis enim Matrona nec illi poterat præstare auxilium, nec solatium, nec præsidium, quæ a Sanctissimo Sponso, ac viro suo poterat jure merito obtinere. Accedit denique traditio antiquissima Ecclesiæ, quæ exprimitur in vetustis imaginibus; quæ quidem spernenda non est.

DIS-

DISSERTATIO CCXIV.

De Nativitate Christi. An nativitas sit naturæ, vel personæ? An Christo præter æternam sit attribuenda nativitas temporalis? An in Christo sint duæ filiationes?

QUæstiones, tres, quæ in Dissertatione hac continentur, excitavit Angelicus 3. par. qu.35. ar.1. 2. & 5. Et quidem primam ea motus difficultate, quia in Christo persona non potuit esse creatæ nativitatis subjectum; quum enim hæc nativitas sit mutatio, nequit esse in persona, quæ est omnino immutabilis. Ex altera vero parte nativitas nequit esse naturæ in Christo, & quidem non naturæ divinæ, quæ est tantummodo a Patre, neque humanæ; quia aliter B.Virgo non diceretur Mater Dei, quum excluderetur persona, sed tantummodo mater Christi, ratione scilicet humanæ naturæ, quam a B.Virgine accepisset. Ideo S.Doctor dicit, nativitatem posse attribui alicui dupliciter, & sicut subjecto, & sicut termino: sicut subjecto attribuitur ei,quod nascitur; & hoc proprie est hypostasis, non natura: sicut termino attribuitur nativitas naturæ,quia terminus generationis, & cujuslibet nativitatis est forma, & natura per modum formæ significatur.

Pro secunda vero quæstione, quæ in secunda Dissertationis parte continetur, hæc altera difficultas insurgit, quia si Christo non attribuitur nativitas temporalis, illico deducitur, B. Virginem ejus matrem non fuisse: Si vero attribuitur, statim infertur: ergo Christus potest dici bis natus. Loquutio hæc dicitur falsa a Durando in 3. dist.8. qu.2. Attamen S.Thomas docet vere, & proprie Christum dici bis natum. Hoc ipsum docuit Magister sententiarum dist.8. & S.Bonaventura eadem dist. 8.

Pro tertia tandem quæstione, quam Dissertatio complectitur, Angelicus pariter docet, duas esse in Christo filiationes, quia duæ sunt in Christo nativitates. Attamen advertit, quod aliqui attendentes ad filiationis caussam, quæ est nativitas, duas in Christo volunt esse filiationes, sicut & duas nativitates: alii vero attendentes ad filiationis subjectum, quod est persona, vel hypostasis filii, unam dicunt in Christo esse filiationem, sicut & unam hypostasim, vel personam. His positis

Dicimus I. Nativitatem, si referatur ad subjectum, quod nascitur, proprie attribui personæ, vel hypostasi, non naturæ: si vero referatur ad terminum, attribui naturæ.

I. Probatur a S.Thoma. Nasci est quoddam generari; sed quod generatur, generatur, ut sit: ergo quod nascitur,nascitur etiam, ut sit; atqui esse est proprium rei subsistentis: ergo quod nascitur, si consideretur ut subjectum, est proprie hypostasis, vel natura. Probatur minor subsumpta. *Forma, quæ non subsistit*, sunt verba S. Thomæ, *dicitur esse solum, quia ea aliquid est; persona autem, vel hypostasis significatur per modum subsistentis; natura autem significatur per modum formæ,in qua aliquid subsistit. Et ideo nativitas tanquam subjecto nascenti proprie attribuitur personæ, vel hypostasi, non naturæ*. Et in hoc sensu adducit S. Doctor authoritatem Damasceni lib.3. de fide Orthodoxa cap.6. dicentis: *Nativitas hypostasis est, non natura*.

II. Probatur. Terminus nativitatis est natura: ergo nativitas tanquam termino attribuitur naturæ. Probatur antecedens. Terminus generationis, & cujuslibet nativitatis est forma; sed natura significatur per modum formæ: ergo terminus nativitatis est natura. Sic loquitur S.Thomas in Peripateticorum systemate; unde citat Aristotelem lib.2. Physicorum tex.14. dicentem, nativitatem esse viam in naturam, quia naturæ intensio terminatur ad formam, seu ad naturam speciei.

Dicimus II. Christo attribuendas esse duas nativitates; unam, qua æternaliter natus est a Patre; aliam, qua temporaliter natus est a matre. Ita S. Thomas.

I. Probatur ex Apostolo ad Hebræos 1. dicente: *Et cum iterum introduxit primogenitum in orbem terrarum*. Ad quæ verba subdit Suarez: per nativitatem enim tem-

temporalem dicitur filius Dei iterum introductus in Orbem terrarum: igitur particula *iterum* alteram importat nativitatem, quæ esse non potuit nisi temporalis.

II. Probatur ex Fulgentio lib. de fide ad Petrum cap. 2., qui quidem liber citatur a S. Thoma sub nomine Augustini, quia Augustino fuit quidem, se falso attributus, quum re vera Fulgentii sit legitimus fœtus ac genuinus. Ait igitur Fulgentius: Natus est semel ex Patre, & semel ex Matre: ergo re vera Christus bis natus est; & per consequens in illo termino *bis* numeratur duplex Christi nativitas. Quod explicat Suarez 3. par. qu. 35. art. 2. in commentario, dicens: „ Quatenus enim „ ratione saltem analoga nativitatis conveniunt, & inter se distinguntur, numerari „ illo modo possunt: nec necesse est, ut sub „ eadem mensura comprehendantur, neque „ ut altera interrupta sit, seu cessaverit, hæc „ enim accidentaria sunt: per se vero sufficit, ut re ipsa origines distinctæ sint, & „ earum etiam durationes. Ut recte diceretur hic aer bis illuminatus, si postquam „ ab uno agente lumen in illo productum „ est, aliud lumen ab alio introduceretur, „ priori illuminatione non interrupta, sed „ durante „.

III. Probatur ex Damasceno lib. 3. de fide orthodoxa cap. 7. in medio: *Confitemur duas Christi nativitates; unam, quæ est ex Patre, æternam, & unam, quæ est in ultimis temporibus propter nos*: ergo vere Christo attribuenda est nativitas temporalis.

IV. Probatur a S. Thoma. Natura comparatur ad nativitatem, sicut terminus ad motum, vel mutationem; sed motus diversificatur secundum diversitatem terminorum: ergo nativitas multiplicatur secundum multiplicationem naturarum; atqui in Christo sunt duæ naturæ, divina scilicet, & humana, quarum unam accepit ab æterno a Patre, alteram accepit temporaliter a matre: ergo oportet attribuere Christo duas nativitates, unam, qua æternaliter natus est a Patre, aliam, qua temporaliter natus est a Matre.

Dicimus III., attendendo caussam filiationis, quæ est nativitas, admitti debent in Christo duæ filiationes, sicuti sunt duæ nativitates: attendendo vero ad subjectum filiationis, quod est persona, vel hypostasis Filii, admitti debet in Christo una tantum filiatio, sicuti est una tantum hypostasis, vel persona.

I. Probatur ratione, & verbis S. Thomæ: „ Unitas enim relationis, vel ejus pluralitas non attenditur secundum terminos, „ sed secundum causam, vel subjectum. Si „ enim secundum terminos attenderetur, „ oporteret, quod quilibet homo in se duas „ filiationes haberet: unam, qua referretur ad patrem; & aliam, qua referretur „ ad matrem. Sed recte consideranti apparet eadem relatione referri unumquemque ad suum patrem, & matrem propter „ unitatem causæ: eadem enim nativitate „ homo nascitur ex patre, & matre, unde „ eadem relatione ad utrumque refertur. „ Et eadem ratio est de magistro, qui docet „ multos discipulos eadem doctrina: & de „ domino, qui gubernat diversos subjectos „ eadem potestate. Si vero sint causæ diversæ speciei differentes, ex consequenti „ videtur etiam relationes specie differre, „ unde nihil prohibet, plures tales relationes eidem inesse: Sicut si aliquis est aliquorum magister in Grammatica, & aliorum in Logica, alia est ratio magisterii „ utriusque, & ideo, relationibus diversis, „ unus & idem homo potest esse magister, „ vel diversorum, vel eorundem secundum „ diversas doctrinas. Contingit autem „ quandoque, quod aliquis habet relationem ad plures secundum diversas causas, „ ejusdem tamen speciei: sicut cum aliquis „ est pater diversorum filiorum secundum „ diversos generationis actus: unde paternitas non potest specie differre, cum „ actus generationum sint iidem specie. Et „ quia plures formæ ejusdem speciei non „ possunt simul inesse eidem subjecto: non „ est possibile, quod sint plures paternitates in eo, qui est pater plurium filiorum „ generatione naturali. Secus autem esset, „ si esset pater unius generatione naturali, „ & alterius per adoptionem. Manifestum „ autem est, quod non una, & eadem nativitate Christus est natus ex Patre ab æterno, & ex matre ex tempore, nec nativitas est unius speciei; unde quantum ad „ hoc, oportet dicere, in Christo esse diversas filiationes, unam temporalem, & „ aliam æternam. Sed quia subjectum filiationis non est natura, aut pars naturæ, „ sed solum persona, vel hypostasis, in „ Christo autem non est hypostasis, vel „ persona, nisi æterna: non potest in „ Christo esse aliqua filiatio, nisi quæ sit in „ hypostasi æterna. Omnis autem relatio, „ quæ ex tempore de Deo dicitur, non „ ponit in ipso Deo æterno aliquid secundum rem, sed secundum rationem tantum, sicut in prima parte habitum est. Et

„ ideo

„ ideo filiatio, qua Christus refertur ad matrem, non potest esse realis relatio; sed „ solum secundum rationem. Et sic quantum ad aliquid, utraque opinio verum „ dicit, nam si attendamus ad perfectas „ rationes filiationis oportet dicere duas „ filiationes, secundum qualitatem nativitatum. Si autem attendamus ad subjectum filiationis, quod non potest esse, „ nisi suppositum æternum, non potest in „ Christo esse realiter, nisi filiatio æterna. „ Dicitur tamen relative filius ad matrem „ relatione, quæ cointelligitur relationi „ maternitatis ad Christum. Sicut etiam „ Deus dicitur Dominus relatione, quæ „ cointelligitur reali relationi, qua creatura subjicitur Deo. Et quamvis relatio „ dominii non sit realis in Deo, dicitur „ tamen realiter dominus, ex reali subjectione creaturæ ad Ipsum. Et similiter „ Christus dicitur realiter filius Virginis „ Matris, ex relatione reali maternitatis „ ad Christum „.

II. Probatur ex eodem, qui citat S. Damascenum lib. 3. de orthodoxa fide cap. 13. dicentem, quod in Christo multiplicantur ea, quæ sunt naturæ, non vero ea, quæ sunt personæ; sed filiatio maxime pertinet ad personam: ergo non multiplicatur in Christo. Minor patet; quia filiatio est proprietas personalis. Ac proinde in Christo una tantum est filiatio; & hoc quidem ratione subjecti filiationis, quod est persona, vel hypostasis filii, ut diximus; quamvis ratione caussæ filiationis, quæ est nativitas, duæ sint in Christo filiationes, sicut duæ sunt nativitates, ut dictum est.

Arguunt I. ex Augustino, vel potius ex Fulgentio lib. de fide ad Petrum cap. 40. in medio, ubi dicit, quod natura æterna, & divina non possit concipi, & nasci ex humana natura, nisi secundum veritatem humanæ naturæ: ergo si convenit divinæ naturæ concipi, & nasci ratione humanæ naturæ, multo magis convenit humanæ naturæ. II. Nomen naturæ desumitur a nascendo: ergo nativitas multo magis pertinet ad naturam, quam ad personam. Probatur consequentia; quia denominationes fiunt secundum similitudinis convenientiam. III. Illud proprie nascitur, quod per nativitatem incipit esse; Sed per nativitatem incepit esse humana natura, non vero persona Christi: ergo nativitas proprie pertinet ad naturam non ad personam. IV. Nativitas importat motum rei, quæ non existat antequam nascatur, & quæ deinde per nativitatem existit; sed Christus fuit semper ab æterno: ergo non potuit temporaliter nasci. V. Nativitas perficit rem, quæ nascitur: ergo quod est in se perfectum non indiget nativitate; sed Christus fuit ab æterno perfectus: ergo temporali nativitate non eguit: ergo non fuit temporaliter natus. VI. Nativitas proprie convenit personæ; sed in Christo est una persona: ergo in Christo est una nativitas. VII. Propositio hæc: Christus est bis natus, falsa est: ergo Christus non habuit duplicem nativitatem; consequentia sequitur; quod enim nascitur duplici nativitate bis nascitur. Antecedens probatur. Nativitas Christi, qua natus est de Patre non patitur interruptionem, quia est æterna; sed ad verificandum *bis* requiritur interruptio inter primum & alterum: ergo propositio illa falsa est. Probatur minor; quia ille dicitur bis comedere, loqui, deambulare, qui cum interruptione comedit, loquitur, atque deambulat. VIII. In Christo sunt duæ nativitates: ergo sunt duæ filiationes. Antecedens constat ex secunda Conclusione; consequentia probatur. Nativitas est caussa filiationis; sed in Christo sunt duæ nativitates: ergo in Christo sunt duæ filiationes. IX. Filiatio importat quandam dependentiam a Patre, vel a matre; sed Christus per filiationem æternam non dependet a matre; & ex alia parte a matre dependet: ergo oportet dicere, quod per aliam filiationem dependet: ergo in Christo præter filiationem æternam, datur alia filiatio, quæ est temporalis: ergo in Christo sunt duæ filiationes. X. Christus dicitur filius Patris æterni, & dicitur etiam filius matris temporalis; sed Pater æternus, & Mater temporalis sunt termini omnino diversi: ergo non potest Christus per eandem filiationem dici filius Patris, & Matris: ergo sunt duæ filiationes in Christo.

Respondemus ad I. Propter identitatem, quæ in divinis est inter naturam, & personam, aliquando natura ponitur pro persona. Et hinc est, quod Fulgentius dicit, naturam divinam esse conceptam, & natam, quia persona Filii secundum humanam naturam est concepta, & nata. De hoc plura alia sunt exempla de aliquibus, quæ conveniunt tantum personæ, & nihilominus naturæ divinæ etiam tribuuntur, ratione scilicet identitatis personæ cum natura divina.

Ad

Ad II. Dicit Angelicus, quod nullus motus seu mutatio denominatur a subjecto, quod movetur, sed a termino motus, a quo speciem habet; & ex hoc deducit, quod nativitas denominari non debet a persona, quæ nascitur, sed a natura, ad quam nativitas terminatur; quamvis postea verum sit, nativitatem non esse naturæ, sed personæ. Diversa enim sunt aliquod ab alio denominari, & ad illud pertinere; quum denominationes plerunque ex alio capite fiant, ut in præsenti dictum est.

Ad III. Idem S.Doctor respondet quod natura proprie loquendo non incipit esse, sed potius persona in aliqua natura esse incipit. Et rationem adducit, quia per naturam significatur id, quo aliquid est; per personam vero significatur id, quod habet esse subsistens. Quanvis enim & natura & persona per nativitatem incipiant esse, non tamen sub eadem ratione esse incipiunt; quia persona est illa, quæ proprie incipit esse, quanvis incipiat esse per naturam; unde semper stat, quod persona proprie dicatur nasci, non vero natura; & de facto dicimus, quod per nativitatem homo, nascitur, cujus nomine venit persona, non vero humana natura.

Ad IV. dicit S.Thomas, hanc fuisse objectionem cujusdam Feliciani hæretici, quam Augustinus in lib. contra eundem Felicianum cap. 12. paulo post principium, refert, & illi respondet: *Fingamus, sicut plerique volunt, esse in mundo animam generalem, quem sic ineffabili motu semina cuncta vivificet, ut non sit concreta cum genitis, sed vitam præstet ipsa gignendis. Nempe cum hæc in uterum, passibilem materiam ad usus suos formatura pervenerit, unam facit secum esse personam ejus rei, quam non eandem constat habere substantiam: & fit operante anima, & patiente materia, ex duabus substantiis unus homo. Sicque animam nasci fatemur ex utero, non quia antequam nasceretur, quantum ad se attinet, ipsa penitus non fuisset. Sic ergo, imo sublimius, natus est de Matre Filius Dei secundum hominem, eo pacto, quo cum corpore nasci docetur & animus: non quia utriusque sit una substantia, sed quia ex utraque fit una persona. Non tamen ab initio carnis incepisse dicimus Filium Dei, ne temporalem credat aliquis Deitatem: non ab æterno Filii Dei novimus carnem, ne non veritatem humani corporis, sed quandam eum suscepisse putemus imaginem.*

Ad V. Hanc fuisse rationem Nestorii, quam solvit Cyrillus in epist. ad Nestorium, quæ refertur in Concilio Chalcedonensi act. 1. asserit S.Thomas, qui & Cyrilli verba refert, quæ sunt: *Non dicimus, quod Filius Dei indigueris necessario propter se secunda nativitate post eam, quæ ex Patre est, est enim fatuum, & indoctum, existentem ante omnia secula, & coæternum Patri indigere dicere initio, ut sit secundo. Quoniam autem propter nos, & propter nostram salutem uniens sibi secundum subsistentiam, quod est humanum, processit ex muliere, ob hoc dicitur nasci carnaliter.*

Ad VI. Distinguitur major: Nativitas est personæ, ut subjecti, & naturæ, ut termini, conceditur, diverso modo negatur. Non enim est repugnans, ut uni subjecto plures transmutationes insint, quas tamen necesse est variari secundum terminos diversos. Subdit nihiluminus Angelicus, hoc non dici, quasi æterna nativitas sit transmutatio, aut motus, sed quia per modum mutationis, aut motus significatur.

Ad VII. Negat S.Thomas propositionem illam esse falsam; dicit enim, quod Christus potest dici bis natus secundum duas nativitates. Et quanvis Durandus in 3. dist.8. qu.2. neget propositionem illam esse veram, quatenus terminus *bis* numeret solum actiones, quæ in eadem mensura successive fiunt, & per interruptionem multiplicantur; Christi vero æterna nativitas, & temporalis non sunt in eadem mensura, nec illa interrupta est, sed semper durat; sicut non dicitur aliquis bis legisse libros, etiamsi simul duos libros legat, nec bis vidisse Deum, etiamsi duobus actibus videat, ut ex Durando refert Suarez: nihilominus idem Suarez propugnat cum S. Thoma vere & proprie Christum dici bis natum. Et ratio illius est „Quia in illo termino *bis* tan-
„ tum numeratur duplex Christi nativitas.
„ Quatenus enim in ratione saltem analo-
„ ga nativitatis conveniunt, & inter se di-
„ stinguntur, numerari illo modo possunt:
„ nec necesse est, ut sub eadem mensura
„ comprehendantur, neque ut altera inter-
„ rupta sit, seu cessaverit, hæc enim acci-
„ dentaria sunt: per se vero sufficit, ut re
„ ipsa origines distinctæ sint, & earum
„ etiam durationes. Ut recte diceretur hic
„ aer bis illuminatus, si postquam ab uno
„ agente lumen in illo productum est,
„ aliud lumen ab alio introduceretur, prio-

„ ri

„ ri illuminatione non interrupta, sed durante „.

Ad VIII. Negatur consequentia, ad probationem dicit S. Thomas, quod nativitas temporalis caussaret in Christo temporalem filiationem realem, si ibi esset subjectum capax ejusdem filiationis. Hoc autem esse non potest, quia suppositum æternum non potest esse susceptivum relationis temporalis. Nec officit, quod sit susceptivum filiationis temporalis, ratione humanæ naturæ, sicut pariter temporalis nativitatis; quia opus foret, ut humana natura esset aliqualiter subjecta filiationi, sicut est aliqualiter subjecta nativitati. At humana natura nullo modo potest esse subjectum filiationis, quia hæc relatio directe respicit personam.

Ad IX. Certum est, quod filiatio æterna non dependet a matre temporali; attamen negari non potest, ut huic filiationi æternæ cointelligitur quidam respectus temporalis, dependens a matre, secundum quem, Christus dicitur filius matris. Hæc est responsio, & hæc sunt verba S. Thomæ, per quæ intelligit dicere, quod Christus ratione hypostasis, quum sit filius & Patris æterni, & Matris temporalis, una enim est hypostasis, per eandem quoque dicit respectum quanvis diversum, & ad Patrem æternum, & ad Matrem naturalem. Et quia cum illa hypostasi est identificata natura divina, & est unita humana natura; inde est, quod Christus per filiationem temporalem dicit omnino respectum ad Matrem temporalem, aliqualem vero respectum dicit etiam per filiationem æternam.

Ad X. Dicit Angelicus, quod quantum ad aliquid, in Christo est una tantum filiatio realis, quæ respicit Patrem æternum, est tamen ibi alius respectus temporalis, qui respicit Matrem temporalem. Adducit exemplum, quod est hoc: *Sicut in hominibus ex parte parentum invenitur duplex relatio, una paternitatis, & alia maternitatis, quæ sunt specie differentes, propter hoc, quod alia ratione pater, & alia ratione mater est generationis principium. Si vero essent plures, eadem ratione, principium unius actionis (puta cum multi simul trahunt navem) in omnibus esset una, & eadem relatio. Ex parte autem prolis est una sola filiatio secundum rem: sed duplex secundum rationem, in quantum correspondet utrique relationi parentum, secundum duos respectus intellectus.*

DISSERTATIO CCXV.

De Nativitate Christi. An Christus Jesus clauso Mariæ Virginis utero natus sit? An absque Matris Virginis dolore, atque molestia? Num absque secundinis, seu membranis, fuerit in utero fotus, & de utero emissus? Et an quoque sine sordibus puerperii ex eodem utero prodierit?

PRIMO. Henricus Bullingerus negat penetrationem corporum, divinitus factâ, adeoque inficiatur omnino, & Christum Jesum clauso Mariæ Virginis utero natum esse, clauso monumento resurrexisse, & clausis Januis ad discipulos intrasse. Sunt ejus verba ad cap. 20. Joannis: „Vel „ Angelum fores Christo aperuisse, sicut „ in Actis Petro contigit: vel Christi potentiam invenisse modum ingrediendi, „ non adversum naturæ, & substantiæ corporis sui veri: ut non sit opus comminisci per miraculum duo corpora in eodem „ fuisse loco, aut corpus Domini nullo circumscribi loco „. Eidem subscribunt Benedictus Alesius ad cap. 21. Joannis, Lodolphus, Gualterus lib. de Incarnat. fol. 82. Theodorus Beza in Threophacia, aliisque in locis, omnes heterodoxi, aliique ex iisdem.

Secundo. Alii dixerunt, Christum exiisse quidem clauso Virginis utero, at prodiisse tamen ex latere Matris aperto. Contra hos invicte dimicant Epiphanius hæresi

resi 69. & 77.; Nazianzenus epist. ad Cledonium, Chrysostomus hom. 49. in Genesim, Damascenus lib.4.de fide Orthodoxa cap.15.

Tertio, Alii volunt momento temporis, quo Christus prodiit pudoris claustra in Virgine fuisse aperta; Sic tamen ut Christus integritatem omnem prodeundo sarciret. Contra hos pugnat Goffridus, Abbas Vindocinensis serm.4. de nativit. Domini.

Quarto. Gotfredus Quodlibeto 7. qu.6. dixit Christum non fuisse natum transeundo per medium, sed ab extremo in extremum immediate transiliendo. Refert Suarez 3.par. qu.35. art.8,disp.13. sect.1. subdens, quod hoc facilius ei visum est, quam quod inter jacentia corpora penetraverit absque ruptione. Et concludit, hanc sententiam inter alias referre Durandum in 4.dist.44. qu.7., & illi non admodum displicuisse.

Quinto. Alii post Joannem Mayronium in 3. dist.4. qu.unica art.6. dixerunt, Corpus Christi fuisse in Virginis utero localiter inextensum, eo modo, quo in Eucharistiæ Sacramento sub panis speciebus continetur; & proinde illæsis Virginei pudoris claustris e Virginis utero exivit. Referunt Graveson de Mysteriis, & annis Christi Dissert. 1. concl.2., & Serry exercit.29.

Sexto. Ecclesiæ Patres patratum miraculum unanimiter fatentur, asserentes nimirum Christum Jesum clauso Mariæ Virginis utero natum fuisse. Et insuper docent, miraculum in eo fuisse, quod Christus exierit uteri, & virginalis claustri penetratione; scilicet illo eodem modo, quo Christus clauso monumento resurrexit, & clauso Ostio ad Apostolos intravit.

Dicimus I. Christum Jesum clauso B.Mariæ Virginis utero esse natum; uteri nimirum, & claustri virginalis penetratione.

I. Probatur ex Scripturis. Isaiæ 7. *Ecce Virgo concipiet, & pariet*: ergo tam Virgo fuit concipiendo, quam pariendo: ergo quemadmodum clauso utero concepit, ita pariter clauso utero peperit. Hæc autem verba de Maria fuisse prædicta, testatur Matthæus cap. 1., qui postquam dixit Angelum suasisse Josepho, ut acciperet Mariam conjugem suam, quia quod in ea natum erat, de Spiritu Sancto erat, & filius, quem in ventre portabat, redempturus esset a peccatis populum suum; subjunxit: *Hoc autem totum factum est, ut adimpleretur quod dictum est a Domino per Prophetam dicentem: Ecce Virgo in utero habebit, & pariet filium, & vocabunt nomen ejus Emmanuel*. Addit Vasquez quod non pauci Patres censent, hoc testimonium Isaiæ allegatum fuisse Josepho ab Angelo, ut suaderet ei accipere Mariam, & eam excusaret. Sicque ait verba illa interpretatos fuisse Iræneum lib.4. adver. hæres. cap. 40. ante medium, Chrysostomum homil.5.in Matth. Theophylactum in cap.1. Matthæi, Augustinum, vel quicunque sit author sermonis 18. de tempore. Ezechielis 44. *Porta hæc clausa erit, & non aperietur, & vir non intrabit per eam, quoniam Dominus Deus Israel ingressus est per eam*. Ad quæ verba Ambrosius inquit lib.de instit. Virginis cap.7. *Porta igitur Maria, per quam Christus intravit in hunc mundum, quando virginali fusus est partu, & genitalia virginitatis claustra non solvit, mansit intemeratum septum pudoris, & inviolata integritatis duravere signacula, cum exiret ex Virgine*. Cui subscribunt Augustinus lib. 22. de Civit. Dei cap. 8. Gregorius Magnus homil.26. in Evangel. Theodoretus Dialog.2. S.Maximus Taurinensis homil. 2. de Nativit. Fulgentius de fide ad Petrum cap.2.

II. Probatur ex Romanis Pontificibus. Leo Magnus epist.11. ad Flavianum: *Non ita intelligenda est illa generatio singulariter mirabilis, & mirabiliter singularis, ut per novitatem creationis proprietas remota sit generis*. Quibus addit Suarez: „ Quæ
„ verba tam ad Conceptionem, quam ad
„ partum accommodari possunt „. Et ser.2. de nativitate: *Merito igitur virgineæ integritati nihil corruptionis intulit partus salutis*. Et infra: *Oportuit enim, ut primam genitricis integritatem nascens incorruptio custodiret, & complacitum sibi claustrum pudoris, & sanctitatis hospitium divini Spiritus virtus infusa servaret, quæ statuerat dejecta erigere, confracta solidare, &c.* Gregorius Magnus hom.26. in Evang. *Prima lectionis hujus Evangelicæ quæstio animum pulsat, quomodo post resurrectionem corpus Dominicum verum fuit, quod clausis januis ad Discipulos ingredi potuit. Sed sciendum nobis est, quod divina operatio, si ratione comprehenditur, non est admirabilis. Nec fides habet meritum, cui humana ratio præbet experimentum. Sed hæc ipsa nostri Redemptoris opera, quæ ex semetipsis comprehendi nequaquam possunt, ex alia ejus operatione pensanda sunt, ut rebus mirabilibus fidem præbeant, facta mirabiliora. Illud*

enim

enim corpus Domini intravit ad Discipulos januis clausis, quod videlicet ad humanos oculos per nativitatem suam clauso exiit utero Virginis. Quid ergo mirum, si januis clausis post resurrectionem suam in æternum jam victurus intravit, qui moriturus veniens, non aperto utero Virginis exivit?

III. Probatur ex Conciliis. In Concilio Ephesino adducitur, & recipitur epistola Cyrilli ad Nestorium, quæ est I. & in ea sic legitur: *Verbum Dei sustinuisse generationem carnalem, carnis suæ nativitatem suam faciens, & ideo vere prodiisse ex Virgine, & natum esse carnaliter.* In eodem Concilio Ephesino legitur homil. de Christi natiuitate, quæ est Procli, Episcopi Cizeceni: *Quod si ea, quæ genuit, Virgo non permansit, neque is, qui natus est, aliud quam purus homo extitit, atque ita partus ille nihil admiratione dignum habebit. Quod si illa vero in partu, & post partum Virginitatem illæsam retinuit, is citra omnem controversiam arcano modo ex ea ortus est, quem cum per clausas januas ingressus esset, Apostolus Thomas in gemina natura subsistentem agnovit.* Et in fine expressit: *Naturæ portas reseravit Emanuel, ut homo; sed virginitatis claustra non violavit, neque prærupit ut Deus: ita enim ex utero est egressus, sicut per aurem ingressus, ita natus, sicut conceptus, qui impatibiliter fuerat illapsus, ineffabiliter est elapsus.* Cathechismus Concilii Tridentini: *Nascitur Christus ex Matre sine ulla maternæ Virginitatis diminutione, & quomodo postea ex sepulchro clauso, & obsignato egressus est, atque ad Discipulos januis clausis introivit &c.*

IV. Probatur ex Patribus Græcis. Epiphanius, vel quisquis alius sit author orationis de Christi Salvatoris sepultura: *Quemadmodum Christus Jesus naturalibus virgineæ naturæ claustris omnino integris, uteroque materno undequaque clauso, ex Virgine in lucem prodiit: ita idem ille, sepulchri signaculis nequaquam reseratis, ex mortuis resurrexit.* Chrysostomus homil. de Joanne Baptista; *Sancta Maria, B. Mariæ, mater, & virgo, virgo fuit ante partum, virgo post partum. Ego hoc miror, quomodo de Virgine virgo natus sit, & post nativitatem Virginis mater virgo sit. Vultis scire, quomodo de Virgine natus sit, & post nativitatem mater ipsa sit virgo? Clausa erant ostia, & ingressus est Jesus. Nulli dubium quin clausa sint ostia. Qui intravit per ostia clausa, non erat phantasma, non erat spiritus, vere corpus erat. Quid enim dicit: Respicite, & videte, quia spiritus carnem, & ossa non habet, quæ me habere videtis? Habebat carnes, habebat ossa, & clausa erant ostia. Quomodo clausis ostiis intraverunt ossa, & caro? Clausa sunt ostia, & intrat quem intrantem non vidimus. Unde intravit, omnia clausa sunt: locus non est, per quem intret, & tamen intus est, qui intravit, & non apparet quomodo intravit. Nescis quomodo factum sit, & das hoc potentiæ Dei. Da potentiæ Dei, quia de Virgine natus sit, & tamen ipsa virgo fuerit virgo post partum.* Cyrillus Alexandrinus lib. 8. contra Julianum: *Oportuisse talem fieri Christi partum secundum carnem, ut haberet quid divinum ingressus ejus in mundum, & ostensio.* Ad quæ verba subdit Vasquez 3. par. qu. 28. art. 3. disp. 121. cap. 4. „ Cum igitur Cyrillus dicat, ingressum Christi in mundum mirabilem fuisse, & quid divinum habuisse, recte sequitur, B. Virginem ex ejus sententia laxato utero, aut rupto, non peperisse, nec more aliarum mulierum profluvium sanguinis, & alia hujusmodi passam fuisse: alioquin partus Christi, & ingressus ejus in mundum, nec fuisset mirabilis, nec divinum quid habuisset „. Damascenus lib. 4. de fide orthodoxa cap. 14. *Conceptio quidem per auditum facta est, ortus vero per eam partem, per quam exire fœtus consuescit; quamlibet aliqui fabulentur, illum,* seu Christum, *per Genitricis Dei latus editum esse. Neque enim hoc impossibile erat, ut per portam transiret, sigillis ejus nulla parte labefactatis.*

V. Probatur ex Patribus Latinis. Hieronym. in Apologia pro libris adversus Jovinianum ad Pammachium (quæ est epist. 50.) cap. 8. *Christus virgo, mater virginis nostri virgo perpetua, mater, & virgo. Jesus enim clausis ingressus est ostiis, & in Sepulchro ejus, quod novum, & in petra durissima fuerat excisum, nec antea quis, nec postea, positus est, &c. Respondeant mihi, quomodo Jesus ingressus est clausis ostiis, cum palpandas manus, & latus considerandum, & ossa, carnemque, monstraverit; ne veritas corporis phantasma putaretur: & ego respondebo, quo modo Sancta Maria sit & mater, & virgo, virgo post partum, mater antequam nupta.* Augustinus, vel quisquis alius est author, Serm. 10. de tempore: *Audiat omnis ætas, quod nunquam audivit: Virgo partui suo nupsit, virginitatem dum pareret duplicavit.* Fulgentius orat. de laudibus B. Virginis: *Crevit in ejus partu integritas corporis, potius, quam decrevit; & virginitas ampliata est potius, quam fugata,*

gata. Chrysologus serm. 75. *Venit Maria ad Sepulchrum, venit ad resurrectionis uterum, venit ad vitæ partum; ut iterum Christus ex Sepulchro nasceretur fidei, qui carnis fuerat generatus ex ventre: & eum, quem clausa virginitas vitam protulerat ad præsentem clausum sepulchrum ad vitam redderet sempiternam. Divinitatis insigne est, clausam Virginem reliquisse post partum: de sepulchro clauso exisse cum corpore, est divinitatis insigne.* Et serm. 84. *Rogo cur dubitatur clausi corporis arcanum, & obseratum tota integritate domicilium virginale, absoluta divinitas potuisse penetrare, quæ post resurrectionem corporis nostri crassata mysterio, foribus ingreditur, & egreditur clausis: talique indicio se totius creaturæ demonstrat authorem, cui non obsistit, cui deservit ad omnia creatura? Se si conceptum, partumque virginitas excusare suo nescit Creatori; si ingressum, egressumque clausa janua Creatori suo non potest denegare, quemadmodum lapis monumenti, quanvis magnus, quanvis judaica malitia signatus, resurgenti poterat obsistere Salvatori? Sed sicut Virginitas, & janua claustris suis fidem faciunt deitatis; ita revolutus lapis fidem resurrectionis affirmat, qui nullum resolutus Domino suo præparavit egressum, sed nocte fidei præstat, & admittit ingressum.* Et serm. 142. *In tuo partu crevit pudor, aucta est castitas, integritas roborata, solidata virginitas.* Eucherius Lugdunensis homil. 2. de nativit. Domini: *Itaque ad Evangelium recurramus; miraculum illud, quod Evangelista protulit tempore resurrectionis, digne mihi usurpem etiam tempore nativitatis, cum Joanne dicendo: Venit Jesus januis clausis & stetit in medio. Ecce jam nunc januis clausis processit in mundum, materni pudoris signaculo minime resignato: simulque illud impletur propheticum Ezechielis oraculum: Et porta erit clausa, & non est aperta, quia Dominus transivit per eam. Eadem nunc potentia mundi istius januam per partum inviolatæ matris intravit, qua postmodum clausis foribus ad Discipulos penetravit.* Et homil. 9. de Pascha: *Quid mirum, si Dominus ad Discipulos glorificatum corpus claustris stupentibus intromisit, qui illæso materni pudoris signaculo, januam mundi hujus intravit, cujus ortum natura nescivit? Non dubites, si potentiam exercere videas triumphantem, quem tam stupenda perspicis egisse nascentem. Quid hic respondebunt Judæi, sepulto Domino, discendentes, & signantes lapidem cum custodibus? Quæ cum ita sint, quomodo eum repellere potuit objectus repaguli, quem non coercuerat pondus sepulchri? Imo quomodo eum obserata domus excludere potuit, quem includere mortis porta non potuit? Quid mirum, si substantiam corporis nostri per clausa ostia transmisit, cui etiam penetralia supernorum, & solis Angelis familiare secretum patere consuevit?* Arator lib. 1. Act. Apostol.

O nunquam neglecta fides, cui subjacet illud,
Quod natura negat, propriis quam legibus uti
Non sinit Omnipotens, quoties jubet ipse vicissim
Posse, quod insolitum fieri mirata perurget.
Si quis adhuc fragili meditatur pectore Thomam,
Hinc documenta petat, quia tunc penetrata recepit
Janua clausa Deum; mirum est, si corpore portam
Sic adeat, quem Virgo parit, quem viscera matris
Integra concipiunt? Humanam quæ, rogo, carnem
Sumere causa fuit, nisi suscitet? Inde reversus
Exhibuit pro teste latus.

VI. Probatur rationibus. I. Quod tradit universalis Ecclesia, oportet, verum omnino confiteri; sed universalis Ecclesiæ traditio est, Dominum Jesum Christum ex ventre Matris prodiisse uteri, & claustri virginalis penetratione: ergo hoc ipsum verum est. Major negari non potest; minorem probat Haymo homil. in Octava Paschæ: *Rationabiliter quæri potest, quomodo Dominus post resurrectionem verum corpus habens, ad discipulos foribus clausis intromitti potuit. Sed quia hoc mirabile factum ex se haud facile cognosci potest, de aliis mirabilioribus ejus operibus, vel miraculis unum ad memoriam reducamus. Nam universalis Ecclesia confitetur, eum ex Virgine esse natum. Quid ergo est mirum, si incorruptibilia, & immortalia membra ad discipulos januis clausis introduxit, qui mortale, & corruptibile corpus ex utero Virginis clauso eduxit? Igitur si quod majus est, fecit, non est mirum, si quod minus est, facere potuit. Non enim divina mysteria humana ratione pleniter comprehendi possunt.* II. Christus exivit e sepulchro non remoto lapide, qui sepulchri ostium claudebat: ergo pariter exivit de ventre matris absque pudoris uteri læsione. Antecedens patet Matth. 28. & ex doctrina totius Ecclesiæ.

Con-

Consequentia probatur; quia si illud fecit, ubi necessitas non erat conservandi matris pudorem, a fortiori fecit hoc, ubi talis urgebat necessitas. Argumentum est S. Bernardi serm. 1. in die S. Paschæ: *Hunc lapidem magnum valde, de quo mulieres illæ devotæ invicem quærebantur, facta jam resurrectione Dominica: Revolvit Angelus, & resedit super eum, sicut scriptum est. Constat proinde clauso exiisse tumulo redivivum corpus, quod clauso Virginis utero natum processit in vitam, & ad discipulos clausis introivit januis in conclavi. Sed est locus unde clausis noluit procedere januis, carcer utique gehennalis. Confregit siquidem ferreos vectes, repagula universa contrivit, ut liberos suos educeret, quos redemerat de manu inimici; & planis egrederentur portis agmina Sanctorum dealbatorum, qui laverunt stolas suas, & candidas eas fecerunt in sanguine Agni.* III. Christus ingressus est cœnaculum clausis januis: ergo egressus est ex matris utero, illo non aperto. Antecedens patet ex Evangelio. Consequensia probatur; quia a fortiori, ut dictum est illud facere debebat, ut matris integritatem servaret. Ratio subministratur a Smaragdo Abbate ad Evangelium de feria 3. Paschæ: *Quid mirum, si clausis januis post resurrectionem suam, in æternum jam victurus intravit, qui moriturus veniens, non aperto Virginis utero exivit?* IV. Si Christus non per naturalem viam, qua ceteri homines nascuntur, de utero Virginis exivisset, non potuisset dici vere natus, nec ejus nativitas fuisset vera nativitas; sed hoc est falsum: ergo &c. Probatur minor. Deus non tantum voluit fieri homo, sed etiam filius hominis, & voluit quoque, Mariam esse veram sui matrem; sed hoc non fuisset verum nisi Christi partus esset verus partus, & ejus nativitas vera nativitas. Quod asserit Nazianzenus epist. 3. ad Cledonium dicens: *Christum divino modo genitum esse, quia sine opera viri, & humano, quia juxta pariendi consuetudinem.* Et orat. 36. *Voluisse Deum, non tantum naturam, sed etiam nativitatem nostram honorare, & ideo utramque assumpsisse cum omni proprietate, absque macula tamen, vel indecentia, prout Deum decebat.* V. Quia, ut ait Suarez, quidquid aliud dicitur, sine fundamento, & necessitate dicitur; præsertim transitus ab extremo in extremum sine medio, quod majus esset miraculum, & rem redderet obscuriorem, & difficiliorem; & aliam viam comminisci, est contra nativitatis rationem, ut dictum est. VI. Quia sine hoc modo, qui a nobis asseritur, violatus esset pudor Virginis, & integritas ejus læsa; quod non est dicendum. Hoc autem inculcat S. Ildephonsus, Episcopus Toletanus serm. de parturit., ac purificat. B. Mariæ: *Clausa igitur non diceretur, si in aliquo læsa esset ejus integritas: sed in nullo est violatus pudor Virginis, nec sens in aliquo reseratus. Procul dubio patet sensus, quia clauso utero ad nos venit, sicut januis clausis ingressus est ad discipulos. Siquidem aspectus discipulorum utrumque tunc probavit, scilicet, quod & fores clausæ essent, & quod Dominus per easdem introiens, coram præsens astaret. Sic & fides nostra utrumque de Christo certissimum tenet, quod & pervia fuerit ejus integritas, nascente Domino ex ea, & tamen uterus non fuerit reseratus. Alioquin quomodo clausum dici potest permansisse, quod violatum est?*

Opponunt I. Male infertur ex eo, quod Christus clauso sepulchro resurrexit, & clausis januis, ad discipulus intravit, ipsum etiam e clauso matris utero exivisse; quia post resurrectionem corpus erat incorruptibile, & immortale, adeoque exilius ad penetrandum, quo vellet, quam esset prius antequam resurgeret. II. Non est necesse, ut salvetur Mariæ Virginitas dicere, quod Christus ex ejus utero per penetrationem exierit; quum posset dici, quod aperta sit Virginis vulva, quando Christus exivit, & deinde fuerit denuo clausa; & hoc pacto non esset deperdita virginitas. III. Penetratio illa, quam nos asserimus, est omnino inintelligibilis: ergo male nos explicamus per illam exitum Christi de utero Matris suæ. IV. Si Christus non exivisset de utero matris suæ eo modo, quo exeunt cæteri infantes, potuisset dici, quod aut fuisset phantasma, aut per uterum transivisset, sicut aqua per alveum, aut per canalem; sed hæc fuit hæresis Manichæorum: ergo &c. V. Augustinus serm. 186. de tempore, qui est tertius de Ascensione, post medium, hæc scribit: *Ille etiam error valde fugiendus est, qui impie asserit, quod B. Maria solum Deum peperit, eo quod Salvator noster cælestem, nescio quam carnem intra viscera materna perfecerit, & ita transierit per Virginis uterum, quasi per corpus alienum.* Si autem B. Virgo non peperisset more aliarum mulierum, Christus per corpus ipsius non transiisset naturaliter, ac proinde non tanquam per proprium matris corpus, sed tanquam per corpus alie-

alienum. VI. Facilius explicatur exitus Christi de utero matris absque hujus læsione, si dicatur, quod corpus Christi fuerit in utero Virginis localiter inextensum, ac proinde illæsis Virginei pudoris claustris prodiit, quia intelligibilior extitit modus, quam ille penetrationis. VII. Ideo corpus Christi intravit ad discipulos januis clausis, quia erat gloriosum; Sed quando exivit de utero Matris non erat gloriosum: ergo non poterat de illo clauso exire. Major est Nicolai de Lyra ad cap. 21. Joannis, ubi legitur: *Fores essent clausæ propter metum Judæorum*, dicentis: „ Huc etiam ex divina ordinatione factum „ est, ut Jesus intrans ad discipulos januis „ clausis, ostenderet, se habere corpus glo„ riosum. „ VIII. Tertullianus lib. de carne Christi cap. 24. ait: *Et virgo quantum a viro, non virgo tanquam a partu*: ergo ex mente Tertulliani B. Virgo non fuit a partu illæsa: ergo a partu integritatem amisit. IX. Idem Tertullianus cit. loco num. 75. scribit: *Et quid ultra de hoc retractandum est, cum hac ratione Apostolus non ex Virgine, sed ex muliere editum filium Dei pronunciavit, agnovit adapertæ vulvæ nuptialem passionem*: quasi dicat, quod ideo Apostolus pronunciavit natum ex muliere, & non natum ex Virgine, quia Virgo Deipara in ipso partu Virgo non fuit. X. Origenes homil. 14. in Lucam post medium, comparat reserationem uteri in Virgine cum reseratione in aliis mulieribus; sed in aliis mulieribus virginitatis claustra remanent læsa: ergo pariter in Virgine. XI. Calviniani utuntur testimonio plurium Patrum, ut probent, B. Virginem, aperto, & laxato utero, peperisse: hi autem Patres sunt, Hieronymus lib. 2. adversus Pelagianos, Epiphanius hæresi 78., Ambrosius lib. 2. in Lucam &c. XII. Lucæ 2. habetur: *Et postquam impleti sunt dies purgationis ejus, secundum legem Moysi, tulerunt illum in Hierusalem, ut sisterent eum Domino, sicut scriptum est in lege Domini, quia omne masculinum adaperiens vulvam sanctum Domino vocabitur &c.*: ergo Christus adaperuit vulvam matris suæ, ut dicebant antiqui Hæretici, qui S. Ildephonsi tempore, eundem disseminabant errorem, & ex hoc Scripturæ loco probabant, & quibus favere videntur Theophylactus, & Euthymius in eundem locum Lucæ, & ut quibusdam placet, Amphyluchius in homil. de occursu Domini.

Respondemus ad I. quod Deus, ex quo conceptus est homo, semper idem Deus fuit, unde quodcunque facere potuit post resurrectionem, facere etiam potuit ante passionem. Non enim miracula illa faciebat, quia corpus ejus erat, vel immortale, vel mortale, vel incorruptibile, vel corruptibile, sed quia Deus erat; & quia Deus erat non minus ante resurrectionem, quam post, non minus post passionem, quam ante; ideo illa eadem miracula, quæ faciebat antea, faciebat postea; & illa eadem, quæ operabatur postea, operabatur, & antea. Audiatur S. Ildephonsus serm. de partur. ac purificat. B. Mariæ: *Forte dicturi sunt isti, quod corpus jam incorruptibile, & immortale extitit esset ad penetrandum quo vellet, quam esset prius, antequam resurgeret. Nequaquam igitur dicito quisque sane sapis, ex quo conceptus est homo, idem semper, qui antea Deus fuit. Unde, quando super undas aquorear ambulavit ante passionem, non minus homo, quam Deus fuit. Quod si ad naturam respicias rerum, aut corpus sine pondere vexit, aut undas sua potentia, quo sustinere possent corporis pondus, solidius confirmavit.*

Ad II. Respondet Goffridus, Abbas Vindocinensis, serm. 4. de nativit. Domini: *Quibusdam personis adscribitur, quod Matrem Domini, & ante partum, & post partum prædicent quidem Virginem, sed portam ventris ejus apertam in suo partu, & post partum statim clausam fuisse, fatentur; quasi ad horam Virgo fuerit, & ad horam perdiderit virginitatem, insanum est, hoc dicere, & credere profanum.* Ad quæ subdit Serry exercit. 29. „ Nec enim Deus integritatem illam sarcire omnino posset, nec effi„ cere, ut quæ integritatis stipendium, vel „ momento passa est, integra semper fue„ rit. „

Ad III. Penetratio secundum Philosophos, est præsentia duorum corporum in eodem loco; quæ quidem, naturalibus viribus spectatis, nec intelligibilis est, neque possibilis; si vero Omnipotentiam spectemus, non solum est possibilis, sed & multoties aliquando fuit. Certe argumentum nimis probaret, quia non solum contra Christi e Virginis utero egressum vim haberet, verum quoque contra ejusdem e sepulchro saltum, & in cœnaculum introitum, ubi erant Apostoli congregati. At subdimus ad hæc omnia, quæ ex Gregorio Magno diximus homil. 26. in Evang., & quæ hic repetere non nocet: *Sed sciendum nobis est, quod divina operatio, si ratione comprehenditur, non est admirabilis.*

lis. Nec fides habet meritum, cui humana ratio præbet experimentum. Sed hæc ipsa nostri Redemptoris opera, quæ ex semetipsis comprehendi nequaquam possunt, ex alia ejus operatione pensanda sunt, ut rebus mirabilibus fidem præbeant facta mirabiliora.

Ad IV. Dicit Vasquez, Christum esse vere filium naturalem B. Mariæ „ Eo quod,
„ ut quis sit filius naturalis alicujus mulie-
„ ris, nativitas ex illa secundum naturalem
„ legem necessaria non sit: nam si quis post
„ mortem matris scisso ventre illius in lu-
„ cem ederetur, sicut de Cæsare fertur, ci-
„ tra dubium filius naturalis illius mulieris
„ diceretur. Et tamen nativitas illa secun-
„ dum naturalem legem cum laxatione
„ uteri, & alluvione sanguinis, & dolore
„ non esset. Ratio vero hujus doctrinæ us-
„ que adeo manifesta est, ut si hæretici Phi-
„ losophi vel summis labiis degustassent,
„ nunquam in eam amentiam, quam dixi-
„ mus, incidissent. Etenim relationes ma-
„ ternitatis, & filiationis non in partu, sed
„ in actione ipsa generandi fundamentum
„ habent, & ex illa oriuntur, Siquidem
„ mulier ante partum vere mater est, & fœ-
„ tus inclusus in ejus visceribus vere filius
„ ipsius: parum igitur refert ad filiationem
„ naturalem, quod naturali, aut supernatu-
„ rali modo, seu præter naturam fœtus in
„ lucem edatur, sed quocunque modo edi-
„ tus naturalis mulieris dici debet. Sic igi-
„ tur homines editi in lucem in statu natu-
„ ræ integræ, supra naturalem legem, hoc
„ est, sine dolore, & alluvione sanguinis
„ sola laxatione uteri, filii naturales dicen-
„ di essent, ac proinde, quanvis Christus
„ modo omnino supernaturali, & sine la-
„ xatione uteri, & sine aliis sordibus natus
„ sit, filius naturalis B. Mariæ dici debet.„

Ad V. Aqua per fistulam, vel per canalem ita transit, ut nullam ex ea naturalem originem habeat; & ideo dicit Augustinus, quod transit tanquam per corpus alienum. At Christus natus est ex Virgine, tanquam ex vera Matre, ex ea naturalem originem ducens, & per generationem maturo tempore ex utero exivit; quo prosequitur Vasquez nuper citatus verbis hisce: „ Quanvis in exitu illius
„ aliquid super naturam intercesserit, quod
„ relationi veræ filiationis, & maternitatis
„ nihil omnino derogare potuit. Nam præ-
„ terquamquod a B. Virgine naturaliter,
„ sicut alii filii a matribus, genitus fuit
„ Christus secundum humanitatem: atque
„ si ante tempus maturæ nativitatis quovis
„ modo ex utero illius extraheretur, vere
„ esset filius ejus naturalis, sicut jam proba-
„ tum est; tamen non ita factum est, sed
„ opportuno tempore ex matrice, sicut
„ maturus fructus solutus naturali impul-
„ so, & ab intrinseco ad exitum, & nativi-
„ tatem, sicut alii filii, conatus est. Verum
„ quia servata integritate matris, absque la-
„ xatione uteri, & aliis sordibus, partus
„ exiturus erat, nempe penetratione facta
„ aliquarum partium Virginis, sicut ait S.
„ Thomas in hoc artic. 1, ad 3, , & sensit
„ Ildephonsus serm. illo priori de Parturi-
„ tione, & Purificatione B. Mariæ col. 2.
„ parum a principio, cum dixit, Vulvam
„ Virginis licet clausam, Christo penetra-
„ bilem patuisse; ideo necesse fuit supra
„ naturam etiam impelli, ut exiret. Nam
„ sicut januis clausis, facta earum penetra-
„ tione cum quantitate corporis sui, Chri-
„ stus ad discipulos ingressus est, & sicut
„ clauso sepulchro resurrexit: ita etiam ex
„ parte ex utero Matris exivit. Dixi autem
„ ex parte, quia dici non potest exisse per
„ umbilicum, & ilia, vel per aliam partem,
„ sicut nullo prorsus nixus fundamento di-
„ xit Abulensis paradoxo 1. cap. 68., sed per
„ viam naturalem partus, ita tamen, ut id,
„ quod via illa capere non poterat, per
„ alias partes proximas facta penetratione
„ exiret. Et quia modus, in quo fit penetra-
„ tio, non potest propria virtute creaturæ
„ fieri, ideo etiam dixi, necesse fuisse, ut
„ supra naturam quoque impelleretur.„

Ad VI. Ineptam imaginationem hanc Mayronis explicationem vocat Serry, subdens: „ Sic enim Christi corpus in ute-
„ ro materno, nec foveri, nec nutriri, nec
„ augeri, potuisset; nec ulla externa gra-
„ viditatis signa in Virgine Matre compa-
„ ruissent.„ Hæc eadem scribit Graveson, dicens: „ Sed hic error facile re-
„ fellitur, quia si corpus Christi fuisset in
„ utero Mariæ Virginis localiter inexten-
„ sum, nec foveri, nec nutriri, nec augeri,
„ potuisset, nullaque externa graviditatis
„ signa in Maria Virgine comparuissent.
„ Quæ omnia adversantur Scripturæ Sa-
„ cræ, & traditioni Sanctorum Patrum, qui
„ communiter docent, Corpus Christi, etsi
„ localiter extensum, per miraculum ta-
„ men, hoc est per penetrationem, exisse
„ e Virginis Mariæ utero, non secus ac e
„ sepulchro clauso prodiit per penetratio-
„ nem redivivum.„

Ad VII. Quanvis Corpus Christi post resurrectionem fuisset gloriosum, fuit tamen corpus palpabile, ac proinde impenetrabile naturaliter, & quod fuerit penetratum,

cum, non fuit effectus glorificationis in corpore, sed divinitatis per omnipotentiam operantis. Ita apposite dicit Albertus Magnus ad cap. 20. Joannis: „ Non est corporis gloriosi intrare januis clausis, sed corporis divini potius, quod ex divinitate habet posse faciendi quod vult. Et tale corpus divinum intendit ostendere discipulis, ex quo Deus verus ostenderetur, & homo verus: & ideo ostiis clausis intravit. Et hoc est, quod dicit Augustinus: Moli corporis ubi divinitas erat, ostia clausa non obstiterunt. „

Ad VIII. Dicit Pamelius, Tertullianum intellexisse, Mariam post partum iterum nupsisse; & ideo dicit non fuisse Virginem a partu, ac si diceret a tempore partus. At huic explicationi opponitur Vasquez dicens illud a partu eodem modo accipiendum esse sicut illud a viro, quia Tertullianus unum alteri opposuit: Unde sicut dicit B. Mariam fuisse Virginem quantum a viro; quantum scilicet attinet ad viri consortium, omnino intactam, & illæsam a viro; ita pariter dicit, non fuisse Virginem a partu, hoc est non fuisse illæsam a partu. Voluit igitur per illa verba Tertullianus asserere, B. Virginem a partu ipso integritatem, & virginitatem amisisse; & in hoc fuit Tertulliani error, quem ingenue cum ipsomet Vasquez, & cum aliis fatemur.

Ad IX. Idem Vasquez dicit, frivolum esse quod Tertullianus expendit in illo Pauli testimonio; tum quia mulier etiam significat Virginem; etenim Genesis 2. Eva antequam a viro cognosceretur, vocata est mulier: *Et edificavit Dominus costam, quam tulerat de Adam in mulierem*: Numer. 30. legitur: *Mulier si quidpiam voverit*; & tamen ibi sermo est de Virgine: Lucæ 10. habetur: *Mulier quædam Martha nomine*; & nihilominus Martha Virgo erat. Insuper Apostolus non dicit editum, seu natum ex muliere, ut legit Tertullianus; sed factum, hoc est genitum ex muliere. Concludit postmodum Vasquez, „ mirum non esse, quod Tertullianus in prædicto errore fuerit, quando etiam concedit, B. Mariam post partum Christi iterum viro nupsisse, & ex eo filios alios genuisse. „

Ad X. Origenes in eodem versatus est errore, ac Tertullianus; expressius enim dicit in citato loco, quod id, quod in aliis mulieribus fit per coitum, fuerit factum in Virgine per partum; quod, ut testatur Vasquez, de vera reseratione uteri Virginalis intelligere videtur. Hæc sunt autem Origenis verba: *Omnium mulierum, non partus infantis, sed viri coitus vulvam reserat; matris vero Domini eo tempore vulva reserata est, quo etiam partus editus: quia sanctum uterum masculus omnino non tetigit.*

Ad XI. Hieronymus loc. cit. sub nu. 8. hæc scribit: *Solus enim Christus clausas portas vulvæ virginalis aperuit, quæ tamen clausæ jugiter permanserunt.* Subdit autem Vasquez, quod aperire vulvam aliquando significat fœcundare; sicut claudere vulvam in Scripturis importat sterilem reddere; & in hoc sensu intelligendi sunt Patres adducti. Addit quoque idem Vasquez, quod Epiphanius, & Ambrosius intellexerunt, solum Christum aperuisse sibi vulvam matris, quia potentia sua per illam exivit, & perviam habuit. „ Quod est quodam modo, verba sunt Vasquez, illam sibi aperire id, quod alii filii, dum nascuntur, præstare non possunt; sicut dixit Epiphanius, & denotat idem Ambrosius, cum ait, solum Christum id fecisse. Ratio vero est, quia ceteri clausum non invenerunt uterum maternum, ut potentia sua illum sibi pervium efficerent, siquidem jam pervius erat; Christus autem clausum invenit, sed potentia sua pervium habuit. Eodem modo loquitur Chrysostomus homil. de Occursu Domini apud Surium tom. 1. die 2. Februarii in festo Purificationis. „

Ad XII. Opponimus Isidorum Pelusiotam epist. 23. verba illa sic explicantem: *In Scriptura dictum est, omne primogenitum aperiens vulvam Sanctum Domino vocabitur: non de omni primogenito dictum est: (ne hoc imperiti homines existiment) verum de uno illo, ac solo, qui in partu vulvam aperuit: etenim omnem quidem vulvam concubitus, & venereus complexus aperiunt, præter eam, quæ Dominum Jesum peperit, ipse sine semine conceptus aperuit, ac rursum clausam, & obsignatam reliquit.* Quæ quidem verba non important, quod in ipso egressu reseratus fuerit uterus Virginis, & postea in pristinam integritatem restitutus; quia verbum illud *rursus* idem est ac *simul*, vel *etiam*; quod advertit Vasquez, qui hæc subdit: „ Cæterum sunt alii Patres, qui multo clarius dicunt, reserare, aut aperire uterum, idem esse, quod pervium ad exitum, sine impedimento supernaturaliter habere, nulla omnino facta læsione integritatis. Ita Euthymius in illum locum Lucæ 2. ubi sic ait: *Solus autem „ Chri-*

,, *Christus nondum apertam* (scilicet vulvam) ,, *supernaturaliter aperuit, & clausum naturaliter servavit*. Dicit autem *supernaturaliter aperuit*; quia supernaturali virtuti ,, Christi ad egressum nihil est occlusum, ,, nihil, quod ipsum impediat. ,, Denique de Amphilochio idem Vasquez multa dicit, ad quem legentes remittimus.

Dicimus II. Virginem Deiparam absque molestia, & dolore peperisse, nec obstetrice habuisse opus. In partu non emisisse secundinas, quæ nec pariter in utero fuerunt; ideoque illas cum fœtu emissas fuisse puerperii sordes, quæ consequuntur nativam nascentis hominis conditionem, & non lædunt illibatam matris virginitatem, & filii sanctitatem non deturpant.

Prima Conclusionis pars probatur I. quia, ut ait Serry, nulla ibi fuit membrorum genitalium apertio, nulla uteri reseratio, sigilli virginalis effractio nulla. II. quia vinculi, seu nervi umbilicaris, quo fœtus Matris in utero cohærebat, disruptio, atque dissectio ab ipso, a Deo absque Matris sensu effecta est. III. quia, ut ait Suarez, dolor partus respondet libidini, & voluptati conceptionis. Unde Damascenus: *Quam voluptas non antrivit, nec dolor quidem in partu sequutus est*. IV. quia decebat, ut Christus in ortu suo nullum incommodum matri afferret, & hoc, vel ex eo præsertim, quia necessarium non erat. V. quia Ecclesia canit: *Nesciens virgo virum, peperit sine dolore Salvatorem seculorum*. VI. quia Patres hoc ipsum docent, videlicet Nyssenus orat. 1. de resurrect., & homil. 13. in cantica, Augustinus serm. 14. de nativit., Fulgentius serm. de laudibus Virginis, Bernardus homil. 3. in Missus est, & serm. 4. in Vigilia Nativitatis, Damascenus lib. 4. de fide Orthod. cap. 15. Ildephonsus lib. de perpetua Virginit. Deiparæ. Et de obstetrice loquitur Hieronymus lib. contra Helvidium: *Nulla ibi obstetrix, nulla muliercularum sedulitas intercessit: ipsa pannis involvit infantem: ipsa & mater, & obstetrix fuit*. Quibus consonant Nyssenus orat. 1. de resurrect. Fulgentius serm. de laudibus Mariæ, Athanasius, vel quisquis alius sit author homil. de censu, seu de Nativitate Domini, Arnoldus Abbas in laudatione B. Virginis, Prudentius hymno 2. Bernardus sermone 4. in Vigilia Nativitatis, aliique.

Secunda Pars Conclusionis probatur I. Ex Trullana Synodo can. 79. *Absque ullis secundinis ex Virgine partum esse confitentes; ut qui sine semine constitutus sit, idque toti gregi annunciantes eas, qui propter ignorantiam aliquid faciunt, quod non decet, correctioni subjicimus . . . . . non licere ex communibus, & iis, quæ in nobis fiunt, inenarrabilem Virginis partum, quæ supra mentem, & sermonem Verbum peperit, definire, metiri, ac describere*. II. quia, si Deipara Christi corpus cum secundinis emisisset, debuisset illud abluere, atque a sordibus purgare antequam pannis involveret; sed de hoc nihil asserit Matthæus Christi nativitatem describens cap. 2. sui Evangelii, dicens: *Et peperit filium suum primogenitum, & pannis eum involvit, & reclinavit eum in præsepio*; in quibus altum silentium de ablutione habemus. III. Augustinus in orat. de quinque hæresibus, Epiphanius hær. 79. Leo Magnus serm. 2. de nativit., Zeno Veronensis, vel si quis alius est author sermonis secundi, Ildephonsus lib. de perpetua Mariæ Virginitate, Bernardus lib. 3. de purificat., aliique plures, ut ait Graveson contra Serry, non minus a pariente Virgine, quam a Christo nascente, fæces, ac sordes longe ablegant. IV. quia illæ secundinæ tales fuissent, in quibus periclitari potuisset Virginis Matris pudor; atqui, ut Ambrosius docet lib. 2. in Lucam, maluit Dominus *aliquos de suo ortu, quam de Matris pudore dubitare: sciebat enim, teneram esse Virginis verecundiam; nec putavit ortus sui fidem matris injuriis adstruendam*. Quibus addit Graveson: ,, Hæc autem effluentis ,, sanguinis, ac secundinarum, quibus pueri ,, Jesu nascentis corpusculum fuisset invo- ,, lutum, illuvies, haud parum læsisset pu- ,, dorem virgineum. Quid igitur mirum, si ,, Christus noluerit hoc pacto nasci? Quam- ,, vis alias vitæ humanæ contumelias toto ,, vitæ suæ decursu sponte subierit. ,,

Tertia pars Conclusionis probatur I. Sexta Synodus approbavit act. 11. epistolam Sophronii, in qua partus Virginis dicitur incorruptibilis; hoc est, ut idem Sophronius explicat, sine fluxu sanguinis, aut simili passione perfectus est. II. Epiphanius lib. 3. contra hæres. in fine: *Natus est per genitales meatus citra pudefactionem, impollute, absque inquinamentis*, Cyprianus, vel quisquis alius est author Sermonis de nativit. Christi: Maria genitrix, & obstetrix, nullus dolor, nulla naturæ contumelia in puerperio; Nazianzenus, si ipse est verus author Tragediæ, cui titulus *Christus patiens*,

tiens, Augustinus lib.29.contra Faustum cap.3. & 4., & lib.de quinque hæresibus, cap.5. *Stulte, unde sordes in Virgine Matre, ubi non est concubitus cum homine patre?* quibus subscribit S.Thomas 3.par. qu.35. art.6. ad 3. III. Abulensis qu. 20. in cap. 12. Levitici, & nunquam satis laudandus Christianus Lupus in Notis ad Canon.79. Trullanum, volunt, puerum Jesum, ex matetno utero prodeuntem, inspersum fuisse externis illis naturæ contumeliis, ac sordibus, quæ consequuntur nativam nascentis hominis conditionem, & illibatam Matris virginitatem non lædunt, nec filii sanctitatem deturpant; quorum sententiam sequitur Serry, allegans Tertullianum lib.de carne Christi contra Marcionem scribentem, qui prætextu earum sordium, quæ humanæ naturæ communiter adhærent, veram Christo Domino carnem negabant, illum his verbis, cap.4. exagitat; *Sed videris, si tibi displices, aut si aliter natus es. Certe Christus dilexit hominem illum in immunditiis in utero coagulatum, illum per pudenda prolatum, illum per ludibria nutritum..... Credimus nos in Deum natum, & quidem ex Virgine, & quidem carneum, qui per illas naturæ contumelias volutatus sit*. Ita & Origenes homil.4. in Lucam: *Videbat Christus in Matris utero immunditiam corporum visceribus ejus hinc inde vallatus, terrenæ fæcis patiebatur angustias; unde assimilat se vermi, & dicit: Ego sum vermis, & non homo*. Ita & Hieronymus epist. 22. ad Eustachium: *Dei filius pro nostra salute hominis factus est Filius. Novem mensibus in utero, ut nascatur, expectat, fastidia sustinet, cruentus egreditur, pannis involvitur, blanditiis delinitur; & ille pugillo Mundum includens, præsepis continetur angustiis*.

Obstant I. Psalm. 21. dicitur: *Tu es, qui extraxisti me de ventre*; quibus verbis significatur Christi ex utero violenta evulsio a Deo facta, quæ non poterat sine Matris puerperæ dolore esse. Tertullianus autem lib. de carne Christi cap.20. eadem psalmi verba respiciens, scribit: *Quid avellitur, nisi quod inhæret, quod infixum, innexumque est ei, a quo, ut auferatur, avellitur? Si non adhæsit in utero, quomodo avulsus est? Si adhæsit, qui avulsus est, quomodo adhæsisset, nisi dum ex utero est, per illum nervum umbilicarem, quasi folliculi sui traducem adnexam Origini vulvæ?* II. Sicut mors venit in mundum propter peccatum, ut dicitur Genesis 2. *Quacunque die comederis ex eo, morte morieris*; ita pariter partus dolor; ut habetur Genesis 3. *In dolore paries filios*: ergo quemadmodum B. Virgo passa est mortem, ita pariter partus dolores sustinuit. III. Vitæ Christi finis fuit cum dolore & suo, & matris; Sed finis proportionatur principio: ergo principium vitæ Christi, quod fuit in ejus nativitate, fuit cum dolore, & suo, & matris. IV. In libro de Ortu Salvatoris refertur, quod Obstetrices ad Christi nativitatem occurrerunt in stabulo; sed obstetrices parturientibus non assistunt, nisi ut earum dolores sublevent: ergo nativitas Christi fuit cum dolore Matris suæ. V. In antiquis picturis videtur obstetrix, quæ Virgini parienti adstat, eidem decumbenti sorbitiunculas porrigit, ejusque vires, quo possunt modo reficiunt: ergo obstetrix vere fuit in Christi nativitate. VI. Traditio est, quod B. Anastasia Virgo in Virginis partu obstetricis officio functa fuerit; & hinc factum esse dicitur, quod in die sacro natalitio Christi in missa ad auroram ejus S. Anastasiæ memoriam celebret Ecclesia. VII. Cyprianus serm.de Nativit.scribit: *Virginem diebus designatis recubuisse, & depositi oneris lassitudinem professam oblatæ quieti paruisse*; quæ quidem verba molestiam indicant, quam passa est Virgo Deipara, quando Christum in lucem emisit. VIII. In can. 78. Synodi Quini-sextæ, seu Trullanæ, ubi legitur *sine secundinis* legi debet *sine dolore*; verbum enim græcum, αγὶ ζευτε, hoc importat, scilicet sine dolore, & licentia fuit latini Interpretis, qui vertit *sine secundinis*. At quanvis de secundinis loquatur Canon, mens tamen ejus est solum, ut secundinarum cultus apud Græcos reprobetur, damnetur, ac prohibeatur. Propterea hæc a Serry integra Canonis verba ad græci textus tidem expressa, ut ipse ait, referuntur: *Absque ullo dolore Virginis partum esse confitentes, ut qui sine semine constitutus sit; idque toti gregi annunciantes, eos, qui propter ignorantiam aliquid faciunt, quod non decet, correctioni subjicimus. Quare quoniam aliqui post Sancta Christi Dei nostri Nativitatis diem similam coquere ostenduntur, & eam sibi invicem impartiri; honoris, scilicet: prætextu secundinarum impolluta Virginis Matris statuimus, ut deinceps nihil tale fiat a fidelibus. Neque enim hoc honor est Virginis, quæ supra mentem, & sermonem, quod comprehendi non potest,*

Ver,

Verbum peperit carne; ex communibus, & iis, quæ in nobis fiunt, inenarrabilem ejus partum definire, metiri, ac deſcribere. Si quis ergo deinceps hoc facere aggreſſus fuerit, ſi ſit quidem Clericus, deponatur; ſi vero Laicus, ſegregetur. IX. S. Hieronymus lib. contra Helvidium cap. 9. & Tertullianus lib. de carne Chriſti cap. 4. Secundinarum expreſſe meminerunt; hic quidem ſcribens: *Infantem cum ſuis impedimentis profuſum, & oblitum*: ille vero: *Chriſtum infantem tegmine membranarum ſolito involutum*. X. Beda lib. de locis ſanctis c. 8. aſſerit, ſordes illas, quas Chriſtus detulit in ſua nativitate adeo habuit certas, ut ad eas abſtergendas dixerit: *petram in Bethleemi Spelunca cavatam lavacrum Dominico corpori præbuiſſe*, & in eo loco fontem per miraculum fuiſſe natum, aſſerunt alii. XI. Chryſoſtomus homil. 49. in Geneſim narrans quid nativitas Chriſti habuerit cum noſtra commune, & quid diverſum a noſtra, ſordes non memorat, quæ ſunt in noſtra, & quæ non fuerunt in Chriſti nativitate. En ejus verba: *Hunc autem ingreſſum noſtri omnium Domini digniorem eſſe oportet, quam noſtrum; Regius enim fuit introitus. Oportebat enim, & partim cum noſtra nativitate communicare, & partim alienum eſſe; & utraque hæc fuerunt. Et quomodo? Audi. Nam de utero prodire commune habet nobiſcum: abſque nuptiali autem congreſſu naſci, ſupra noſtram eſt nativitatem. Naturale eſt, conceptum fieri in utero: ſupra naturam humanam eſt, abſque commixtione eſſe prægnantem. Et propterea utraque, ut & excellentiam, & communionem, quam habet tecum, addiſcas. Conſidera autem quanta ſapientia hæc facta ſint. Neque eminentia obfuit aſſimilationi, & affinitati ejus nobiſcum; neque noſtra affinitas, & ſimilitudo ejus obſcuravit excellentiam: ſed operibus utraque oſtenſa ſunt. Et alia perfecte habuit nobiſcum, alia non habuit, ſed ab eis totus liber fuit*. XII. Ratramnus, Monacus Cœnobii Corbejenſis, qui IX. ſeculo floruit, ſcripſit libellum de nativitate Chriſti contra aliquot Germanos, qui aſſerebant, Chriſti Corpus non prodiiſſe ex Virginis utero via communi, ſed ſingulari. Hic liber modo extat tom. I. Specilegii Dacheriani, & in eo aſſerit Ratramnus: *Corpus Chriſti per naturæ januam, per ſolemnem parturitionis viam ex utero Sacratiſſimæ Virginis Mariæ prodiiſſe, vulvamque aperuiſſe, non ut clauſam corrumperet, ſed ut eam ſuæ nativitati oſtium aperiret, non quo violaret integritatem, ſed quo ventris palatium vacuaret*. Sed Paſchaſius Radbertus, Monacus ejuſdem Cœnobii, eodem ſeculo florens, libellum quoque edidit, de partu Virginis, in quo Ratramnum impugnavit. His poſitis; vel Chriſtus vulvam matris aperuit ſine dolore, vel cum dolore: ſi cum dolore: ergo fuit in partu dolor: Si ſine dolore: ergo Ratramnus non erravit, adeoque immerito a Paſchaſio impugnatus. XIII. Græcorum ſententia fuit, Corpus Chriſti ex utero matris prodiiſſe pollutum, ſordibus inſperſum, & ſecundinis, ſeu membranis involutum: ergo antiqua ſententia eſt illa, quam nos exponimus. XIV. Chriſtus in vita, & in morte ſuſtinuit, ac devoravit ſordes, contumelias, & inquinamenta: ergo conveniens etiam erat, ut eas in nativitate ſuſtineret. Conſequentia probatur a Hieronymo lib. contra Helvidium cap. 9. *Junge, ſi libet, naturæ contumelias, novem menſibus uterum inſoleſcentem, faſtidia, partum, ſanguinem, pannos. Ipſe tibi deſcribatur infans tegmine membranarum ſolito involutus. Ingerantur dura præſepia, vagitus parvuli, octava diei circumciſio, tempus purgationis, ut putetur immundus. Non erubeſcimus, non ſilemus. Quanto ſunt humiliora, quæ pro me paſſus eſt, tanto plus illi debeo*. XV. B. Virgo S. Brigidæ revelavit quæcunque in Chriſti nativitati acciderunt, & privilegia, exemptiones, ac prærogativas, quas in ipſa obtinuit; ſed immunitatis a Secundinis, & a Sordibus puerperii nullam facit mentionem: ergo ſignum eſt, quod eam non obtinuit. In lib. 6. revelat. cap. 88. legitur: *Cum naſceretur ex me, indicibili exultatione, & mirabili feſtinantia, clauſo virginali utero meo prodibat*. Et lib. 7. cap. 22. *Peperi, ſicut nunc vidiſti flexis genibus, orando ſola in ſtabulo. Peperi enim eum cum tanta exultatione, & lætitia animæ, quod non ſenſi aliquod gravamen, quando ipſe exibat de corpore meo, nec dolorem aliquem: ſed ſtatim involvi cum panniculis mundis, quos diu ante præparaveram. Quæ quando vidit Joſeph, miratus eſt cum magno gaudio, & lætitia, ex eo quod ſine adjutorio pepereram*.

Reſpondemus ad I. Tertullianum, voluiſſe contra Valentinianos oſtendere, Chriſtum habuiſſe carnem omnino veram, & ejuſdem naturæ, atque ſubſtantiæ cum matre, efformatam ſcilicet ex illius ſanguine, & illi per naturale vinculum cohærentem, atque in utero conjunctam;

Unde verificatur, quod dicitur in Psalmo, scilicet, quod ex utero per umbilicarem venam disruptam fuerit vere a Deo extracta, atque educta; quanvis Virgo mater per extractionem illam nullum perceperit dolorem. Sic respondet Serry; qui & subdit, quod Virgo puerpera in ipsa partus effusione non ab omni abstinuit actu, nihilque enixa est, quia sic dici non posset, quod peperisset; at molliter, ac leniter emisit fœtum. Et hoc inquit, Nyssenum homil. 13. in Cantica intellexisse, quando dixit: *Virginem ne partum quidem sensisse*; nempe, quod non habuerit partus molestum, ac gravem sensum.

Ad II. Respondet S. Thomas 3. par. qu. 35. art. 6. ad 1., dicendo, *quod dolor partus consequitur in muliere commixtionem virilem. Unde Genes. 3. postquam dictum est: In dolore paries, subditur: Et sub viri potestate eris. Sed sicut dicit Augustinus in sermone de Assumpt. B. Virginis, ab hac sententia excipitur Virgo Mater Dei, quæ quia sine peccati colluvione, & sine virilis admixtionis detrimento Christum suscepit, sine dolore genuit, & sine integritatis violatione, pudore Virginitatis, integro permansit. Christus autem mortem suscepit spontanea voluntate: ut pro nobis satisfaceret, non quasi ex necessitate illius sententiæ; quia ipse mortis debitor non erat.*

Ad III. Ideo Christus mori voluit cum dolore, quia per mortem suam destruere volebat mortem nostram, & consequenter dolore suo nos a doloribus liberare. Mater autem ejus non debebat hoc præstare, quod superabundanter præstandum erat a Christo, & ideo non debebat cum dolore parere.

Ad IV. Liber ille a S. Thoma dicitur apocryphus, & contra illum affert authoritatem Hieronymi in lib. contra Helvidium, quam nos attulimus in probationibus. Et ex eo, quod dicitur Lucæ 1., Deiparam scilicet puerum, quem pepererat, pannis involvisse, & in præsepio posuisse, probare intendit, quod ea, quæ dicuntur in libro illo, Apocryphorum esse deliramenta.

Ad V. Molanus lib. 2. de Imaginibus reprehendit Pictorum illorum audaciam, qui Virgini parienti obstetricem affingunt, & quæ eidem sorbitiunculas porrigat ad reficiendas vires fessæ, & imbecillis puerperæ. Quibus addit Serry, quod hæ omnes sunt nugæ profecto nugæ, eæque nugacissimæ.

Ad VI. Anastasia, de qua loquitur objectio in fine tertii Ecclesiæ seculi, passa est sub Diocletiano. Qua ergo ratione obstetricis officium erga B. Virginem agere poterat? Ita Baronius in notis ad diem 25. Decembris Martyrologii Romani, qui non solum hoc dicit putridum commentum, sed etiam intolerabile anachronysmum. In Missa tamen Nativitatis Domini, quæ dicitur in aurora, fit S. Anastasiæ commemoratio, quod die illa martyrio fuerit coronata, non autem anno illo, quo Christus Dominus est natus, & quod etiam die illa Ecclesia ad illius templum Romæ erectum stationem constituerit.

Ad VII. Serry respondet, quod non necessitate, sed humilitate puerpera recubuerit, & lassitudinem externa specie ostenderit, ut innocuum, & doloribus liberum puerperium occultaret. Et hoc dicit ad excusandos Pictores illos, qui hoc ipsum coloribus exprimunt. Attamen deinde subdit idem Serry: „ Verum qui Pictores voluit excusatos, videat, ne Virginem „ vitiosæ simulationis incuset. Nec enim, „ ut purgationis, ita & cubitus certi dies a „ lege *designati* erant, quos ex humilitate, „ aut ex obedientia observare, necesse es- „ set. „

VIII. Dato, quod canone illo prohibeatur cultus erga secundinas, non per hoc tamen fit, quod secundinæ illæ vere in partu Virginis intervenerint; immo potius oppositum. Et quod latinus interpres non verterit sine dolore, non per hoc asseritur in Canone, quod non fuerit sine secundinis; Immo potius contrarium. Cæterum quod Episcopi Græci in Trullana Synodo congregati, citato Canone 79. damnaverint quoque illos, qui dicebant, Christi Corpus secundinis involutum, ex Virginis utero exiisse, asserit Graveson verbis hisce: „ Addo insuper, „ Episcopos Græcos, in Synodo Trullana „ congregatos, damnasse Canone 79. sen- „ tentiam illorum, qui Corpus Christi se- „ cundinis, seu membranis involutum, ex „ utero Mariæ Virginis exiisse, affirma- „ bant; „ hoc est ne secundinas adorarent.

Ad IX. Nomine impedimentorum, quæ asserit Tertullianus, intelligi recte possunt vincula naturalia, per quæ Christi corpusculum Mariæ Virginis corpori cohærebat, atque in utero conjungebatur; & quæ diximus in responsione ad I. per umbilicarem venam fuisse disruptam a Deo molliter, ac leniter, quando fœtus a Deipara effusus est. Et nomine membrano-

rum,

rum, quæ asserit Hieronymus, venire non secundinas, sed illa alia, quæ in cæterorum hominum nativitate eveniunt, utpote consequentia nativam nascentis hominis conditionem, & quæ non lædunt illibatam Matris Virginitatem, & Filii sanctitatem non deturpant. Non poterat enim Hieronymus, qui contra Helvidium disputabat, secundinas intelligere, ex quibus facile Adversarius hæreticus contra Deiparæ Virginitatem ad sui erroris confirmationem aliquid inferret.

Ad X. Verba illa Bedæ aliter a Baronio referuntur in Annalibus ecclesiasticis num. 4. Hæc sunt verba Baronii, post quæ sequuntur verba Bedæ: „ Nec tacendum,
„ quod tunc etiam in eodem puerperio accidisse fertur miraculum; nimirum, quod
„ in eadem spelunca, ad ea, quæ usus quotidianus exposcebat, e petra fluxit aqua,
„ quæ nunquam potuit exhauriri, sed mansit diutius divinæ virtutis egregium monumentum: siquidem adhuc Bedæ temporibus vigebat cunctis perspicuum tantæ rei prodigium: quod ipse a teste, qui hæc viderat Sanctissimo Episcopo acceptum his verbis scriptis mandavit. „ *Hac spelunca tota interius speciosa marmore tecta, supra ipsum locum, ubi Dominus natus specialiter traditur, S. Mariæ grandem gestat Ecclesiam. Petra juxta murum cavata, primum Dominici corporis lavacrum de muro missum suscipiens, hactenus servat: quæ si qua forte occasione, vel industria fuerit exhausta, nihilominus continuo dum respicit, sicut ante fuerat, plena redundat:* In quibus verbis illius commenticiæ ablutionis nullum est vestigium; sicut nec est in iisdem Bedæ verbis, quæ adducit Cornelius a Lapide in cap. 2. Lucæ ver. 6. „ Addit
„ Beda e petra hujus speluncæ per miraculum, ob Christum in ea natum, perennem scaturire fontem, illumque usque ad sua tempora perdurare: atque totam speluncam a Christianis marmore incrustatam esse, ac grandi Ecclesia desuper ædificata ornatam. „

Ad XI. Chrysostomus non omnia narravit, quæ nativitas Christi habet cum nativitate cæterorum hominum communia, nec omnia expendit, quæ sunt diversa; ideo non mirum, si nihil de sordibus dixit puerperii, quæ ut nativam hominis conditionem consequuntur, & ut non lædunt Matris integritatem, & filii Sanctitatem, fuerunt in nativitate Christi, cæteræ vero non fuerunt; Unde ex his desumi poterant & convenientiæ, & disconvenientiæ capita. Observet autem si quis volet in quot aliis conveniunt, & in quot aliis disconveniunt nativitas Christi, & nativitas nostra, & quæ Chrysostomus narrare omisit, & tunc mirum ei non erit si hæ etiam ab eodem omissæ sunt.

Ad XII. Ratramnus erravit in eo, quod dixit, Christum Matris vulvam aperuisse, quod omnino non est dicendum, ut in præcedenti conclusione probatum est, & in hoc rite fuit a Radberto impugnatus. Si enim Christus uterum aperuit, quomodo per clausum exivit? quomodo Maria integritatem suam conservavit? Igitur quum non aperuerit, bene stat, quod partus sine dolore fuerit. Penetratio enim illa supernaturaliter, & miraculose facta, nec matri molestiam intulit, nec filio laborem; Unde propter eandem penetrationem, quæ soli Christi corpori a Deo data est, secundinarum, aliarumque sordium effusio rejicitur.

Ad XIII. Etsi fuerit Græcorum quorundam sententia illa, Patres tamen Latini fere omnes eandem rejecerunt sententiam illam; qui nascentis Christi corpusculum, ut ait Graveson, ab externis sordibus liberum fecerunt, & non minus a pariente Virgine, quam a nascente Christo fæces, ac contumelias ablegarunt. Subdit idem Graveson. „ Quod si aliter quidam alii
„ Sancti Patres loqui videantur, eorum loquutiones non ut propriæ, sed ut figuratæ accipi debent; itaut sensus sit, Corpus
„ Christi, licet absolute loquendo, ab omni sorde liberum prodierit ex Mariæ Virginis utero, nihilosecius comparate ad
„ Verbum Divinum, cui erat hypostatice unitum, dici poterat sordidum; non secus ac exempli gratia, licet uterum Mariæ
„ Virginis mundissimum fuisse in confesso sit apud omnes Catholicos, attamen virgineum illum uterum (comparate ad
„ Verbum Divinum, quod in illo incarnari debebat) Divinæ Majestati concipiendæ, fovendæ, gestandæ, velut indignum profitetur Ecclesia in pia illa, solemnique precatione: *Tu ad liberandum suscepturus hominem, non horruisti Virginis uterum.* „ Addit Suarez, opponens sibi verba illa Hieronymi in lib. contra Helvidium: *Longe, si libet, nostras contumelias novem mensibus uterum intumescentem, fastidia, partum, sanguinem, pannos non erubescimus:* Quibus Suarez respondens, addit: „ Hæc enim verba per exagerationem intelligi possunt, sensu quasi conditionato, ut quando alteri respondendo
„ dici-

„ dicimus, etiam si totum, quod assumit, „ concedatur, non sequi quod intendir. „ Sic inquit Hieronymus licet necessarium „ esset concedere adversario illa, quæ in „ humana conditione vilia, & abjecta esse „ videntur, non propterea negandum fuisse, Christum natum esse ex Virgine,& illam Virginem permansisse. Quo fit, ut „ si necessarium non sit omnia illa concedere, magis convincatur hæreticus,quod „ sine occasione, vel causa io illam sententiam inciderit. Et quia reveta illa concedere non erat necessarium, quasi se „ corrigens, subdit Hieronymus: *Sed, ut „ hæc, quæ scripta sunt, non negamus, ita illa, „ quæ non sunt scripta, renuimus*. Quæ responsio satisfacere posset huic loco, nisi „ idem Hieronymus in epist.22. ad Eustochium, de custodia Virginitatis, mentem „ suam amplius explicuisset, dicens: *Novem mensibus in utero, ut nascatur, expectat, fastidia sustinet, cruentus egreditur*. „ Quorum verborum nullam commodam „ expositionem invenio, nihilominus sententia a nobis explicata, magis probanda videtur. „

Ad XIV. Hæc Hieronymi verba intelligit Serry de illis fordibus externis, quæ ad nativam nascentis hominis conditionem pertinent; subditque, quod, nec liceat fingere miracula in ipso etiam Christo semere, & sine probatis testibus. At vero Suarez immunitatem partus Virginis, vel a fecundinis, vel a fœcibus illis, quas nos quoque rejecimus, dupliciter ad miraculum trahit; „ Primo, ut Christi conceptio facta fuerit absque illis membranis, & fecundinis. Quod fieri potest verisimile, tum quia miraculose Spiritus „ Sancti virtute conceptus est, tum etiam, „ quia videtur cessasse illarum necessitas. „ In naturali enim conceptione incipit secundina formari, ut genituram cumpleatur,in qua vis seminis inest,ut ita paulatim formetur fœtus. Hæc autem ratio „ in Christi conceptione cessavit, quia momento perfecta est absque semine,& absque impuro sanguine matris ex quorum „ concursu, & actione unius, & alterius „ dispositione generatur hæc membrana, „ crassa, sicca,& duriuscula. Si autem Christus in utero matris non fuit involutus „ his membranis, absque novo miraculo „ factum est, ut in nativitate inveniæ non „ sint, ablatis autem secundinis, facile intelligitur ratio, ob quam nullæ aliæ fordes inveniæ fuerint, nec sanguinis emissio,quia hæc omnia potissimum eveniunt „ in aliorum partu ex divisione secundinarum, in quibus illa omnia congregantur. „ Hic vero dicendi modus quanvis fieri „ potuerit, necesse tamen est, ut multa miracula congerat, fere continua illis novem mensibus, ut in principio hujus sectionis argumentabamur. Duo ramen „ sunt præcipua. Alterum pertinet ad alimentum fœtus,quia fœtus per umbilicum „ secundinis copulatur, per quas fugit sanguinem a matre, & ideo secundinæ plenæ sunt venis. Unde, si Christi corpusculum his membranis caruisset, non potuisset naturaliter ali. Nisi fortasse verum „ sit (quod aliqui dicunt) præter has membraoas prodire ex venis matricis seminæ quosdam veluti funiculos, quibus „ fœtus conjungitur matri in umbilico, ut „ nutriatur. Nam si hoc verum est, facile „ intelligitur fieri potuisse, ut Virgo non „ haberet tempore partus superfluum sanguinem, quem evacuaret, sed solum sanguinem purissimum, qui, & ad sui corporis, & filii nutritionem sufficeret. Alterum miraculum est, quia non poterat „ naturaliter corpus Christi io utero Virginis non habere aliqua excrementa;oportuisset ergo, vel illa injicere in matricem „ Virginis, quod nec decebat, neque est „ ordini naturæ consentaneum, vel certe „ fieri miraculose debuit, ut alia via resolverentur. „ Subdit deinde idem Suarez alium modum explicandi hoc miraculum, addens: „ Alius modus explicandi hoc „ miraculum facilior esse videtur, si dicamus, Christum quidem fuisse conceptum „ membranis involutum, & ita habuisse in „ utero matris statum omnino naturalem: „ tempore autem nativitatis sicut prodiit „ per naturales vias sine ruptione claustri „ virginalis, ita etiam exuisse illas membranas, eas penetrando absque ruptione, „ atque hac ratione purum, ac nudum ex „ utero Matris elapsum fuisse. Membranas „ autem illas cum omni sanguine, & excrementis in illis conclusis non fuit necesse „ in lucem hanc prodire post Christum „ natum: sed divina virtute fieri potuit, „ ut vel in aliam materiam resolverentur, „ vel alio miraculoso modo in alium convenientem locum transferrentur. Primum quidem ut partus Virginis omni ex „ parte esset purissimus, ejusque integritas, „ ac virginitas ex illius modo manifestaretur. Deinde quia cum secundinæ sint „ corpus densum, ac durum, non poterant „ ex utero Virginis exire absque ruptione „ claustri virginalis sine miraculo pene-

„ tra-

„ trationis, vel transitus ab extremo in extremum sine medio. Cum ergo necessarium fuerit aliquod miraculum, credendum est Deum illud elegisse, quod & dignitati mysterii accommodatius esset, & facilius, ut omnia possint optime expediri. Nam (ut docte dixit Cajetanus) hæc secreta miracula, quæ aliena sunt ab omni suspicione maxime decuerunt Christum, etiam in tempore infantiæ propter matris obsequium, & ut suavius omnia disponerentur, & citius expedirentur. Addit præterea, & recte, hæc omnia conduxisse ad confirmationem, & augmentum fidei Joseph, qui cum matre adorabat natum mundi Dominum. „

Ad XV. Allatis verbis, quæ in revelationibus S.Brigidæ continentur, potius Conclusiones nostræ firmantur, quam impugnentur. Quum enim in prima dicatur: *Cum nasceretur ex me indicibili exultatione, festinantia, clauso virginali utero meo prodibat*; En prima conclusio, & secundæ Conclusionis prima pars comprobatæ. Et quando dicitur in secunda: *Peperi, sicut nunc vidisti flexis genibus, orando sola in stabulo*; habetur, quod nulla intervenerit obstetrix. Quando dicitur vero: *Peperi enim eum cum tanta exultatione, & lætitia animæ, quod non sensi aliquod gravamen, quando ipse exibat de corpore meo, nec dolorem aliquem*: En partus Virginis sine dolore, sed potius cum lætitia, & exultatione: & quando dicitur: *Statim involvi eum panniculis mundis, quos diu ante præparaveram*: En immunitas a secundinis, & a fæcibus puerperii; aliter enim non dixisset: *Statim involvi*; sed prius abluere debebat corpusculum natum, & deinde pannis involvere. Quod vero nulla in verbis illis mentio habeatur immunitatis a secundinis, & sordibus, non per hoc fit, quod istæ fuerint in partu illo; tum quia neque affirmantur, neque negantur; tum etiam, quia ex his, quæ dicuntur, clare infertur, eas omnino abfuisse a partu illo, qui esse nullo modo debebat, nec matris integritatem lædens, nec filii sanctitatem deturpans.

DISSERTATIO CCXVI.

De Nativitate Christi. In quo loco Christus natus fuerit? Quo tempore? Et de Pastoribus, qui ipsum natum adoraverunt.

NOMINE loci, in quo Christus est natus; primo venit Civitas, quæ Christo fuit natale solum; secundo venit domus, ubi Christum Virgo parturiit; tertio venit præsepium, in quo puerulus natus reclinatus est. His adduntur & jumenta, quæ dicuntur in stabulo fuisse, & Pastores, qui ad eum adorandum in stabulum convenerunt.

Dicimus I. Civitatem fuisse Bethleem; domum fuisse speluncam, quæ erat in Bethleemi suburbio, aut in agro conjuncto; præsepium vero fuisse simul lateritium, & ligneum.

I. Conclusionis pars probatur ex Scripturis, Matthæi 2. *Cum natus esset Jesus in Bethleem Juda*. Lucæ 2. *Ascendit Joseph a Galilæa de Civitate Nazareth in Civitatem David, quæ vocatur Bethleem.... Factum est autem, cum essent ibi, impleti sunt dies Mariæ, ut pareret*. Insuper hoc fuit vaticinium Micheæ cap.5. *Et tu Bethleem Ephrata parvulus es in millibus Juda; ex te mihi egredietur qui sit dominator in Israel*. Quod vaticinium Matthæus affert, ut illud adimpletum esse ostendat.

II. Conclusionis pars explicatur, atque probatur; nimirum, quod natus sit Jesus in agro suburbano Bethleemi, non quidem sub dio, sed in spelunca, quæ erat diversorio conjuncta, & terræ, seu saxo excavata, quæ ad bruta animantia recipienda fuerat destinata. Hoc ipsum asserunt Justinus in Dialogo cum Tryphone Judæo, Origenes lib.1. contra Celsum, Hieronymus epist.18., Personatus Athanasius orat. de nativit., Damascenus lib. 4. de fide cap. 15. Sane Eusebius lib. 7. de institut. Evangel. cap.2. asserit; *Agrum juxta Bethleemum demonstrari, ubi Virgo in ipso infantem deposuit*. Justinus loc. cit. speluncam scribit *juxta Bethleemum positam*. Burchardus in Descript. Terræ sanctæ par. 1. eam dicit, fuisse *juxta muros Civitatis*. Hoc ipsum probatur ratione.

rione. I. Vocati sunt Pastores ad salutandum puerum natum, qui custodiebant vigilias noctis super gregem suum, vel ut habet Textus Græcus, erant in agro stabulantes, hoc est studio cubantes cum grege; sed si infantulus natus fuisset intra urbem, quæ erat tunc temporis muris cincta, & nocte a milite custodita, Pastores non eum facile invenissent: ergo &c. II. Herodes non solum jussit occidi pueros, qui nati essent in Bethleem, sed etiam *in omnibus finibus ejus*: ergo nomine Bethleem non solum venit urbs, sed & suburbium, & conjunctus ager, & etiam omnes fines ejus. III. In spelunca, quæ erat destinata ad recipiendum bruta animantia debebat esse præsepium, quod deservit continendo brutorum pabulo; sed B. Virgo non habens locum in diversorio, in spelunca peperit, & infantem in præsepio, quod in promptu erat reclinavit. Hoc ipsum confirmant Augustinus serm. 2. de Epiphania, Zeno Veronensis serm. 3. de nativit., Athanasius, vel quisquis est Author sermonis de censu, seu de nativit., Epiphanius, vel cujuscunque sit oratio de laudibus B. Virginis; qui omnes Christum scribunt *in stabulo natum*. Denique quod fuerit spelunca saxo excavata asserit Hieronymus epist. 17. eam vocans *parvum terræ foramen*; Eusebius lib. 3. de vita Costantini *antrum* appellat. Beda lib. de locis sanctis cap. 8. *Semiantrum vocitat*. Et hoc juxta morem regionis, quia, ut observat Strabo, aliique Geographi, tota illa regio est petrosa, & multæ in illa sunt domus saxis inclusæ.

III. Conclusionis pars, scilicet de Præsepio probatur. Burchardus in descript. Terræ Sanctæ part. 1. cap. 7. asserit fuisse illud excisum in rupe; Chrysostomus serm. ad cap. 2. Lucæ ait, fuisse lateritium, seu ex luto coctili compactum. Ad præsens tamen videtur Romæ ad Sanctam Mariam Majorem ligneum, & gemmis ornatum. Sed apparentem oppositionem conciliat Serry, dicens: ,, Burchardus
,, enim, & Joannes Chrysostomus, non de
,, ipso vase loquuntur, cum constat fuisse
,, ligneum, servaturque nunc Romæ: sed
,, de structura illa exigua, quæ ipsum præ-
,, sepe ligneum continebat, quæque vel la-
,, pidea erat, vel lateritia. Ad majorem
,, quippe firmitudinem vas ligneum lapi-
,, deæ, seu lateritiæ cavitati inclusum
,, erat; & utrunque perinde præsepe non
,, incongrue nuncupatur. Ut silcam lau-
,, datum sermonem dubium esse S. Chryso-
,, stomi foetum, videtique Scriptoris Lati-
,, ni admodum recentioris ,,.

Bruta vero animantia, quæ in Christi præsepio alligata creduntur, & eum flatu suo, & habitu, fovebant; Serry negat, & dicit, hanc fabellam originem habuisse ab Authore Poematis, quod Lactantio falso adscribitur, *de Passione Domini*, & deinde quod a Pictoribus habuit incrementum. Baronius vero non fabellam, sed historiam putat esse veram, adducens textum Habacuc cap. 3. Secundum septuaginta duos Interpretes & Hieronymis explicationem epist. 27. quæ est ad Eustochium, ubi hæc scribit de Paula: ,, Inde Bethleem ingressa, in specum
,, Salvatoris introiens, postquam vidit sa-
,, crum Virginis diversorium, & stabulum,
,, in quo agnovit bos possessorem suum, &
,, asinus præsepe Domini sui, ut illud im-
,, pleret, quod in eodem Propheta scriptum
,, est: *Beatus qui seminat super aquas, ubi bos,*
,, *& asinus calcant*, me audiente, jurabat,
,, cernere se oculis fidei infantem pannis
,, involutum, vagientem in præsepe Do-
,, minum, Magos adorantes, stellam ful-
,, gentem desuper, Matrem Virginem, Nu-
,, tricium sedulum, pastores nocte venien-
,, tes, ut viderent Verbum, quod factum
,, erat &c. ,, Subdit eodem loco, quod eadem de bove, & asino, narrant Nazianzenus, vel quisquis alius est author orationis de Christi nativit., Nyssenus sive verus, sive personatus, de Christi nativit. Paulinus ad Severum epist. 11. Cyrillus Cathec. 2. Prudentius in Cath. die 8. Kal. Januarii, Damascenus in carmine de Nativit. Christi. Quos Authores, dicit Serry, scripsisse figurate, & allegorice; eosque nomine bovis intellexisse Judæos, qui in Pastorum persona in præsepio adoraverunt Christum; nomine vero asini intellexisse Gentiles, qui per Magos Christum etiam in præsepio adorarunt. Et sic habet verba Ambrosii, quæ apud ipsum sunt quæ sequuntur: *Quod in pannis est Christus, vides: quod in cœlis est, non vides? Infantis audis vagitus, non audis bovis Dominum agnoscentis mugitus? Agnovit enim bos possessorem suum, & asina præsepe Domini sui: imo præsepium dixerim, sicut scripsit, qui transtulit. Nihil enim apud me distat in verbo, quod non distat in sensu. Nam si orator illorum,* (Demost. pro Ctesiphonte) *qui phaleras sermonum sequuntur, negat, in hoc positas esse fortunas Græciæ, hoc, an illo verbo usus sit, sed*

rem

rem spectandam putat: si ipsi Philosophi eorum, qui totos dies in disputationibus consu[...]t, minus latinis, & receptis sermonibus usi sunt, ut propriis uterentur: quanto magis nos negligere verba debemus, spectare mysteria, quibus vincit sermonis vilitas, quod operum miracula divinorum nullis venustata sermonibus veritatis limine refulserunt? Denique asinam illam rationalem, non succo deliciarum, sed succo spiritalis alimoniæ Præsepia sancta paverunt. Hic est Dominus, hoc præsepe, quo nobis divinum misterium revelatum est; irrationales Gentes, pecudum more intro præsepia viventes, alimoniæ sacræ ubertate pascendas esse. Agnovit ergo asina, species, scilicet & forma Gentilium, Præsepe Domini sui. Et ideo dicit: Dominus pascit me, & nihil mihi deerit.

Verum præferenda est semper Ecclesiæ traditio, & communis fidelium sensus est præeligendus. Quod asserit Cornelius a Lapide in cap. 2. Lucæ v. 6. „ Denique „ Christus collocatus fuit in præsepio, duabus de causis. Prior, quod in tota spelunca „ non esset commodior, nec decentior „ Christo locus, quam præsepium, ut in „ ejus fœno, quasi in lecto, recumberet te„ner Christus. Posterior ut in vigore hie„mis (erat enim finis Decembris) Chri„stus halitu bovis, & asini, calesceret. Ad „ præsepe enim hoc alligatum fuisse bo„vem, & asinum traditio est, hicque est „ communis fidelium sensus. Et de iis Ec„clesia intelligit illud Habacuc 3. 2. juxta „ Septuaginta: *In medio duorum animalium* „ *cognosceris*; ac iisdem appropriat illud Isaiæ „ 1. 3. *Cognovit bos possessorem suum, & asi„nus præsepe Domini sui*, uti explicant ibi„dem S. Hieronymus, Nazianzenus, Cy„rillus, Paulinus, Prudentius, & alii apud „ Baronium „.

Quod autem per bruta illa animantia significati fuerint Populus Judaicus, & Populus Gentilis, non per hoc fit, quod vere, & proprie bos, & asinus in præsepio non intervenerint. Multa enim sunt in divinis Scripturis, quæ literaliter intelligenda esse, nemo ambigit; & nihilominus figurate a Patribus intelliguntur, & explicantur. Sic aries, qui in Abrahami sacrificio intervenit; sic vitulus, qui in ejusdem convivio, quod Angelis præparavit, est appositus; sic asinus, supra quem Dominus Jerosolymam ad modum triumphi est ingressus; & alia hujuscemodi. Unde pro re, de qua agimus scripsit Joannes da Sylveira lib. 2. cap. 1. in Lucam qu. 9. „ Ponitur in præsepio Verbum „ & intellectio, ut sancta quadam astutia „ nos illuminaret; erant enim homines per „ peccatum veluti bruta animalia; dum „ ergo accedunt ad pabulum, existimantes „ sumere alimenta, inveniunt rationem, „ quia spiritualiter illustrantur „. Et authoritatem adducit Chrysippi Jerosolymitani serm. de S. Maria dicentis: *In præsepi animalium irrationalium proponebatur Verbum, & ratio, ut pro instituto accurrentes homines irrationales, sensus rationalis participes efficeret; in mensa bestiarum proponebatur panis cœlestis, ut ex hominum genere his, qui bestiales erant, communicationem escæ mysticæ exhiberet.*

Denique dictis addimus testimonium Chrysostomi homil. de nativ. Domini, si illius legitimus est fœtus, dicentis: *Et reclinavit eum in præsepio. Quare in præsepio? Ut compleretur vaticinium Esaiæ Prophetæ: Cognovit bos possessorem suum, & asinus præsepium Domini sui. Scriptum est in alio loco: Homines, & jumenta salvos facies Domine. Si homo es, panem comede: si animal es, ad præsepe accede. Quia non erat ei locus in diversorio. Omnia enim judicia infidelitas repleverat. Non invenit locum in sancta Sanctorum, qui auro, gemmis, serico, & argento fulgebat: & tamen non nascitur inter aurum, & divitias, sed in stercore nascitur, hoc est, in stabulo. Ubicumque enim stabulum, ibi & stercus est, ubi erant spurciora peccata nostra. Propterea in stercore nascitur, ut eos, qui sunt de stercore sublevet. Levans de stercore inopem. In stercore nascitur, ubi & Job sedebat, & postea coronatus est. Quia non erat ei locus in diversorio. Quicunque pauper est, accipiet consolationem, Joseph, & Maria mater Domini non habebant servulum, non ancillam: de Galilæa, de Nazareth soli veniunt, non habebant jumentum: Ipsi sunt Domini, & famuli. Rem novam, ingrediuntur in diversorium, non ingrediuntur in Civitatem; paupertas enim timida inter divites non audebat accedere. Videte magnitudinem paupertatis, in diversorium vadunt, non dixit quod erat in via, sed in diverticulo erat extra in via: hoc est non in via, sed extra viam. Non in via legis, sed in diverticulo Evangelii, & tamen in ipso diverticulo erant. Alibi nullus locus vacabat ad nativitatem Salvatoris, nisi præsepe, ad quod jumenta, & asini ligabantur.* Accedit quoque testimonium S. Dionysii Carthusiani in cap. 2. Lucæ art. 6. scribentis: *Et reclinavit in præsepio juxta se posito, quod vel Joseph faber lignarius ibi tunc fecit propter bovem, & asinum, quos secum fer-*

tur duxisse, vehens Virginem super asinum, & bovem pro necessariis in itinere vendere volens, quanvis aliqui putent, animalia illa, aut saltem bovem, aliunde fuisse adducta, vel præsepe jamdudum fuisse ibi constructum in loco, de quo subditur; quia non erat ei locus in diversorio, hoc est, alium aptiorem locum, quo puerum poneret, ibi Virgo Sancta non reperit. Porro diversorium secundum Isidorum dicitur, quia diversi illuc conveniunt, atque, ut asserit Beda, fuit domus, seu spacium inter duos vicos, ex utroque latere habens murum, & ex utraque parte portam, desuper quoque ob aeris intemperiem coopertum, quo festis diebus cives ad conferendum, & solatiandum convenerant, quo etiam urbem ingredientes animalia sua ad tempus locare solebant; sicque a divertendo diversorium est vocatum, quoniam illic homines divertebant. Alii dicunt, quod fuit hospitalaria, ad quam ab extra venientes, divertebant ad hospitandum, præsertim egeni; unde quia tunc Bethlehem fuit hominibus plena, & ditiores hospitia occupaverant meliora, Joseph ut verecundus, simplex, & pauper cum Virgine divertit ad locum præfatum, quod utique non casualiter factum est, sed Deo praordinante, ac moderante, propter multiplicem rationem, videlicet ad commendandam paupertatem, ac humilitatem, mundique contemptum edocendum, quia ad hæc instruenda verbo, ac opere ipsemet filius Dei advenit, item ad implendam Scripturam, quam per Habacuc de Christo prædictum est secundum translationem septuaginta Interpretum. In medio duorum animalium cognosceris. Itaque Dominus virtutum, rex gloriæ, decus majestatis immensæ, assumpturus, & redempturus naturam humanam in cunctis elegit, quæ secundum mundum abjectiora sunt, & corpori graviora. Pauperem etenim elegit matrem, in alieno, angusto, vilique loco natus, & reclinatus est tempore hyemali, & media nocte voluit nasci, ut mundi damnaret superbiam, reprobaret lasciviam, penuriam vero in se decoraret, & pauperes consolaretur, quatenus ejus exemplo carnem nostram cum vitiis, & concupiscentiis crucifigamus, aspera, & ardua viriliter aggrediamur. Væ ergo vanissimis seculi dilectoribus, qui de sua nobilitate, & opulentia stultissime gloriantur, & jactant se, qui tandem sero, & infructuose dicturi sunt illud Sapientis: Quid profuit nobis superbia, aut divitiarum jactantia, quid contulit nobis? Transierunt omnia illa tanquam umbra. Ubi jam qui lectorum gaudent mollitie, quid ibi satisfaciunt desideriis carnis? Quibus dicitur per Amos Prophetam. Væ qui dormitis in lectis eburneis, & lascivitis in stratis vestris. Ecce qui sedet super Cherubim, & in cælestibus thronis quiescit, duri præsepis propter nos continetur angustia. Denique quoniam homo comparatur jumento, vel divinæ legis jugum pie, ac obedienter ferendo, juxta illud Psalmi: Ut jumentum factus sum apud te, & ego semper tecum, quod in persona justi dicitur ibi: vel irrationabiliter, seu bestialiter conversando, quemadmodum scriptum est: Homo cum in honore esset non intellexit, comparatus est jumentis insipientibus. Hinc Christus ut fieret horum refectio jumentorum, factus est fœnum, eo modo, quo in Esaia scribitur. Omnia caro fœnum, voluitque eis in præsepe primo proponi.

Pro altera Dissertationis parte, in qua quæritur, quo tempore Christus sit natus, intelligi potest quæsitum, & de anno, & de mense, & de die, & de hora. De anno, quæritur, quo anno natus est Christus a creatione mundi? Quo anno imperii Cæsaris Augusti? Quo anno regni Herodis Regis. Pro quibus

Primo, qui annos computant juxta versionem septuaginta Interpretum, natalem Christi diem consignant anno a creatione mundi quinquies millesimo centesimo nonagesimo nono. Et hoc pacto loquitur Martyrologium Romanum, quia tunc editum est, quando Ecclesia Romana septuaginta Interpretum versione communiter utebatur.

Secundo, qui computant annos juxta textum hæbraicum, & vulgatam Scripturæ sacræ versionem annos quatuor mille a creatione mundi ad Christum usque numerant. Et hæc quidem de anno.

Tertio de mense, ac de die, quo Christus est natus. S. Clemens Alexandrinus lib. 1. Stromatum refert quosdam, qui asserebant, Christum natum die vigesima Aprilis, & alios, qui dicebant, ortum die vigesima maii; quorum opiniones refert quidem, sed non refellit. His accedunt Protestantes aliquot, nempe Josephus Scaliger, Sethus Calvisius, Samuel Basnagius, qui volunt, Christum media hieme non fuisse natum.

Quarto, Ecclesiæ Ægyptiorum credunt, Christum natum die sexta Januarii; ac proinde die illa quatuor celebrant festa, Nativitatis nimirum Christi, Epiphaniæ, Baptismi, ac primi miraculi, quod Christus in Cana Galilææ peregit; putabant enim illa omnia eadem die sexta Januarii,

rii, quanvis distinctis annis contigisse. Quod testatur S. Epiphanius hær. 51. Cassianus collat. 10, Theophilus Alexandrinus epist. 6.

Quinto Joannes Nyssenus in quadam epistola, quam vulgavit Combefisius, testatur, Natalem Christi diem Romæ definitam esse ad 25. Decembris tantummodo sub Julio Romano Pontifice; & consequenter ante hujus Pontificis ævum vagam fuisse Dominici Natalis celebrationem in Ecclesia Romana; quod qui credere velit, nemo erit.

Sexto Hetychius apud Anastasium Nyssenum Episcopum voluit Christum natum hora diei tertia; Anastasius vero hora septima. At ignoratur de qua hora loquuti fuerint, an diei naturalis, qui incipit a media nocte, an vero diei judaici, qui a solis ortu exordium sumit. Anastasius Synaita lib. 7. in exameron, scribit natum ad vesperam. Cæteri autem communiter volunt de nocte natum; at qua noctis hora, qua noctis vigilia, non exprimunt. Certe apud Judæos duodecim noctis horæ, & quatuor vigiliæ numerabantur. At communis Interpretum sententia est, Christum de media nocte fuisse natum.

Dicimus II. Christum Dominum fuisse natum anno quater millesimo juxta textum hæbraicum, & vulgatam versionem, anno Imperii Cæsaris Augusti quadragesimo primo, anno Regni Herodis Regis trigesimo sexto, mense Decembri, die vigesima quinta, de media nocte.

I. Conclusionis pars probatur I. a Serry hac eadem distincta, ac perspicua secundum Mundi ætates annorum enumeratione. Prima mundi ætas, quæ incipit a creatione Mundi, & ad diluvium desinit, continet annos 1656. mensem unum, & dies 26. Secunda mundi ætas, quæ incipit a diluvio, & desinit ad vocationem Abrahæ continet annos 426., menses quatuor, dies 18. Tertia ætas, quæ incipit a vocatione Abrahæ, & desinit ad exitum ex Ægypto continet annos 430. Quarta ætas, quæ incipit ab exitu nuper dicto, & desinit ad posita Templi fundamenta, continet annos 479. dies 17. Quinta ætas, quæ incipit a fundatione Templi, & desinit ad finem Babylonicæ captivitatis, continet annos 475., menses undecim, dies 29. Sexta ætas, quæ incipit a soluta captivitate per Cyrum, & desinit ad Christum natum, continet annos 531., menses duos, dies tres. Qui quidem anni si ad summam deducantur, a creatione mundi scilicet, usque ad Christum natum, conficiunt annos quatermille, seu annos termille nongentos nonaginta novem, menses duos, dies tres.

II. Probatur, si nostra conclusio non subsistit, ex eo, vel maxime est, quia Martyrologii computationi non conformatur; sed nec etiam ipsa Martyrologii computatio septuaginta Interpretum calculis conformatur: ergo vel utraque falsa, vel nostra vera, etiamsi Martyrologii computationi non conformis. Probatur minor. Martyrologium Romanum consignat diem Christi Natalem anno a creatione mundi quinquies millesimo centesimo nonagesimo nono; sed secundum septuaginta Interpretum calculum essent anni quinquies mille septingenti undeviginti: ergo &c. Probatur prima pars antecedentis. Septuaginta Interpretes addunt ætati primæ annos nongentos; addunt ætati secundæ annos octingentos, & undeviginti, atque insuper Cainanis generationis eidem ætati secundæ superaddunt. Denique concludit Serry, Ecclesiam nihil super hoc definisse, quæ quæstiones Chronologicas privatorum hominum industriæ, & eruditioni dirimendas committit. „ Verum Ecclesia non eo usque „ suam demittit dignitatem, ut de quæstio- „ nibus chronologicis ex tribunali pronun- „ ciet, quarum examen privatorum indu- „ striæ, & eruditioni committit „.

III. Probatur altera Conclusionis pars. Josephus Judæus lib. 17. antiquit. judaic. cap. 8. scribit, quod Herodes mortuus fuit anno 37. post Judææ regnum a Romanis acceptum; atqui Christus natus est anno antecedente Herodis mortem, ut est omnium consensus: ergo Christus natus est anno trigesimo sexto regni Herodis Regis. Insuper quando Herodes Rex numerabat annum regni sui trigesimum sextum, Augustus numerabat annum imperii sui quadragesimum primum: ergo si Christus natus est anno trigesimosexto regni Herodis Regis, natus est etiam anno quadragesimo primo imperii Octaviani Augusti. Probatur antecedens. Cardinalis Noris in Cenotaphiis Pisanis differ. 2. clare, & invicte ostendit, Augustum anno quinto imperii sui Herodem Judæorum Regem constituisse; sed si annis quinque addantur anni triginta sex, quas transegerat Herodes in Regno, quando Christus est ortus, conficiunt annos quadraginta unum: ergo anno imperii Augusti

gusti quadragesimo primo natus est Christus.

IV. Probatur de mense. Ideo per illos, quos memorat S. Clemens Alexandrinus, & per posteriores Heterodoxos, Christus non est natus tempore hiemali, quia hiems non erat tempus aptum ad descriptionem Orbis, nec ad custodiam gregum de nocte, & sub dio; sed hæ rationes nullæ sunt: ergo &c. Probatur minor. Judææ regio est omnium temperatissima, unde possunt Pastores, etiam hiemali tempore, ad custodiendum gregem sub dio cubare, Quod probat Serry exemplo Angliæ, ubi cœlum non est mite, & exemplo Daniæ, ubi regio est algidissima; & nihilominus in Anglia toto anno armenta in agris sub dio pernoctant; quod testantur Casaubonus exercit.2: contra Baronium ad primum Christi annum, & Montacutius lib. de vita Christi; & de Dania testatur Langius Danus lib. 2. de annis Christi par. 2. cap. 2.

V. Probatur de die contra Ægyptiorum traditionem; quam referunt quidem Epiphanius, Cassianus, & Theophylus Alexandrinus; sed eam impugnat Hieronymus in Comment. ad cap. 1. Ezechielis Prophetæ. Etenim quum universa Ecclesia pro traditione habuerit, Christum fuisse natum die 25. Decembris; non est ratio, ut hujusmodi universali traditione relicta, peculiarem illam Ægyptiorum amplectamur. Hoc argumentum late prosequuntur Chrysostomus t.5.hom.33. Nyssenus orat. in sancta lumina, Augustinus lib.4. de Trin. c.5., & epist. 119. Osorius lib.7. hist. Eccl. c.2., Anastasius, Episcopus Nyssenus, q.92., & personatus autor Constit. Apost. lib.5. c.23.

VI. Probatur contra Joannem Nyssenum, quod non fuerit dies illa 25. Decembris constituta a Julio, Romano Pontifice. Si enim illius meminerunt Chrysostomus, aliique Patres, qui Julium præcesserunt, quomodo potuit a Julio primo institui? Præterquamquod Romæ in publicis tabulis facile poterat inveniri descriptio ex Cæsaris Augusti edicto facta; & per consequens facile quoque poterat deprehendi dies Christi natalis. Denique in Sexta Synodo Oecumenica declararunt Patres, Christum fuisse natum die 25. Decembris, quæ fuit dies Dominica, ut refert Nicephorus Callixtus lib. 1. hist. c.12. & nos quoque in nostris ecclesiasticis Dissertationibus diximus.

VII. Probatur; quia traditio Ecclesiæ est, Christum fuisse conceptum die 25. Martii, quia die 25. Decembris est ortus. Unde Augustinus lib. 4. de Trinit. c. 5. docuit: *Novem menses, & sex dies, parientibus feminis imputantur. Non quia omnes ad sextum diem post nonum mensem perveniunt; sed quia ipsa perfectio corporis Christi Domini tot diebus ad partum perducta comperitur; sicut a Majoribus traditum suscipiens Ecclesia custodit auctoritas*. Quibus addit Serry, Augustinum intellexisse novem menses Lunares, qui sunt viginti novem dierum cum dimidio, vel paulo amplius; adeoque postulant sex aliorum dierum adjunctionem, ut accedant ad spatium novem mensium solarium.

VIII. Probatur de hora. Certum est, Christum natum fuisse de nocte; sed probabilius est dicere, fuisse natum de media nocte, quam alia noctis hora: ergo &c. Major patet ex Evangelio Lucæ cap. 2. ubi statim dicitur, post enarratam Christi nativitatem: *Pastores erant in eadem regione vigilantes, & custodientes vigilias noctis super gregem suum*: ergo de nocte Christus est natus. Probatur minor: Ecclesiæ antiqua traditio est de media nocte nativitatis festum annua celebritate venerari; quod & asseruit Albinus Flaccus de divinis officiis c.1. deducens illud ipsum ex cap.18. Sapientiæ: *Cum quietum silentium contineret omnia, & nox in suo cursu medium iter haberet, omnipotens sermo tuus a regalibus sedibus durus debellator in medium exterminii terram prosilivit*. Quæ verba interpretantur Patres de temporali divini Verbi hominis facti nativitate.

Opponunt I. Matthæus vocavit terram, in qua natus est Jesus, Bethlehem Juda, Michæas vero cap.5.dixit Bethlehem Ephrata: ergo vel non est eadem terra, vel opponuntur Propheta, & Evangelista in ejus nomine designando. II. Christus nunquam dictus est Bethlehemites, aut Ephratæus, sed solum, & semper Nazarænus, vel Galilæus: ergo non est verum, quod fuerit Bethlehemi natus. III. Matthæi 2. Oraculum Michææ de Christo nascituro Bethlehemi, his verbis recitatur: *Et tu Bethlehem terra Juda, nequaquam minima es in principibus Juda; ex te enim exiet dux, qui regat populum meum Israel*. At apud Michæam cap.5.his aliis verbis legitur: *Et tu Bethlehem Ephrata, parvulus es in millibus Juda; ex te mihi egredietur, qui sit dominator in Israel*; quæ quidem oppositio verborum, vel Mat-

thæi

thæi fidelitatem lædit, vel Michææ vaticinium enervat. IV. Verba illa Michææ nequeunt Christo nascenti applicari; quum enim dicatur: *Ex te exiet dux, qui regat populum meum Israel*; hæc verba neutiquam possunt de Christo intelligi, qui nunquam fuit dux, aut Dominus populi Israel. V. Non est ratio, propter quam dicatur, Christum voluisse potius Bethlehemi, quam in alia terra nasci: ergo vere Christus non fuit Bethlehemi natus. VI. Quia B. Virgo Christum natum reclinavit in præsepio, dicere debemus, quod antecedenter Christus fuerit natus, & deinde reclinatus; sed in quo natus? An super nudam terram? An super Virginis brachia? An super manus Angelorum? Hoc est omnino dubium, & à nobis non adhuc explicatum. VII. Jeremias comparat tarditatem Judæorum in cognoscendo Christum milvo, turturi, hirundini, & ciconiæ, verbis hisce: *Milvus in cælo cognovit tempus suum: Turtur, & hirundo, & ciconia custodierunt tempus adventus sui: populus autem meus non cognovit judicium Domini:* & nihilominus nemo dixit hucusque, quod vel milvus, vel turtur, vel hirundo, vel ciconia, in Christi præsepio interfuerunt: ergo neque dici debet, quod in Christi præsepio intervenerunt asinus, & bos, per hoc, quod Prophetæ ipsorum nomine, vel judaicam pravitatem, vel ethnicam insipientiam increparunt. VIII. S. Athanasius in homil. de censu, & S. Ambrosius allegorice intelligunt bovis, & asini interventum in præsepio: ille enim dicit: *In præsepio reclinatur, ut humani generis brutalitatem emendet, & duorum animalium cibus fieret. Quorum vero animalium? Ethnici, judaicique populi, de quibus scriptum est: In medio duorum animalium cognosceris:* & pro hoc canit Ecclesia in anniversaria natalitia Domini solemnitate: *O magnum mysterium, & admirabile Sacramentum! Ut animalia viderent Dominum natum jacentem in præsepio. Domine, audivi auditum tuum, & timui, consideravi opera tua, & expavi, in medio duorum animalium jacentem in præsepio*: ergo non est necesse, ut ad salvandum Prophetarum oracula ad materialem physicam, & literalem bovis, & asini existentiam in præsepio recurramus. IX. Nulla assignatur ratio, quare Christus nasci voluerit de nocte, & media nocte, hiemali tempore, & quando dies incipiunt crescere, & noctes minui: ergo vel nos pro arbitrio loquimur, vel scribimus non vera. X. Chronologi multas afferunt oppositiones contra tempus nativitatis Christi, quod nos statuimus; eas igitur vel nos debemus adducere, & solvere; vel si dissimulamus, infirma remanet nostra conclusio. XI. Bensonius in psalm. 46. ex quadam S. Brigidæ revelatione asserit, quod B. Joseph non erat præsens in spelunca, quando B. Virgo ibidem Christum Dominum enixa est: ergo hoc non fuit de nocte; quia incredibile est, B. Joseph reliquisse solam B. Virginem noctis tempore in spelunca. XII. Joseph Judæus lib. 18. antiquit. cap. 13. refert descriptionem sub Quirino fuisse factam anno 37. post victoriam actiacam; sed hic annus fuit quadragesimus nonus imperii Augusti, si illud numeremus ab initio Consulatus, vel Triumviratus: ergo &c. XIII. Sancti Patres præcipue Augustinus serm. 154. de tempore, & Leo Magnus epist. 81. ad Dioscorum, asserunt die Dominica fuisse quidem factam Domini resurrectionem, nihil tamen de Domini nativitate dicunt. XIV. Ideo dicitur, quod Christus natus fuerit die 25. Decembris post mediam noctem, quia Ecclesia illa eadem die Christi nativitatis celebrat festum; sed etiam Ecclesia celebrat festum institutionis Sacramenti Eucharistici in feria quinta Majoris hebdomadæ, & nihilominus Sacramentum illud Christus instituit ante mediam noctem illius diei: ergo vel nulla est ratio nostra, vel nulla conclusio. XV. Refert Cornelius a Lapide, quod quanvis Salianus, Scaliger, aliique putent, Christum fuisse natum anno 36., & penultimo regni Herodis; Baronius tamen, asserit, fuisse natum anno regni Herodis 20., Abulensis 30., Beda 31., Eusebius 32., Severus Sulpitius 33., Torniellus 24., & alii diversimode: ergo non est universalis conclusio nostra.

Respondemus ad I. cum Hieronymo apud Serry „ Matthæum Prophetæ verba non „ a seipso recitasse, inquiens, sed nomine „ Scribarum, & Principum Sacerdotum, „ qui ab Herode de natali Christi solo in„ terrogati, Bethlehemum Judæ illico re„ sponderunt, datumque responsum pro„ ductis Michææ verbis confirmarunt, cor„ ruptis tamen, ac vitiatis; quam ille vi„ tiationem ac corruptionem noluit refe„ rendo corrigere, & emendare: ut inno„ tesceret universis, quanta tunc esset in „ Scribis, & Sacerdotibus ignorantia Scri„ pturarum, qui vel unum Prophetæ ora„ culum in responsi confirmationem pro-

„ fer-

„ ferre jussi, corruptum, & vitiatum recitarunt. „ Subdit præterea idem Serry de suo. „ Quidni quoque dicamus (si quis „ Michææ verba a Matthæo proprio nomine recitata velit) in eundem plane sensum redire omnia: seu verius, Matthæum „ relicta figura verborum, neglectoque „ cortice, sensum Michææ intimatum retulisse. Quia quod est apud Michæam: „ *Et tu Bethlehem Ephrata parvulus es in millibus Juda*, per admirationem, & interrogationem negantem dictum est; tametsi „ scriptione ipsa non adnotetur, quia Hebræi admirationis, & interrogationis puncta scribendo non habent: perinde ac si „ dixisset: *Tu ne parvula es in millibus Juda, ex qua mihi egredietur, qui sit Dominator in Israel?* Uti Matthæi cap. 11. dum „ de Joanne Baptista dicitur: *Quid existis in desertum videre? Arundinem vento agitatam, hominem mollibus vestitum?* Quod „ utique non affirmando dicitur, sed negando. „

Ad II. Quamvis Christus natus fuerit Bethlehemi, quia tamen ibi natus est non tanquam in loco suæ residentiæ, sed solummodo per transitum, inde est, quod nunquam dictus fuit Bethlehemites, sed solummodo Nazaræus, vel Galilæus; quia in Galilæa, & Nazareth erat ordinarius locus habitationis suæ. Homines porro non a loco nativitatis, quando hæc per accidens evenit, sed ab incolatus loco denominationem accipiunt.

Ad III. Oppositio est in verbis, non in significatione verborum; etenim quamvis Bethlehem dicatur Juda, quia pertinebat ad Tribum Juda, ad differentiam alterius Bethlehem, quæ erat in Galilæa, & spectabat ad Tribum Zabulon; nihilominus a Michæa dicitur Ephrata a nomine Parentis Conditoris ipsius, qui eam quoque voluit appellatam ex Matris nomine. Audiatur Suarez 3. par. qu. 35. art. 8. disp. 13. sect. 3. „ Illud vero in prædictis testimoniis observandum est, Michæam „ prædixisse Christum nasciturum in Bethlehem Ephrata, Matthæum tamen referre, illum natum esse in Bethlehem Judæ. „ Hæc tamen nulla est differentia, quæ ad rem pertineat: eadē enim urbs Bethlehem „ olim dicta est *Ephrata*, ut patet Genes. „ 35., & 48., & psalm. 131. quem ad hoc „ mysterium accommodat eleganter Hieronymus epist. 27. dicens: Davidem in verbis illis. *Si introiero in tabernaculum domus meæ &c., donec inveniam locum Domino*, explicasse desiderium, quo tenebatur „ cognoscendi hoc mysterium, & statim „ oculis prophetalibus illud agnovisse dicens: *Ecce audivimus eum in Ephrata, invenimus eum in campis sylvæ*. Hæc autem „ Bethlehem erat in sorte Judæ, non procul „ ab Jerusalem, ut ait Euseb. lib. 7. de Dem. „ cap. 2., idest, vel triginta quinque stadiis, „ ut ait Justinus Apolog. 2. vel sex milliariis, ut scribit Hieronymus de locis hebraicis & ideo dicta etiam est, Bethlehem „ Judæ, ut distingueretur ab alia Bethlehem, „ quæ erat in Tribu Zabulon, ut constat „ Josue 19., & notavit Hieronymus in „ Matthæum, & lib. de locis hebraicis. Qui „ etiam animadvertit utrumque nomen „ mysterio nativitatis Christi recte adaptari. Bethlehem enim *domus panis* interpretatur; Ephrata autem fructifera. Christus „ autem & panis est vitæ, & præcipuus universi fructus. Quanquam enim hæc nomina non fuerint ab hominibus propter „ hoc mysterium imposita, sed vel propter „ illius terræ pinguedinem, ac fœcunditatem, vel, ut alii volunt, appellatione „ sumpta ab aliquibus priscis hominibus, „ de quibus mentio fit 1. Paralip. 4. divina „ autem providentia fieri potuit, ut mysterio a se prædefinito nomina congruerent. Unde etiam ratio colligitur, ob „ quam, Christum eo loco nasci oportuit; „ scilicet, ut in eo, quod per Prophetam „ dictum fuerat, impleretur. Prædictum „ autem fuit, ut hoc esset nobis unum ex „ certis signis adventus Messiæ. „

Ad IV. Idem Suarez respondet, quod non est sermo de Israel secundum carnem, nec de principatu, aut dominio temporali; sed de Israel, & de Duce, ac Pastore spirituali; quemadmodum etiam prophetice dictum fuerat Oseæ 1. *Congregabuntur filii Juda, & filii Israel pariter, & ponent sibimet caput unum*. Et Jerem. 31. *Ecce dies venient, & dice Dominus, & feriam domui Israel, & domui Juda fœdus novum*. Et infra: *Dabo legem meam in visceribus eorum, & in corde eorum scribam eam*. Subdit idem Suarez: „ Vel etiam addere possumus, „ Christum esse ducem populi Israel. Multi enim a principio Evangelicæ prædicationis illi nomina dederunt, & plures „ quotidie convertuntur, & in fine seculi „ omnes tandem illi subjicientur. „

Ad V. ait Hennus, varias ob caussas Christum voluisse Bethlehemi nasci, quas ipse recenset, dicens: „ I. Ut impleretur prophetia, quæ de ipso dixerat Matth. 2. *Et tu Bethlehem terra Juda, nequaquam minima es in Principibus Juda, ex te enim exiet „ dux,*

„ *dux*, *qui reget populum meum Israel.* II.
„ ut ostenderet, se esse de semine, & fami-
„ lia David, cujus familiæ caput erat Beth-
„ lehem, ut diximus, quia in eo loco fuerat
„ David natus, & educatus. III. Humilita-
„ tis causa, volens in urbe minima nasci, &
„ in urbe maxima ignominiose mori: un-
„ de S. Leo serm. 1. de Epiph. Qui servi
„ susceperat formam, & non judicare ve-
„ nerat, sed judicari, Bethlehem prælegit
„ nativitati, Jerosolymam passioni. IV. My-
„ stice; quia Bethlehem interpretatur *domus*
„ *panis*, ille autem erat panis vivus qui de
„ cœlo descendit. „

Ad VI. dicit Cornelius a Lapide in Lucam cap. 2. ver. 6. „ Quarto, quærunt aliqui, „ quis primus Christum nascentem locus „ exceperit? Barradius censet, fuisse terram, „ sive humum, idque ad hoc, ut Christus „ nos doceret humilitatem, quæ ab humo „ dicta est, sicut & homo: sic enim ceteri „ infantes nascuntur. Unde Salomon: *Et* „ *in similiter factam decidi terram*, ait Sa- „ pient. 7. 3. Alii censent Christum primo „ exceptum brachiis, & ulnis matris, idque „ cum summo ejus gaudio, & reverentia: „ hoc enim talem matrem, & talem filium „ decere videbatur, idque physice erat „ proclive, & obvium, idemque colligunt „ ea eo, quod statim subdit Lucas: *Et pan-* „ *nis eum involvit*. Quare ipsa ait Franc. „ Lucas, suis manibus excepit prodeun- „ tem a suo utero, tanquam pomum matu- „ rum ea arbore delabens, nervo umbilica- „ ri sponte ac sine violentia se dissulvente, „ quemadmodum solvitur maturi pomi „ caudea, quo arbori adhæret: exceptum „ manibus provoluta in genua adoravit, „ adoratum suavissime est osculata, ac „ deinde involvit pannis, ac fasciis. Unde „ & S. Cyprianus de nativit. Christi: *Ultro* „ *maturus ab arbore fructus delapsus est*, *nec* „ *oportuit vellicari*, *quod sponte prodibat*. „ Pientius, & sublimius Franc. Suarez opi- „ natur, Christum mox, ut natus est, ab „ Angelis in brachia matris sanctissimæ, & „ amantissimæ fuisse depositum. Idem in- „ sinuat Nyssenus, & Geometra in Catena: „ hic enim locus erat illi decentissimus, „ & tam matri, quam filio exoptatissimus; „ inde ipsa illum reclinavit in præsepio. „ Denique S. Brigida lib. 8. Revelat. cap. „ 47. insinuat Christum nascentem, sponte „ sua venisse in manus Virginis matris „ dulcissimæ, & hoc valde probabiliter, & „ pie credi potest. „

Ad VII. Aliud est facere comparationem absolute, & nihil dicere de reali illorum existentia, cum quibus fit comparatio, aliud facere comparationem, & illorum existentiam affirmare. Primum videtur in milvo, hirundine, ciconia &c. secundum vero in bove, & asino, quorum existentia in præsepio affirmatur. Vel si Scripturæ expresse non affirmant, affirmant tamen expresse, & nominatim Patres, aliique illas interpretantes; quod in probationibus fuse vidimus.

Ad VIII. Admisso, quod opus illud sit Athanasii genuinus fœtus, de quo eruditi valde dubitant; adhuc tamen dicimus, quod de eodem possumus, & allegoricam, & literalem explicationem subnectere; & non per hoc fit, quod una ab altera destruatur, ut in probationibus quoque animadvertimus. Exempla præsto sunt in multis, quæ in Scripturis legimus, & præcipue in volatilibus illis, quæ de Noetica arca exiverunt, & quæ etiam a Patribus quibusdam, & Scripturarum Interpretibus allegorice explicantur: & tamen nemo dixit, quod illa realiter, & literaliter non extiterit, & de arca non exierint.

Ad IX. Hæ sunt rationes, quas subdit Hennus ad verificanda quæ opponuntur. „ „ Natum esse de nocte, ut illuminaret se- „ dentes in tenebris, & umbra mortis: in „ hieme, ut patiendo incommoda frigoris, „ nos calefsceret igne sui amoris: in die- „ rum accremento, ut lua fidei, & gratiæ „ cresceret in cordibus hominum „. Cæterum non de omnibus, quæ a libera Dei voluntate dependent, potest a nobis literalis ratio assignari; quis enim consiliarius ejus fuit? Aut cui Deus revelavit unquam quæcunque fecit, & quia sic voluit, fecit?

Ad X. Ad Chronologos remittimus, qui rem ex professo pertractant, difficultatum illarum solutiones, quas etiam remittit Serry, qui scribit in Exercit. 31. „ „ Non me fugit, eam Christi nativitatis „ epocham, tametsi acceptissimam nunc, „ probatissimamque, multis patere difficul- „ tatibus, quæ sua quoque egeant solutio- „ ne: at, ut eas chronologicas controver- „ sias, & suscepto instituto non moveo, ita „ difficultates illas solvendas Chronologis „ mitto. „

Ad XI. falsum omnino reputamus, B. Joseph, pariente Virgine, ab stabulo, in quo pariit, abfuisse. Incredibile enim videtur, Sanctissimum Sponsum reliquisse solam Beatissimam Virginem in ea temporis circumstantia, in qua partui erat proxima. Quod expresse scripsit S. Petrus

trus Damiani serm. 62. *Adest & Joseph, sed ab utroque remotus, & in excessu mentis mirator, & mirari satis non potest, qualiter sit ad tantæ dignitatis admissus arcanum.* Quæ quidem verba, ut emendicatæ S. Brigidæ revelationi occurramus, admodum juvant.

Ad XII. dicimus cum Suarez: „ Vel Jo-
„ sephum non loqui de censu, & de scrip-
„ tione, cujus Evangelista Lucas meminit,
„ vel certe in annorum computatione lap-
„ sum esse. Priorem respondendi modum
„ amplexus est Scholiastes Eusebii, Da-
„ dræus lib. 1. Histor. cap. 5. quanquam Eu-
„ sebius ibi illo testimonio Josephi in con-
„ firmationem historiæ Evangelicæ uta-
„ tur, nulla hujus discordiæ mentione fa-
„ cta. Itaque ex ipsis verbis Lucæ constat,
„ non semel tantum, sed sæpius exactum
„ fuisse hoc tributum sub Quirino; sic
„ enim inquit: *Hæc descriptio prima facta est*
„ *sub Præside Syriæ Cyrino*. Nam quod dicit
„ *primam* non simpliciter intelligit, sed
„ sub illo Præside, nam sub aliis prius sæ-
„ pe fuerat tributum Judæis Romanis im-
„ positum, & imperatum. Dicit ergo præ-
„ dictus author, Josephum non fuisse lo-
„ quutum de primo censu, cujus Lucas
„ mentionem fecit, sed de secunda, vel
„ tertia descriptione (illæ enim per lustra
„ fiebant) quæ post Herodis mortem, &
„ Archelao jam in exilium misso facta est.
„ Posteriorem vero respondendi modum
„ constantissime defendit vir eruditus Ba-
„ ronius in Apparatu suorum Annalium,
„ quia re vera (si attente legatur idem Jo-
„ sephus in ultimis verbis lib. 17. & cap. 1.
„ & 3. lib. 18.) aperte loqui videtur de pri-
„ mo censu sub hoc Præside exacto; lattissi-
„ me ergo probat hic Author lapsum fuis-
„ se Josephum referentem hanc descriptio-
„ nem ad tempora Archelai, post defun-
„ ctum Herodem: quem sæpius in eadem
„ historia lapsum esse demonstrat, ne præ-
„ sens error incredibilis videatur. Indicat
„ etiam causam erroris, nimirum, quod in
„ rebus ad Herodianum regnum pertinen-
„ tibus, novem annos prætermiserit. Ac
„ denique ostendit, præter divinam autho-
„ ritatem, licet humana conjectura agen-
„ dum esset, majorem fidem Lucæ adhiben-
„ dam esse, quam Josepho; tum quia fuerit
„ illis temporibus vicinior: tum etiam quia
„ res Christianorum, & melius noverit, &
„ sincerius ubique tractet, ac referat; tum
„ denique quia hæc historia Lucæ a nullo
„ Hethnicorum, & antiquorum hostium fi-
„ dei in hac parte reprehensa est. Quin
„ potius Julianus Apostata apud Cyrillum
„ lib. 6. contra illum, hoc Lucæ testimo-
„ nio comprobat Christum cum patre, &
„ matre fuisse descriptum sub Cyrino. Igi-
„ tur quidquid sit de Josephi testimonio,
„ certum est, hanc descriptionem factam
„ fuisse eodem anno, quo natus est Christus.
„ Id enim diserte affirmat Evangelista.
„ Quod autem Eusebius in Chronico de-
„ scriptionem hanc videtur ponere in se-
„ cundo anno Olympiadis 194., nativita-
„ tem autem Christi in 3., intelligendum
„ est, Quirinum superiori anno fuisse Ro-
„ ma missum, ut censum faceret, descriptio-
„ nem autem factam esse sequenti anno,
„ quo natus est Christus: Unde etiam cer-
„ tum est illam descriptionem factam esse
„ regnante Herode, ante Archelaum, atque
„ adeo 29., vel ad summum 30. anno ab
„ actiaca victoria, qui fuit 42. imperii Au-
„ gusti. Sub quibus autem Consulibus Ro-
„ manis, & quo anno Herodiani regni na-
„ tivitas Christi contigerit, prætermitto di-
„ cere, tum, quod neque ad Scholasticum
„ institutum, neque ad fidei confirmatio-
„ nem, vel defensionem, pertinere censeo.
„ Tum etiam, quia res mihi est incerta, de
„ qua nihil affirmare, sed aliorum tantum
„ sententias possem referre. Quod satis di-
„ ligenter præstitit Cæsar Baronius supra,
„ & Benedictus Pererius lib. 11. in Daniel.
„ quæst. 5. „

Ad XIII. Cum eodem Suarez respondetur, quod ex authoritate negativa non sumitur efficax argumentum; potuerunt enim Sancti illi, hoc est Augustinus, & Leo, hoc omittere, vel quia erat incertum, vel quia illis in mentem non venit.

Ad XIV. Quia Ecclesia celebrat festum institutionis Sacramenti Eucharistici feria quinta, per hoc, quod Christus illud instituit feria quinta majoris hebdomadæ ante mediam noctem, potius confirmatur, quam destruatur nostra Conclusio; si enim celebraret feria sexta, diceremus, quod illud instituisset post mediam noctem feriæ quintæ. Igitur quum celebret Ecclesia festum nativitatis Domini die 25. Decembris, vere nos asserimus, & probamus ex ecclesiastica traditione, quod Christus die 24. Decembris post mediam noctem, quæ consequitur ad illam diem, est natus.

Ad XV. Jam superius diximus, rem hanc inter Chronologos esse omnino incertam, & tot inter illos varias esse sententias, quot fere sunt capita. Nos sententiam nostram elegimus non ut communiorem,

sed

sed ut probabiliorem, adeoque illam aliorum opinionibus prætulimus, ut dictum est.

Pro postrema tandem Dissertationis parte, in qua quæritur de Pastoribus Christi nativitatem in stabulo adorantibus, quæri solet & locus, in quo inveniebantur, quando fuerunt de Christi ortu ab Angelo admoniti, & numerus illorum; & nomina, quibus indigitabantur. Pro loco, expresse habemus a Hieronymo in traditionibus hebraicis, exponente verba illa Genesis 35. *Egressus inde Jacob; fixit tabernaculum trans turrim gregis*, & hæc scribente: *Hunc locum Hebræi esse volunt, ubi postea Templum ædificatum est, & turrim Eder turrim gregis significare, hoc est, congregationis, & cœtus. Quod & Michæas testatur, dicens: Tu turris gregis nebulosa filia Sion: illoque tempore Jacob trans locum, ubi templum ædificatum est, habuisse tentoria. Sed si sequamur ordinem via pastorum, juxta Bethlehem locus est, ubi, vel Angelorum grex in ortu Domini cecinit, vel Jacob pecora sua pavit, loco nomen imponens: vel, quod est, quodam vaticinio futurum jam tunc mysterium monstrabatur*. Et in Epitaphio Paulæ ad Eustochium: *Haud procul inde descendit Paula ad turrim Eder, idest, gregis, juxta quam pavit Jacob greges suos, & Pastores nocte vigilantes, audire meruerunt: Gloria in excelsis Deo, & super terram pax hominibus bonæ voluntatis*. In quibus verbis adnotare oportet, quod Eder, dictio hebraica significat collectionem pecorum; & hoc, quia ager ille appositus erat ad pecorum pascua; unde Pastores illuc conveniebant, & ibidem morabantur, etiam nocte, & sub dio, ut gregem suum custodirent, & pascerent. Circa numerum vero Pastorum Casaubonus exercit. 2. contra Baronium scripsit, fuisse quatuor; nimirum Misael, Achael, Stephanus, & Cyriacus, & hoc dicit exscripsisse ex quodam antiquo Codice græco anonymo, qui in Bibliotheca Palatina Vittembergensi asservabatur. Alii dicunt, fuisse tres, quos etiam vocant Isaac, Jacob, & Joseph; ut videre est apud Joseph-Mariam Trainiti in peculiari libro, quem edidit de Pastoribus Christum natum adorantibus; & hujus etiam sententiæ fuit Beda lib. de locis sanctis cap. 8. dicens: *Ad Orientem in turre gregis mille passus a Bethlehem civitate segregata est Ecclesia, trium Pastorum Divinæ Nativitatis consociorum monumenta continens*. Et Haymo Halbertatensis: *Distat turris gregis uno milliario a Bethlehem, in qua etiam hodie trium pastorum corpora requiescunt*. Afferunt etiam testimonium Flavii Lucii Dextri in Chronico, quod S. Hieronymo dicavit, & in quo legitur: *Anno Urbis Romæ 752. Lentulo, & Messala Consulibus, uno anno ante Augusti, & Sylvani consulatum, Christus nascitur: tribus pastoribus, qui fuerunt sancti, primum ostenditur*. At de genuinitate Operis Dextri, quod modo extat, dubitant Eruditi: Nos autem in defensione, quam pro Sacra Epistola a B. Virgine Messanensibus scripta, evulgavimus, pro eodem opere stetimus, illudque ab impugnationibus vindicavimus. Cæterum Baronius ad annum 1. citata verba Dextri laudat, eaque etiam in pretio habere demonstrat; & post ipsum etiam Suarez 3. par. qu. 36. disp. 14. sect. 2.

Dicimus III. Tres fuisse Pastores, qui in antro Bethlehemitico Christum natum adorarunt; illosque fuisse Sanctos; &, ut quibusdam videtur, fuisse pariter virgines.

Prima Conclusionis pars probatur I. auctoritate Bedæ, quam nuper attulimus, & pariter Haymonis Halbertatensis, & Flavii Lucii Dextri. II. De Ecclesia illa, quæ fuit erecta in Eder, seu Ader in memoriam Pastorum, dicitur a Baronio ad annum 1. Christi num. 6., *quod erecta est Ecclesia trium Pastorum divinæ nativitatis consciorum monumenta continens*; Et hoc Baronius dicit Patrum authoritate suffultus: ergo vere Pastores illi tres fuerunt. III. S. Bernardus serm. in Vigilia Nativitatis vult, hos tres Pastores vocari propter significationem; quia de illis intelligit verba illa Psalm. 79. *Manifestare*, vel ut legit S. Augustinus, & Cassiodorus ex hebræo vertit, *splende, fulge coram Ephraim, Beniamin, & Manasse*: quibus addit Sylveira: „ Significant enim Manasse oblivionem rerum temporalium; Beniamin pœnitentiam, & dolorem: Ephraim augmentum, & accretionem; solum enim illi, qui sæcularium rerum memoriam amittunt, ac de peccatis lachrymantur, & in virtute proficiunt, hi tantum Christum natum valent inspicere. „ Ex qua etiam comparatione educitur, Pastores tres fuisse. IV. S. Dionysius Carthusianus in cap. 2. Lucæ hæc habet: *Dicitur quoque quod tunc erant juxta turrim quandam inter Bethlehem, atque Hierusalem, ubi Jacob de Mesopotamia rediens, cum suis moratus est gregibus, ubi mortua, & sepulta est Rachel, ut*

patet in Genesi; dicebatur turris gregis, de qua illud Michaea exponitur: *Et tu turris gregis nebulosa filia Sion, ad te veni, & potestas prima Regum Hierusalem, hoc est Christus, virtus prima, summa, omnipotens, quem ibidem Angelus nuntiavit Pastoribus, qui tres fuisse dicuntur, & ibi postea fuit constructa Ecclesia, ubi illorum monstrantur (ut fertur) sepulchra, ad quem etiam locum Christum postea venisse, non irrationabiliter creditur.*

Secunda Conclusionis pars patet ex dictis. Verum quoque probatur I. auctoritate Chrysostomi homil. de nativitate: *Multum vigilabant Pastores, quia insidiæ bestiarum satis imminebant. Vigilabant quasi super gregem, sed non poterant conservare: propterea deprecabantur, ut Dominus veniat, & servet gregem.* Ex quibus verbis deducit Sylveira, quod quum Pastores humiliter suam agnoscerent imbecillitatem, orationique essent instantes, merito digni habiti sunt, qui Dominum Jesum natum aspicerent, & viderent. II. Testimonio Ambrosii lib. 2. in Lucam, ubi ad verba illa: *Venerunt festinantes*, hæc scribit: *Non mediocre fidei tibi hoc videatur exemplum, quod vilis sit persona Pastorum. Certe quo vilior ad prudentiam, eo pretiosior ad fidem. Non gymnasia choris referta sapientum, sed plebem Dominus simplicem requisivit, quæ phalerare audita, & fucare nesciret.* III. Testimonio Hildeberti Cænomanensis epist. 37. *Hinc est etiam, quod nato Domino, Pastores super gregem vigilantes Angelos aspiciunt; quia his, qui pie, ac sollicite conservandis gregibus invigilant, sublimia, ac divina innotescunt.*

Tertia Conclusionis pars, quod nimirum Pastores fuerint Virgines, deducitur I. ex verbis Titi Bostrensis apud Sylveiram cit. quæst. 14. *Ob id quoque præ cæteris Pastoribus beneficium hoc obtigit his Pastoribus, quia præ cæteris simplices, dolique expertes erant.* II. Ex Ambrosio serm. 13. apud eundem Sylveiram qu. 13. *Non mirandum est, si Christi gratiam ante scire meruerit innocentia, quam potestas, & prius cognoscere veritatem simplex rusticatio, quam superba dominatio.* III. Ex Cypriano serm. de Nativit. si ejus legitimus est fœtus: *Pastorum innocentia, ac simplicitas erigitur, ut laus Christi perficeretur, qui Piscatores, & Pastores, sequentibus spiritibus confunderent oratores, & a pauperibus, & humilibus prædicatio paupertatis haberet initium.* Quæ quidem virtutes simplicitatis, innocentiæ, &c. clare innuunt in Pastoribus virginitatem, quam nos iisdem asserere conamur.

Objiciunt I. Quanvis Beda asserat in Ecclesia illa asservata fuisse corpora trium Pastorum ex illis, qui Dominum natum adoraverunt, non tamen affirmat, quod tres tantum fuerint Pastores illi. Unde oppositum Serry ait, relatis antea Bedæ, & Haymonis verbis: „ Ubi tamen non
„ affirmatur, Pastores Christi nascentis ado-
„ ratores, plures tribus non fuisse; quan-
„ quam trium duntaxat corpora illic re-
„ quiescere referantur. „ II. Codex ille, quem memorat Casaubonus, quatuor enumerat Pastores; nec refert, quod inter ipsorum nomina recenseantur Stephanus, & Cyriacus, quæ sunt potius nomina Græcorum, quam Hebræorum; quia Judæi ex illo tempore, quo Græcis paruerunt, græca etiam nomina usurparunt; quod præ cæteris videre etiam licet apud primum Diaconum, ac primum Martyrem Stephanum, qui certe genere Judæus, & patria Hierosolymitanus erat. III. Si Pastores illi fuissent Sancti, utique Ecclesia proposuisset illos fidelibus colendos, & adorandos; quod quum non fecerit, expresse indicat, Sanctos illos non esse. Et quanvis in Iconibus, quæ Christi nativitatem repræsentant, exprimantur etiam Pastores, non est tamen Ecclesiæ intentio, ut eos nobis colendos proponat, quia aliter colendos etiam proponeret lictores, atque tortores, qui in Christi flagellatione, ac crucifixione repræsentantur; quod nemo dicere audebit. IV. Pastores, qui Christi nativitatis adoratores exponuntur, sunt utplurimum senes; nullus autem asseret, inter Hebræos fuisse senes, qui Virginitatem coluerint, & per matrimonium filios habere non curaverint. V. Simplicitas, & innocentia non sunt virtutes, quæ tantum Virginibus competant, quum possint etiam convenire uxoratis: ergo non per hoc, quod Pastores dicantur simplices, & innocentes, bene infertur, quod etiam Virgines fuerint. VI. Adducuntur congruentiæ, sed non veræ, & fortes rationes, quibus probetur, & Pastores fuisse tres, & esse sanctos; quæ quidem est res non parvi momenti, & Virgines etiam fuisse.

Respondemus ad I. Quum absolute dicatur a Beda, & Haymone trium Pastorum corpora recondita fuisse in Ecclesia illa, manifeste indicatur, Pastores tres tantum fuisse; aliter dixissent; *trium Pastorum ex illis, qui Dominum adoraverunt*; & non scrip-

scripsissent; *trium Pastorum divinæ nativitatis consociorum*; ut scripsit Beda; *& in qua etiam hodie trium Pastorum corpora requiescunt*; ut scripsit Haymo: ergo vere ex Haymonis verbis deducitur, Pastores fuisse tres; quod modo factum est commune proloquium Scriptorum, & in Ecclesia communis traditionis locum obtinet.

Ad II. Idem Serry dicit, non repugnare, quod Pastores illi potuerint esse quatuor; at quod de facto fuerint quatuor nullo modo probari. Et quidem non repugnare, si Codicis, quem citat Casaubonus, fides staret; An autem fides stet, vel non stet, ipsemet Serry fatetur, se non posse judicium ferre. Igitur si de possibilitate judicium ferri non potest, qua recta ratione poterit de existentia ferri?

Ad III. Nos non certo, sed probabiliter dicimus, Pastores esse Sanctos; Ecclesia autem illos colendos, ac adorandos Fidelibus proponit, quos per judicium irreformabile, & infallibile sibi constare facit, in Cœlo cum Deo regnare, ac Sanctos esse. Propterea in Canonizatione Sanctorum non solum declarat, sed & definit, aliquem Sanctum esse, sicut facere consuevit, quando Fidei dogma ex Cathedra loquens Pontifex in materia Fidei, & morum Ecclesiam docet. Quam dicendi formulam primò usurpavit Leo X. in Bulla Canonizationis Sancti Patris Francisci de Paula; & quam deinde subsequentes Pontifices in aliorum Sanctorum Canonizationibus imitati sunt.

Ad IV. Non paucos inter Hebræos fuisse viros, qui ad senium quoque provecti Virginitatem servaverunt, ex iis liquido constat, quæ fuse diximus, quando Virginitatem Beatæ Mariæ Deiparæ, ac Sancti Josephi, defendimus. Ibi enim invenient Legentes, & Mares, & Feminas, qui servandæ Virginitatis propositum, quod ab initio inierunt, usque ad mortem servasse, & cum immarcescibili Virginitatis corona diem obiisse extremum.

Ad V. Utique virtutes illæ convenire possunt Virginibus, & Uxoratis; At quando dicimus, ex iisdem Virginitatem argui, intendimus, homines illos hujuscemodi esse naturæ, indolis, ac ætatis, ut de illis nulla possit malitiæ suspicio haberi. Ac proinde Pastores, quos volumus fuisse Virgines, in ea etiam asserimus, fuisse morum innocentiæ, indolis simplicitate, ac naturæ, seu Ætatis, integritate, ut rectè potuerint Virgines esse, ac dici.

Ad VI. In multis tabulis Nos vidimus Pastores juvenculos, non Senes; Quod si Senes in aliis videantur, vel est, ut ostendatur, Pastores illos usque ad decrepitam ætatem Virginitatem servasse; vel est ex Pictorum licentia, quibus perinde ac Poetis, quodlibet audendi semper fuit æqua potestas.

DISSERTATIO CCXVII.

De Nativitate Christi. Quænam fuerint vera in Christi Nativitate prodigia? Quæ Apocrypha? Quæ falsa?

NON quæcunque prodigia, quæ in Christi Nativitate evenerunt, aut apocrypha dicenda sunt, aut falsa; ut sentire videtur Serry, qui Exerc. 32. hunc præfixit titulum: *De Fictis prodigiis, quæ Christo nascente patrata dicuntur*; Et nullum verbum de veris apponit. Commendamus quidem, quæ scribit in Exercitationis exordio; nimirum Viro Theologo æque curam esse vera prodigia defendere, ac falsa impugnare; tum quia illa negare impietatis est; tum quoque quod ista defendere, superstitionis est potius, quam devotionis. At nihilominus ille totus est, ut ficta miracula, quæ vulgo creduntur, in Christi Nativitate, impugnet; & de veris contentum se esse dicit, quod ea antecedenter defenderit, ac vindicaverit. Quod si verum est, Legentes facili negotio judicabunt. Nos autem pergamus primo vera prodigia defendere; Deinde apocrypha respuere; postremo ficta, ac falsa, impugnare.

Inter vera miracula, Christo nascente, patrata, primo adnumeramus Angeli apparitionem, Pastoribus factam, de qua ex-

expresse loquitur Evangelium, & Patres unanimiter scribunt. Lucæ 2. *Et ecce Angelus Domini stetit juxta illos, & claritas Dei circumfulsit illos*. Leo Magnus serm. 5. de Epiph. *Cum ortum Domini, Angelo nuntiante, Pastores cœlestis exercitus sunt claritate circumdati, ut non ambigerent de majestate pueri, quem erant in præsepio visuri, nec putarent, quod in sola natura hominis esset editus, cui supernæ militiæ famularetur occursus*. Ambrosius in cap. 1. Lucæ: *Angelus Domini stetit ante illos*. Beda apud Sylveiram: *Bene autem vigilantibus Pastoribus Angelus apparet, eosque Dei claritas circumfulget. Quia illi præ cæteris videre sublimia merentur, qui fidelibus gregibus præesse sollicite sciunt, dumque ipsi pie super gregem vigilant, divina super eos gratia coruscat*. Simon Cassius lib. 1. cap. 7. *Claritas Angeli perstrinxit ex omni parte Pastores, in corpore pariter, & in corde irradians, ut non parvi penderent factum, quod tam insolitum videbatur, nec crederetur fuisse otiosum, quod tanto declarabatur lumine claritatis*; aliique passim.

Aliud prodigium, quod pariter memorat Evangelium, & Patres exponunt, est cantus multitudinis militiæ cœlestis, laudantis Deum, & dicentis: *Gloria in altissimis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis*. Lucæ 2. *Et subito facta est cum Angelo multitudo militiæ cœlestis laudantium Deum, & dicentium: Gloria in altissimis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis*, Origenes homil. 1. in Ezechielem: *Obsequuntur saluti nostræ Angeli, confessi sunt ad ministerium filii Dei, & dicunt inter se, si ille descendit, & descendit in corpus, si mortali indutus est carne, quid nos quiescimus? Quid parcimus nobis? Eho omnes Angeli descendamus de cœlo. Ideo & multitudo militiæ cœlestis erat laudantium Deum, quando Christus natus est*. Bernardus serm. 1. de circumcis. *Christus ab ipso nativitatis exordio divinis humana sociat, ima summis. Nascitur ex muliere, sed cui fœcunditatis fructus sic accedat, ut non decidat flos virginitatis. Pannis involvitur, sed panni ipsi angelicis laudibus honorantur; absconditur in præsepio, sed proditur radiante stella de cœlo: sic & circumcisio veritatem susceptæ probat humanitatis, & nomen, quod est super omne nomen, gloriam dicat majestatis*. Ambrosius serm. 9. *Digna plane, & justa sententia, quæ in nativitate Christi, & Deo honorem repræsentat in cœlis, & hominibus pacem præsentat in terris. Ante Salvatoris enim ortum nec cœlestia reverentiam deferebant, nec terrena requiem possidebant*.

Tertium prodigium est apparitio Stellæ, Magis facta, de qua fusius infra loquemur; hic tamen hæc adnotasse sat judicamus. Matth. 2. *Vidimus enim Stellam ejus in Oriente, & venimus adorare eum*. Augustinus lib. 2. contra Faustum cap. 5. *Itaque stella illa, quam viderunt Magi, Christo secundum carnem nato, non ad decretum dominabatur, sed ad testimonium famulabatur, nec eum subjiciebat imperio, sed indicabat obsequio ..... Non ideo Christus natus est, quia illa extitit; sed ideo illa nova exorta est, quia Christus natus est. Unde si dici oporteret, non stellam Christo, sed Christum stellæ fatum fuisse diceremus. Ipse quippe illi, non illa huic nascendi attulit causam. Si ergo sunt fata, quæ a fando, idest, dicendo appellata sunt, quoniam Christum Verbum Dei est, in quo, antequam essent, dicta sunt omnia, non consortium syderum fatum Christi est, sed fatum etiam syderum Christus est, qui & ipsam carnem sub cœlo creatam ea voluntate assumpsit, qua etiam cœlum creavit; ea potestate deposuit, & recepit, qua etiam syderibus imperavit*. Chrysostomus homil. 6. *Stella tam exiguum locum, tugurii scilicet, atque præsepis ostendit, sublime illud relinquens, ad inferiora veniens, superque ipsum fere caput pueri constituens*. Athanasius orat. in Ascens. apud Sylveiram, vel quisquis illius est author: *Quid, quod ad ejus partum, cum in lucem ederetur, per stellam respiciebat cœlum, quasi ante tempus maturaret complecti eum, qui in spelunca latebat: sed desponsationis opportunitatem, & terminum observari oportebat*. Gregorius Magnus homil. 10. *Omnia elementa auctorem suum venisse, testata sunt. Deum hunc cœli esse cognoverunt, quia protinus stellam miserunt. Mare cognovit, quia sub plantis ejus se calcabile præbuit. Terra cognovit, quia eo moriente contremuit. Sol cognovit, quia lucis suæ radios abscondit. Saxa, & parietes cognoverunt, quia tempore mortis ejus scissa sunt. Infernus agnovit, quia hos, quos tenebat mortuos, reddidit. Et tamen hunc, quem Dominum omnia insensibilia elementa senserunt, adhuc infidelium Judæorum corda Deum esse minime cognoscunt, & duriora saxis scindi ad pœnitendum nolunt*. Hæc quidem prodigia, quæ nascente Domino patrata narrantur, a nemine negantur, a nemine controvertuntur; sed Scriptores omnes post Evangelium eadem fatentur, & scribunt. Sunt

fortassis & alia, quæ apud eosdem Scriptores nostros legenda remittimus.

Devenimus modo ad illa examinanda, quæ apocrypha dicuntur, postmodum dicturi de illis, quæ omnino sunt falsa. Primum, quod inter apocrypha occurrit, est Templi Pacis eversio, quæ dicitur Romæ facta illa eadem nocte, qua Christus est natus. Refertur hoc prodigium a S. Bonaventura Opusculo de quinque festivitatibus pueri Jesu, cap.2., a Surio tom.6., aliisque. Attamen Cardinalis Baronius aperte asseruit prodigium hoc nutantis fidei esse; quod & Suarez etiam subodoravit, & Serry aperte negat. Rationes autem, quibus ad hoc asserendum, hi postremi Scriptores innituntur, sunt; prima, quia ante Vespasianum nullum erat Romæ pacis Templum; Vespasianus enim Imperator post Judæam subactam, & Judæus devictos, illud excitavit, ut asserunt Svetonius, & Flavius Joseph Hebræus; immo & Hieronymus, aliique. Et quamvis Sextus Aurelius Victor asserat, Claudium primo pacis Templum extruxisse, illud tamen subdit, fuisse post ruinam a Vespasiano instauratum. Sed quomodolibet res se habeat, semper stat, quod tempore Christi nascentis nullum erat Romæ pacis Templum; Claudius enim regnavit post Christum natum, & Vespasianus post Christum mortuum. Audiantur Authores citati. Josephus lib. 7 de Bello Judaico cap. 24. inquit: *Post triumphos vero, & Romani Imperii firmissimum statum, Vespasianus Paci templum ædificari decrevit. Itaque mira celeritate, & qua hominum cogitationem superet effectum est*. Svetonius in Vespasiano cap.9. *Fecit & nova opera: templum Pacis Foro proximum, Divique Claudii in Celio monte, captum quidem ab Agrippina, sed a Nerone prope funditus destructum*. Plinius lib. 34. cap 8. & lib. 36. cap. 15. *Templum Pacis Vespasiani Imperatoris Augusti pulcherrimum opus*. Sextus Aurelius Victor in Epitome Historiarum in Vespasiano: *Capitolium, Ædem Pacis, Claudiique monimenta reparavit*. S. Hieronymus in cap. 3. Joelis Prophetæ: *Vespasianus, & Titus, Romæ templo Pacis ædificato, vasa templi, & universa donaria in delubro illius consecrarunt, quæ Græca, & Romana narrat historia*. Secunda, quia templum, de quo agitur a Romanis æternum dicebatur; quia consultum Oraculum ab iisdem quantum foret templum duraturum, respondit, duraturum donec Virgo pareret; quod ab ipsis impossibile reputatum, occasionem dedit, ut Pacis templum crederent æternum. Attamen re vera non templum dictum est æternum, sed pax ipsa, ut legitur in perantiqua inscriptione, quæ in Ædibus Farnesianis asservatur; & æternitatis elogium non fuit datum a Romanis, sed a Flavio Josepho, qui per adulationem Vespasiano applicaverat quæ leguntur Isaiæ cap. 9. *Vocabitur nomen ejus ..... Princeps pacis, & multiplicabitur ejus imperium, & pacis non erit finis*. Quod observavit Baronius in Apparatu, & in Annalibus, ubi etiam refert inscriptionem, quam diximus, quæ sic habet:

PACI ÆTERNÆ
DOMVS
IMP. VESPASIANI
CÆSARIS AVG.
LIBERORVMQ. EJVS
SACRVM
TRIB. SVC. IVNIOR
DEDIC. XV. K. DEC.
LANNIO BASSO COS
C. CÆCINA PÆTO

Re vera Templum Pacis, quod Romæ erat, arsit, & corruit temporibus Commodi Imperatoris, ut scribit Herodianus, & legitur apud Galenum lib. de Theriaca; illiusque ruinæ prope montem Palatinum, & arcum Titi, ad præsens visuntur.

Alterum prodigium est Fons olei, quem scribunt Romæ ea nocte manasse, qua Christus est natus, ac per dies aliquot defluxisse. S. Thomas 3. par. q. 36. art. 3. ad 3. de hoc prodigio hæc scribit: *Credibile tamen est, etiam in aliis partibus mundi aliqua indicia nativitatis Christi apparuisse, sicut Romæ fluxit oleum, & in Hispania apparuerunt tres Soles, paulatim in unum coeuntes*. Verum Eusebius in Chronico, Orosius lib.6. cap.18., Baronius in Apparatu, volunt, hoc prodigium accidisse tertio anno Triumviratus, scilicet vigintiseptem annis ante Christi nativitatem, ut ait Suarez, vel quadraginta annis ante Christi nativitatem, ut ait Serry; qui proinde asserit, hoc frustra inter Christi nascentis prodigia poni.

Tertium prodigium est illud de tribus Solibus, qui paulatim in eundem Orbem coierunt, cujus etiam meminit S. Thomas laudato loco, ut visum est. Attamen Plinius lib.2. hist. cap. 31. refert sæpius apparuisse tres Soles, quamvis non dicat coaluisse in unum. Tempore tamen Augusti dicitur hoc accidisse prope initium

Trium-

Triumviratus; ut colligitur ex Consulibus, sub quibus dicunt prodigium evenisse. At & hoc quoque ostendit multis annis ante Christi nativitatem hoc prodigium apparuisse;ac proinde ad nostrum præsens institutum non pertinere.

Quartum narratur, quod Dei Genitrix Maria in ulnis suis gestans infantem Deum, sublimis in aere fuerit ab Augusto Cæsare conspecta, illum monente Sybilla. At contra hoc insurgunt dicentes, quod sub Augusto Cæsare nulla erat superstes Sybilla, quæ posset Imperatorem admonere. Ultima Sybillarum fuit Cumana,quæ vixit Olimpiade quinquagesima, & Romæ sub Regno Tarquinii Superbi apparuit, si fides danda est Solino Polyhistori. Christus autem vivebat sub imperio Augusti Olimpiade 193., hoc est, annis circiter supra quingentos septuaginta post Sybillas.Baronius tamen hoc factum non inquit, intelligendum ita, ut Sybilla Augustum monuerat, sed quia Augustus id futurum didicerat per lectionem carminum, quæ a Vergilio Ecloga 4. recitantur:

Ultima Cumæi venit jam carminis ætas.
Magnus ab integro seclorum nascitur ordo.
Jam redit & Virgo, redeunt Saturnia regna.
Jam nova progenies Cœlo demittitur alto.
Tu modo nascenti puero, quo ferrea primum
Desinet, & toto surget gens aurea Mundo
Casta Lucina fave &c.

Verum hoc prodigium haud firmæ fidei esse plane probant; primo, quod carmina illa non Christo fuerunt a Vergilio applicata, sed Salonio, Asinii Pollionis filio; Vergilius autem nullam Christianæ Religionis cognitionem habebat, quam nec poterat ex illius carminibus Augustus Imperator habere. Secundo hujus Ostenti nulla est apud veteres Scriptores sive sacros, sive prophanos memoria. Tertio Ecclesiæ Patres, qui multa Sybillarum carmina laudaverunt, horum, quæ hic recitavimus, nullum referunt verbum, quæ tamen potuissent facili negotio Christi nascenti accommodare. Videantur Origenes lib. 5. contra Celsum, Justinus Martyr in orat. ad Antoninum Pium, Clemens Alexandrinus lib.6. Stromatum, Lactantius lib. 1. divinarum institut. cap.6., Augustinus lib.18. de Civit. Dei cap 23.

Quintum est silentium Dæmonum, qui oracula Gentilibus reddebant. Referunt siquidem Nicephorus lib.1. hist. cap.17., Suidas in historia verbo Augustus, Cedrenus in compendio, silentium hoc, de quo loquimur. Et Baronius in Apparatu nu. 25. de Oraculo Apollinis Delphici hæc scribit: „ Proxime autem ante dicta tem-
„ pora, illustrissimum illud, totoque Orbe
„ celeberrimum Apollinis Delphici Oracu-
„ lum occlusum erat, nec ultra usitata re-
„ sponsa dabat, horrescente Dæmone, ut
„ qui optime nosse poterat mala sua an-
„ nunciari non tantum per oracula Sybil-
„ lina,sed & Prophetarum prædictionibus:
„ de quo perbelle hæc Ethnicus orator:
„ Sed, inquit, quod caput est: cur isto mo-
„ do jam oracula Delphis non eduntur,
„ non modo nostra ætate, sed jamdiu, jam
„ ut nihil possit esse contemptius. Hoc lo-
„ co cum urgentur, evanuisse ajunt vetu-
„ state vim loci ejus, unde anhelitus ille
„ terræ fieret, quo Pythia mente incitata
„ oracula ederet. De vino, aut salsamento
„ putes loqui, quæ evanescunt vetustate.
„ Hæc Cicero, cui si audientes Gentiles
„ fuissent, de falsitate,ac vanitate Deorum
„ (dicam cum Arnobio) perorata causa
„ fuisset. Sed quænam esset causa tanti si-
„ lentii Apollinis obmutescentis idem ipse,
„ licet invitus aliquando effari coactus est.
„ Cum enim Augustus Apollinis Studiosis-
„ simus,ut qui crederetur Apolline genitus,
„ quique in cœna illa, quæ δωδεκάθεος vul-
„ go dicebatur pro Apolline ornatus sole-
„ bat accumbere, cui & templum in Palatio
„ erexerat,eidem sacrificasset hecatombem;
„ hæc tandem ab eo responsa, ut ferunt,
„ elicuit: „

Me puer hebræus Divos Deus ipse gubernans
Cedere sede jubet, tristemque redire sub Orcum
Aris ergo dehinc tacitus abscedito nostris.

Fatetur Serry, se aliquando delusum virorum authoritate, a quibus traditur, se tanto prodigio dedisse fidem; at deinde re melius considerata, falsissimum esse deprehendisse. Quod sic probat; primo, quia Apollinis Delphici immutatio, obscuratio, remissio annis amplius sexaginta accidit ante Christi nativitatem; defectio vero integra, atque cessatio, a Christo nato post annos fere quadringentos evenit. Primi dicti ratio est,quia Cicero, qui floruit ante Christum annis circiter sexaginta, meminit Delphici Oraculi cessationis. Quintus enim Marci Tullii frater, apud Ciceronem lib.1.de Divinatione hæc habet; *Nunquam illum Oraculum Del-*

Delphis tam celebre, & tam clarum fuisset, nisi omnis atas Oraculorum illorum veritatem esset experta. Jamdiu idem non facit. Ut igitur nunc minore gloria est, quia minus Oraculorum veritas excellit; sic tunc, nisi summa veritate, in tanta gloria non fuisset. Ipsemet Cicero lib. 2. de divinat. defectionis hujusce meminit his verbis: *Pyrrhi temporibus jam Apollo versus facere desierat.... Cur isto modo jam Oracula Delphis non eduntur, non modo nostra atate, sed jamdiu, ut nihil possit esse contemptius?* Ratio autem secundi dicti est, quia usque ad Constantini Imperatoris ævum Delphicum Oraculum responsa dabat, quamvis falsa; quod testatur Eusebius lib. 2. de vita Constantini cap. 49. *Apollinem ex antro quodam, & tenebricoso recessu, non ex Sacerdotis ore oraculum istud dedisse: Justos, qui in terris versabantur, impedimento ipsi fuisse, quominus vera loqueretur; & propterea falsa Oracula ex tripode edita esse.* Scimus Theodoretum lib. 3. histor. Eccles. cap. 18. testari, Delphicum oraculum dedisse responsum Juliano Desertori fidei nostræ; at quia falsum fuit, idem reputandum est ac non dedisse. Hæc verba sunt Theodoreti: *Antequam arma sumeret, misit nontios ad Delphos, ad Delum, & Dodonem; ad alia denique Oraculorum loca sciscitatum Vates: Utrum bellum ei gerendum sit? Illi autem bellum suscipere jubent, pollicenturque victoriam;* quibus subdit Serry: „ Falso tamen; confossus „ enim Julianus in prœlio, paulo post ma„ le periit. „ Cæterum narrat Eusebius lib. 3. de Vita Constantini cap. 22. eundem Imperatorem Delphicum Apollinis Templum expilari jussisse. „ At hoc non „ obfuit, ait Serry, quominus post Con„ stantinum ipsum Julianus Apostata, cum „ bellum meditaretur in Persas, eundem „ Apollinem cum reliquis Oraculis consu„ luerit, grataque, tametsi falsa, responsa „ exceperit. „

Ad falsa prodigia modo devenimus; quorum primum est, Jani Templum nascente Christo occlusum, quod antea fuerat reseratum. Verum a Svetonio discimus in Augusto cap. 22. Augustum ipsum Imperatorem Jani fores ter occlusisse: *Janum Quirinum semel, atque iterum a condita Urbe memoriam ante suam clausum, multo breviore temporis spatio, terra, marique pace parta, ter clusit.* Quæ verba commentatur Joannes Schildius, dicens, quod primo Augustus occlusit anno Urbis conditæ 725., post victum Antonium; secundo anno 729., quando ex bello Cantabrico Romam rediit; tertio circa tempus nativitatis Christi, quia tunc illi datum fuerat summa pace frui, secundum morem, quem Numa instituerat. Cæterum hunc morem servarunt etiam Imperatores Romani post Christi ascensionem ad Cœlos; quia clausit Nero anno Urbis conditæ 811., clausit Vespasianus anno 824., & ut testatur Ammianus Marcellinus lib. 16. clausit etiam Constantinus. Non ergo dicendum est prodigium nativitatis Christi Jani Templum occlusum, quod antea fuerat reseratum; quando & multoties ante Christi nativitatem, & multoties quoque post eandem clausum fuerat; immo quoties accidebat, quod Romanum Imperium, vel qui ejus clavum moderabatur, pacem haberet, toties Jani Templi fores claudebantur. Et quod dicatur, quod Christus natus fuerit toto Orbe in pace composito, non compellit dicere, quod negamus; alias enim ob causas pax in mundo erat, quando Christus est natus, quam ut ejus nativitatis pax generalis Orbis prodigium, ac signum esset.

Alterum prodigium scribitur a S. Bonaventura, & ab aliis, ut refert Suarez, scilicet mors repentina omnium illorum, qui nefando peccato inquinati erant in illa nocte, in qua Christus est natus; cujus etiam nos meminimus in Opella, quam edidimus Messanæ in venerationem infantis Jesu. At hæc, quia sine Authore certo, & antiquo narrantur, ideo referri posse censemus, ut ad pietatem conserant promovendam; quum alias si ad veritatis trutinam revocentur, minime sibi constare comperiantur.

Tertium prodigium narratur a Beda lib. de locis sanctis cap. 8., scilicet, quod statim postquam Christus est natus e petra speluncæ, in qua nativitas facta est, erupit fons aquæ, quæ ad infantis ablutionem deserviret, & qui quidem fons usque ad Bedæ tempora perdurabat. De hoc fonte in superioribus loquuti fuimus, & eum aperte negavimus, & modo hic iterum negamus; tum quia Beda nullum testem hujus prodigii adhibet; & quum floruerit post annos circiter octingentos, per se ipsum scire non poterat quid in Spelunca evenerat, Christo nascente. Tum quoque, quia Hieronymus, qui per multos annos in loco illo habitavit, & ipsum diligenter investigavit, ut eleganter describsit, nihil de fonte isto narrat. Denique si Bedæ verba attente considerentur,

tur, non ponitur prodigium scaturigine fontis, sed in ejus solummodo perennitate. Unde quoque ex Beda veritas prodigii hujus deficit. Hæc sunt verba Bedæ: *Petra juxta murum cavata primum Dominici corporis lavacrum de muro missum suscipiens, hactenus servat: quæ, si qua forte occasione, vel industria fuerit exhausta, nihilominus continuo cum respicit, sicut antea fuerat plena, redundat.*

Denique S. Bonaventura alia addit prodigia, quæ, ipsomet Suarez teste, incerta sunt. Unde de his, nihil de nostro addentes, ad objectiones solvendas descendimus, quæ contra a nobis modo dicta proponi possunt.

Objiciunt I. S. Petrus Damiani in quadam sua homilia memorat Templi Pacis eversionem, quæ in illa accidit nocte, in qua Christus est natus: ergo prodigium illud non est inter apocrypha rejiciendum. Probatur antecedens, recitando verba Petri Damiani, quæ etiam memorantur a Surio, & Lipomano: *Cum Romani in victoriosæ antiquitatis memoriam Templum singulari schemate facere decrevissent; ab omni illa Deorum, imo Dæmonum multitudine quæsierunt, usquequo durare posset tam excellentis operis operosa constructio? Responsum est: Donec Virgo pareret. Illi ad impossibilitatem Oraculum detorquentes, Templum Æternum solemnem illam machinam vocaverunt. Nocte autem ista, cum de virginali thalamo virgineus flos Mariæ egressus esset, ita cecidit, & confractum est illud murale, & columnarum opus, ut vix apparerent vestigia ruinarum.* II. Plutarchus peculiarem edidit tractatum de Oraculorum defectu, quo probat, Oracula jam defecisse non multis ab hinc annis ab Imperio Trajani, sub quo ipse florebat: ergo verum est, quod in Christi nativitate, cujus tempus non multum a Trajani tempestate distabat, Oracula defecerunt. III. Juvenalis Satyra 6. cecinit *Delphis oracula cessant*; & Lucanus lib. 5. *Delphica sedes silet*; quibus verbis aperte affirmatur silentium Apollinis Delphici tempore, quo Christus est natus. IV. Svetonius in Nerone cap. 40. narrat: *Eum, consulto Delphis Apolline, audivisse: Septuagesimum, ac tertium annum cavendum sibi esse.* Per quæ verba deceptus est Nero, quia illa intellexit, quod moriturus esset eo vitæ suæ anno; quando illa intelligenda erant de ætate Galbæ, qui eripuit Neroni Imperium, quando ipsemet Galba septuagesimum tertium annum agebat: ergo Neronis tempore Delphicum Oraculum non silebat, sed ex tripode loquebatur; quamvis si non falsa, æquivoca tamen dicebat, ut consulentes eum falleret. V. Sub Domitiani Imperio vivebat Apollonius Tyannæus, qui Delphicum Apollinem consuluit, ut narrat Philostratus in ejus vita verbis hisce: *Apollonius invisit omnia Græciæ Oracula, maxime vero Delphicum, Dodonæum, & Amphiaraum . . . . . . Apollinem Delphicum adeas in media Græcia oraculi illustrem: paucis verbis, ut ipse probabis, Consultoribus respondet nullis prodigiis editis, quanquam & Parnassum concutere, & Castalios fontes in vina vertere, facillimum ei fuerit. Verum ille simpliciter narrat, nec inutiliter potentiam ostentat.* Ex quibus etiam deducitur, quod si tempore illo Delphicum Oraculum non omnino silebat, silebat tamen pro veritate & sinceritate loquendi, quia vel falsa, vel ambigua, vel incerta ac dubia respondebat. VI. Cederet ad majorem Christi nati gloriam, si in ejus nativitate statim falsis Numinibus indictum esset silentium: ergo prodigium hoc tanquam Religioni Christianæ commodius, utilius, ac gloriosius a nobis impugnari non debet, immo potius propugnari.

Respondemus ad I. Homiliam, de qua est sermo, non esse legitimum Cardinalis Petri Damiani fœtum, sed illi omnino adscriptum, ac suppositum; & verba quæ referuntur esse potius Surii, & Lipomani, quam Damiani; ut Scriptores omnes fatentur, & styli diversitas clamat: quapropter nihil contra a nobis dicta ex ascititia homilia illa deducitur. Subdit Suarez ex Baronio, homiliam illam non esse Petri Damiani, quia in ea fit mentio S. Bernardi, qui longe post Damianum floruit. Hæc sunt verba Suarez: „ Cæsar tamen
„ Baronius in principio suorum Annalium,
„ & diligenter observavit homiliam illam
„ non esse Petri Damiani, quod in ea mentio fiat Bernardi, qui (ut ipse dicit) quinquaginta annis, vel, (ut ex Tritemio colligitur) oonaginta posterior, & erudite
„ ostendit historiam illam non solum incertam, sed etiam falsam esse, quia ante
„ Vespasianum, qui Templum Pacis Romæ ædificavit (teste Josepho lib. 7. de
„ bello Judaico) nullum aliud Templum
„ Pacis Romæ fuisse legitur, quod in natali
„ Christi corruere potuerit. „

Ad II. Respondet Serry, quod „ Si quis
„ Plutarchi tractatum diligenter evolverit,
„ expenderitque, nullo negotio deprehen-

„ det,

„ det, Oracula ex parte tantum defecisse
„ tunc, ac substitisse ex iis aliqua; atque
„ in illis maxime Apollinem Delphicum,
„ qui sua etiam tunc responsa Consultori-
„ bus redderet, etsi minore quam antea
„ celebritate, atque frequentia, quod ad
„ præsens institutum nostrum abunde suf-
„ ficit. Plutarchi disertissima verba sunt:
„ *Videamus Oracula, quæ in his sunt locis, ob-*
„ *solevisse: atque adeo duobus, aut tribus ex-*
„ *ceptis, omnia defecisse*. In iis porro exce-
„ ptis, Delphicum Apollinem fuisse (quod
„ hic maxime quæritur) qui etiam tunc
„ Consultoribus responderet, manifestissi-
„ mum est; subjungit enim paucis interje-
„ ctis: *Postquam Dei voluntati Græcia urbi-*
„ *bus crevit, & locus Apollinis frequentari*
„ *hominum copia cœpit, duabus usi sunt Vati-*
„ *bus, quæ per vices ad cortinam sederent;*
„ *eratque etiam tertia designata, tanquam as-*
„ *sidens iis. Nunc unica est Antistita, neque*
„ *incusamus, cum ejus opera Consultoribus*
„ *sufficiat. Non igitur incusandus est Apollo;*
„ *divinatio enim, quæ reliqua est, omnibus*
„ *sufficit, & unumquemque adeptum, quod vo-*
„ *luit dimittit*. Et tractatu sequenti, quo
„ peculiariter agitur de Inscriptione Tem-
„ pli Delphici foribus adscripta, ita habet:
„ *Apollo noster cum difficultates vitæ inciden-*
„ *tes sublevet, atque dissolvat, edendis Oracu-*
„ *lorum responsis; eas tamen, quæ circa do-*
„ *ctrinam sunt, relinquit, proponit excutien-*
„ *das ei animi facultati, quæ studio sapientiam*
„ *sectatur*. Extabat ergo etiam Plutarchi
„ ætate, ac sub Trajano Imperatore Del-
„ phicum Oraculum, suaque Consultoribus
„ responsa dabat, quanta sublevandis vitæ
„ difficultatibus abunde sufficerent. Non
„ itaque nascente Christo Domino penitus
„ conticuerat.„

Ad III. Ex eodem Serry dicimus, siluisse nimirum, atque cessasse Oracula fundi ea celebritate, ac Consultorum frequentia, qua antea fundebantur; quando scilicet tres Antistites ad munus suum explendum vix sufficiebant; at non omnino siluisse, nec cessasse, quia, ut Plutarchus ait, una saltem Antistita ad cortinam sedebat, & propositas difficultates dissolvebat. Hoc aliud subdit idem Serry responsum; quod nimirum cessaverunt Oracula Delphis ad certum tempus, quando scilicet Nero Imperator Delphicum Templum Statuis, & redditibus spoliavit, plurimorum cæde polluit, ac aliis violentiis, atque licentiis violavit; ut testantur Dio, & Pausanias: verum deinde omnia in pristinum statum redierunt, ut Scriptores etiam fatentur.

Ad IV. Testimonium Svetonii potius nobis favet, quam obsit; quia etsi testetur, Delphicum Oraculum responsa dedisse, ea tamen dicit, fuisse ambigua, æquivoca, & falsa; unde provenit Neronis deceptio, ac mors. Et quanvis Nero ad eum Consulendum iverit; ob id tamen fit, quod Nero vere putabat, Oraculum Delphicum suo tempore adhuc dare responsa; quod ad nostram Conclusionem probandam sufficit, quanvis illa daret captiosa, ac fallacia.

Ad V. Eadem est responsio, quia si Delphicum Oraculum omnino siluisset, nec Apollonius eum consuluisset; Unde tempore illo jam perseverabat communis hominum opinio, Gentium Oracula non cessasse, nec siluisse, & Delphicum præcipue adhuc Consulentibus dare responsa; quod ad nostrum præsens sat est institutum.

Ad VI. Dicimus nos hic quærere rei veritatem non vero majorem, vel minorem pro nostra Religione excellentiam adstruendam factis, sive veris, sive fictitiis. Tot enim habet Religio nostra veritatis testimonia, ut nullatenus mendaciis egeat. Nec debemus humanis rationibus de Dei operibus discurrere; quia, ut idem Serry concludit. „ Certe si rem humana ratio-
„ ne metiri velimus in majorem etiam
„ Christi nati gloriam cedere videretur, si
„ nascente illo, omnia de repente toto
„ Orbe falsorum Numinum simulacra cor-
„ ruissent: si prophana gentium omnium
„ fana momento collapsa essent: si omnium
„ Nationum barbararum Reges, ac Prin-
„ cipes adoraturi convenissent: si tota de
„ repente Synagoga ad fidem conversa in
„ ejus clientelam se contulisset. Ergone
„ rem ita gestam dicemus, facti veritate
„ palam, aperteque repugnante? Absit pla-
„ ne. Quid honor ejus, quid gloria postu-
„ let, novit ille; quid rei fuerit, nostrum
„ est investigare, veritatemque ad certos
„ historiæ calculos exigere, procul ablegatis
„ religiosis illis Commentis, piisque
„ vigilantium hominum somniis, quæ nul-
„ lum in Schola Theologica locum habent.
„ Neque tamen indicti tandem aliquando
„ silentii gloriam alteri quam Christo fi-
„ dei nostræ consummatori, tribuimus, qui
„ eam, quanta quanta est, Evangelicæ præ-
„ dicationi adjudicamus. Ea quippe effe-
„ ctum est, ut homines veritatem paulatim

„ edocti, patrem mendacii Dæmonem consulere, & auscultare desierint, propha„nam gentilitatem exuerint: *Conversi ab* „ *his vanis ad Deum vivum, qui fecit Cælum, & terram, & mare, & omnia, quæ* „ *in eis sunt*. Act. 14. v. 14. „

DISSERTATIO CCXVIII.

De Circumcisione Christi. An oportuerit, vel decuerit, Christum circumcidi? Fuerit ne re vera Christus circumcisus? Ubi? Quando? Et a quo? Et Ubinam fuerit, & ubi modo ejus præputium inveniatur?

Dicimus I., Christum decuisse, debuisse, ac aliquo modo etiam oportuisse, circumcidi.

I. Probatur Conclusio rationibus S. Thomæ 3. par. qu. 37. art. 1. in corpore; Primo, quia aliter non ostendisset veritatem carnis humanæ, contra Manichæos, qui dicturi erant, eum habuisse phantasticum corpus; contra Apollinaristas, qui dixerunt, Corpus Christi esse Divinitati consubstantiale; & contra Valentinum, qui dixit, Christum suum corpus de cœlo attulisse. Secunda, quia decebat, ut Christus exemplo suo approbaret Circumcisionem, quam olim Deus instituerat. Tertia, quia conveniebat, ut Christus comprobaret, se esse de genere Abrahæ, qui acceperat præceptum Circumcisionis in signum fidei, quam de ipsomet Christo habuerat. Quarta, ut omnem tolleret Judæis excusationem, si eum non recepissent, quia incircumcisus esset. Quinta, quia conveniens erat, ut nobis virtutem obedientiæ exemplo suo commendaret; ac proinde octava die circumcisus fuit, quemadmodum in lege cautum inveniebatur. Sexta, quia non debebat respuere remedium, quo caro peccati consueverat mundari, & quod jam in similitudinem carnis peccati advenerat. Septima, quia voluit legis onus in se sustinere, ut alios a legis onere liberaret; secundum illud, quod scribere debebat Apostolus ad Galatas 4. *Misit Deus Filium suum factum sub lege, ut eos, qui sub lege erant, redimeret*.

II. Probatur, quia quanvis nulla esset Christo necessitas circumcisionis; tum quia nullum habebat originale peccatum per Circumcisionem delendum; tum etiam quia Legislator non tenetur obedire legi, quam ipse tulit; attamen propter congruentes rationes conveniebat, immo etiam aliquo modo oportebat, ut circumcideretur; quæ quidem rationes afferuntur ab Augustino sermone 9. de nativit., & a Leone Magno serm. 2., & sunt fere eædem, quas nuper attulimus ex S. Thoma; quibus tres hæ aliæ adduntur; nimirum Octava, quia conveniebat, ut ejus Divinitas Diabolo occultaretur; per Circumcisionem autem maxime occultabatur. Nona, quia decens putavit ab infantia passionem suam inchoare; Circumcisio enim fuit initium passionis ejus, per quam præ cæteris infantibus dolorem est passus, quia ipse, etsi infans, rationis tamen usum habebat. Decima, conveniebat quoque, ut circumcideretur, quia aliter Judæi, qui ignorabant divinam ejus generationem, & impeccantiam, ex neglecta circumcisione non parvum passi fuissent scandalum, & Christum ipsum facile legis violatorem existimassent.

III. Probatur aliis rationibus, seu congruentiis, quæ leguntur apud Suarez; quarum prima est, quia Christus jam fuit circumcisus; sed qui eum circumcidere fecerunt, licite, ac sancte egerunt: ergo Christus licite, sancte, ac honeste fuit circumcisus. Secunda, quia sicut non fuit indecens Christum assumere carnem in similitudinem carnis peccati, ita nec indecens apparere debebat, sed multis rationibus convenientissimum, ut circumcisionem assumeret. Tertia, quia quanvis cir-

circumcisio in aliis significaret carnem peccati, in Christo tamen significabat solum veritatem carnis, & simul indicabat similitudinem carnis peccati, & totius peccati remedium pollicitabatur.

Dicimus II., Christum re vera fuisse circumcisum.

I. Probatur. Lucæ 2. *Postquam consummati sunt dies octo, ut circumcideretur puer, vocatum est nomen ejus Jesus*. Quorum verborum sensus juxta Ammonium Alexandrinum in Harmonia quatuor Evangeliorum, & Ambrosium in cap. 2. Lucæ, aliosque Expositores, apud Suarez, hic est: Postquam advenit dies octavus circumcisioni puerorum indictus, & postquam in eo circumcisus est puer, illi Jesu nomen impositum est. Cujus sensus idem Suarez rationem reddit 3. par. qu. 37. art. 2. disput. 15. sect. 1. verbis hisce: „ Nam quia consuetum erat, & lege præscriptum, ut infantes circumciderentur, ideo Evangelista potius id tanquam indubitatum, manifestumque supponere, quam diserte narrare visus est. Quia vero impositio nominis propria, & peculiaris fuit, & ideo de illa distinctius scripsit. Quanquam si textus græcus, attendamus, in eo apertius hoc indicatur, additur enim conjunctio *Et*, quod modo: *Postquam consummati sunt dies octo, ut circumcideretur puer, & vocatum est nomen ejus Jesus*; illa enim dictio copulativa manifeste supponit illum circumcisum esse, & præterea illi fuisse impositum nomen Jesu. „

II. Probatur. Ex adductis Lucæ verbis deducitur, Christum fuisse circumcisum, si non expresse, saltem tacite; & hoc propter varias, urgentesque rationes, quas Patres adducunt, & Cornelius a Lapide comment. in cap. 2. Lucæ refert verbis hisce: *Ut circumcideretur puer*. „ Tacite significat eum circumcisum, non expresse, ut innuat eum libere, & sponte, non ex obligatione fuisse circumcisum, tum quia ipse erat Deus, Authorque legis: qui lege circumcisionis a se lata non obligabatur; tum quia non communi hominum generatione, qui de peccati traduce propagati in iniquitatibus concipiuntur, ait Beda; sed ex Spiritu Sancto erat conceptus & natus, ideoque carens peccato originali, ob quod abolendum instituta erat circumcisio, imo Sanctus Sanctorum, uti docet S. Augustinus tract. 30. in Joannem, S. Athanasius, S. Gregorius, & alii passim. Circumcisio enim erat signum peccati, ejusque quasi stigma, & cauterium: nullum autem peccatum, nulla libido erat in Christo. Quare Christus in Circumcisione magis, & profundius se humiliavit, quam in nativitate: in hac enim accepit formam hominis, in illa vero formam peccatoris. „

III. Probatur. Si Christus non fuisset circumcisus, ideo esset, quia hoc Evangelium non dicit expresse; atqui hoc parum, aut nihil refert, quum satis dicat ea, ex quibus veritas, quam asserimus, aperte deducitur: ergo &c. Probatur minor a Serry exercit. 33. „ Neque refert, quod illum circumcisum expresse non afferat Evangelium: satis quippe est, quod dies octo consummatos dicat, ut circumcideretur, ad quid enim id adnotasset, nisi re ipsa circumcisus esset? Maxime cum Jesu nomen ei tunc inditum dicat, quod nonnisi in Circumcisione solebat imponi: ut ex Joannis circumcisione compertum est, Lucæ cap. 1. v. 59. Idcirco autem circumcisum puerum distincte, aperteque non dixit Lucas, uti profecto Jesu nomen illi impositum conceptissimis verbis asseruit, quia consuetum erat, ac lege præceptum, ut infantes octavo die circumciderentur; idcirco id tanquam indubitatum, manifestumque supponere maluit, quam distincte narrare: at quia Jesu nominis impositio propria, ac peculiaris illi fuit, ideo de illa peculiariter dixit. „

Opponunt I. Circumcisio fuit præcepta Abrahæ in signum fœderis, quod erat de semine nascituro, ut legitur Genesis 17., sed hoc fœdus completum fuit in Christi nativitate: ergo in Christi nativitate circumcisio cessare debuit. II. Nos non debemus circumcidi: ergo neque debuit circumcidi Christus. Antecedens patet ex illo ad Galatas 5. *Si circumcidimini, Christus vobis nihil proderit*. Consequentia sequitur, quia actiones Christi fuerunt ad nostrum exemplum; Unde legitur Joan. 13. *Exemplum dedi vobis, ut quemadmodum ego feci, ita & vos faciatis*. III. Circumcisio fuit data in remedium originalis peccati; sed Christus nullum contraxit originale peccatum: ergo non debuit circumcidi. IV. Si non fuisset Dei præceptum, Judæis non licuisset filios suos circumcidere; sed in Christo cessavit divinum præceptum: ergo non licuit hominibus illum circumcidere, & sanguinem ejus fundere. Probatur major. Quia nullius membri abscissio, vel muti-

latio per se est licita; secluso Dei præcepto, & sine urgente necessitate; tum etiam, quia vulnus illud in illa tenerrima ætate poterat mortis afferre periculum. V. Circumcisio significabat Christum venturum, quia erat protestatio quædam,& signaculum fidei Christi venturi: ergo postquam Christus venit, non amplius circumcisio obligabat. VI. Circumcisio corporalis erat figura spiritualis circumcisionis, quæ per fidem Christi conferenda erat; sed figura cessat quando venit ejus figuratum: ergo debebat in Christo cessare corporalis Circumcisio, & in ejus locum debebat spiritualis circumcisio induci. VII. Non valet dicere, ut probetur, quod licite egerunt, qui Christum circumciderunt, quia Christus libere voluit esse circumcisus;nam etiam in passione Christus libere voluit pati, & nihilominus illi, qui eum occiderunt, illicite egerunt. VIII. Evangelium memorat tantum nomen Jesu impositum Christo, quando advenit tempus, quo ipse secundum legem circumcidi debebat, non vero circumcisionis ipsius meminit: ergo ex Evangelio Christus non fuit circumcisus. Probatur consequentia. Quando Christo impositum est nomen Jesu,tempus circumcisionis elapsum erat, & ita elapsum, ut jam debite administrari non posset. Quod sic probatur. Circumcisio ipso octavo die conferebatur; sed nomen Jesu fuit impositum Christo postquam consummati sunt dies octo, scilicet, postquam transacti sunt dies illi: ergo non fuit tunc circumcisus: ergo quanvis Evangelium dicat, fuisse tunc Christo impositum nomen Jesu, non asserit tamen, fuisse circumcisum, immo potius hoc ex consequenti inficias ire, videtur.

Respondemus ad I. negando minorem; & ratio negationis est ex S.Thoma, quia quanvis Circumcisio fuerit figura fœderis, quod erat de semine nasciturο, nihilominus veritas hujus figuræ non fuit perfecte impleta in Christi nativitate. Adimpleta potius fuit perfecte, & complete in ejus passione, & in ejus morte, quia ante has Circumcisio habebat suam virtutem, & perseverabat in statu suæ obligationis. Et ex hoc Angelicus hanc deducit illationem: *Et ideo decuit, Christum ante suam passionem tanquam filium Abrahæ circumcidi.*

Ad II. Si distinguantur tempora, statim objectio evanescit. Christus circumcisus est tempore illo, quo circumcisio erat sub præcepto; nos autem debemus suam imitari actionem in eo, quod nobis est præceptum hoc tempore, quo nos vivimus. Hoc tempore nobis non est præcepta circumcisio carnalis,de qua loquitur Apostolus ad Galatas, sed circumcisio spiritualis, quam omnes tenemur imitari ad exemplum Christi. Quod præcipue paret ex sententia Origenis, quam profert Angelicus dicens: *Sicut mortui sumus cum illo moriente, & consurreximus Christo resurgenti, ita circumcisi sumus spirituali circumcisione per Christum,& ideo carnali circumcisione non indigemus.*

Ad III. Neque Christus debebat mortem suscipere, quæ est peccati effectus, quia nunquam fecit, & nunquam in se peccatum habuit; suscepit nihilominus mortem, ut nos a morte liberaret, & nos faceret spiritualiter mori peccato; ita pariter suscepit circumcisionem, quæ est remedium originalis peccati, absque eo quod originale peccatum haberet;& ideo suscepit, ut nos a legis jugo liberaret, & ut in nobis spiritualem circumcisionem efficeret; quod asserit S.Thomas,subdens, atque concludens, ut scilicet *suscipiendo figuram, impleret veritatem.*

Ad IV. Respondet Suarez 3. par. qu. 27. art. 2. disp. 15. sect. 1. quod „ Quanvis per se non fuerit necessarium Parentibus Christi puerum circumcidere: per accidens tamen ad vitandum scandalum merito existimari potuisse necessarium. Quia cum partus esset manifestus omnibus, miraculum autem Conceptionis esset occultissimum, non potuisset non generari grave scandalum, si circumcisio fuisset prætermissa. Et quanquam hæc necessitas fortasse non tanta fuerit, ut obligationem simpliciter induceret, quia non erat necessarium, ut cæteris constaret, si fortasse circumcisio omitteretur, nihilominus tamen demonstrat ratio facta, hunc fuisse convenientissimum modum,non solum ad vitandum scandalum, sed etiam ad significandam promptissimam voluntatem parendi legi, eique reverentiam exhibendi, eam nimirum exequendo etiam cum non obligaret. „

Ad V. Distinguitur consequens: Ergo postquam Christus venit, & complevit opus, ad quod venit, non amplius circumcisio obligabat, conceditur; postquam venit, & non adhuc complevit opus illud,negatur. Quando Christus est circumcisus, certum est, quod jam venerat; at nondum perfecerat opus, ad quod venerat;

hoc

hoc enim in passione, & morte sua perfecit; ut dictum est nuper. Et inde est, quod lex vetus adhuc post Christi adventum obligabat, non obligabat tamen post Christi passionem, mortem, ac resurrectionem; quia scilicet tunc primum non erat completum, & perfectum redemptionis opus, ad quod Christus advenerat, sicut completum, & perfectum est deinde post passionem, mortem, ac resurrectionem ejus.

Ad VI. Figura cessat, quando venit figuratum ejus, distinguitur: Et figuratum exprimit totum id, quod figura præsignabat, conceditur; Et figuratum non exprimit totum illud, negatur. Cæterum non est certum, quod ratio instituendi circumcisionem, saltem primaria, fuerit significatio circumcisionis spiritualis. Ratio enim prima instituendi ipsam fuit ad consignandum Populum Dei, & homines quodammodo destinandos cultui divino; quod legimus Genesis 17. *Statuam pactum meum inter me, & te, ut sim Deus tuus, & seminis tui post te*. Et infra: *Circumcidetis carnem præputii, ut sit in signum fœderis inter me, & vos*. Hic autem usus, & significatio, ait Suarez, optime potuit in Christo habere locum. „ Aliæ „ vero significationes, idem subdit, cum „ non essent expressæ, non erant necessa„ rio conjunctæ cum illo opere, & ita po„ terant separari, & vitari omne menda„ cium: sicut constat, quia non solum post „ Christum natum, sed etiam post mortem „ ejus multo tempore licita fuit circumci„ sio, & Paulus licite circumcidit Thimo„ teum absque ullo mendacio, vel falsa si„ gnificatione. „

Ad VII. Dicimus cum eodem Suarez, magnam esse disparitatem inter unam, & alteram actionem; illa enim Ministrorum passionis Christi erat actio injuriosa Christo, & intrinsece mala; hæc autem circumcisionis minime, & ideo non solum ut passio, sed etiam, ut actio fuit Christo voluntaria, & non solum permissa, verum quoque ab æterno Patre ordinata. Quod sic explicat Suarez: „ „ Quod dupliciter explicari potest: primo, „ quia verisimile est, non esse factam a Jo„ seph, & B. Virgine absque speciali Dei „ revelatione. Et fortasse quando Angelus „ docuit Joseph nomen, quod puero erat „ impositurus, simul significavit, ut illud „ imponeret die circumcisionis more con„ sueto. Unde Epiphanius lib. 1. hæres. „ 30. sub finem, alios pueros, inquit, non „ esse authores circumcisionis, sed paren„ tes ipsorum, Christum autem sicut incar„ nationem, & conceptionem, ac nominis „ impositionem, ita & circumcisionem sibi „ ipsi disposuisse. Secundo seclusa etiam „ revelatione, illa circumcisio tunc erat „ actio sacra, & religiosa, & auctoritate „ divina ad divinum cultum instituta, & „ ut illius usus esset licitus, non oportebat, „ ut ex obligatione legis fieret; poterat „ enim voluntarie assumi ab his, qui lege „ Moysis non obligabantur, quanquam post „ illam assumptam servandæ legi obnoxii „ manerent, teste Paulo ad Galatas 5. Ergo „ etsi Christus non esset subjectus legi cir„ cumcisionis, juste tamen, & sancte potuit „ a Parentibus circumcidi. „

Ad VIII. Respondet Serry citat. Exercit. 33. quod sunt illæ puræ cavillationes, obortæ ex mera periodi evangelicæ æquivocatione. Subdit enim: „ Hebraismus si„ quidem illic est. Hebræorum enim ver„ ba actum sæpe significant inchoatum, „ non perfectum. Sic Lucæ 2. *Postquam* „ *impleti sunt dies purgationis ejus .... tule*„ *runt illum in Jerusalem*; hoc est, dum im„ pleti fuere. Et Marci cap. 8. *Oportet Fi*„ *lium hominis post tres dies resurgere*; idest, „ die tertio. Quare, *postquam consummati* „ *sunt dies octo, ut circumcideretur puer*, idem „ illic sonat, ac postquam cœpti sunt con„ summari, quod utique fit, dum septem „ diebus transactis, octava demum circum„ cisioni distincta inchoatur. Ac tunc qui„ dem circumcisus est Christus. Neque re„ fert, quod illum circumcisum expresse „ non afferat Evangelium: satis quippe „ est, quod dies octo consummatos dicat, „ ut circumcideretur, ad quid enim id ad„ notasset, nisi re ipsa circumcisus esset? „ Maxime cum Jesu nomen ei tunc indi„ tum dicat, quod nonnisi in Circumcisio„ ne solebat imponi: ut ex Joannis circum„ cisione compertum est, Lucæ cap. 1. v. 59. „ Idcirco autem circumcisum puerum di„ stincte, aperteque non dixit Lucas, uti „ profecto Jesu nomen illi impositum con„ ceptissimis verbis asseruit; quia consue„ tum erat, ac lege præceptum, ut infan„ tes octavo die circumciderentur; idcirco „ id tanquam indubitatum, manifestumque „ supponere maluit, quam distincte narra„ re: at quia Jesu nominis impositio pro„ pria, ac peculiaris illi fuit, ideo de illa „ peculiariter dixit. Subjungit ad solutio„ nis cumulum Cardinalis Cajetanus, desse „ in vulgata Versione conjunctionem „ *et*, quæ extat in Græco Textu: *Et voca*-

„ *tum*

„ tum est nomen ejus Jesu ; quæ manifeste „ supponit, fuisse puerum circumcisum, „ & præterea eidem Jesu nomen impositum: adeoque Vulgatum Textum casu „ aliquo fuisse concisum, sicque omnino „ restituendum esse : *Postquam consummati* „ *sunt dies octo, ut circumcideretur puer, circumcisus est, & vocatum est nomen ejus Jesus, &c.* At totum id pro arbitrio fictum „ est. Quanquam enim conjunctio καὶ in „ hodierno Græco Textu legatur, nullum „ tamen in eo concisæ, ac vitiatæ propositionis vestigium extat, longeque certius „ est conjunctionis hujus additamentum „ hodiernorum Græcorũ Codicum vitium „ esse: cum Versiones Syriaca, & Arabica, „ quæ ad Græci Textus fidem jam a primis „ seculis expressæ sunt, veteresque Patres, „ tum Græci, tum Latini locum illum Lucæ absque ulla conjunctione retulerint. „ Frustra itaque ad propositæ difficultatis „ solutionem suffugium istud Cajetani quæsierimus, quæ satis abunde aliunde soluta est. „

Dicimus III. Christum fuisse circumcisum in antro Bethleemitico, octavo die a nativitate sua, non a Sacerdote aliquo, sed ab uno ex Parentibus ejus, & probabilius a S. Josepho.

Prima Conclusionis pars, quæ est de loco, probatur I. Circumcisio apud Judæos fieri solebat nec in Templo, nec in Synagogis, sed in privatis domibus, aliisque quibuscunque liberis locis, in quos convenirent amici, atque cognati: ergo ita pariter fuit in Circumcisione Christi observatum. Probatur antecedens. Abraham circumcisus est domi, & domi etiam circumcidit filium suum, omnesque vernaticos suos, ut legitur Genes. 17. Sephora filium suum circumcidit in diversorio, quando iter agebat, ut habetur Exodi 4. Josue totum Populum post trajectum desertum in Valle præputiorum circumcidit, ut refertur Josue 5. Joannes Baptista circumcisus adhuc est domi, quia Mater ejus circumcisioni præsens aderat; ipse enim dixit Cognatis Zachariæ, qui volebant puero nomen imponere: *Nequaquam, sed vocabitur Joannes*, Lucæ 1. atqui illa quum esset puerpera octo dierum, non poterat exire domo, ut se conferret in templum, vel in Synagogam, quia ex præscripto legis per triginta dies manere debebat in sanguine purificationis suæ; ut legitur Levitici 12. ergo &c.

II. Probatur ex Evangelio, ubi asseritur Christi Parentes mansisse Bethleemi usque ad diem quadragesimum, quo scilicet tempore primum venere Jerosolymam. Verba Evangelii sunt: *Postquam impleti sunt dies purgationis ejus secundum legem Moysis, tulerunt illum in Jerusalem, ut sisterent eum Domino &c.* Si ergo octavo die debebat puer Jesus circumcidi, non in Templo circumcisus est, in quo non erat, sed in antro Bethleemico, in quo erat.

III. Probatur ex S. Epiphanio hæres. 20. *Natus est in Bethleem, circumcisus in Spelunca, oblatus in Hierusalem, in ulnas acceptus a Simeone.* Quibus verbis consonat Nicephorus Callixtus lib. 1. hist. Eccles. cap. 12. ubi dicit: *In die octavo, Dominico scilicet circumciditur in Bethleem in domo Josephi.* Quæ verba mitius interpretatur Serry scribens „ ubi nimirum hospitabatur; propriam enim domum in Judæa „ non habebat, sed Nazarethi in Galilæa: „ quam Suarez dicens: „ De circumstantia „ autem loci, cavendus est lapsus Nicephori lib. 1. hist. cap. 12. dicentis, Christum fuisse circumcisum in domo Joseph, „ in quo nec sibi constat, cum statim cap. „ sequenti dicat, Christum inventum esse „ a Magis in Spelunca, & præsepi: nec verum dicit, quia certum est, B. Virginem „ usque ad diem purificationis a loco nativitatis Christi non discessisse; fuit ergo „ in eodem diversorio circumcisus, ut recte notavit Epiphanius lib. 1. contra hæreses tom. 1. cap. ultimo, post hæresim „ 20. „

Secunda Conclusionis pars, hoc est, de tempore, probatur. Levitici 12. habetur: *Et die octavo circumcidetur infantulus*: ergo circumcisionis tempus erat dies octavus a nativitate. Legatur S. Bernardus serm. 3. de hoc mysterio, & pro circumstantia temporis, de qua loquimur, Cardinalis Baronius, quæ sequuntur verba, literis mandavit ad annum Christi I. „ Redemptor humani generis Christus Dominus „ postquam in Bethleem natus est (quoniam, ut ait Apostolus, missus est a Patre „ in similitudinem carnis peccati) octavo „ die, ipsis Kal. Januarii, Augusto decimumtertium, & Plautio Silvano consulatum gerentibus, eodem, in quo natus „ est loco, circumciditur; nomenque Jesus, „ quod ab Angelo fuerat præmonstratum, „ eidem est inditum. Cujus gestæ rei historiam Evangelista paucis enarrat, cum „ ait: *Postquam consummati sunt dies octo, ut circumcideretur puer, vocatum est nomen ejus Jesus, quod vocatum est ab Angelo priusquam*

„ *quam in utero conciperetur*. Hæc Lucas. In „ spelunca circumcisum esse Dominum, „ Epiphanius testatur: neque enim aliqua „ adstringebantur lege Judæi, ut circum- „ cidendum infantem deferrent in Tem- „ plum. Cum itaque in circumcisione no- „ men accepisset censu Cæsaris (quod su- „ perius fusius dictum est, dum egimus de „ descriptione, ac censu Quirini) descri- „ ptus est. Quique in hunc mundum (quod „ ait Joannes) ad hoc venit, ut dissolvat „ opera Diaboli, ipsas kal. Januarias, præ „ cæteris anni diebus Gentilium superstí- „ tionibus pollutas, suso sanguine conse- „ cravit, sibique ipsas primitias temporis, „ Diaboli tyrannide occupatas, primitiis „ sui sanguinis vindicavit: quod myste- „ rium symbolicis quibusdam verbis olim „ Involverat Isaias, cum diceret: *Delectabitur infans ab ubere super foramine aspidis*. „ Quibus autem ritibus Ecclesiasticis di- „ ctam diem Christi sanguine adeo illustra- „ tam Christiani consueverint solemniter „ celebrare, alibi pluribus diximus. „

Tertia Conclusionis pars I. probatur. Circumcisio apud Judæos non erat ministerium Sacerdotale, nec erat officium Leviticum, sed mere laicum: ergo non erat opus, ut illud obirent Sacerdotes,& multominus Sacerdos, qui inter illos erat Summus. Probatur antecedens, Genes. 17., & Genes. 21., & in Actibus Apostolicis cap. 7. observatur, quod Patres Familias munus illud obibant; & Exodi 4. habetur, quod Sephora exercuisset; & lib.2. Machab. cap.6., & lib. 1. cap. 1. de aliis mulieribus constat. Igitur ea his clare etiam patet, Christum Dominum circumcisum fuisse ab uno ex Parentibus ejus. Author libri de vera circumcisione, qui invenitur inter Apocrypha Hieronymi tom.9. asserit: *Christus octava die circumciditur a Maria*; & Author libri de lamentatione Virginis, qui legitur inter Apocrypha Bernardi, inquit: *Virgo Christum genuit,lactavit, octava die circumcidit*. Verum hæc adulterina sunt documenta, & nihil ex eis deduci valet, quod sit certum,& inconcussum. Attamen S.Ephrem Syrus in orat. de Transfigurat. probans, quod Christus veram carnem assumpserit, hoc ipsum ex circumcisione infert; & de circumcisione loquens, illius Authorem fuisse S. Joseph aperte dicit: *Si non erat vera caro, quem ergo Joseph circumcidit?*

II. Probatur. Mos erat apud Hebræos, ut filios circumciderent illi, qui erant domus, & familiæ capita, hoc quidem ordine, ut mulieres id facerent tantum in absentia Virorum, & urgente necessitate; si autem præsentes essent viri, id muneris ipsimet exequerentur. Non ambigimus B. Virginem adeo fuisse paratam divinæ voluntati adimplendæ, ut si voluisset Deus filium suum ab ipsa circumcidi, & ipsa prompto, pacatoque animo id præstitisset. Attamen, ut mos erat in gente sua, Josepho commisit.

Dicimus IV. Christi corpus etiam sine præputio fuisse, & esse, integrum; præputium autem ejus ubinam fuerit, & modo inveniatur, non omnino constare apud Authores, nec ab Ecclesia, aut esse, aut fuisse, declaratum.

Prima pars Conclusionis probatur. I. Corpus alicujus, qui sit filius Abrahæ, & homo Judæus, etiam sine præputio est integrum; sed Christus Dominus fuit filius Abrahæ, & homo judæus: ergo corpus ejus, etiam sine præputio est integrum. Probatur major. Quamvis præputium pertineat ad integritatem hominis, qua hominis, non pertinet tamen ad integritatem hominis, qui sit filius Abrahæ, & homo judæus: ergo corpus alicujus, qui sit filius Abrahæ, & homo judæus, etiam sine præputio est integrum. Probatur antecedens. Quilibet filius Abrahæ, & homo judæus, est sine præputio, & tamen dici non potest, quod integritatem sui corporis non habeat: ergo quamvis præputium pertineat ad integritatem hominis, qua hominis, non pertinet tamen ad integritatem hominis, qui sit filius Abrahæ, & homo judæus.

II. Probatur. Corpus Adæ fuit integrum, & nihilominus illi una ex costis ejus, ex qua formata est Eva, deficiebat: ergo pariter corpus hominis judæi, qui sit filius Abrahæ, adhuc sine præputio est integrum. Probatur antecedens. Doctor Angelicus 1. par. qu. 92. ar. 3. ad 2. inquirens, an sublata illa costa Adamus manserit mutulus? Et an illa costa ad humani corporis integritatem pertineret? Docet, quod pertinebat ad integritatem humani corporis, ut Adamus erat privatus, ac peculiaris homo, sed non ut erat humani generis caput, ea quo secundum divinam institutionem formanda erat Eva; ac proinde Adam fuit quidem illa costa minutus, sed non ideo mutulus remansit. Sic pariter in casu nostro, si corpus humanum nude spectemus, præputium pertinet ad illius integritatem; si vero attendamus corpus, ut viri judæi est,

est, præputium reputatur, ut particula quædam excrementitia, quæ resecanda est ad corporis munditiem. Unde concludit Serry, quod rem totam moraliter spectando, Christi corpus integrum est, quanvis sit exigua illa parte minutum.

III. Probatur. Christi corpus post resurrectionem suam retinuit vulnerum vestigia; ut patet Joannis 20. quando illa exhibuit spectanda, atque tangenda Thomæ de resurrectione sua dubitanti; & nihilominus corpus ejus adhuc erat integrum, quanvis illi defecissent particulæ carnis, quæ in vulnerum foraminibus inveniebantur: ergo pariter quanvis Christi corpori defecisset particula illa carnis, quæ præputium constituit, adhuc tamen ejus corpus erat integrum. Probatur consequentia; quia quemadmodum retinuit Christus vulnerum vestigia in signum reportati triumphi, ita non abs re fuisse, dicendum est, quod retinuerit vestigium olim susceptæ circumcisionis; hoc est levissimam cicatricem relictam ex præputio abscisso in signum susceptæ olim carnis ex Abrahamo.

IV. Probatur. Explicationes aliorum, ut hæc duo concilient simul, nimirum, & quod Christus nunquam dimiserit, quod semel assumpsit, & quod præputium ejus, quod fidelium adorationi proponebatur, & quod etiamnum proponitur, sit vera particula carnis ejus; nec satis sibi constant, nec omnino sunt veræ, nec efficaces ad intentum, quod desideratur: ergo ex confutatione aliorum dicendi, & explicandi modorum, sequitur, quod explicatio nostra subsistit. Probatur antecedens, confutando modos illos dicendi, & explicandi. Et primo quidem Theophylus Raynaudus lib. 2. de Christo sect. 3. cap. 3. putavit Christum tempore, quo resurrexit, efformasse sibi præputium ex alia quadam materia, sibique aptasse, & sic bene conciliare autumat, quod præputium Christi sit etiamnum in terris, & sit quoque in Christi corpore in Cœlis. Attamen ex hoc sequeretur, quod præputium Christi in Cœlis non esset proprium Christi corporis, sed alienum; adeoque Christi corpus non esset integrum. Quod idem esset, ac si quis manum non haberet, ac manum sibi quacunque arte, & ex quacunque materia efformaret. Præterea absonum omnino videtur dicere, quod Christus sibi præputium finxerit alienum, ut proprium in terris desereret, quum proprium, non alienum, ad corporis integritatem pertineat.

Secunda Conclusionis pars explicatur, & simul probatur. Multæ sunt opiniones de loco, in quo fuerit Christi præputium, & in quo modo sit, quas conciliare impossibile est, omnes autem referre, res est tædio plena. Sunt qui dicunt, Christi præputium fuisse primum ab Angelo delatum ad Carolum Magnum, Imperatorem, & ab hoc in Templo S. Mariæ Aquisgranense depositum; postmodum Carofium delatum; ac demum prope Basilicam Lateranensem Romæ, in loco, qui dicitur Sancta Sanctorum, reconditum. Secundo S. Brigitta libro 6. revelat. cap. 112. tradit præputium, quod reconditum erat in Sancta Sanctorum, fuisse furto sublatum in direptione Urbis 1527., & a Milite fure delatum, non sine miraculo, in Pagum agri Romani, qui dicitur *la Calcata*, quod erat in ditione illorum *dell' Anguillara*, & postea sub potestate Ursinorum, & postmodum iterum fuisse translatum Romam in Templum Sanctorum Cornelii, & Cypriani; quod & sequitur Cardinalis Toletus annot. 31. in cap. 2. Lucæ. Tertio alii dicunt, quod ex Pago illo *la Calcata* iterum fuerit delatum Romam, & denuo in loco, qui dicitur Sancta Sanctorum, reconditum, ubi volunt, quod etiamnum servetur; & hæc est communis traditio Romæ. Quarto Antuerpienses gloriantur ante annos amplius sexcentos, se habuisse præputium Christi, quod ad ipsos detulit Henricus Noesius, Regii Sacelli Præfectus, quando Jerosolymis regnabat Godofridus Bullonius; quod retulit Bollandus tom. 1. de actis Sanctorum. Postmodum volunt sublatum anno 1556., quando Calviniani Templa, & Sacraria fere omnia in Belgio expilarunt. Quinto Franciscus Costerus meditat. 4. ait, servari Parisiis, & Joannes Gersonius serm. habito in Paschatis festo dixit, servari Brugis. Sexto Bellerofontius lib. 1. Cosmographiæ asserit quondam fuisse Pictavis servatum in celebri Abbatia Carofolii; sed deinde fuisse direptum a Calvinianis circa finem Seculi xvi. Septimo Odo Gisseus lib. 1. histor. Aniciensis cap. 17., aliique cum ipso dicunt, servari Anicii usque ad præsentem diem. Octavo Vindelinus in supplemento Gabrielis in 4. dist. 44. qu. 1. scripsit plures præputii particulas in pluribus Christiani Orbis Urbibus inveniri. At præputii exiguitas, quæ vix æquat

ciceris

ciceris magnitudinem, talem, ac tantam partitionem non patitur. Nono sunt qui asserunt præputium pro locorum multitudine fuisse divinitus replicatum. At hoc grande, ac perpetuum miraculum quis credet sine gravi authoritate, & sine Ecclesiæ judicio, quod adhuc nobis non innotuit, quia Ecclesia nihil super hoc usquemodo declaravit? Unde restat, quod in Conclusione proposuimus, scilicet incertum esse ubi jam fuerit, & ubi modo Christi præputium inveniatur; vel ex eo maxime, quia Scriptores non conveniunt, peculiares Ecclesiæ pro suo quæque studio erga tam sanctam, ac pretiosam reliquiam acerrime certant, & Universalis Ecclesia litem usquemodo dirimere judicio suo non est dignata.

Arguunt I. In depictis tabulis sæpe videmus Christum ab aliquo ex Sacerdotibus veteris legis, aliquando etiam a Summo, circumcisum: ergo re vera Christus fuit non in Spelunca, sed in Templo, non ab aliquo ex Parentibus, sed ab aliquo ex Sacerdotibus, circumcisus. II. Joannes Baptista non fuit domi, sed aut in Templo, aut in Synagoga circumcisus: ergo falsum est, quod circumcisio non in Templo, nec in Synagoga, sed domi fiebat. Probatur antecedens. Lucæ 1. dicitur: *Factum est in die octavo venerunt circumcidere puerum*; sed nemo in domum suam propriam dicitur venire: ergo si venerunt, non in domum, sed vel in Templum, vel in Synagogam venerunt. III. Titus, Bostrensis Episcopus, qui sub Juliano Apostata floruit, & obiit sub Valente Imperatore circa annum 365., in Commentariis suis de Christi Domini præputio pauca dicit; ex hoc ergo Authore desumenda erant quæcunque Nos de eodem diximus, quum Author & sit antiquus, & sit satis in sacra eruditione commendatus. IV. Si Romæ fidelium adorationi Christi præputium fuit aliquando expositum, & si ad præsens quoque exponitur, signum est, quod Romana Ecclesia approbat ejusdem identitatem: ergo saltem per hoc non est incertum ubi fuerit, & ubi modo Christi præputium inveniatur; Romana enim Ecclesia in Sanctorum reliquiis approbandis non fallitur. V. Non eadem est ratio de vulneribus Christi, ac de præputio; quia propter vulnera non deficiunt Christo partes, quæ sint corpori ejus vel essentiales, vel integrales; deficiunt tamen propter circumcisionem, cujus quidem pars ablata talis est, ut etiam dicatur separata in terra servari, quod quidem non dicitur de partibus, quæ abscissæ per vulnera remanserunt. VI. Suarez testatur, præputium Christi fuisse a B. Virgine detentum, & diligentissime asservatum; non est autem credibile, ut ipsum B. Virgo alicui tradiderit, nec ut aliquando deperderit: ergo si aperte non constat ex aliqua Ecclesiæ vel definitione, vel declaratione, ipsum in aliqua peculiari Ecclesia extare, dicendum est, quod eum Christus Dominus in sua resurrectione assumpserit, & modo illud in Cœlo, tanquam ad sui corporis integritatem pertinens, asservet.

Respondemus ad I. Pictorum fuisse, ac pariter modo esse, nescimus quid dicamus, aut Judaicorum Rituum inscitiam, aut quodlibet audendi sibi concreditam potestatem, aut ex Vulgi opinione gestas res repræsentandi voluntatem, quod in Circumcisione Christi, aut pinxerint, aut etiamnum pingant, vel unum ex Sacerdotibus Mosaicæ legis, vel summum etiam Sacerdotem, qui circumcisionis ministerium impleat. Cæterum nos debemus Pictorum errores ex Sacrorum librorum historia corrigere, non vero de hujus veritate propter illorum fabulas dubitare.

Ad II. Non fuerunt Zacharias, & Elisabeth, qui erant Joannis Parentes, qui domum ad pueri circumcisionem dicuntur venisse; sed cognati, vicini, & amici; hoc est illi, qui vocabant eum nomine Patris sui Zachariam, & qui a Joannis Parentibus, qui eum Joannem vocari volebant, reprehensi sunt. Sicque adventus non est applicandus Parentibus, sed cognatis, vicinis, & amicis, qui re vera in Zachariæ domum venerunt, quæ non erat illorum domus propria; & venerunt, ut Joannis circumcisioni assisterent.

Ad III. Commentarios illos, qui sub nomine Titi Bostrensis laudantur, non esse illius, cujus nomen præseferunt; citantur enim in illis Chrysostomus, Cyrillus Alexandrinus, Isidorus Pelusiota, qui adhuc primam agebant pueritiam, quando Titus vitam cum morte commutavit. Sane Cardinalis Bellarminus lib. de Scriptoribus Ecclesiast. ad annum 365. hæc de Tito scribit: „ Titus Bostrorum Episcopus vixit Imperatore Juliano, sed obiit „ sub Valente, ut S. Hieronymus testatur „ in lib. de Scriptorib. Ecclesiast. egregios „ libros contra Manichæos, e quibus tres „ cum argumento quarti, editi sunt Ingol-

„ stadii anno 1604. ab Henrico Canisio „ tom. 5. antiquæ lectionis: Extant etiam „ ejusdem Titi commentaria in Matthæum, „ & Lucam, impressa cum aliis quibusdam „ Ingolstadii apud Sartorium. Observan- „ dum est autem Commentaria in Matthæum, & Lucam non posse esse hujus „ Titi, quoniam Auctor horum Commentariorum passim citat Chrysostomum, „ Cyrillum Alexandrinum, & Pelusiotam, „ qui pueri erant cum Titus moraretur. „

Ad IV. Aliud est non reprobare, aliud approbare; aliud est permittere, aliud præcipere; aliud est tolerare, aliud definire, & declarare. In Reliquiis, quæ sunt res pertinentes ad factum, & quidem ad factum, quod nullam habeat cum dogmate connexionem, Ecclesia Universalis, seu illius Caput, in quo ipsa residet Ecclesia, peculiaribus Ecclesiis permittit, ut suas sequantur traditiones; & dummodo nulla falsitas in dogmate contineatur, & nullum scandalum timeatur, nullam reprobat consuetudinem, nullam damnat traditionem.

Ad V. Diximus jam, particulam illam esse minutissimam, & adeo exiguam, ut vix integralis pars dici mereatur. Certum est, quod essentialis pars non fuit,& de essentialibus partibus plerique Theologi intelligunt axioma illud decantatum; quod semel assumpsit,nunquam dimisit; ut videre est apud illos, qui identitatem Sanguinis pretiosi ejusdem Christi Domini, adhuc in terra existentis acriter defendunt.

Ad VI. Satis est, si constet ex Ecclesiæ permissione, seu non reprobatione; quod quidem sic constare ex dictis usquemodo apertissime patet.

DISSERTATIO CCXIX.

De Circumcisione Christi. An antiqua sit in Ecclesia Circumcisionis Christi festivitas? An Jesus nomen fuerit Christo in Circumcisione impositum? A quo? Quare? Et quorum ministerio?

Dicimus I. antiquissimam fuisse in Ecclesia Circumcisionis Christi festivitatem.

I. Probatur ex Conciliis, Concilium Turonense II. celebratum anno Christi 567. can. 17., & can. 23., Altisiodorense coactum anno Christi 614. can. 1., & Romanum sub Zacharia Romano Pontifice, habitum anno 742., non solum meminerunt festivitatis hujusce, de qua loquimur, sed etiam districte prohibuerunt, ne Christiani sacrilegas Paganorum superstitiones Kal. Januarii imitarentur. Pro qua re observari oportet cum Thomassino lib. 2. de festis cap. 8. Circumcisionis festivitati antiquis temporibus fuisse jejunium publicum annexum; & hoc, quia Gentiles eadem die, seu Kalendis Januarii in Jani honorem gulæ ebrietatibus, & luxuriæ fræna laxabant. Alii Gentiles personati apparebant, induentes nimirum vel tunicas muliebres, vel pecudum pelles, vel belluarum capita. Alii quoque Ethnici in honorem Deæ, quam dicebant Strennam, vel Strenuam, recipiebant simul, & offerebant diabolicas strenas, quas legimus in sermone Faustini Episcopi, habito Kalendis Januarii, & descripto a Chiffletio apud Bollandum tom. 1. Ut autem Catholici Gentiles corrigerent, vel ut Deum illis placarent, quando ipsi nefariis illis superstitionibus vacabant, jejunio publico, & rigido se affligebant.

II. Probatur ex Patribus. Augustinus serm. 7. in Appendice Sirmondi sic Christianum hominem alloquitur: *Acturus es celebrationem Strenarum, sicut Paganus, lusurus alea, & inebriaturus te? Quomodo aliud credis, aliud speras, aliud amas? Dant illi Strenas, date vos eleemosynas, advocantur illi cantionibus luxuriarum, advocate vos sermonibus Scripturarum, currunt illi ad theatrum, vos ad Ecclesiam, inebriantur illi, vos jejunate.* Et in psalm. 98. *Per ista autem dies*, inquit Aquilinus ille Doctor, ad

ad hoc jejunamus, ut quando ipsi, seu Ethnici *lætantur*, *nos pro ipsis gemamus*. Alii Patres similes habuerunt exhortationes iisdem Januarii Kalendis; nimirum Chrysologus serm. 155., & Maximus in homil., quam iisdem Kalendis habuit. Et hæc tempora credimus ea fuisse, quæ nostris Baccanalibus respondent, a quibus utinam fideles abstinerent, ut Ecclesiæ obsequentur.

Dicimus II. Jesus nomen fuisse Christo in Circumcisione impositum, Deo præcipiente per Angelorum, & hominum ministerium, & propter rationes, quæ mox exponentur.

I. Probatur ex Scripturis. Quanvis enim Genes. 17. ubi continetur Circumcisionis præceptum nulla de nominis impositione mentio fiat; consuetudine tamen factum est, ut octavo die, quo puer circumcidebatur, etiam ei nomen imponeretur, veluti, ut ait Suarez, quadam necessaria consequutione, supposita hominum conditione, ex lege circumcisionis orta. Ad hoc ipsum probandum affert testimonium Cypriani lib. de Cardinalibus Christi operibus, quem Cypriani putat genuinum esse fœtum, quanvis eruditi suppositum judicent. Verba vel Cypriani, vel alterius hæc sunt: *Hoc cum octava die jussum sit celebrari, & nomen Circumciso aptari intimatum est iis, qui digni Sanctorum consortio censebantur, quod eorum nomina scriberentur in Cælis, & æternæ beatitudini, quam post vitæ hujus septimanam octava consequitur, hæredes fierent, & consortes, quicunque vitæ innocentia sese Domino consecrassent.* Unde apposite S. Lucas Evangelista cap. 2. ubi Circumcisionis tacite meminit, ibi etiam nominis impositi mentionem expresse facit, dicens: *Postquam consummati sunt dies octo, ut circumcideretur puer, vocatum est nomen ejus Jesus, quod vocatum est ab Angelo, priusquam in utero conciperetur*. Sane apud omnes Nationes in more fuit natis Infantibus a nativitatis principio nomina imponi; & hoc quidem publice, & cum aliqua etiam solemnitate fiebat; nimirum Athenienses decimo nativitatis die amicos, & cognatos convocabant, Diis sacrificia offerebant, & filiis nomina imponebant; quod testatur Suidas. Romani octavo die puellis, pueris vero nono, nomina dabant, postquam eos Diis lustrassent, ac propterea dies illi lustrici dicebantur; quod affert Festus. Judæi autem, ut habetur ex Lucæ 1. & 2., & Patres unanimiter explicant, qui erat illis Circumcisionis dies, illum quoque nominis impositionis diem habebant; ita quidem, ut Theophilactus, & Euthymius apud præfatum Suarez conjectant, quod Circumcisio nominis impositionem præcederet; & quia decebat, ut prius signaculum Dei imprimeretur, quam imponeretur humanum; & quia non censebatur inter homines nomine dignus, qui nondum fuerat Deo consecratus.

II. Probatur ex Patribus. Augustinus serm. 40. de temp. docet, Christum voluisse hunc Judæorum morem, & quasi politicam legem observare, ut in omnibus rebus honestis ac decentibus suæ genti assimilaretur, & ut in omnibus se verum hominem ostenderet; tum quoque, quia quum haberet Christus ut Deus nomen proprium, quod est Verbum, Sapientia, Imago, &c. conveniebat pariter, ut nomen proprium haberet ut homo, ac proinde ei impositum est nomen Jesus.

III. Probatur, quod nomen hoc fuerit a Deo Patre impositum per Angelorum, & hominum ministerium. Matthæi 1. Gabriel Angelus ad Virginem dixit: *Ecce concipies in utero, & paries filium, & vocabis nomen ejus Jesum. Et Lucæ 2. Et vocatum est nomen ejus, quod vocatum est ab Angelo, priusquam in utero conciperetur.* Matthæi 1. Etiam ab Angelo dictum legimus Josepho: *Joseph, Fili David, noli timere, accipere Mariam conjugem tuam, quod enim in ea natum est, de Spiritu Sancto est. Pariet autem Filium, & vocabis nomen ejus Jesum; ipse enim salvum faciet Populum suum a peccatis eorum.*

IV. Idem probatur per Patres. Cyrillus lib. de fide ad Theodosium: *Nomen hoc novum a Patre opinor, per Angeli vocem impositum est.... Quando ergo Unigenitus filius, qui Patri coæternus ante omnia sæcula extitit, novissimis temporibus homo factus, & ex muliere natus, & filius declaratus, & primogenitus appellatus, & inter multos fratres numeratus est, tunc ille quoque, qui secundum naturam Pater est, Patris leges (ut ita loquar) sequutus, nomen hoc præfinivit.* Bernardus serm. 2. de Circumcis. ad verba illa Lucæ cap. 2. *Vocatum est ab Angelo*; subdit: *Vocatum plane, non impositum; nempe hoc ei nomen est ab æterno; a natura propria habet, ut sit Salvator; innatum ei est nomen hoc, non inditum ab humana, vel Angelica creatura.*

V. Probatur rationibus, quas affert Suarez. I. Imponere nomen est habentis authoritatem super illum, cui nomen imponitur; sed nullus, nisi solus Deus habebat super Chri-

Christum authoritatem: ergo ad solum Deum spectabat Christo nomen imponere. II. Nominis impositio importat perfectam, ac intimam cognitionem illius, cui nomen imponitur; sed solus Deus habebat intimam, & perfectam cognitionem Christi: ergo solus Deus poterat Christo nomen imponere. III. Nomina, quæ in Scripturis leguntur a Deo imposita quibusdam peculiaribus hominibus, magnam ostendunt illorum hominum dignitatem, & magnam quoque Dei erga ipsos benevolentiam; sed hoc privilegium Christo denegari non debebat, tum propter maximam ejus dignitatem, tum propter infinitum amorem, quo ipsum Deus prosequebatur: ergo &c.

VI. Probatur, quod hæc nominis impositio facta fuerit per Angelorum, & hominum ministerium. Matthæi 1. Angelus, fuit, qui Josepho dixit: *Et vocabis nomen ejus Jesum*. Et Lucæ 1. Angelus fuit, qui dixit Mariæ: *Et vocabis nomen ejus Jesum*. En hic igitur habemus, & ministerium Angelorum, & ministerium hominum; quatenus nomen Jesus vocatum est ab Angelo, subdit Cornelius a Lapide in cap. 2. Lucæ, Gabriele, annunciante B. Virgini conceptionem Jesu cap. 1. v. 31. „ Et vo„ catum est ab hominibus, a Maria scilicet, „ quæ quasi jure materno hanc sibi pote„ statem vindicabat, & a S. Josepho, qui ue „ verus Sponsus, & maritus Virginis non „ debebat hac dignitate, & authoritate pri„ vari „. Unde Chrysostomus homil. 4. in Matthæum sic facit loqui Angelum ad Joseph; *Non quia ex Spiritu Sancto est, idcirco te a ministerio tantæ existimes dispensationis Extraneum. Nam etsi nihil habeas in hac generatione commune, tamen quod est proprium Patris, quodque nihil lædit Virginis dignitatem, hoc tibi facile concedo, ut scilicet, nato nomen imponas. Quanquam enim non sit filius tuus: tu tamen curam erga illum, & sollicitudinem ostendes Parentis, & propterea te illi ab ipsa statim nominis impositione approprio, familiaremque facio nato infanti*.

Modo deveniendum est ad rationes, propter quas dicimus, aptissimum, & convenientissimum fuisse, ut Christo Domino Jesus nomen imponeretur. Et quidem ut hoc totum salvetur ac probetur, sufficiens esset a Deo fuisse nomen impositum. Quæcunque enim facit Deus, convenientissime, & sapientissime facit, atque adeo si nomen Jesus fuit a Deo impositum Christo, nemo potest ambigere; quod convenientissime, & aptissime, & sapientissime fuerit impositum. Verum, ut nos quoque rationes aliquas ad hanc convenientiam explicandam, rudiser afferamus, primo dicimus, per nomen Jesu salutem importari, unde ipsum a verbo salvandi originem ducit; quod Angelus testatur Matthæi 1. *Vocabis nomen ejus Jesum; ipse enim salvum faciet populum suum a peccatis eorum*. Ubi Hieronymus: *Jesus hebræo sermone Salvator dicitur: & ethimologiam ergo nominis ejus Evangelista signavit, dicens: Vocabis nomen ejus Jesum, quia ipse salvum faciet populum suum*. Addit Osiander hæreticus, quod hoc nomen quum sit hebræum, suam ducit ethimologiam a nomine ineffabili Dei, quod dicitur Tetragrammaton; hoc est, Jeova, una, aut altera, vel addita, vel interposita litera. Sed quia hæc nec in Scriptura, nec in Patribus fundata sunt, ideo merito a Suarez non recipiuntur; asserit tamen, quod ubicunque in Veteri Testamento sub hoc nomine Messias promittitur, Septuaginta vertunt Soter, & Hieronymus, seu Vulgata legit Salvatorem. Sic Isaiæ 62. *Propter Sion non tacebo, & propter Hierusalem non quiescam, donec egrediatur ut Splendor Justus ejus, & Salvator ejus ut lampas accendatur*. Sic Michææ 7. *Ego autem ad Dominum aspiciam, & expectabo Deum Salvatorem meum*. Sic Habacuc 3. *Ego autem in Domino gaudebo, & exultabo in Deo Jesu meo*. In quibus verbis non legitur in hebræo nomen Jesu, sed Jesa, quod salutem significat; Et rationem assignat Suarez, quia potest intelligi abstractum positum pro concreto activo, ad denotandam Salvatoris perfectionem. Septuaginta tamen vertunt, *In Deo Salvatore meo*.

Secundo addimus, quod nomen Jesus est Christo proprium; proprium quidem, prout distinguitur a metaphorico, & proprium, prout distinguitur a communi. Multa sunt nomina in Scripturis, quæ metaphorice Christo tribuuntur, & supra triginta enumerantur a Hieronymo in Ezechielem 46. a Cypriano lib. 2. ad Quirinum, a Cyrillo Jerosolymitano catechesi 10. Omnia tamen, inquit Suarez, sub nomine Jesu, & sub propria ejus significatione, comprehendi. Multa enim sunt nomina communia, seu appellativa, quæ tribuuntur Christo; uti Redemptor, Christus, &c. At Christus est nomen digni-

gnitatis; quatenus significat unctum, & convenit æque Regibus, ac Sacerdotibus, qui oleo ungebantur, & demum applicatum est Messiæ, qui Rex futurus erat, ac Sacerdos, Deus, & homo, oleo divinitatis unctus; ut docet Eusebius lib.4. demonstrat. Evangelicæ cap.15., & post ipsum Nicephorus lib.1. hist. cap.4. Nomen autem Jesu fuit impositum ad significandam hanc personam in hac natura, ut idem prosequitur Suarez.

Tertio, nomen Jesus volunt plerique esse etiam proprium Christi, quatenus nulli alteri tributum est præter ipsum; scilicet in eo sensu, in quo impositum est Christo, nulli alteri, nec antea, nec postea fuisse impositum. Quod asseruit Garatinus lib.3.de arcanis cap.20.,& Santes Pagninus in interpretatione nominum hebræorum, quos cap.7. concordiæ sequitur Jansenius Gandavensis. Et si ipsis opponatur, legi etiam in Scripturis Jesum Nave, Jesum Syrach, Jesum Josedech; respondent, horum nomen non fuisse iisdem omnino literis conscriptum; quia eorum nomen legebatur Jehosua, Christi vero Jesua; & Jehosua significat Deus salvabit, vel Deus salus; Jesus vero Salvatorem importat. At Suarez hoc non admittit, additque, majorem fidem adhibendam esse antiquis Patribus, & in linguarum cognitione peritissimis, qui docuerunt, nomen hoc, quod ad materialem literarum sonum, multis antea fuisse impositum, quanvis vis, & efficacia illius nominis nova, & singularis in Christo fuerit. Docet enim Cyrillus Jerosolymitanus catechesi 10. *Ipse solus Jesus appellatur vero nomine a salutari medicina habens appellationem*. Post quæ ita prosequitur idem Suarez 3. par. qu.37. art.2. disp.15. sect.2. „ Propter quod excellentiores viri, quibus hoc nomen prius impositum est, typi, ac figuræ Christi extitisse censentur. Quod abunde probat locus ille Zacha. 3. *Ostendit mihi Dominus Jesum Sacerdotem magnum*. Quo loco, verum, ac proprium Jesu nomen positum esse, omnes Patres docuerunt, adeout quidam eorum de solo Christo verba illa ad literam interpretentur,ut Tertullianus lib.contra Judæos c.ultimo, ubi inquit, delineatum esse ibi Christum Summum Sacerdotem, *& in persona sua, & in ipsius nominis Sacramento*. Idem Lactant. lib.4. c.14. Origenes homil.9. in Levit. Ambrosius lib. 3. de fide cap.4. Alii vero licet in sensu historico de Jesu filio Josedech interpretentur, allegorice tamen intelligi de Christo non negant, & omnes consentiunt typum fuisse ob similitudinem nominis, officii, &c., ut late eo loco Hieronymus tractat, & Eusebius 4. lib. de Demonstrat. Evang. cap.29., ubi sic inquit: *Magnus Sacerdos, qui dicitur Jesus apertissimam imaginem, & notam evidentissimam servare mihi videtur Salvatoris nostri Jesu Christi, quando & illius nomine decoratur, & populi de Babylone redeuntis, qui captivus illic fuerat, ductor extitit*. Eadem est sententia Augustini 12. contra Faustum cap. 36. Theodoreti, & aliorum Interpretum Zach.3. Deinde, quod Josue eodem nomine in Christi figuram donatus fuerit, sæpius testatur Justinus Martyr in Dialogo contra Tryphonem, ubi inter alia considerat, Moysen cum Josue mitteret in terram promissionis, illi nomen mutasse, & ablato nomine Auses, vel Oseæ Jesum vocasse, quoniam introducturus erat populum in eam, ut sicut in hoc munere, ita & in nomine typum Christi gereret. Et idem sensit Tertullianus lib. contra Judæos cap. 9. & lib. 3. contra Marcionem cap.16., & Augustinus lib. 16. contra Faustum cap. 18., & sequentibus, & lib. 2. quæstionum in Exodum qu.103., & Ambrosius in psalm. 47. in fine, & Hieronymus lib.1. contra Jovinianum, latissime omnium Origenes homil.2. in Exod.22. in Num.1., & Josue 1., & optime Theodoretus in principio libri Josue. Denique Philo lib. de humanitate,& Joseph lib.5.antiquitatum, dum sæpius Josue nominant, *Jesum* illum appellant. Et Eusebius lib.4.de Demonst. in ultimis fere verbis id confirmat, ipsius vocis interpretationem exacte explicans. Non est igitur hoc nomen in sono verborum proprium solius Christi Domini; neque hoc refert ad dignitatem, vel excellentiam ejus, quæ magis ex impositione, & ratione ejus, quam ex sono petenda est. „

Quarto. Nominis Jesu impositio aptissime subsequuta est infantis circumcisionem; quia quum per Circumcisionem Christus Dominus sanguinem suum fuderit pro hominibus, & sanguis ejus salutem hominum mereretur; merito illo eodem tempore, quo Christus primo sanguinem fudit, Salvatoris nomen consequutus est. Unde videtur hoc Sanctissimum nomen non solum a maxima Christi dignitate originem duxisse, verum quoque ab ejus me-

merito singulari, & infinito, quod primo consequutus est per primum passionis suæ specimen, quod in sua exhibuit Circumcisione. Quapropter illi in hoc sensu aptari possunt verba, quæ Apostolus Philippensibus cap.2. scribebat: *Humiliavit semetipsum factus obediens usque ad mortem, mortem autem Crucis, propter quod & Deus exaltavit illum, & dedit illi nomen, quod est super omne nomen, ut in nomine Jesu omne genu flectatur, &c.*

Quinto. Docent S.Thomas, & ante ipsum docuerat S.Bernardus serm.2. de Circumcis., quod in hoc nomine Jesus omnia alia Christi nomina, tam propria, quam metaphorica comprehenduntur. Et quidem in ipso Christi divinitas elucet, & exprimitur; quia nullus alius, ut docent Patres, nos poterat salvare, nisi solus, & verus Deus; quod pariter asseruit Epiphanius hæref. 29. a Suarez citatus; qui pariter in confirmationem illorum, quæ hic dicimus, hæc probando prosequitur: ,, In quo illud specialiter perpendendum est, quod Matth. cap. 1. cum dixisset: *Et vocabis nomen ejus Jesum*, statim subdit, hoc factum esse, ut impleretur quod Isaias prædixerat: *Et vocabitur nomen ejus Emanuel*. Solent enim Patres interrogare, & late tractare, quomodo eum de Messia fuerit prædictum, vocandum esse Emanuel, non illud, sed Jesu nomen acceperit. Et quanvis diversi diversa respondeant, ut videre licet in Chrys., Theophyl. Euthym. ibi.Lactan. lib.4. c.12 Tertullian.lib.3. contra Marcionem c. 8.& 9. Augustin. serm. 8. de Nativit. Matthæus tamen potius dixit per hujus nominis impositionem prophetiam illam impletam esse: non enim erat sensus illius, Messiam nominandum esse hac materiali voce Emanuel, sed rem illa voce significatam ei esse tribuendam; quia tunc vere, ac singulari modo Deus nobiscum esse incepit, quando Verbum caro factum est. Quod mysterium apertissime nobis declarat nomen *Jesus*, quo non solum Verbi majestas, sed etiam humanitatis veritas indicat, sine qua, Salvatoris munus Deus exequi non posset. Significatur autem illa humanitas, tanquam principium, & radix bonorum omnium, quæ sub nomine *salutis* comprehenduntur.,,

Sexto hoc adoratissimum nomen cunctis hominibus est honorabile, est proficuum, est suavissimum. Per ipsum enim voluit nos Deus consolari, & adjuvare; quod promiserat Isaiæ 26. *Propter Sion non tacebo, & propter Hierusalem non quiescam, donec egrediatur ut splendor Justus ejus, & Salvator ejus ut lampas accendatur*. Prosequitur Propheta, adducendo bona, quorum omnium nomen hoc debebat esse principium, & origo; Unde concludit: *Ecce Dominus auditum fecit in extremis terræ, dicite Filiæ Sion: Ecce Salvator tuus venit*. Et cap.12. Volens per Christi adventum nos homines consolari, & ad spem nos excitare, illum quoque nobis sub Salvatoris nomine proponit, dicens: *Confitebor tibi, Domine, quoniam iratus es mihi, conversus est furor tuus, & consolatus es me. Ecce Deus Salvator meus, fiducialiter agam, & non timebo, quia fortitudo mea, & laus mea Dominus, & factus est mihi in salutem; haurietis aquas in gaudio de fontibus Salvatoris*. Gabriel quoque Angelus, quando Jesus nomen annunciavit, subdidit utilitatem nostram ex nomine illo percipiendam, dicens: *Ipse enim salvum faciet populum suum a peccatis eorum*. Immo omnes Angeli, qui Lucæ 1. Christi nativitatem Pastoribus Evangelizarunt, dicebant, *quia natus est vobis hodie Salvator*. Recte igitur Actorum 4. dicebatur ab Apostolo Petro, non esse aliud sub Cœlo nomen, in quo oporteat nos salvos fieri.

Objiciunt I. Theodosius Imperator in l.2. C.de feriis in C.Theodosiano, enumerans dies festos, in quibus non licebat juridicos actus agere, inter illos non ponit diem Circumcisionis Domini: ergo festivitas illius non fuit antiquis temporibus celebrata. Probatur antecedens, afferendo verba legis, quæ sunt: *Sanctum diem Pascha, & diem Natalis Domini, & Epiphaniæ, septem, qui praecedunt, & septem, qui sequuntur, sine strepitu volumus obsecari, & quod contra hoc factum fuerit, omnibus modis irritatur*. II. Chrysostomus enumerans festa, quæ ex Christi Domini nativitate descendunt, nec verbum de Circumcisione dicit: ergo illam non agnoscebat, ut celebrem in Ecclesia festivitatem. Probatur antecedens. Chrysostomus in Oratione de B.Philogonio hæc scribit: *Appetit festum omnium festorum maxime venerandum, adorandumque: quod si quis appellet omnium festorum metropolim, haudquaquam aberret. Quod autem hoc est? Christi juxta carnem Nativitas: Ab hoc enim illustratio dici, festum videlicet Epiphaniorum, ac sacrum Pascha, Ascensio, & Pentecostes originem, ac fundamentum*

mentum ducunt. Nisi enim secundum carnem natus esset Christus, nequaquam baptizatus esset: nam id est festum Theophaniorum. Nequaquam fuisset crucifixus: nam hoc est festum Pascha. Nequaquam misisset Spiritum Sanctum, quod est Festum Pentecostes. Itaque ab hoc, ceu fonte quopiam, hi diversi amnes orti, nata sunt nobis hac festa. Verum non ob hoc tantum par est hunc diem cateris anteponi: sed etiam ob id, quod id, quod in hoc natum est, cateris omnibus est venerabilius. III. Concilium Agathense, celebratum anno 506. cap. 21. enumerat etiam majores in Ecclesia festivitates, sed de Circumcisione omnino tacet; Verba canonis sunt: *Pascha Natali Domini, Epiphania Domini, Ascensione Domini, Pentecoste, & Natali S. Joannis Baptistæ, &c. nonnisi in Civitatibus, aut in parochiis teneant Missas. Clerici vero si qui in festivitatibus, quas supra diximus, in Oratoriis (nisi jubente, aut permittente Episcopo) missas facere, aut tenere voluerint, a communione pellantur*. Et cap. 64. *Si quis in Clero constitutus ab Ecclesia sua diebus solemnibus absfuerit, idest, Nativitate Domini, Epiphania, Pascha, vel Pentecoste, triennio a communione suspendatur*. IV. Isidorus Hispalensis de Officiis Eccles. lib. 1. cap. 25., & 26. Solemnitatem memorat nativitatis Domini, & Epiphaniæ; sed de Circumcisionis festo nec verbum apponit: ergo hoc festum nec antiquum, nec solemne fuit in Ecclesia. Probatur antecedens, adducendo verba, quæ in præfatis Canonibus continentur. Cap. 25. *Natalis dies Domini ea de causa a Patribus votivæ solemnitatis institutus est, quia in eo Christus pro redemptione mundi nasci corporaliter voluit &c. Hæc est ergo dominicæ Nativitatis magna solemnitas; hæc est diei hujus nova, & gloriosa festivitas, adventus Dei ad homines factus. Itaque dies iste pro eo, quod in eo natus est Christus, Natalis dicitur: quemque ideo observare per revolutum circulum anni festa solemnitate debemus, ut in memoriam revocetur, quod natus est Christus*. Cap. 26. *Epiphaniorum diem proinde festa solemnitate viri Apostolici signaverunt, quia in eo per stellam est Salvator ostensus, quando invenerunt Magi Christum in præsepio jacentem, & adoraverunt eum. Ideo ergo diem hunc annua celebritate sacraverunt, ut Mundus agnoscat Deum, quem elementa cœlitus prodiderunt*. V. Solum Dei nomen, quod est Tetragrammaton semper fuit in Ecclesia venerandum, adeout non liceret omnibus nec ipsum quidem nominare: Si ergo quæ diximus vera sunt de nomine Jesu, ipsum quoque paris venerationis cum Dei nomine esse debebit; quod non est dicendum. VI. Si vera sunt quæ scripsimus de nomine Jesu, deberemus ipsum quoque vel in tabellis sculptum, vel in paginis scriptum, adorare: Sed qua adoratione? Non quidem Duliæ, quia non est aliquid Sanctorum, sed Dei; nec etiam Latriæ, quia etsi Dei hominis sit nomen, non est tamen cum divinitate unitum; neque pariter Iperduliæ, quæ quidem adoratio soli Beatissimæ Mariæ Deiparæ debetur.

Respondemus ad I. Opponendo allatæ legi aliam Valentiniani, Theodosii, & Arcadii, Imperatorum, quæ refertur in C. Theodosiano l. omnes C. de feriis, in qua legitur: *Omnes dies jubemus esse juridicos. Illos tantum manere feriarum dies fas erit, quos geminis mensibus ad requiem laboris indulgentior annus excepit, æstivos fervoribus mitigandis, & autumnos fructibus decerpendis. Kalendarum quoque Januariarum consuetos dies otio mancipamus &c., in quibus debent jura differri: sacros quoque Pasche dies, qui septeno numero, vel præcedunt, vel sequuntur. Dies etiam Natalis, atque Epiphaniarum Christi: & quo tempore commemoratio Apostolicæ passionis totius Christianitatis magistræ a cunctis jure celebratur: in quibus etiam prædictis sanctissimis diebus, neque spectaculorum copiam referamus*.

Ad II. Dicimus, orationem illam non esse S. Joannis Chrysostomi, sed alterius quidem ab ipso; illius enim nec Bellarminus meminit lib. de Scriptorib. Ecclesiast., ubi opera omnia Chrysostomi accurate recenset, nec alii eruditi critici, qui idem tractant argumentum meminerunt.

Ad III. Concilio Agathensi opponimus Concilium Turonense, Altisiodorense, & Romanum, quæ in Dissertationis exordio laudavimus. Cæterum non mirum, si inter festa illa, quæ cum lætitia, & gaudii celebritate in Ecclesia habebantur, Circumcisionis festum non numeratur, quia hoc, ut diximus, cum jejunio, fletu, & planctu celebrabatur propter rationes, quas ibi quoque enucleavimus ex Augustino præcipue, aliisque Patribus.

Ad IV. Eadem est responsio, ac ad III., nimirum, quod Isidorus describebat, quæ ad festorum illorum pertinebant solemnitatem, sive in officio, sive in missa, & præcipue ad præfationes, quas pro fin-

singulis festivitatibus memoravit. Festum autem, de quo loquimur, solemnitatem tantum babebat afflictationis, per quam Cbristiani in Gentilium exemplum, & condemnationem jejunabant, plangebant, ac affligebantur,

Ad V. Quod dicitur in psalm. 110. *Sanctum nomen ejus* Jesu nomini a Scriptoribus passim applicatur, ut videre est apud Hennum, qui citat S. Bernardum serm. 15. in Cantic. dicentem: *Nihil ita ira impetum cohibet, superbiæ tumorem sedat, sanat livoris vulnus, restringit luxuriæ fluxum, extinguit libidinis flammam, sitim temperat avaritiæ, &c.* Et Chrysologum scribentem serm. 144. *Hoc nomen dedit cæcis visum, auditum surdis, claudis cursum, sermonem mutis, vitam mortuis, totamque diaboli potestatem de obsessis corporibus virtus hujus nominis effugavit*. Quam habet virtutem admirabile, ac venerabile nomen Jesus, a Deo habet; Deus enim dedit Christo nomen, quod est super omne nomen, jussitque, ut in nomine ejus omne genu flecteretur Cœlestium, Terrestrium, & Infernorum. Et hæc est inter Dei nomen, & Jesu nomen differentia.

Ad VI. Nomen Jesu, vel in tabula sculptum, vel in pagina scriptum, idem est ac imago in tela, vel alibi depicta; & ideo sicut adoramus imaginem propter relationem, quam dicit ad suum originale, ita & nomen Jesu adoramus; quod S. Bernardinus Senensis præstitit fortiter, & efficaciter defendit.

DISSERTATIO CCXX.

De Magorum adoratione. Cujus Nationis Magi fuerint? Cujus dignitatis? Cujus numeri? Et quo nomine appellati sint? Ex qua Regione discesserint? Et quod iter usque Bethleem peregerint?

PRO Magorum Natione enucleanda, ac stabilienda, certum primo habemus ex Evangelio Matthæi, fuisse orientalem, Dicitur enim Matthæi cap. 2. *Cum natus esset Jesus in Bethleem Juda in diebus Herodis Regis, ecce Magi ab Oriente venerunt Jerosolymam dicentes, ubi est, qui natus est, Rex Judæorum? Vidimus enim Stellam ejus in Oriente, & venimus adorare eum*. At semper remanet difficultas, cujus Regionis ex Oriente fuerint? Primo, aliqui putarunt, fuisse Chaldæos. At communiter impugnantur; & quia Chaldæa respectu Judææ sit pars Aquilonaris, non Orientalis; & hinc est, quod malum, quod Judææ superventurum timebant Prophetæ, ab Aquilone dicebant quoque oriturum: *Omne malum ab Aquilone*: Si ergo Chaldæa est pars Aquilonaris, non a Chaldæa venerunt Magi, qui ab Evangelio dicuntur venisse ab Oriente: tum quoque, quod Chaldæa sit proxima Judææ, & notissima habitantibus illam; si ergo Magi a Chaldæa venerunt, cur generico illo nomine Orientis dicuntur ab Oriente venisse, & non potius a Chaldæa, quæ notior erat Judæis, ut proximior? Secundo, alii voluerunt, venisse Magos ex Mesopotamia, & fuisse posteros Balaami, qui prædixerat Christum sub stellæ symbolo oriturum; prout legitur Numer. 24. Hujus opinionis fuerunt Origenes, & Basilius Magnus, quod putaverint, viguisse in Balaami posterorum memoria vaticinium de stella, aliquando oritura ex Jacob, ac proinde Magos novam stellam videntes fuisse erectos, ac excitatos ad novum Regem inquirendum. Verum nec hæc secunda opinio subsistit, quia licet Balaam fuerit Mesopotamus, non tamen vaticinium fecit in Mesopotamia, sed in Moab, quo fuerat advocatus; nec postquam reversus est ad suos vaticinium inter illos commendavit; immo potius nefariis studiis operam dedit usque ad finem vitæ, & pessime obiit, Cæterum non legitur, Mesopotamos Astrologos fuisse; & denique designans Evangelista patriam Magorum, ut longe ab Judæa distantem, esse non poterat Mesopotamia, quæ Judææ proxima, & quasi contermina est. Tertio, alii existima-

marunt, Magos fuisse Arabes, & ex Arabia venisse, non deserta, & petrea, sed ex felice, & Judææ respectu, Orientali. Citantur pro hac opinione Justinus Martyr, Tertullianus, Hilarius, Epiphenius. Attemen ait Serry, in mejori numero Patres bis paucis obstare, propter bas, quas ipse subdit retiones. „ I. Quod Arabia non ita dillet a Judæa, nempe solo itinere octidui. II. Quod Magorum nomen fit epud Arabes inauditum. III. Quod in aliis novi Testamenti locis, ubi de Arebia fit fermo, proprio nomine nuncupetur, ut ed Galatas cap. 1., & 4. Ultimo quod momenta, quibus ea opinio maxime nititur, facile exsufflantur. Nititur enim oraculo Davidis Psal. 71. *Reges Arabum, & Saba dona adducent*; quod tamen speciatim de Magis adoratoribus dictum non esse, demonstravimus: elias Reges, non modo Arebes, sed & Sabæi, Tharsenses, & Insulani perinde dicendi essent ob ee, videlicet, quæ præcedunt: *Reges Tharsis, & Insula munera offerent, Reges Arabum, & Saba dona adducent*. Nititur & oraculo Balaami Num. 24. quod in Arabia fusum existimatur; cum Moab Arabiæ regio sit juxta D. Hieronymum lib. de locis hebraicis. At quid quæso, necesse est, Megos ex ea regione profectos esse, ubi fusum est olim oraculum illud: *Orietur Stella ex Jacob: consurget Virga de Israel Num.* 24. ? Cum & illius notitia ad alios quoque populos pervenire potuerit, ut ee notitia excitarentur, ed novum Regem stelle affulgente quærendum: imo cum nulla hujus oraculi notitia habita, secretiori Dei inspiratione excitari potuerint. „ Quarto demum alii scripserunt, Magos fuisse Persas, & ex Perside venisse. Hujus sententiæ sunt Chrysostomus, Clemens Alexandrinus, Cyrillus Alexandrinus, quibus S. Thomas subscripsit 3. par. q. 36. ar. 7. Cum quibus

Dicimus I., Magos fuisse Persas, & ex Perside Bethlehem, ad Christum adorandum, venisse. Conclusio inter recentiores est Serry contra Grevefon.

I. Probatur. De Perside verificantur omnie, quæ de aliis dictis regionibus, quas alii in medium attulerunt, diximus non verificari: ergo probabilius dicendum est, Megos fuisse Persas, & ex Perside Bethlehem ed Christum adorandum venisse. Probatur antecedens. Primo Persis est pars respectu Judææ Orientalis: ergo Magi venientes ex Perside, verificatur, quod venerint ex Oriente. Secundo a Judæa versus Orientem est pars remotissima, distat enim leucis circiter quingentis: ergo talis est distantia, ut sine multorum dierum itinere superari non potuerit. Tertio Persis nunquam in novo Testamento ex proprio nomine designatur, sed semper sub Orientis titulo: ergo non mirum, si non diversimode hic etiam describitur. Quarto, nomen, ac professio Magorum celebris erat apud Persas, qui scientiæ syderum operem dabant: ergo verificatur pariter Megorum conditio. Quinto, adoratio cum munerum oblatione de more erat Persarum: ergo & in hoc Magi se Perses esse ostenderunt. Sexto denique, munera, quæ obtulerunt, si in Perside, quæ proprie eret ipsorum regio, invenire non potuerunt, facile invenerunt in Arabia felice, per quem transire iter faciendo Bethlehem versus, necessario debebent: ergo jam stat, quod in Perside verificantur omnia de Magis, quæ in aliis regionibus verificari omnino non possunt.

II. Probatur. Ideo Magi non fuerunt ex Chaldæa, ut diximus, quia Chaldæa est pars Aquilonaris, non Orientalis respectu Judææ; ideo non fuerunt, ut diximus periter ex Mesopotemia, quia hæc est proxima, & non multum distans a Judæa; ideo quoque, ut probavimus, non fuerunt ex Arabia Felici, quia in hac non vigebat Megorum nec professio, nec nomen, & a Judæa non admodum erat remota; Sed omnes istæ exceptiones, quæ in aliis regionibus habent locum, in Perside locum non habent, ut dictum est in I. probatione: ergo propter illes easdem rationes, quibus probatur Magos non fuisse Chaldæos, non Mesopotamos, non Arabes, probatur periter fuisse Persas.

Pro conditione vero, ac dignitate Magorum: Primo, non subscribimus illis, qui Magorum nomine intelligunt Viros magicis artibus addictos, sortilegos, ac Necromanticos; sed potius credimus eos designari, qui apud Persas erant Sapientes, Philosophi, ac Syderalis scientiæ periti, qui quidem hoc specialiter nomine ab Orientalibus nuncupentur. Secundo, alii voluerunt, Magos fuisse Reges; & ita pictis coloribus exprimuntur in tabulis, & fictili quoque opere videntur in præsepibus, quæ in anniversaria die Nativitatis Domini in tanti mysterii memoriam, vel in Ecclesiis, vel in privatis domibus repræsentantur. Alii autem hoc constantissime negant, asserentes, illos

fuisse privatos homines, sapientes quidem, at non Reges, divites quoque, sed non Proceres, Philosophos utique, neutiquam vero Principes.

Dicimus II., Magos fuisse Sapientes, ac Philosophos, haud quaquam vero Reges. Conclusio est Cornelii Jansenii Gandavensis cap. 9. Concordiæ.

I. Probatur. S. Matthæus Evangelista describens Magorum adventum, nullam eis regiam tribuit dignitatem, nullam de regali ipsorum ornatu, ac comitatu memoriam facit, nullum denique verbum scribit, per quod excelsa ipsorum dignitas significetur: ergo ex Matthæo nec Reges erant, nec regali pompa incedebant. Probatur consequentia. Non debuisset hoc omittere Matthæus, si verum in se fuisset; tum quia per hoc & Christi nascentis gloriam auxisset, & delati honoris celebritatem magis amplificasset. Et quemadmodum, quando Christus sanavit filium Reguli, Evangelista non omisit Patri suo hunc titulum tribuere, ut miraculum redderet celebrius, ita pariter Magos describens Christi adoratores, si vere Reges fuissent, omittere non debuisset regiam ipsorum exprimere dignitatem, ut apud Judæos esset illustrior salutatio, & gloriosior adoratio.

II. Probatur, tum quia, ut intelligitur ex Evangelio, Herodes non alloquitur Magos, ut Reges, ac sibi pares, sed ut inferiores, eis etiam mandata imponens: *Mittens eos in Bethlehem dixit: Ite, & interrogate diligenter de puero, & cum inveneritis, renunciate mihi*; tum pariter, quia si Reges fuisent antequam Herodis ditionem ingrederentur, debebant illi nuncios, vel legatos, vel oratores mittere, per quos ingressum in Herodis Regnum impetrasent; & sic Herodes, qui de ortu pueri turbatus fuerat, de ipsorum adventu turbatus quoque fuisset, maxime quum esset inopinatus: tum denique, quia incredibile omnino videtur, si Magi Reges fuisent, potuisse illos clanculum Bethlehemo discedere, quin Herodes, qui sexto tantum milliario distabat, Jerosolymam degens, ipsorum discessum agnovisset. Quæ omnia improbabilem sane reddunt illorum assertionem, qui dicunt, Magos fuisse Reges.

III. Probatur ex antiquorum Patrum silentio, nullus enim ex ipsis invenitur, qui Magis regiam tribuat dignitatem, quanvis multi commendaverint illos a sapientia, & syderum cognitione. Solum Theophylactum testatur Serry, fuisse primum, qui Magis tribuerit regium nomen, ac titulum; at Author iste nec antiquus est in Ecclesia, quum floruerit Sæculo XI., nec talis est authoritatis, ut antiquiorum Patrum silentio non obstante, ei, qui sine illorum testimonio loquitur, fidem adhibeamus.

Pro Magorum vero numero, Glossa in cap. 2. Matthæi putat, eos in magna fuisse multitudine. Author Operis imperfecti in Matthæum apud Chrysostomum homil. 2. duodecim numerat Magos Christi Adoratores, quos Persarum Sapientiores, & mysteriorum divinorum amatores dicit. Leo tamen Magnus in sermonibus de Epiphania, tres tantum fuisse, scripsit; & post ipsum Author sermonum, qui Eusebio Emissemo male tribuuntur, hoc ipsum confirmavit. Petrus denique Abailardus serm. 4. de Epiph. Authoris Operis imperfecti opinioni subscribit.

Dicimus III. Magos Christi adoratores tres tantum fuisse; nimirum Balthasarem, Melchiorem, & Gasparem.

I. Probatur. Ex perantiqua, & universali Ecclesiæ traditione. Quanvis enim unus, aut alter ex Scriptoribus majorem numerum scripserit, nullus tamen inventus est, qui multitudinem illam a Scriptoribus confictam, vel in tabulis, vel in repræsentationibus expresserit; quum contra, omnes, quas videmus tabulæ, trinum dumtaxat Magorum numerum exhibeant, & in repræsentationibus natalitiis non magis, quam tres devotorum oculis exhibeantur: ergo vere ex omnium Ecclesiarum mente, & concordia, inferri potest, trinum tantum fuisse Magorum Christum adorantium numerum, & non amplius.

II. Probatur. Tria fuerunt munera, quæ Magi Christo Domino obtulerunt: ergo tres fuerunt Magi Christi Domini adoratores. Ad infirmandum hoc argumentum Serry dicit, quod quilibet ex Magis tria illa munera obtulit. En sua verba „ Idcirco porro tres tantum fuisse vulgo „ creduntur, quia tria oblata munera me„ morat Evangelium, *aurum, thus, & myr„ rham*: quasi singula obtulerint singuli. „ Quis id porro certo sciat? Imo omnia „ singulos obtulisse, probabilius est: tum „ quod ita plerique Patrum existiment, ma„ xime vero S. Ambrosius lib. 2. in Lucam, „ & S. Gregorius Magnus homil. 10. in „ Evangelia: tum quod ita ratio suadere „ videtur. Cum enim ea ab ipsis oblata sint

„ mu-

„ munera tanquam symbola fidei suæ, qua
„ Christum, & Regem, & Deum, & mor-
„ talem hominem agnoscebant, omnia sin-
„ gulos obtulisse necesse est, cum titulos il-
„ los omnes in Christo agnoscerent sin-
„ guli. „ Verum ejus imaginatio non subsistit, quia munera illa non præcise oblata fuerunt in liberalitatis exercitium, & in Nati Numinis adorationem; sed etiam in mysterium; mysterium autem poscebat, ut quilibet ex Magis munus suum offerret, quo scilicet unus Infantis testaretur divinitatem, alter humanitatem, vel mortalitatem, tertius vero Sacerdotium æternum. Et hic videtur pariter Ecclesiæ sensus, quatenus, ut exprimitur in tabulis, vel in repræsentationibus, quilibet Magus manibus munus suum tenet, ut offerat. Ecclesiæ autem sensus cujuslibet Scriptoris authoritati prævalet, etiam si Scriptores intelligendi sint, ut Adversarius intelligit, quod nos omnino non affirmamus.

III. Probatur ex peculiari Coloniensis Ecclesiæ traditione. Et sane Ecclesia, in qua Magorum corpora asservantur, ac adorantur, tres profitetur, fuisse Magos, illorumque etiam exhibet nomina, quæ sunt Melchior, Balthasar, ac Gaspar. Et quanvis privati aliqui Scriptores variaverint hæc nomina; quibusdam scilicet appellantibus illos Appellium, Ametum, & Damascum; aliis vero Galgalad, Magalad, Serachim; aliis quoque Atorem, Satorem, & Paratorem: hoc nihilominus observandum est, quod etsi variatio sit in nominibus, non est tamen numero, omnibus convenientibus in trino numero assignando, per quem concordant, tres tantum fuisse Magos, qui Christum in Stabulo adorarunt.

IV. Probatur testimonio Patrum. Leo Magnus serm. I. de Epiphania: *Tribus igitur Magis &c.* Et serm. 4. *Tres itaque viri &c.* Et serm. 5. *Tres Magos pravia Stella perduxit*; & in aliis sermonibus semper illos tres fuisse commemorat. Augustinus serm. I. Epiphaniæ apud Suarez asserit, significatum fuisse Trinitatis mysterium in tribus muneribus, & in tribus personis, singulis singula munera offerentibus. Rupertus lib. 2. in Matth. *Tres homines tribus partibus Orbis Asiæ, Africæ, & Europæ, fidei confessionis, & adorationis exempla existere meruerunt*. Idem docuit Anselmus, & cæteri quoque Expositores in cap. 2. Matth. Denique Beda in Collectaneis, si hoc opus eidem non est suppositum, hæc scribit: *Primus dicitur fuisse Melchior senex, & canus, barba prolixa, & capillis aurum obtulit Regi Domino. Secundus nomine Gaspar, juvenis imberbis, rubicundus, thure, quasi Deo oblatione digna Deum honorabat. Tertius fuscus integre barbatus, Balthasar nomine per myrrham filium hominis moriturum professus est.*

Postremis denique temporibus, nimirum anno 1633., ut ait Serry, vel anno 1638., ut scribit Graveson, apud Gallias vulgatus est liber, in quo Author totus est, ut probet, Magos Christi adoratores fuisse Enochum, Eliam Tesbitem, & Melchisedechum. Contra hoc Commentum agit egregie Theophylus, Raynaudus in Diptychis Marianis par. 5. pun. 8. n. 25., & post ipsum Graveson, Serry, aliique; cum quibus

Dicimus IV., Magos Christi adoratores non fuisse Enochum, Eliam Tesbitem, & Melchisedechum.

I. Probatur. Magi, qui Christum in stabulo adorarunt, vocantur a Patribus Primi ex Gentibus, qui ad Christi fidem vocati sunt; sed Elias erat Judæus, Enochus vixit prima Mundi ætate, qua inter Judæos, & Gentiles nulla erat distinctio, Melchisedech tandem fuit Summi Dei Sacerdos, & omnes quidem fuerunt Sancti, non Gentiles, nec Ethnici: ergo venire non possunt Magorum nomine, qui Christum in Stabulo adorarunt. II. Enoch, & Elias non sunt in statu, in quo dormire possunt, sed Magi dormierunt: ergo horum nomine intelligi non possunt Elias, & Enoch. Major est certa apud illos, qui de eorum statu discurrunt; Minor asseritur in Evangelio Matthæi, quando dicitur, Magos Bethlehemi dormisse, quando Angelicum responsum in somnis acceperunt, ne ad Herodem redirent. III. Author iste dicit, Magos venisse a Paradiso terrestri, ut Christum adorarent in Cunis; Sed quanvis Enochus, & Elias in Paradiso terrestri invenirentur, Melchisedech tamen certissime nec superstes est, nec ibi erat: ergo saltem commentum de Melchisedecho non verificatur. IV. Si Magi fuissent Enochus, Elias, & Melchisedech, utique Matthæus illos nominasset, quemadmodum nominavit Enochum, & Eliam, quando cum Christo in Monte Tabor apparuerunt.

Opponunt I. Probabilius est, Magos fuisse Arabes; dicitur enim psalm. 71. *Reges Arabum, & Saba dona adducent . . . . Et dabitur ei de auro Arabiæ*: ergo non fue-

runt Persæ, sed Arabes. II. Munera, quæ obtulerunt Magi sunt propria Arabicæ regionis; thus enim, & myrrha sunt aromata ibi domestica, & propria Sabææ regionis in Arabia Felice; & ut testatur Plinius lib. 12. hist. naturalis cap. 14. ibi quoque gignitur aurum optimum. III. Chaldæa distat ab Urbe Jerosolyma 370. leucis, & Persia 500., quod quidem iter compleri non potest per decem & tres dies; intervallum vero itineris ex Arabia Felice ad Jerosolymam potest per octiduum peragi: ergo facilius verificantur, quæ leguntur in Evangelio, si dicamus, Magos fuisse Arabes, quam si asseramus, fuisse vel Chaldæos, vel Persas. IV. Balaam prophetiam suam, quæ legitur Num. 24. *Orietur Stella ex Jacob*; edidit in Arabia, quando scilicet vocatus fuit a Balac, Mohabitarum Principe, ut Israelitis imprecaretur: Quis autem non videt Arabes facilius potuisse hanc prophetiam agnoscere, & mente retinere, quam Chaldæos, & Persas, qui multum ab Arabia distabant? V. Hieronymus in cap. 2. Danielis dicit expresse, Magos fuisse incantatores, & maleficos. Sua verba sunt: *Videntur mihi incantatores esse, qui verbis rem peragunt: Magi, qui de signis philosophantur, malefici, qui sanguine utuntur, & victimis..... Consuetudo, & sermo communis Magos pro meleficis accipit, qui aliter habentur apud gentem suam, eo quod sint Philosophi Chaldæorum*; quibus addit Suarez; & hujusmodi significat fuisse hos Magos, qui Christum adoraverunt. VI. Augustinus in opere de mirabilibus Sacræ Scripturæ lib. 3. cap. 4. asserit, Magos fuisse Reges; dicit enim: *Reges alacres pergunt*: & serm. 43. ad fratres in eremo: *Audistis, fratres mei charissimi, Sanctissimos Reges Dominum diligenter quæsivisse*. Insuper Tertullianus lib. 3. contra Judæos cap. 9. explicans verba illa Isaiæ 8. *Antequam sciat puer vocare patrem suum, & matrem suam, auferetur fortitudo Damasci*; & exponens illud Psalm. 71. *Dabitur illi de auro Arabiæ, & Reges Arabum, & Saba dona adducent*; hæc habet: *Nam & Magos Reges fere habuit Oriens, & Damascus Arabiæ retro deputabatur, antequam transcripta esset in Syro phænicem ex distinctione Syriarum, cujus tunc virtutem Christus accepit, accipiendo insignia ejus, aurum, scilicet, & odores*. VII. Ecclesia in Officio Epiphaniæ profitetur, Magos fuisse Reges; applicat enim Magis verba illa Davidis psalm. 71. *Reges Tharsis, & Insulæ munera offerent, Reges Arabum, & Saba dona adducent*; & verba illa Isaiæ cap. 60. *Et ambulabunt Gentes in lumine tuo, & Reges in splendore ortus tui*. VIII. In Evangelio Matthæi dicitur, quod Magi apertis thesauris suis, obtulerunt Christo munera &c.; Sed hæc verba regium indicant apparatum: ergo Magi vere fuerunt Reges. IX. S. Prosper de promissionibus, & prædictionibus Dei par. 3. promis. 6. post Chrysostomum homil. 1. ex variis in Matth., quibus concinunt Eucherius in Isaiam, Julianus Archiepiscopus Toletanus lib. 1. contra Judæos, & Arnoldus Carnotensis, omnes asserunt, Magos fuisse Reges, & hic ultimus scribit: *Reges Arabum, & Saba, ab Oriente egressi, sequuti stellam insoliti luminis, gentibus curvatis, & humi purpura defluente, Jesum nostrum pannosum adorantes, donis sacramentalibus venerati sunt*. X. Magi ex Evangelio venerunt ab Oriente; sed Paradisus Terrestris, in quo habitant Enochus, & Elias, situs est in Oriente, ut scripsit Moyses Genes. 2. ergo Magi Christi adoratores fuerunt Enochus, & Elias. XI. Gloriosior esset Christo Magorum adoratio, si adoratores dicerentur Enochus, & Elias, & Melchisedech, viri quidem Sanctissimi, & ab omni antiquitate in veneratione habiti, quorum etiam Judæi memoriam in insigniori celebritate habebant: ergo de facto ita, & non diversimode dicendum est. XII. Magi repræsentantur non sub uno eodemque colore; alter enim ex illis sub colore fusco, atque sub nigro exprimitur; cæteris duobus sub colore albo expressis: ergo non omnes tres ejusdem erant regionis, ac nationis.

Respondemus ad I. Quia Saba posita est intra confines Arabiæ Felicis, nequit esse verborum illorum sensus, quod alter fuerit Rex Arabiæ, alter vero Rex Sabæ; quod quidem videtur exprimere particula illa conjunctiva *Et*; & quia hoc in veritate literæ, vel historiæ satis constare non potest, dicendum est, quod nomine Regum Arabum, & Saba veniant Gentiles nationes, quæ in persona Magorum Christum Dominum in cunis primo adoraverunt. Usurpatum est autem nomen Arabum, vel quia Magi, quanvis Persæ fuerint, venientes tamen adorare Christum, per Arabiam transierunt; vel quia Christum adorantes, eidem arabica munera obtulerunt.

Ad II. Dum transirent Magi per regiones illas Arabiæ Felicis, potuerunt aromata

illa

illa emere, vel etiam emere in Perfide, quo illa Arabes ad vendendum deportabant. Cæterum verba illa psalm.71. *Reges Arabum, & Saba dona adducent*, ex eo etiam probatur, quod speciatim de Magis adoratoribus intelligenda non sint, quia aliter dicendi essent Reges, non tantum Arabes, sed & Sabæi, & Tharsenses, & Insulani; quia æque de omnibus his dicitur: *Reges Tharsis, & Insulæ munera offerent, Reges Arabum, & Saba dona adducent*; Quod tamen Adversarii ipsi non concedent.

Ad III. De itinere Magorum, & de eorundem adventu in Bethleemiticam Speluncam, specialem instituemus conclusionem, quam mox dabimus, & probabimus.

Ad IV. Dicit Serry, quod potuerit oraculi Balaami notitia ad finitimas illas Gentes facile pervenire. Sua verba sunt: „ At „ quid, quæso, necesse est, Magos ex ea „ regione profectos esse, ubi fusum est olim „ oraculum illud: *Orietur Stella ex Jacob:* „ *consurget Virga de Israel.* Num.24.? Cum „ & illius notitia ad alios quoque populos „ pervenire potuerit, ut ea notitia excita„ rentur, ad novum Regem stella affulgen„ te quærendum; imo cum nulla hujus ora„ culi notitia habita, secretiori Dei inspi„ ratione excitari potuerint.„

Ad V. Hieronymus apud Suarez refert, in Perfide tria Magorum genera fuisse; Primos, quos nuper descripsit; Secundos, quos describit in Isaia 47., illos, scilicet, *qui ex astrorum cursu, lapsuque syderum, res humanas Regi arbitrabantur*; alios vero fuisse maleficos, qui magia ad aliorum perniciem utebantur. Magi, qui Christum in præsepio adoraverunt, fuerunt secundi generis; doctissimi scilicet, & eloquentissimi, qui præter farinam, & oleum nihil aliud in cibum sumebant; ut ait Suarez, qui & concludit: non est ergo incredibile, ex horum genere fuisse Magos Christi adoratores.

Ad VI. „ Liber de mirabilibus Sacræ Scri„ pturæ, ait Cardinalis Bellarminus, non „ sine causa non invenitur in retractatio„ nibus, neque in Indiculo Possidii, quo„ niam liber est indignus ingenio, & gra„ vitate S.Augustini, quem etiam non ma„ gni fecit, & S. Augustini esse negavit „ S.Thomas 3.p.qu.45. art.3. ad 2.„ Idem Bellarminus de sermonibus ad Fratres in eremo hæc scribit: „ Sermones ad Fra„ tres in eremo videntur magna ex parte „ confictì: dicit enim Auctor illorum ser„ monum, Augustinum degisse in solitudi„ ne cum Monachis, ibique ad eos sermo„ nes istos habuisse. At constat ex Possidio „ in vita S.Augustini, Augustinum post ba„ ptismum Mediolani susceptum rediisse „ in Patriam, ad propriam domum, & „ agros, ibique tres annos cum paucis ami„ cis suis in commune vixisse: deinde fa„ ctum Presbyterum Hipponensem Mona„ sterium habuisse intra ipsam Ecclesiam, „ ibique cum nonnullis vitam apostolicam „ duxisse, non utique in Eremo, sed intra „ urbem. Denique factum Episcopum cum „ Clericis suis in domo Episcopali vitam „ communem egisse: de qua re extant duo „ sermones ejus de communi vita Clerico„ rum: qui sunt inter sermones ad fratres „ in Eremo quinquagesimus secundus, & „ quinquagesimus tertius: qui duo sermo„ nes sine judicio collocati inter sermones „ ad fratres de Eremo, arguunt reliquos fi„ ctitios esse: inde enim intelligi potest „ S.Augustinum Monachum quidem fuisse, „ sed non in solitudine cum Eremitis, sed „ in Civitate, & Episcopali domo cum cle„ ricis suis monasticam vitam duxisse. Ad„ do, quod inter sermones ad fratres in „ Eremo multi sunt leves, & fabulosi, ut est „ sermo vigesimus quartus, in quo narra„ tur, S.Hieronymum Cardinalem fuisse „ in Ecclesia S.Laurentii, & veste muliebri „ indutum irrisum a Romanis, quæ sunt „ omnino falsa, & conficta. Addo deni„ que, quod phrasis horum sermonum, ex„ ceptis duobus de communi vita Clerico„ rum, qui vere sunt Augustini, est inepta, „ impropria, luculenta, ut mirum sit po„ tuisse ejusmodi sermones S.Augustino ab „ aliquo viro prudente tribui. „ Tertullianus, idem Bellarminus testatur, unum librum scripsit contra Judæos; liber ergo hic tertius suppositus creditur; vel si non suppositus, dicere possumus, verba illa fuisse Tertulliani operibus adjuncta contra ipsius Tertulliani mentem, quum nec ipse, nec alius ante ipsum, vel post, & prope ipsum hujus opinionis unquam fuerit.

Ad VII. Dicitur, verba illa non fuisse dicta peculiariter de Magis adoratoribus, sed generatim, & universe de Regibus Gentium, Nationumque Barbararum, ad Christi cultum quomodolibet advocandis. Ita scribit Serry, qui & subdit pro eo, quod continet argumentum de Ecclesia, verba illa in Epiphaniæ officio recitante: „ „ Quod autem Ecclesia ea Prophetarum „ Oracula usurpet, & accomodet celebra-

„ tio-

„ tioni divinorum officiorum in Sacris Epi-
„ phaniæ Solemniis, idcirco fit, quia Ma-
„ gorum istorum adorationem celebrando,
„ generalem Gentilium vocationem ad fi-
„ dem perinde celebrat; cujus quidem vo-
„ cationis inchoatio fuit vocatio Magorum
„ ad cunas Christi nascentis. Ita S. Leo
„ serm.2. de Epiphan. *Agnoscamus, dilectis-*
„ *simi, in Magis adoratoribus Christi vocatio-*
„ *nis nostræ, fideique primitias, & exultanti-*
„ *bus animis beatæ spei initia celebremus*. Et
„ S.August. serm. 2. de Epiphania, qui est
„ 30.de tempore: *Magis dies iste primus illu-*
„ *xit, anniversaria nobis festivitate redit.*
„ *Illi erant primitiæ gentium, nos populi gen-*
„ *tium*. „

Ad VIII. Dicimus pariter cum Serry, thesauri nomine intelligi quamcunque arcam, in qua res pretiosiores clauduntur, sive illa sit hominis privati, sive hominis Principis, vel Regis. Certe Christus omnes homines loquebatur, quando Lucæ 12. dixit: *Ubi thesaurus vester est, ibi & cor vestrum erit*. Quilibet igitur homo suum habet thesaurum.

Ad IX. Vel ideo Scriptores præfati Magos appellarunt Reges, quia utplurimum in Perside, a qua regione Magi venerunt, Magi regnabant, & Regum titulo, ac juribus potiebantur, vel quia ut plurimum Reges, qui Magi non erant, Magorum consilio jura dabant, sicque dici poterant Reges Magi, quia Regibus imperabant. Cæterum vere, & proprie Magos Christi adoratores fuisse Reges, nemo ex veteribus illis, qui recenserunt, dixit unquam.

Ad X. Omnibus non est exploratum, in quo loco fuerit situs terrestris Paradisus; at dato, quod fuerit positus ad Orientem, non ex hoc sequitur tamen, quod Magi a Paradiso venerint ad Christum adorandum. Ad verificandum enim ab Oriente venisse, sat est, quod probavimus, venisse a Perside, quæ respectu Judææ, pars est Orientalis, ut dictum est.

Ad XI. Non quærimus, nec scribimus, quæ sunt gloriosiora, sed quæ vera, aut quæ saltem sint probabiliora. Quanvis igitur fuisset Christo gloriosior Magorum adventus, si Magi fuissent Enochus, Elias Tesbites, & Melchisedechus; quia tamen hoc dicere, non est asserere, nec verum, nec probabile, ideo ab eo dicendo, vel affirmando, abstinemus.

Ad XII. Hoc totum applicari debet Pictorum audaciæ, atque licentiæ, qui in repræsentatione Magorum, Christum adorantium non unam, sed plures soliti sunt pingere falsitates; & præcipue exprimentes Magos cum coronis, cum regio apparatu, quasi Reges fuerint, & nos usquemodo probavimus, Reges non fuisse; exprimunt quoque unum ex Regibus sub Etiopis colore; & nos usquemodo ostendimus, tres omnes Magos fuisse Persas, non Etiopes, neque Mauros; alia sunt etiam, quæ Pictores comminiscuntur, & coloribus exprimunt; sed illorum audacia argumentum pro re nostra non facit.

Dicimus V. Magos ex Perside discessisse, & post unius circiter mensis iter ad Bethleemiticam speluncam pervenisse, ut divinum natum infantem adorarent.

Conclusio est media inter duas extremas, quarum una tribuitur Epiphanio hæresi 51. putanti integro biennio post Christi natalem diem Bethleem Magos advenisse; altera vero est aliorum, qui asserunt, Magos dumtaxat tertiadecima die a Christi natali, quæ incidit in sextam Januarii, ad præsepe adventasse. Sententia autem media, quam nos amplectimur, statuit, sub Januarii finem, die scilicet, vel 26., vel 27., vel 28., Magos ad stabulum accessisse; quæ quidem sententia, aliarum duarum impugnatione antecedenter probatur. Et quidem

I. Probatur, Magos non adventasse Jerosolymam, & Bethleemum biennio post Christi natalem. Si Magi hoc tempore accessissent, Herodem invenissent mortuum, non viventem; sed hoc est contra Evangelium: ergo &c. Probatur major. Christus est natus anno Regni Herodis 36., ut suo loco probatum est; Herodes autem vivere desiit anno Regni sui 37. ergo si Magi biennio post natalem Christi diem Jerosolymam, & Bethleemum adventassent, Herodem mortuum, & non viventem invenissent.

II. Probatur. Si Magi post biennium a Christi natali die Bethleemum accessissent, Christum Bethleemi non invenissent; atqui hoc etiam est contra Evangelium: ergo &c. Probatur major. B.Virgo, & S.Joseph die 40. ab ortu Jesu eum Jerosolymam tulerunt ad purificationis officium implendum; & postmodum, ut legitur Lucæ 2. Bethleemum non redierunt, sed *reversi sunt in Galilæam, in Civitatem suam Nazareth*: ergo si biennio post diem Christi natalem, Magi Bethleemum advenissent, infantem Jesum Bethleemi non invenissent.

I. Probatur, Magos Bethleemum accessisse die dumtaxat 13. a Christi natali, quæ in-

cidit

cidit in 6. Januarii. Iter erat quingentarum leucarum, quod quidem peragi non poterat per tredecim tantum dies. Additur, quod statim post Stellæ visionem, iter suscipere non poterant; debebant enim ad ipsum peragendum se disponere, saltem per unam diem. Insuper alteram diem consummare debebant in Arabia felice, ubi debebant munera destinare, atque seligere. Denique alteram quoque diem debebant Jerosolymis transigere, ubi colloquium cum Herode habuerunt, & cum Principibus Sacerdotum, & scribis Populi, qui vocati fuerunt ab Herode in consultationem, ubi Christus nasceretur. Remanebant ergo tantum decem dies ad iter quingentarum leuearum consummandum; quod si subsistere commode possit, ipsimet Adversarii fateantur.

II. Probatur. Adversarii ipsi, ut præcedentis argumenti vim eludant, coacti sunt dicere, stellam apparuisse Magis ante natalem Christi diem, ac proinde illos itineri se dedisse ante Christi Domini ortum, ut possent Bethleemum advenire die Januarii sexta; Atqui hoc est contra Evangelium: ergo &c. Probatur minor. Evangelium narrat primo loco Christi natalem, & deinde dicit, tanquam ex consequenti, & subito factum esse, ut Magi videntes stellam, itineri se dederint. Legitur enim Matthæi 2. *Cum natus esset Jesus in Bethlem Juda in diebus Herodis Regis: Ecce Magi ab oriente venerunt Jerosolymam*; quibus verbis, quis non videt res subitas, ac veluti improvisas, enarrari?

III. Probatur. Herodes præcepit infantium cædem post Magorum reditum, quando scilicet agnovit, se fuisse a Magis illusum; sed tempore illo B. Virgo, S. Joseph, ac infans Jesus jam a Spelunca discesserant, & Nazarethum advenerant, quæ quidem omnia post purificationem peracta sunt: ergo subsistere non potest, quod adventus Magorum fuerit in Speluncam die sexta Januarii. Additur, quod quum Bethleem sexto tantum milliario Jerosolymis distaret, Herodes statim Nuncium habere debebat, Magos rediisse per aliam viam in regionem suam; adeoque se fuisse ab ipsis illusum, ac proinde statim debebat infantum carnificinam præcipere; quod si fecisset non ante, sed post purificationem fecisset, adeoque tempore, quo infans Jesus, & Parentes ejus Nazarethi, non Bethleemi fuissent, quod est aperte contrarium Evangelio.

Objiciunt I. Herodes præcepit, occidi pueros a bimatu & infra, secundum tempus, quod exquisierat a Magis: ergo ex hoc colligi recte potest, Stellam apparuisse Magis biennio, antequam Jerosolymam venissent; sed Stella non apparuit Magis antequam Christus nasceretur, sed postquam Christus est natus: ergo biennio post Christi natale Magi Christum natum adoraverunt. Minor subsumpta probatur. Stella non fuit signum Christi nasciturі, sed nati; dicebant enim Magi: *Ubi est, qui natus est, Rex Judæorum; vidimus enim stellam ejus in Oriente, & venimus adorare eum?* II. Matthæus narrat Magorum adventum, uti rem a Christi nativitate statim, & proxime gestam: ergo non debet protrahi ad alios triginta dies. III. Ecclesia jam a primis Christianæ Religionis sæculis Magorum adventum die 6. Januarii semper celebravit: ergo est contra Ecclesiæ mentem, illum asserere peractum die, vel 26., vel 27., vel 28. Januarii. IV. Adoratio Magorum facta fuit non in Spelunca, sed in quadam domo, seu in diversorio, quod erat jam hospitibus vacuum, & in quod Sanctissimi Parentes natum Jesum transtulerant; & hæc est sententia Epiphanii hæresi 51. V. In Evangelio Matthæi, locus, in quo Magi Christum adoraverunt, dicitur domus, non antrum, non stabulum: ergo vere adoratio illa peracta fuit non in stabulo, nec in antro, sed in domo illa, in quam Parentes sanctissimi se receperant. VI. Herodes misit Magos Bethleem, non Nazareth, ut Christum adorarent: ergo signum est, quod Christus tunc temporis Bethleemi manebat, vel in Spelunca, aut antro, vel in domo illa, ad quam Parentes ejus ipsum transtulerant, & nullominus Nazareth, vel Jerosolymis; sed si Magi ad eum adorandum pervenissent die 26., vel 27., vel 28. Januarii, cum adorassent non Bethleemi, sed Nazarethi, vel Jerosolymis, quod est contra Evangelii textum: ergo &c.

Respondemus ad I. cum Serry, quod verba illa *a bimatu, & infra secundum tempus, quod exquisierat a Magis*, non ita accipi debent, ut tempus, quod exquisierat a Magis referatur ad bimatum; ita ut reddatur sensus, tempus stellæ apparentis, quod a Magis exposcebat Herodes, fuisse biennium; sed potius ut referatur ad *Et infra*; reddendo nimirum hunc sensum, quod Herodes ita pueros a bimatu, & infra natos occidi jusserit, ut tamen illos occidi noluerit, qui ab eo dumtaxat tempore

pore

pore nati erant, ex quo Stella Magis apparuerat, quia certo noverat, nullum istorum Christum esse posse, quum is ante Stellæ ortum natus esset. Hæc Serry; qui & subdit. „ Uno verbo puerorum cædendorum non initium, sed terminum „ fecit Herodes: *Secundum tempus, quod exquisierat a Magis*. Si autem importune „ quæsieris, quorsum Herodes iratus pueros a bimatu occidi jusserit, tametsi ex „ Stellæ signo certo sciret, Christum tunc „ bimulum esse non posse? Respondet „ S. Joannes Chrysostomus homil. 7. in „ Matth. *Factum id esse pro abundantia cautionis, & licentia persecutionis*; ut sibi „ melius consuleret. Quanquam enim tempus stellæ didicisset a Magis, dubitare „ tamen potuit, num forte Christus aliquanto antea natus esset, quam stella illis conspicua fieret. Quidni etiam dicamus: „ Herodem fortasse suspicatum esse, Christum, cui Sydera famulabantur, speciem „ referre posse ætate sua majorem, quæ illi „ causa fuerit, cædendorum puerorum initium altius repetendi. Certe quanquam „ ex prophetico Michææ oraculo, omniumque Principum Sacerdotum, & Scribarum testificatione certus esset Herodes, „ Christum Bethleemi fuisse nasciturum; „ pueros tamen non modo Bethleemi, sed „ & in omnibus finibus ejus jussit occidi „ *pro abundantia cautionis*: & mirabimur, „ eosdem illum occidi jussisse a bimatu, tametsi Christum bimum non esse, probe „ sciret? „

Ad II. Etiam post mensem peractus Magorum adventus indicat rem subito, & proxime gestam; quemadmodum idem Matthæus describens Magorum reditum, & Angeli apparitionem in somnis Josepho factam, utramque rem ita conjunxit, ut una immediate post aliam dicatur facta; & nihilominus juxta Adversariorum hipotesim, inter ambas integer fere mensis percurrit. Audiatur Serry: „ At nunquid non satis subitus erit adventus, & „ Christi natali satis proximus, si sub finem „ Januarii E.G. post triginta dumtaxat dies „ contigisse dicatur, ut & hoc pacto vitentur incommoda, quæ paulo ante notabimus? Si enim Magorum adventum ponamus die circiter 26. Januarii, omnia „ facile componuntur. Sufficiens in primis „ conficiendi longi itineris mora conceditur Magis: confectis enim in dies singulos leucis circiter sexdecim (quod viro „ citatis equis, aut etiam placidis dromedariis vecto facillimum est) leucæ quingentæ intra mensem conficiuntur. Illusio etiam a Magis Herodi facta fat proxime cum imperata puerorum cæde cohæret, ne Herodes rebus suis, quæ illum „ adeo male torquebant, indormiisse putetur. Magorum denique adventus satis „ proxime diei natali Christi conjungitur, „ ut jure dixerit Matthæus: *Cum natus esset Jesus .... Ecce Magi ab Oriente venerunt*. Sane ut patenti exemplo, ac non „ longius accersito, Doctores illos hac in „ parte convincam, quæsierim ab eis: quodnam spatium temporis interponant inter „ discessum Magorum in regionem suam, „ & monitum Angeli Josepho datum, ut „ una cum puero, & Sponsa sua fugeret in „ Ægyptum? Profecto integri mensis interstitium juxta illorum sententiam concedere compelluntur. Et tamen Matthæus pari loquendi formula usus, narrato Magorum discessu, e vestigio subjungit: *Qui cum recessissent, ecce Angelus apparuit in somnis Joseph dicens: surge, & accipe puerum, & matrem ejus, & fuge in Ægyptum*. Quidni ergo de adventu Magorum, tametsi post mensem integrum „ a Christi natali die contigit, dicere potuit: *Cum natus esset Jesus .... Ecce Magi ab Oriente venerunt*? Quanquam etiam, „ si rem omnino subitam, proximeque conjunctam ea loquendi formula designari „ semper fateremur; quidni quoque subjungeremus: particulam *ecce* ad profectionem Magorum ex Oriente, quæ statim nato Christo, visaque stella suscepta „ est, esse referendam, non ad illorum adventum Jerosolymam, qui nonnisi aliquanto post tempore contingere potuit? „.

Ad III. Non est infallibilis regula, ut a tempore, quo Ecclesia celebrat divina mysteria inferamus tempus, quo eadem peracta fuerint. Innocentium puerorum cædes peracta est post Magorum adorationes; & nihilominus Ecclesia illam primo loco celebrat, hanc vero secundo. Græci antiquis temporibus uno, eodemque die celebrabant Christi natalem, & Magorum adorationem, & dies erat sextus Januarii; & ita usque ad sæculum quintum in Græca Ecclesia perduravit consuetudo. Denique in Ecclesia latina eodem die sexto Januarii celebratur adoratio Magorum, Christi Baptismus, & miraculum aquæ in vinum mutatæ in nuptiis Canæ Galilææ peractum. Et nihilominus hæc tria mysteria nec eodem anno, nec eodem die peracta sunt; sed

eodem

eodem die celebrantur, quatenus in omnibus tribus Christi manifestatio continetur.

Ad IV. Illa est peculiaris sententia Epiphanii, a qua cæteri Patres recedunt, qui volunt, Magorum adorationem fuisse factam in Bethlehemitica spelunca; & Evangelium expressius favet aliorum Patrum sententiæ, quam illi, quæ est peculiaris Epiphanii.

Ad V. Apud Hebræos, quicunque locus, ubi potest esse alicujus habitatio, etiam si sit spelunca, antrum, tugurium, nidus quoque, domus consuevit appellari; quod legitur psal. 83. *Passer invenit sibi domum*; & psalm. 48. *Sepulchra eorum domus illorum in æternum*; & psal. 49. *Non accipiam de domo tua vitulos, nec de Gregibus tuis hircos*; & psal. 103. *Herodii domus dux est eorum, montes excelsi cervis, petra refugium herinaciis*.

Ad VI. Sanctissimi Parentes cum Jesu morati sunt in antro Bethlehemitico usque ad purificationis diem; & tunc Bethlehemum reliquerunt, Jerosolymam accesserunt, purgationis leges impleverunt; &, ut ait Lucas cap. 2. *Ut perfecerunt omnia secundum legem Domini, reversi sunt in Galilæam in Civitatem suam Nazareth*. Sicque Magi adoraverunt Christum natum Bethlehemi in antro, ubi si Christus remansit usque ad purificationis diem, certe ibidem die, vel 26., vel 27., vel 28. Januarii, cum Parentibus suis inveniebatur:

DISSERTATIO CCXXI.

De Magorum adoratione. Quæ fuerit stella, quæ fuit Magorum dux? An sit antiqua in Ecclesia Epiphaniæ, seu Theophaniæ, festivitas? Et per quam viam Magi reversi sunt in Regionem suam?

PRIMO, Author Operis de Mirabilibus Sacræ Scripturæ lib. 3. cap. 40., quod tribuitur S. Augustino, & inter Opera ejus tom. 3. invenitur, asserit, hanc stellam fuisse Spiritum Sanctum, qui descendit in Christum sub specie columbæ, super Jurdani aquas, & deinde sub Stellæ specie Magos direxit ad Christum adorandum in Bethlehemitico specu.

Secundo, Alii putarunt, hanc Stellam fuisse Angelum & hoc, quia credebant, Angelum esse Stellæ motorem, & quasi aurigam. Et hujus sententiæ fuerunt Origenes, Theophylactus, Chrysostomus, Maldonatus, apud Cornelium a Lapide in cap. 2. Matthæi.

Tertio, Alii dixerunt, fuisse verum, & novum Sydus & per consequens fuisse unam stellam ex cœlestibus; fuisse tamen hoc sydus simile illi, quod apparuit in Cassiopæja anno 1572. Impugnatur hæc sententia a S. Thoma 3. p. q. 36. art. 7. post Chrysostomum homil. 6. in Matth., & post Damascenum lib. 2. de fide orthoxa cap. 7., qui hæc scribit: *Sydus, quod Magis apparuit, non ex illis erat, quæ ab ipso mundi ortu condita sunt. Id, quod ex eo liquido perspicitur, quod illud nunc ab ortu ad occasum, nunc a Septentrione ad Austrum progrediebatur, nunc delitescebat, nunc se se rursus aperiebat, id, quod a Syderum ordine, & natura discrepat*.

Quarto, Alii scripserunt, Stellam hanc fuisse Cometam; ut refert Cornelius a Lapide loco nuper citato.

Quinto, Ex quodam libro, qui inscribitur sub nomine Seth, filii Adæ, habetur, quod hæc Stella expresserit formam pueri, gestantis crucem. Verum S. Epiphanius hæresi 26., & 39., docet, hæc esse commenta ab Hæreticis Sethianis excogitata; & liber, qui citatur, omnino apocryphus ab Eruditis censetur.

Sexto, Ab aliis traditur apud Gregorium Turonensem, qui citatur ab Haymone, stellam hanc cecidisse in puteum, ibique videri, sed non ab omnibus, at a Virginibus tantum. Has autem fabulas putat esse Augustinus.

Septimo, Alii dicunt, hoc Sydus fuisse meteo-

theorum aliquod, quod fuerit ab Angelo efformatum ex aere condensato in stellæ speciem, ingenti quidem lumine perfusum, sed quod nullum habuerit motum ab Oriente in Judæam; at potius fuisse stellam, vel Judææ incubantem, & fixam, quæ fuerit a Magis ex ipso Oriente visa; Unde illi noverunt quo ire deberent; vel incubantem Orienti, & in ea parte aeris fixam, unde Magis indicaret fuisse quidem Christum Regem natum, sed non tamen illis viam indicasse ad ipsum inquirendum.

Octavo, Alii communiter docent, hanc stellam fuisse quidem novam, & inusitatam, a cæteris differentem, easque novem privilegiis superantem, quæ affert Cornelius a Lapide loco citato; fuisse tamen metheorum aliquod, compactum ab Angelo ex aere condensato in stellæ speciem, & ab Angelo quoque motum ex Oriente in Occidentem in media aeris regione, ut Magis iter signaret, quemadmodum columna ignis, & nubis, quæ Israeliticum populum per desertum deduxit. Et ita contra Jansenium Gandavensem, Cajetanum, Clarium, Barradium, aliosque, nullum huic Stellæ motum tribuentes, afferunt Chrysostomus in cap. 2. Matth. Basilius homil. de humana Christi natura, Fulgentius serm. de Epiphan., S. Thomas 3. p. q. 36. art. 7.

Dicimus I., Stellam, quæ Magos duxit ad præsepium, non fuisse veram stellam, ac firmamento affixam; sed fuisse metheorum, efformatum ab Angelo ex acre condensato in stellæ speciem, & ab Angelo motum, ut Magis signaret iter. Tres partes habet conclusio.

Prima Conclusionis pars probatur I. Si stella, quæ duxit Magos ad præsepium fuisset vera stella, & firmamento affixa, non potuisset Magis signare viam; sed ad hoc ipsa Magis apparuit: ergo &c. Probatur major, stella ista Magis signasset viam, si habuisset motum rectum ab Oriente in Occidentem; sed stellæ veræ, ac firmamento affixæ habent motum circularem: ergo stella ista non fuit vera stella, nec una de illis, quæ fuot firmamento affixæ.

II. Probatur. Alia sunt discrimina, quæ inter hanc Stellam, & veras stellas, quæ firmamento sunt affixæ, intercedunt: ergo propter hæc verificatur adhuc, & probabilior evadit nostra Conclusio. Probatur antecedens. Aliæ stellæ fulgent quidem, sed tantum de nocte; hæc vero de qua loquimur fulgebat etiam de die; quando Magi iter agere volebant; aliæ sunt perpetuæ; hæc vero fuit temporanea: impleto enim officio, ad quod efformata fuerat, evanuit, atque disperiit; aliæ ab omnibus videntur; hæc a solis Magis videbatur, & quidem non omni tempore, quia dum Jerosolymis manserunt, eam non viderunt: ergo propter hæc, & propter alia discrimina Stella, quæ apparuit Magis, non fuit de numero stellarum cœlestium, quæ firmamento sunt affixæ.

Secunda Conclusionis pars probatur I. Communiter Patres docent, stellam, de qua loquimur, fuisse novam; sed novum sydus non fuisset, si non esset aliquod metheorum ex aere condensato ab Angelo efformatum, ut Magis iter pararet: ergo stella hæc fuit metheorum aliquod &c. Probatur minor. Stellæ omnes cœlestes, quæ sunt firmamento affixæ, creatæ fuerunt a Deo in prima rerum creatione, & nulla ex illis in tempore creatur: ergo si stella hæc dicitur in tempore creata, non fuit una ex illis, quæ fuerunt a Deo creatæ in prima rerum creatione, & quæ cœlestes dicuntur; & sunt firmamento affixæ.

II. Probatur. Stella hæc descendit supra domum, in qua erat puer; sed hoc verificari non potest nisi de aliquo metheoro, quod sit compactum ex aere condensato; & quod ab Angelo moveatur: ergo &c. Major constat ex Evangelio; legitur enim ibi: *Et ecce Stella, quam viderant in Oriente, antecedebat eos, usque dum veniens, staret supra ubi erat puer.* Minor probatur. Astra enim, quæ sunt fixa, ut dictum est, non moventur deorsum, nec descendunt, nec flectuntur, nec stant in aere pendentia supra aliquem distinctum, & peculiarem locum; quæ omnia propria conveniunt metheoris, & non Stellis, quæ dicuntur cœlestes, & firmamento sunt affixæ.

Tertia Conclusionis pars probatur I. Stella, de qua loquitur, suo ipso motu significabat iter, quod Magi peragere debebant, ac proinde, nec stetit semper uno, eodemque loco: ergo falsum est, quod hæc stella nullum motum ab Oriente in Judæam habuerit. Consequentia sequitur; quia si iter signabat, movebatur, & si movebatur, non uno, eodemque loco stabat semper. Antecedens probatur Matthæi 2. *Et ecce stella, quam viderant in Oriente, antecedebat eos, usque dum veniens staret supra ubi erat puer.* Accedunt testimonia Patrum,

nimi-

nimirum Chrysostomi serm. 15. *Ambulante Maga, Stella ambulat; sedente stat; dormiente excubat.* Leonis Magni serm. 2. de Epiphan. *Magos ad Christum adorandum prævia Stella perduxit*; & Augustini lib. 2. contra Faustum cap. 5. *Non ex illis erat hæc stellis, quæ ab initio creaturæ itinerum suorum ordinem sub Creatoris lege custodiunt, sed novo Virginis partu, novum sydus apparuit.*

II. Probatur. Hoc ipso, quod Stella, quæ duxit Magos non fuit una ex cœlestibus, dicendum est, fuisse una ex metheoris; sed non fuit una ex cœlestibus: ergo fuit una ex metheoris. Atqui metheora moventur, & moventur prout sunt mota ab eorum motore: ergo Stella, quæ duxit Magos movebatur, & movebatur ut parandum Magis iter, prout ab Angelo movebatur. Minor primi argumenti est Chrysostomi homil. 6. super Matth. dicentis, quod illa stella, quæ Magis apparuit, non fuit una cœlestium stellarum; prout citat S. Thomas 3. par. q. 36. ar. 7. in corpore.

Obstant I. Stella, quæ duxit Magos, vocatur ab Augustino *sydus de cœlo*; ergo fuit stella hæc una de cœlestibus stellis. Probatur antedens. Augustinus in quodam serm. Epiphaniæ, prout eum citat S. Thomas hæc habet: *Dum pendet ad ubera, & vilium patitur Deus involumenta pannorum, repente navum de cœlo sydus effulsit, fuit igitur stella cœlestis, quæ Magis apparuit.* II. Idem Augustinus in altero serm. Epiphaniæ, quem etiam laudat S. Thomas, dicit: *Pastoribus, Angelis, Magis stella Christum demonstrat, utrisque loquitur lingua cœlorum, quia lingua cessavit Prophetarum*: Subdit autem Angelicus: *Sed Angeli Pastoribus apparentes, fuerunt vere de cœlestibus Angelis erga & Stella Magis apparens, fuit vere de cœlestibus stellis.* III. Ex Balaami prophetia Num. 24. jam sciebatur, quid stella illa insolita indicaret: ergo ut Magi cognoscerent ex stella natum Regem, satis erat, ut Stella appareret, absque eo quod moveretur. IV. Stella, quæ dicitur polaris, quanvis sit immota, nautis tamen ostendit iter: ergo licet stella, quæ apparuit Magis, non moveretur, Magis tamen poterat sufficienter iter ostendere. V. Stellæ, quæ non sunt in cœlo, sed in aere, non ostendunt Regum nativitatem, sed mortem; sed stella, quæ apparuit Magis, ostendebat Regis Regum nativitatem, non mortem: ergo non fuit Stella ex illis, quo sunt in aere, sed ex illis, quæ sunt in cœlo. VI. Stella hæc, vel apparuit, ut Christi formaret horoscopum, & fuit quasi Christi fatum, & hoc dici non potest, quia non Deus sub stellis, sed stellæ erant sub Deo: vel apparuit, ut Magi scirent tempus, quo Christus natus erat, & locum, ubi Christus, natus inveniretur; & si est hoc, quare igitur aliquando stella hæc se occultavit, & necesse fuit, ut Magi quærerent, ubi natus esset Rex Judæorum?

Respondemus ad I. Augustinum vocasse stellam hanc *sydus de cœlo*, quatenus apparebat de cœlo venire; veniebat enim desursum, adeoque *de cœlo* idem est, ac desursum, partibus Superioribus terræ, hoc est, desursum. Angelicus dicit, aliquando in divinis Scripturis aerem quoque vocari cœlum juxta illud psalmi: *Volucres cœli, & pisces maris.*

Ad II. Idem Angelicus assignat differentiam inter Angelos, & stellas, dicens, quod Angeli habent ex suo officio descendere ad homines, quia sunt in ministerium missi; Stellæ autem cœlestes motum suum non mutant, quatenus quem motum a principio a Deo habuerunt, hunc in perpetuum servant.

Ad III. Sufficiebat apparitio stellæ ad significandum Magis Regum Regem esse natum; at ad indicandum in quo loco natus esset, requirebatur, ut stella moveretur, & Magis peregrinantibus dux fieret.

Ad IV. Stella polaris ostendit quidem iter nautis versus unam partem potius, quam aliam, seu ostendit, ex qua parte sit aquilo, ex qua austrum, ex qua, Oriens, ex qua Occidens; sed non additat lucum peculiarem, in quo hominem, quem quærimus, reperire possimus. Stella autem, quæ Magos ducebat, debebat additare speluncam, in qua inveniebatur puerulus Jesus, ut ibi eum Magi adorarent; sicque diversissima utriusque ratio est.

Ad V. Argumentum probat, Stellam non fuisse Cometam, ut plurimum ante Regum mortem apparentem, illamque prænunciantem. Sed non omne astrum, quod sit in aere, & quod sit metheorum, est cometa. Potuit igitur esse novum sydus, novum metheorum, a Deo efformatum ad Christi Domini nativitatem indicandam, prout per vaticinium antecedens promiserat.

Ad VI. Concedimus secundam partem argumenti, & ad ejus impugnationem dicimus cum Suarez, „Stellam illam motam „fuisse ab aliqua intelligentia, cujus arbi„trio, & divina in primis voluntate factum „est,

„ est, ut aliquando se se occultaret: vel radios lucis continendo, suspendente Deo concursum suum: vel ita sese elevando, ut videri non posset. Verisimile autem est (quod Chrysostomus inquit) duxisse Magos usque Hierusalem, & ibi se occultasse. Unde factum est, ut ipsi putaverint, ibi esse terminum itineris, *Et*, ut Leo Papa inquit, *Regem Natum in Civitate regia fuisse requirendum*. Cur autem voluerit Deus, occultari stellam Magis, ut ipsi Christum in Hierusalem requirerent. Cur etiam voluerit consequenter permittere turbationem Herodis, & Innocentium cædem, eleganter disputatur a Sanctis Patribus in citatis locis, qui varias rationes reddunt, quas D. Thomas attigit supra art. 2. ad 3. „

Pro Secunda Dissertationis parte, quanvis Author Constitutionum Apostolicarum, quæ tribuuntur S. Clementi, incertus sit, antiquus est tamen, Eruditis omnibus convenientibus; Unde ex ejus assertione magnum antiquitatis testimonium haberi potest. Hic igitur Author, quisquis ille sit, lib. 5. cap. 12. hæc habet; *Dies festos agite, ac primum quidem diem Natalis, qui 25. die mensis noni celebratur. Post hunc dies Epiphaniæ in maximo honore sit, in quo Dominus divinitatem suam nobis patefecit*. Et lib. 8. cap. 33. *Tota magna hebdomada, & proxime sequenti vacent servi: quia illa passionis est; hæc resurrectionis. Die Assumptionis vacent, quod tunc fuerit impositus finis œconomiæ Christi. In Pentecoste vacent propter adventum Spiritus Sancti, qui datus est eis, qui in Christum crediderunt. In festo Natalis vacent, quod eo die præter omnem expectationem, tributa sit hominibus tanta lætitia, ut Deus Verbum, & Dei filius ex Maria ad salutem mundi natus fuerit. In die festo Epiphaniæ vacent, quod eo die declarata sit divinitas Christi, testimonio Patris in baptismo*.

Dicimus II. Perantiquam esse, & fuisse semper in Ecclesia Epiphaniæ, seu Theophaniæ festivitatem.

I. Probatur ex Conciliis. VI. Synodus Constantinopolitana, quæ celebrata est circa annum 680. cap. 8. hæc habet: *Dies vero Dominici, (quia in eo Deus lucem condidit, in eo manna in eremo pluit, in eo nasci dignatus sit, in eo stella Magis refulsit &c., in eo ipse pius Redemptor humani generis pro salute nostra a mortuis resurrexit, in eo Spiritum Sanctum super discipulos infudit) tanta debet esse observantia, ut præter orationes, & Missarum solemnia, & ea, quæ ad vescendum pertinent, nihil aliud fiat. Nam etsi necessitas fuerit navigandi, sive itinerandi, licentia datur ita duntaxat, ut hujus occasione, missæ, & orationes non prætermittantur*. Concilium Agathense habitum circa annum 506. cap. 21. *Pascha, Natali Domini, Epiphania Domini, Ascensione Domini, Pentecoste, & Natali S. Joannis Baptistæ &c. non nisi in Civitatibus, aut Parochiis teneant missas. Clerici vero, si qui in festivitatibus, quas supra diximus, in Oratoriis (nisi jubente, aut permittente Episcopo) missas facere, aut tenere voluerint, a communione pellantur*. Et cap. 64. *Si quis in Clero constitutus, ab Ecclesia sua diebus solemnibus abfuerit, idest, Nativitate Domini, Epiphania, Pascha, vel Pentecoste, triennio a communione suspendatur*.

II. Probatur ex Romanis Pontificibus. Vigilius epist. 1. cap. 1. *Quoties Paschatis, aut Ascensionis Domini, vel Pentecostes, aut Epiphaniæ, Sanctorumque Dei fuerit agenda festivitas, singula capitula diebus apta subjungimus, quibus commemorationem sanctæ solemnitatis, aut eorum faciamus, quorum natalitia celebramus: cætera verò ordine consueto prosequimur*. Pelagius II. Epist. 4. ad Episcopos Germaniæ, & Galliæ: *Sacrum Ordinem Romanum, sacraque constituta nostrorum antecessorum solerter relegentes, invenimus has novem Præfationes in sacro catalogo tantummodo recipiendas, quas longa retro veritas in Romana Ecclesia hactenus servavit: unam in Albis Paschalibus, aliam de Ascensione Domini, tertiam de Pentecoste, quartam de Natali Domini, quintam de Apparitione Domini, sextam de Apostolis, septimam de Sancta Trinitate &c.*

III. Probatur ex Legibus Imperialibus. Valentinianus, Theodosius, & Archadius præceperunt, prout legitur in l. omnes, C. de feriis, in C. Theodosiano: *Dies etiam Natalis, atque Epiphaniarum Christi & quo tempore commemoratio Apostolicæ passionis, totius Christianitatis Magistra a cunctis jure celebratur: in quibus etiam prædictis sanctissimis diebus, neque spectaculorum copiam referamus*. Theodosius Imperator in l. 2. C. de feriis ejusdem C. Theodosiani: *Sanctum diem Paschæ, & diem Natalis Domini, & Epiphaniæ, septem, qui præcedunt, & septem, qui sequuntur, sine strepitu volumus observari, & quod contra hoc factum fuerit, omnibus modis irritatur*. Carolus Magnus lib. 1. cap. 164. *Hæ festivitates per omnia venerari debent: Natalis Domini, Octava Domini, Epiphania, Octava Epiphaniæ, Pascha dies octo, Litania major, Ascensio Domini,*

mini, Pentecoste. Otto I. in legibus tit. 3. de feriis: *In Nativitate Domini, in Epiphania, in statutis jejuniorum diebus, in Pascha, in Ascensione Domini, in Pentecoste, in Dominicis diebus, ut hæ solemnitates, quæ sunt Christianorum, cum omni vigilantia celebrentur, servilia opera penitus prohibemus*.

IV. Probatur ex Patribus Græcis. Gregorius Neocæsariensis orat. in Epiphaniam: *O Christi, atque hospitum, & fratrum amantes viri, etiam hodie suscipite linguam meam, qua de Christi Baptismate in Jordanis flumine sumus verba facturi, ut majore desiderio tantum Dominum, ita submisse ad nos descendentem prosequamini: licet enim Epiphaniæ Salvatoris celebritas præterierit, gratia tamen ipsius perpetuo manet*. Basilius magnus homil. de humana Christi generatione: *Nos quoque cum Angelis lætitiam voce, gestuque exprimamus: Nostrum hoc est festum, Theophaniam appellamus, in qua mundi salutarem concelebramus diem: Domini natalem hodiernum piis mentibus celebremus*. Chrysostomus orat. de B. Philogonio: *Appetit festum omnium festorum maxime venerandum, adornandumque; quod si quis appellet omnium festorum metropolim, haudquaquam aberret. Quod autem hoc est? Christi juxta carnem nativitas: Ab hoc enim illustratio diei, festum videlicet Epiphaniorum, ac Sacrum Pascha, Ascensio, & Pentecoste originem, ac fundamentum ducunt. Nisi enim secundum carnem natus esset Christus, nequaquam baptizatus esset: nam id est festum Theophaniorum. Nequaquam fuisset crucifixus: nam hoc est festum Paschæ. Nequaquam misisset Spiritum Sanctum, quod est festum Pentecostes. Itaque ab hoc, ceu fonte quopiam, hi diversi amnes orti, nata sunt nobis hæc festa. Verum non ob hoc tantum par est, hunc diem cæteris anteponi; sed etiam ob id, quod id, quod in hoc natum est, cæteris omnibus est venerabilius*. Euthymius præfatione in Psalterium: *Christi Conceptio tempore primum fuit, postmodum Nativitas, deinde impositio nominis, & circumcisio: post hæc adductio in Templum, & Hypantesis, hoc est, obviatio, quam Latini Purificationem Virginis appellant. Verum apud nos festivitates illæ alio ordine, atque alio intervallo celebrantur. Primo enim Conceptionem, ac deinde statim Resurrectionem celebramus. Vides, quanta sit temporis festivitatum distantia, & dierum conjunctio? Rursus Assumptio, Transfiguratio, Nativitas, & deinde postrema omnium Apparitio, ac manifestatio celebratur*.

V. Probatur ex Patribus Latinis. Ambrosius serm. 19. de S. Epiphania: *Exultandum nobis est, fratres charissimi, quod votis nostris vota succedunt, quod gaudiis gaudia cumulantur. Ecce enim adhuc Natalis Dominici solemnitate corda nostra persultant, & jam festivitate S. Epiphaniæ gloriamur*. Paulinus Nolanus Natalis 9.

Est veneranda dies cunctis, qua Virgine natus
Pro cunctis hominem sumpsit Deus; estque deinde
Qua puerum, stella duce, mystica dona ferentes
Suppliciter videre Magi, seu qua magis illum
Jordanis trepidans lavit tingente Joanne,
Sacrantem cunctas recreandis gentibus undas:
Sive dies eadem magis illo sit sacra signo,
Quo primum Deus egit opus, cum flumine verso
Permutavit aquas, prædulcis nectare vini.

Fulgentius serm. de Epiphan. *Nostis, fratres charissimi, quia dies iste, qui nobis in honorem Domini per annos singulos celebratur, ore cunctorum fidelium Epiphania venerabiliter nuncupatur. Debet diei hujus solemnitas, a fidelibus celebrari, & ideo solemnitatis causa non debet ignorari*. Isidorus Hispalensis cap. 26. *Epiphaniorum diem proinde festa solemnitate viri Apostolici signaverunt, quia in eo per stellam est Salvator ostensus, quando invenerunt Magi Christum in præsepio jacentem, & adoraverunt eum. Ideo ergo diem hunc annua celebritate sacraverunt, ut mundus agnoscat Deum, quem Elementa cælitus prodiderunt*. Alcuinus cap. 5. de Thophania: *Solemnitas hæc sacratissima, quæ a Græcis Theophania, vel Epiphania nuncupatur, latine vero apparitio, seu ostensio, vel manifestatio interpretatur, multimoda in se continet mysteria &c.*

VI. Probatur rationibus, congruentiis, & exemplis. I. In hac festivitate tria recolit mysteria Ecclesia, quorum quodlibet peculiari solemnitate dignum est: ergo credere non debemus, quod illa omnia saltem una die Ecclesia quotannis non recolucrit. Probatur antecedens. Recolit adorationem Magorum, Baptismum Christi, & conversionem aquæ in vinum, in Nuptiis Canæ Galilææ a Christo miraculo factam. II. Chrysostomus testatur, hanc Epiphaniæ Solemnitatem perpetuo miraculo Deum in Oriente sanctificasse.

Ver-

Verba sunt Chrysostomi tom. 1. hom. 24. *Omnes enim in hac solemnitate sub mediam noctem cum aquati fuerint, latices domum referunt, & recondunt, ac per integrum annum conservant, utpote quod hodierna die sanctificata sunt aquæ, fitque miraculum evidens, dum nihil temporis longinquitate aquarum illarum natura vitiatur; sed integro anno, atque adeo biennio, & triennio sæpe, quæ hodie fuit hausta, incorrupta, & recens permanet; ac post tantum temporis cum iis, quæ fuerint e fontibus educta, certat.* III. Habemus, quod hæc consuetudo etiam observatur ad præsens ab omnibus Christianis Orientalis Ecclesiæ, quanvis variis sectis inter se divisi comperiantur; ut restatur Thomasinus tract. de celebrii festorum lib. 2. cap. 7. IV. Graveson refert ex Pagio ad Annum Christi 29. Josephum Georgerioum, Archiepiscopum Samos in Insula Archipelagi, anno 1676. in Aquensi Civitate io Galliis, occurrente Epiphaniæ festivitate, aquam in Ecclesia consecrasse, & juxta Orientalis Ecclesiæ ritum, statuam pueri Jesu in eam ter immersisse, sic renovando solemniter memoriam baptismi Christi Domini; & ex hoc factum fuisse, ut phiala aquæ illius plena per multos annos incorrupta conservaretur. V. In pluribus Neapolitani Regni Ecclesiis ritus hic etiam modo observatur, & præcipue io Ecclesia Neritonensi, pro qua eruditissimam evulgavit Dissertationem Sebastiaous Paulus VI. Antiqui Imperatores, quanvis scelesti, hanc tamen festivitatem in Ecclesia una cum Populo celebrare non omittebant. Marcellinus lib. 21. de Juliano Imperatore, qui fuit turpissimus nostræ Religionis desertor, refert: *Et ut hæc interim celarentur, feriarum die, quem celebrantes mense Januario, Epiphania dictitant, progressus in Ecclesiam, solemniter Numine adorato, discessit*. Hoc idem S. Gregorius Nazianzenus orat. 20. de laudibus S. Basilii, de Valente Imperatore, Ariano, narrat.

Pro tertia Dissertationis parte, hæc habemus a Serry: „ Magos, peracto salutationis, & adorationis officio, *per aliam viam reversos in regionem suam* Matthæus observat. At quam distincte in reditu viam tenuerint, nec ooiat ille, nec inquirunt Interpretes; satis officio suo consultum arbitrati, si illos publica in reditu hospitia declinasse moneant, ne ab Herode, quem illuserant, itinere prohiberentur, & comprehenderentur. Si quid tamen summæ authoritatis viro tribuendum est Arnobio juniori, qui vertente sæculo quinto Ecclesiam illustravit; Magos navigio evasisse putaverim: sic enim in Herodis Regia æstimatum fuisse, scribit in Comentariis ad Psalm. 47. *Quo tempore, inquit ille, non est inventus Dominus, & infantes occisi sunt, etiam navigia regia sunt jussu vexata, quibus Magi, qui non rediérant ad Regem, credebantur fugere potuisse*. Quid hoc sit, *Herodem vexasse navigia*, haud satis intelligo (tametsi vexatam tempestate classem Svetonius dicat in Augusto) nisi forte Naviculários, qui ad aufugiendum naviculas præbuisse putabantur, vexasse, pœnisque gravissimis affecisse.

Verum apud Cornelium a Lapide ad cap. 2. Matthæi hæc de reditu Magorum invenimus: „ Cyrillus Monachus in vita S. Theodosii cænobiarchæ, narrat, Magos fugientes Herodem publicas vias, & publica hospitia declinasse, ac in montibus, & speluncis hospitatos esse, atque in iisdem vitam egisse S. Theodosium, quia inquit: cum statuissent non ingredi Jerusalem, difficile eis fuisset alia via domum reverti, sicut etiamnum videmus eos, qui a Bethlehem traosennt per hanc (Jerusalem) proficisci. Auctor imperfecti admirans hic fidem, & constantiam Magorum exclamat: *O fides Magorum, non contradixerunt Angelo admonenti, dicentes: Tantam viam venimus, venientes autem, multitudinem Civitatum non timuimus, Regem terribilem apud illos omnino non expavimus: sed fiebimus, & fiducialiter, qui natus fuerat, Regem prædicavimus, & quasi Deo munera digna obtulimus, & quasi servos latenter jubes nunc fugere, ut alia via venientes, alia redeamus: sed fideles constituti, nec tunc timuerunt cognosci, nec modo erubuerunt occulte recedere*.

Eadem invenimus apud Baronium ad annum Christi 1. num. 37. qui, hæc scribit: „ Postquam autem Magi, ut decebat, Christo infanti debitum exhibuere religionis obsequium, in somnis admoniti, per aliam viam reversi sunt in regionem suam: qui tantum abest, ut Hierosolymam ad Herodem redierint, ut nec in his, quæ esse solent in via, publicis hospitiis, recepti fuerint hospitiis, sed in montibus, & in speluncis agerent, cum post labores itineris, quiescendi tempus advenisset. Atque hæc quidem ea his, quæ Cyrillus fidelis historicus scribit in rebus gestis S. Theodosii cænobiarchæ, facile possunt „ in-

„ intelligi, qui dum agit de monte, & spe-
„ lunca, quam sibi ad habitandum Sanctis-
„ simus vir ille delegit, hæc ait: Quædam
„ enim fama ab alto a parentibus tradita
„ ad nos usque pervenit, quæ dicit, fideles
„ illos Magos, qui Bethlehem venerunt ab
„ Oriente, cum Deo, qui ex superna spe-
„ cula in Occidentem hujus Mundi vene-
„ rat, aurum, thus, & myrram pie ad-
„ modum obtulissent; deinde ab Angelo
„ responsum accepissent, in eandem viam
„ rursus inirent, sed per aliam prorsus re-
„ dirent in suam regionem: hos, inquam,
„ dicit, Magos in hac spelunca in reditu
„ fuisse diversatos, cumque hic noctu dor-
„ missent, mane ingressos esse viam, quæ
„ ducebat in patriam. Tale quidem esse id,
„ quod dicitur, nulla labefactat improba-
„ bilitas. Nam primum quidem cum sta-
„ tuissent non ingredi iter per Hierosoly-
„ mam, non est admodum facile, ut ii alia
„ via ex Bethlehem domum reverterentur,
„ sicut etiam nunc videmus eos, qui a
„ Bethlehem, vel ab ea, quæ est circumcir-
„ ca regione transeunt, per hanc profici-
„ sci. Hæc ille. „

Denique Joannes Sylveira tom. 1. lib. 2. cap. 4. de adorat. Magorum qu. 11., referens opinionem, quam sequitur Serry, hæc habet: „ Divus Anselmus, & Lyranus
„ existimant, Magos navibus per mare
„ transfretasse in Oppidum Tharsis; & ideo
„ ait Lyranus, Herodem iratum incendisse
„ Naves Tharsensium. In quo sensu intel-
„ ligit illud psalm. 47. num. 8. *In spiritu ve-*
„ *hementi conteres naves Tharsis.* Hæc sen-
„ tentia multas habet repugnantias, ideo-
„ que illam impugnant merito Abulensis
„ qu. 46. Salmeron lib. 3. tract. 40. Nam
„ Tharsis, vel est Cilicia, cujus caput est
„ Tharsus; vel est Carthago, ut alii volunt.
„ Et utraque Provincia a Judæa maxime
„ distat. Præcipue, quia Magi isti ex Meso-
„ potamia erant, vel ex alia propinqua
„ Provincia, nam tredecim diebus, ut etiam
„ Lyranus ipse fatetur, pervenerunt ad
„ Bethlehem. Sensus Psalmi 47. alius est, ut
„ videre est apud Lorinum. „

Obstant I. Non pauci antiqui Scriptores solemnia festa enumerantes, quæ in Ecclesia celebrari consueverant, inter illa Epiphaniæ festum non ponunt: ergo illud in Ecclesia perantiquum non habuerunt. Probatur antecedens verbis S. Bernardini Senensis tom. 2. serm. 10. de observat. Sabbati: *Plurima festa ultra diem Dominicam addita sunt ab Ecclesia sancta, & populo Christianorum, ut Christi, & Virginis, & aliorum Sanctorum, quæ observanda sunt, tum propter præceptum Ecclesiæ, tum propter rememorationem tantorum beneficiorum, quæ nobis a Deo in talibus diebus collata sunt: sicut est beneficium Nativitatis Christi, Ascensionis, & consimilium festivitatum.* II. Bernardus serm. 4. de Ascensione duo tantum solemnia festa enumerat, nimirum Nativitatis Domini, & ejusdem Resurrectionis, quibus addit quoque Ascensionis festum, sed nullum de illo Epiphaniæ verbum facit: ergo Bernardi tempore Epiphaniæ festum inter solemniora in Ecclesia non enumerabatur. III. Euthymius testatur, Magos in reditu duxisse Angelum in civitatem suam: ergo tutius est dicere, quod Angelus eos duxerit per incognitas, & inaccessibiles vias, quam aliquid distincte, & peculiariter affirmando, se errandi periculo exponere. Probatur antecedens. Verba Euthymii sunt: *Antequam puerum vidissent, stella ducatum eis præstitit: postquam autem viderunt, Angelus deinceps, quasi jam sanctificatos alloquitur*; hoc autem confirmat quoque Chrysostomus homil. 7. *Magi priusquam puerum cernerent, undique illis opponebantur timores, conturbationes, atque discrimina: postquam vero adoraverunt, securitas, & tranquillitas subsequuta est: nec jam stella eos, sed Angelus suscepit; quia scilicet adorando facti fuerant Sacerdotes, cum supplicatione etiam muneribus oblatis.* IV. S. Paschasius lib. 2. testatur, Magos in reditu habuisse ducem itineris ipsummet Deum. *Et notandum, quod non per Angelum uti ad Joseph, hæc responsio facta dicitur, sed Sanctorum Patrum traditio est, ab ipso Domino divinitus imbutos fuisse; quia neminem alium constat viam regressionis ad patriam usque instituisse, præter eum, qui se viam præbuit imitabilem, ut per ipsum ad ipsum tendentes, quandoque patriam repetamus.*

Respondemus ad I. Sanctum Bernardinum Senensem numerare etiam Epiphaniæ festum inter solemniora Ecclesiæ, si non expresse, tacite tamen, & sub nomine illo aliorum consimilium festorum; quibus quidem verbis assimilatur festum Theophaniæ festivitatibus Nativitatis Christi, & Ascensionis ejusdem, quæ quidem sunt in Ecclesia solemniora, ac proinde silentium festi Epiphaniæ non obest solemnitati ipsius, immo potius illam amplificat, equiparando illam solemnioribus.

Ad II. Concedimus, Bernardum non posuisse inter solemniores solemnitates Epiphaniæ festivitatem, at non proinde asse-

ruis-

ruisse, illam non fuisse talem, & temporibus, quæ ipsum præcesserant, & tempore, quo ille vivebat. Addimus, quod non erat illi scopus in sermone illo enumerare festa omnia solemnia, quæ in Ecclesia celebrabantur, sed illa tantum, quæ cum Ascensione, de qua sermonem habebat, sibi videbantur retinere connexionem. Quod ex ipsius verbis latissime patet; sunt autem quæ sequuntur: *Si Nativitatis, & Resurrectionis Dominicæ digna devotione solemnia celebramus, hodiernum quoque diem non minus devote convenit celebrari. In nullo siquidem a festivitatibus illis ista degenerat, sed finis earum, & adimpletio est.* De Epiphania autem nullum fecit verbum, quia nullum fortassis putavit cum Ascensione ordinem dicere, vel habere connexionem.

Ad III. De iis, quæ nobis certo non constant, & de quibus per conjecturas loquimur, nihil intendimus, nec certo affirmare, nec certo negare. Ea, quæ ex Sery recitavimus, tum etiam illa, quæ ex Baronio, ex Sylveira, aliisque retulimus, probabiliter tantum asserimus; & quum nihil distincte, & determinate tanquam ex nobis concludamus; hinc est, quod legentibus libertatem damus, ut ea amplectantur, quæ sibi videbuntur probabiliora.

Ad IV. Sive Deus duxerit Magos in reditu per seipsum, sive per Angelum, parum, aut nihil refert; dummodo certum omnino habeatur, Magos non ambulasse in incertum, nec in itinere errasse, ut in Herodis manus aliquando venirent. Certum est quod Magos venientes ad speluncam, stella perduxit; & nihilominus asserunt Patres, quod Deus quoque per internum lumen fuit ductor eorum. Quid igitur mirum, si in reditu per Angelum eos ducebat extrinsecus, & intrinsecus, quoque ipsemet Dominus ductor illorum erat?

DISSERTATIO CCXXII.

De Innocentium Infantium cæde. Quonam tempore eam Herodes indixerit? Quinam fuerit Innocentium occisorum numerus? Et an in eo numero Herodis filius, qui bimulus erat, sit ponendus?

POstquam Herodes se a Magis illusum judicavit, statim Innocentium puerorum stragem indixit. Quod aperte Matthæus refert cap. 2. sui Evang. *Videns Herodes, quoniam illusus esset a Magis, iratus est valde: & mittens occidit omnes pueros, qui erant in Bethlehem, & in omnibus finibus ejus a bimatu, & infra, secundum tempus, quod exquisierat a Magis. Tunc impletum est quod dictum est per Jeremiam Prophetam: Vox in Rhama audita est, ploratus, & ululatus multus, Rachel plorans filios suos, & noluit consolari, quia non sunt.* Quæ quidem horrenda, & atrocissima cædes quanvis a Nicolao Damasceno, & a Flavio Josepho, silentio prætereatur, nobis tamen sufficit ad eam certo certius asserendam, quod ab Evangelio narretur, ac proponatur. Cæterum etiam Macrobius, quanvis Gentilis Scriptor, de ea mentionem fecit lib. 2. Saturnal. cap. 4. Illa igitur supposita, nobis primo loco inquirendum occurrit, quo tempore Herodes illam indixerit?

Primo Epiphanius hæref. 51. vult cædem illam ad biennium dilatam, quia Magi non nisi biennio post Christi natalem diem Bethlehemum pervenerunt; contra quos in superioribus disputavimus, probantes nimirum, Magos eodem anno, quo Christus est natus, die vel 26., vel 27., vel 28. Januarii ad Speluncam adventasse, ibique natum puerulum in præsepio adorasse.

Secundo Eusebius lib. 1. hist. Ecclesiast. cap. 8. concedit quidem, Magos statim post Christi natalem Bethlehemum venisse, attamen vult, Herodem post biennium cædem illam imperasse, quia coactus, Romam perrexit, ut de criminibus se pur-

purgaret; quæ sibi apud Cæsarem opponebantur; vel quia aliis distentus curis, altisque periculis agitatus, ad tempus aliud teterrimam illam cædem distulit exequendam.

Dicimus I., Herodem non distulisse ad biennium infantium cædem, sed statim illam imperasse, postquam se a Magis cognovit illusum.

I. Probatur. Herodes statim ac cognovit ludum, quem sibi fecerant Magi, infantium cædem præcepit, & exequutioni mandatam voluit: ergo non post biennium a Christi Domini natali die. Probatur antecedens ex Evangelio, in quo legitur Matthæi 2. *Tunc Herodes videns, quoniam illusus esset a Magis, iratus est valde; & mittens occidit omnes pueros*; sed verbum *tunc* indicat, quod statim postquam Herodes cognovit ludum, quem sibi fecerant Magi, puerorum cædem præceperit: ergo statim, & non ad biennium illam Herodes indixit, & exequutioni mandatam voluit.

II. Probatur. Bethlehem sexto tantum milliario Hierosolymis distabat: ergo non post longum tempus Herodes advertere poterat, vel debebat illusionem, quam sibi fecerant Magi. Probatur consequentia. Herodes miserat Magos, ut interrogarent de puero, & sibi deinde referrent; sed expectans per quinque, per sex, vel per septem dies Magos, & illis non venientibus, statim poterat, ac debebat illusionem cognoscere, quam sibi fecerant Magi: ergo propter vicinitatem Bethlehemi ad Jerosolymas, statim debebat Herodes illusionem illam advertere, ac Innocentium cædem imperare.

III. Probatur. Ex Flavio Josepho habemus, Herodem fuisse mortuum anno sequenti post Christi natalem: ergo non biennio a die natali Christi infantium cædem indixit. Consequentia sequitur; quia aliter illam indixisset postquam fuisset mortuus; quod est risu excipiendum.

IV. Probatur. Herodes post Christi natalem diem Romam non perrexit: ergo non distulit infantium cædem propter iter, quod Romam versus arripuerat, ut vult Eusebius. Probatur antecedens. Ex Josepho habemus lib. 15. antiquit. judaicar. cap. 1., & 2., & ex Dione lib. 54., quod Herodes in toto suæ vitæ decursu ter Romam venit; primum anno Urbis conditæ 737., & ante Christi nativitatem 12. Secundo Urbis conditæ 742., & ante Christum 7., Tertio Urbis conditæ 746., & 3. antequam Christus nasceretur; quod late probat Cardinalis de Noris Dissert. 2. de Cenotapbiis Pisanis. Post Christi vero natalem nunquam Romam venit, quia doloribus, & morbo postremis suæ vitæ diebus semper vexatus est. Et quanvis Baronius ad annum Christi primum asserat, Herodem bis Romam venisse; hoc nihilominus in responsionibus ad Adversariorum argumenta, clarius constabit.

Objiciunt I. S. Thomas 3. par. qu. 36. art. 2. ad 3. docet, Herodem non statim post recessum Magorum, sed post biennium pueros interfecisse: ergo ex Angelico Conclusio, quam nos defendimus, redditur improbabilis. II. Herodes ex Evangelio occidit multos pueros a bimatu, & infra, secundum tempus, quod exquisierat a Magis: ergo quasi biennio postquam stellam viderunt Magi, occisi sunt pueri, & quidem fere omnes bimuli, aliter Herodes a bimatu, & infra non jussisset, eos occidi. III. Ex Josepho, & ex Baronio constat Herodem bis, non ter, Romam venisse: ergo sine fundamento tertium iter Romam versus, ab Herode susceptum, a nobis asseritur. IV. Testimonium Macrobii pro infantium cæde ab Herode præcepta, nullius est ponderis; idem enim Macrobius narrat, Herodem quoque filium suum bimulum in illa generali cæde occidisse, quod tamen Eruditi omnes negant.

Respondemus ad I. ipsismet verbis Graveson tom. 1. de myster. & annis Christi dissert. 8. „ Sanctum Thomam eo loci, „ non quid ipse sentiat, sed aliorum tantummodo referre opinionem, quam nec „ quidem examinat, nedum approbat. Norunt quippe omnes, Sanctum illum Doctorem in ea, quam elucubravit, Summa „ tripartita, quæstiones, quæ vel ad Criticam disciplinam, vel ad historiam Ecclesiasticam pertinent, discutiendas non „ suscepisse; tum quia, in rem Theologiæ „ Candidatorum brevitati studere voluit, „ & compendiose pertractare ea, quæ alii „ ante ipsum Theologi, non sine aliqua „ temporis jactura longo, latoque calamo „ tractare solebant. Tum quia S. Doctor „ Theologiam Scholasticam, non positivam, quam tamen apprime callebat, adornare sibi proposuit. Nunc vero convenit „ inter omnes Eruditos, qui in historia „ sunt versati, Herodem quidem, postquam Rex Judææ a Romanis fuit declaratus, ter Romam navigasse, trinam ta-

„ men illam navigationem ab eo fuisse susceptam ante natale Christi. Enim vero, Josephus lib. 16. Antiquit. cap. 1. narrat, Herodem venisse Romam, & inde filios suos *Alexandrum, & Aristobulum*, optimis jam Romæ disciplinis instructos, in Palestinam secum duxisse. Et in cap. seq. tecitatis nuptiis, quas iidem filii Herodis nobilibus fœminis copulati, celebrarunt, ait: *Post hoc audito, quod M. Agrippa ex Italia rediisset in Asiam, profectus illò, invitavit eum*, Herodes *in Regnum suum*. Agrippa denuo ab Augusto Imper. in Orientem missus fuit anno Urbis Romæ conditæ 738., sicut ad illum annum testatur *Dio* lib. 54. Igitur Herodes anno superiori, scilicet Urbis Romæ conditæ 737. Romam venerat, ubi ab Augusto fuit humanissime exceptus, teste *Josepho* initio laudati libri. Prima itaque Herodis navigatio in Italiam, seu Romam, præfigi debet anno Urbis Romæ conditæ 737. ac proinde præcessit duodecim circiter annis Natale Christi, quod, sicut in Dissertatione 6. probatum est, anno Urbis Romæ conditæ 749. illigandum est. Præterea idem *Josephus* cap. 6. ejusdem lib. 16. narrat, Antipatrum, Herodis filium, Romæ degentem, frequentibus litteris fratribus suis, Alexandro scilicet, & Aristobulo, insidias struxisse, veritum ne illi, se absente, paternam gratiam, qua exciderant, recuperarent. Quo factum est, ut Herodes erga ipsos indignatione commotus, Romam navigare decreverit, & ibi filios apud Cæsarem accusare, ne propter indignationem patrum erga filios pius videretur. Sed cum Romam pervenisset, non inventum ibi Cæsarem, Aquilejam ad eundem perrexit. Et in cap. 8. recitat Josephus orationem, qua Alexander illata sibi a Patre suo Herode crimina apud Cæsarem confutavit, additque, Augustum hac oratione persuasum, & inductum fuisse, ut Herodem cum filiis in concordiam revocaret. *Cardinalis Norisius* Dissert. 2. *De Cenotaphiis Pisanis* evidenter ostendit tam ex rebus ab Imper. Augusto gestis, quam ex vetustis inscriptionibus, ac characteribus chronologicis, id contingisse anno Urbis Romæ conditæ 742. Unde sequitur, secundam navigationem Herodianam in Italiam, seu Romam, antevertisse septem circiter annis proprium Natale Christi. Denique de anno, quo Herodes tertium Romam venit, etsi propter silentium Josephi, non una sit omnium Scriptorum sententia, omnes tamen ad unum fatentur, hanc tertiam navigationem in Italiam fuisse ab Herode susceptam ante Natale Christi, sicut videre est apud Cardinalem Norisium loco mox laudato. Idque confirmari potest ex his, quæ in Dissertat. 6. diximus, nam, cum Herodes unico dumtaxat anno post Natale Christi superstes fuerit, & sub finem vitæ suæ acerbis doloribus, atque acutissimo morbo vexatus fuerit, incredibile plane est, Herodem post Natale Christi, & Magorum adventum, venisse Romam, ut se se apud Cæsarem ab impactis sibi accusationibus purgaret, suamque coram ipso causam peroraret. Cardinalis Baronius ad annum 1. Christi num. 48. recte quidem observat, explodi debere commentum illorum, qui dixerunt idcirco pueros bimulos ab Herode Rege fuisse occisos quod tunc temporis ipse Romam abierit, accusatus a filiis, neque usque ad biennium redierit Palestinam; in hoc tamen hallucinatus est Eminentissimus ille Annalium Parens, quod velit, Herodem Regem, bis tantum tempore Regni sui Romam venisse. Sic enim scribit: *Hic tantum refellendum est illorum commentum, qui dixerunt, idcirco bimulos ab Herode fuisse jussos occidi, quod tunc temporis ipse Romam abierit, accusatus a filiis, neque usque ad biennium redierit Palæstinam. Hæc licet conficta esse videantur, tamen et falsa Josephi testimonio convincuntur. Constat quippe ejusdem auctoritate lib. 16. Antiq. Judaic. cap. 7. 8., & 9. Herodem tempore Regni sui, Romam bis concessisse, non quidem accusatus a filiis, sed potius ipse accusaturus filios, illuc se contulit, indeque in Palæstinam est reversus ante annum vigesimum octavum Regni sui: Quo anno, Olympiade centesima nonagesima secunda Cæsaream* (Urbem) *in honorem Cæsaris dedicavit. Quod certe tempus neque secundum annos Regni Herodis, ab eodem Josepho supputatos, neque secundum initam a nobis superius rationem, ejusdem Regni, tempori Natalis Domini aptari potest. Et multo minus posterior ejusdem Romam adventus, cujus meminit Josephus eodem libro cap. 13., ut recte intuenti veritas se ante oculos offert*. Hactenus Baronius, qui licet in hoc erret, quod dicit, Herodem bis tantum, tempore Regni sui, Romam venisse, cum tamen certissime ex Josepho constet, Herodem tempore Regni sui, Romam ter venisse; vere tamen & aperte Baronius refellit commentum illorum, qui dixerunt, ideo pue-

„ ros bimulos ab Herode fuisse occisos, quia „ Herodes tum temporis Romam abierit, „ accusatus a filiis, indeque dumtaxat post „ expletum biennium Palæstinam fuerit re„ versus. Idem commentum repudiat Hen„ ricus Spondanus in Epitome Annalium „ Card. Baronii ad Annum 1. Christi Num. „ XI. ubi sic loquitur: *Sed quod nonnulli* „ *scripserunt, idcirco bimulos jussos occidi,* „ *quod tunc temporis Herodes Romam abierit,* „ *accusatus a filiis, utque usque ad biennium* „ *in Palæstinam redierit: hoc ex Josepho fal-* „ *sum convincitur, cujus testimonio explora-* „ *tum habetur, cum Herodes toto tempore Re-* „ *gni sui Romam sæpius concesserit, filiorum* „ *suorum causa, nullam ejusmodi ipsius profe-* „ *ctionem aptari posse tempore Natalis Chri-* „ *sti.* „

Ad II. dicitur, Herodem jussisse occidi Infantes a bimatu, & infra, secundum tempus, quod exquisierat a Magis, non ita intelligendum esse, ut verba *secundum tempus, quod exquisierat a Magis* ad verbum *a bimatu* referantur; adeoque sit sensus, quod tempus Stellæ apparentis fuisset biennium, quod Herodes a Magis exposcebat; sed potius, ut verba illa referantur ad verbum *& infra*, & hic fiat sensus, quod Herodes ita jusserit occidi pueros natos a bimatu, & infra, ut tamen noluerit occidi illos, qui nati erant ab eo dumtaxat tempore, ex quo stella apparuerat Magis; Et hoc ideo, quia certo noverat, nullum istorum esse posse Christum, quum Christus natus esset ante Stellæ ortum. Hæc omnia scribit Serry, qui & subdit: „ Uno verbo puerorum cæ„ dendorum, non initium, sed terminum „ fecit Herodes: *secundum tempus, quod ex-* „ *quisierat a Magis*. Si autem importune „ quæsieris, quorsum Herodes iratus pue„ ros a bimatu occidi jusserit, tametsi ex „ Stellæ signo certo sciret, Christum tunc „ bimulum esse non posse? Respondet S. „ Joannes Chrysostomus homil. 7. in Matth. „ *Factum id esse pro abundantia cautionis, &* „ *licentia persecutionis*; ut sibi melius con„ suleret. Quanquam enim tempus stellæ „ didicisset a Magis, dubitare tamen po„ tuit, num forte Christus aliquanto antea „ natus esset, quam stella illis conspicua „ fieret. Quidni etiam dicamus, Herodem „ forrasse suspicatum esse, Christum, cui „ sydera famulabantur, speciem referre pos„ se ætate sua majorem, quæ illi causa fue„ rit, cædendorum puerorum initium altius „ repetendi. Certe quanquam ex prophe„ tico Michææ oraculo, omniumque Prin„ cipum Sacerdotum, & Scribarum testifi„ catione certus esset Herodes, Christum „ Bethlehemi fuisse nasciturum; pueros ta„ men non modo Bethlehemi, sed & in om„ nibus finibus ejus jussit occidi *pro abun-* „ *dantia cautionis*, & mirabimur, eosdem „ illum occidi jussisse a bimatu, tametsi „ Christum bimum non esse, probe sci„ ret? „

Ad III. Ex iis, quæ diximus in responsione ad I., clare constat, Baronium fuisse deceptum, quando post Flavium Josephum asseruit, Herodem non ter, sed bis tantum Romam venisse; adeoque testimonium ipsius nos haud obstringere, ut cum ipso dicamus quæ cognoscimus contra ipsum esse dicenda.

Ad IV. Non est mirum, si Macrobius historiam facti referens, non erravit, & erravit deinde in referendis adminiculis, quæ substantiæ historiæ adjuncta erant. Utique Innocentium Infantium cædem, quam silentio præterivit Josephus, Macrobius Ethnicus Scriptor narravit, & in ea narranda, a vero non aberravit; deceptus est tamen, quando circumstantiam illam adjunxit de morte filii Herodis, quasi inter infantes occisos, interfectus quoque ipse fuisset. Sed de hoc in Conclusione III. fusior redibit sermo.

Dicimus II., Innocentium occisorum numerum pro loci conditione fuisse magnum; at non ita, ut Græci in suis Menologiis, & Æthiopes in sua liturgia ad quatuordecim millia extendunt.

I. Probatur. Infantes occisi, fuerunt Bethlehemi, vel in finibus ejus nati; sed Bethlehemi, & in finibus ejus non potuerunt duorum tantum annorum spatio quatuordecim millia puerorum nasci: ergo &c. Major non negatur, constat enim ex Evangelio. Minor vero probatur. Bethlehem viculus erat, immo castellum, ut habetur Joannis 5. & fines suos angustissimos habebat; Atqui improbabile est in tam parvo terræ angulo tam brevi temporis spatio nasci quatuordecim millia puerorum, & fortassis quoque quatuordecim millia puellarum, quæ non fuerunt occisæ, quia Herodes timebat mares, non mulieres, Rex enim, quem formidabat masculus esse debebat non fœmina: & insuper præter hos alii etiam debebant esse infantes, sive mares, sive fœminæ, qui toto illo biennio per naturalem mortem e vivis excessere; Quæ quidem omnia incredibilem sane reddunt numerum occisorum infantium a Græcia, & ab Æthiopibus excogitatum.

II. Probatur. Quum Matthæus in suo Evangelio, & Sancti Patres in operibus eorum nullam mentionem fecerint tam ingentis numeri Infantium occisorum, quam tamen facere debuissent, ut crudelitas Herodis Magis ostenderetur, non debemus nos, divinando potius, quam asserendo, illorum numerum adeo augere, ut ad millia,& millia perveniatur:ergo irrationabiliter, & sine fundamento dicitur, quod numerus Infantium occisorum ad quatuordecim millia pervenerit. Et hoc eo magis, quum obstet, & exiguitas Vici Bethlehem, & angustiæ finium ejus multitudinem, tam ingentem non patiantur.

Dicimus III., in numero Puerorum occisorum non fuisse Filium ejus bimulum.

I. Probatur. Herodes occidit quidem immaniter, & supra barbaricam crudelitatem tres filios suos adultos, scilicet Alexandrum, Aristobulum,& Antipatrum; sed qui referunt hos filios occidisse Herodem, crudelitatem ejus summopere detestantes nullum tamen verbum faciunt de ejus filio bimulo, ab ipso occiso: ergo vere Herodes hunc filium suum bimulum inter Innocentes Infantes, ab ipso occisos, non occidit. Consequentia sequitur, quia hoc aliud immane facinus ab Herode patratum referentes, magis ejus sevitiem extulissent, ac omnium oculis odibilem,ac abominabilem repræsentassent.

II. Probatur. Quando Herodes indixit, & exequutus est Innocentium stragem, senex erat, & quidem in ultima pene senectute positus: ergo non poterat habere filium, qui bimulus esset. Probatur antecedens. Flavio Josepho teste, Herodes, quando mortuus est septuagesimum annum babebat: ergo biennio ante mortem, senex jam erat,& in ultima pene senectute positus, & per consequens non potuisset generare filium, quem biennio post occidisset.

III. Probatur. Ideo Herodes præcepit, Innocentes Infantes occidi, quia in illis timebat esse unum, qui sibi Regnum eriperet; at timorem bunc de proprio filio suo habere non poterat:ergo non est credendum, quod inter illos Infantes occisos filius ejus bimulus fuerit. Major constat ex Evangelio Matthæi. Minor probatur. Si filius ejus bimulus futurus fuisset Rex Judæorum, Regnum semper permansisset in domo, ac familia sua: ergo timor ille amittendi Regnum, non habuisset locum in proprio filio suo bimulo, adeoque ipsum occidere nullo modo potuisset.

IV. Probatur. Herodes jussit occidi tantum pueros a bimatu, & infra, qui erant in Bethlehem,& in omnibus finibus ejus;sed filius Herodis, si qui fuisset tunc temporis bimulus, nec fuisset natus, nec altus, nec educatus Bethlehemi, & in finibus ejus, sed potius Hierosolymis, quæ erat Urbs regia, vel alibi, ubi Metropolis Regni Herodis fuisset: ergo inter pueros, quos Herodes interfici jussit, nunquam fuit filius ejus, qui bimulus tunc temporis esset.

V. Probatur. Ideo Scriptores aliquot, & inter hos præcipuus est Cardinalis Baronius,doctissimus Annalium Parens, dixerunt,inter Innocentes Infantes ab Herode occisos,fuisse filium ejus bimulum,quia Macrobius Gentilis Historicus hoc refert lib. 2. Saturn. cap. 4.verbis hisce:*Cum audisset Augustus, inter pueros, quos Herodes Rex Judæorum intra biennium jussit occidi, filium quoque ejus occisum esse, ait: melius esse,Herodis porcum esse, quam filium*; Sed ex his Macrobii verbis, si bene intelligantur, hoc non educitur: ergo perperam, & sine fundamento Scriptores illi hoc asserunt. Probatur minor. Macrobius intendit tantum dicere, quod Herodes circa illud tempus, quo infantes pueros occidit,occidi etiam jussit filium ejus Antipatrum, quem diu in carcere detinuerat, eo quod in ipsum conspirasset,& qui quidem, nec puer,nec bimulus erat, sed ætate grandævus: ergo ex verbis Macrobii, si bene intelligantur, quod Adversarii intendunt, non educitur. Probatur antecedens. Particula *inter* aliquando designat tempus, non vero adnumerationem; & hoc antiquorum latinæ linguæ peritorum exemplo ostendunt post Danielem Huetium, Episcopum Abrincensem, Gravefon, & Serry, quorum fere eadem sunt verba, quæ hic fideliter recitamus. Gravefon Differt. 8. de mysteriis, & annis Christi hæc scribit: „ Verum,id ex Macrobii testimonio colligi haud posse memorito asserit Illustrissimus Abrincensis Episcopus Daniel Huetius Demóstrat.Evang. Proposit.9. cap.25. ubi ostendit, Macrobium potius notare, seu indigitare voluisse Antipatrum, Herodis filium, quem fugam e carcere meditantem Pater ipsius Herodes interfici jussit, paulo antequam è vita migraret. Quamobrem, quando Macrobius scribit, Herodis filium intac

„ puc-

„ pueros Bethlehemitas fuisse occisum, id „ non est sic intelligendum, quasi ille Herodis filius fuerit unus ex his pueris, sed „ quod eodem circiter tempore, quo pueri „ illi interfecti sunt, & hic quoque filius „ Herodis, seu Antipater, e vivis fuerit „ sublatus. Consule doctissimum illum Præsulem loco mox memorato, & Casaubonum Exercit. 2. in Annales Baronii §. 17. „ Addo etiam, notum esse omnibus linguæ latinæ peritis, particulam *inter*, qua utitur Macrobius, dum ait: *inter pueros, &c.* tempus plerumque designare, non adnumerationem; sicut exempli gratia, dum dico: *hoc mihi contigit inter loquendum*, idest, *tempore, quo loquebar*. Sic Cicero Philipp. 2, ait: *Inter cænam hoc illi accidit*; hoc est, *tempore cænæ*; ita pariter dum Macrobius ait: *Inter occisos pueros Bethlehemitas trucidatum fuisse Herodis Regis filium*, id unum dumtaxat significat, quo tempore occisi sunt pueri Bethlehemitæ, occisum itidem fuisse Antipatrum, Regis Herodis filium, quanvis ex eorum bimulorum Infantium numero non esset Antipater, utpote qui jam ætate grandævus erat, & alia longe de causa, jussu Patris Herodis, fuit ex hac vita sublatus. „

Serry autem Exercit. 39. n. 4. hæc habet: „ Dedit huic fabulæ ortum Macrobii dictum perperam intellectum, lib. 2. Saturnalium cap. 4. *Cum audisset Augustus, inter pueros, quos Herodes Rex Judeorum intra biennium jussit occidi, filium quoque ejus occisum esse, ait: melius esse, Herodis esse porcum, quam filium*. Hinc etenim æstimatum est, hoc ipso in numero bimulorum ab Herode Rege occisorum ipsius quoque filium fuisse a Cæsare computatum. At longe aliter se res habet. Alludit enim Macrobius ad Antipatrum Herodis filium ætate grandævum; quem Pater diu ante in carcere detentum tandem jussit occidi, quod in ipsum perfide conspirasset: aitque illum fuisse occisum inter pueros Bethlehemitas, & bimulos: hoc est, eo circiter tempore, quo illi occisi sunt: non autem fuisse illum de numero puerorum illorum, eademque de causa occisum esse. Norunt enim latinæ linguæ periti particulam *inter* tempus plerumque designare, non adnumerationem. Cicero Philipp. 2. *Inter cænam hoc illi accidit*; *hoc est tempore cænæ*. Plautus in Cistellaria: *Inter rem istam agendam, hera respondi*; hoc est, quo tempore rem istam agerem. Sic etiam; *Inter occisos pueros Bethlehemitas, occisus est Antipater*, id significat unum, quo tempore sunt occisi pueri Bethlehemitæ, occisus est etiam Antipater, quanquam ex eorum numero non esset ille, utpote ætate grandævus, & alia longe de causa ex hac vita sublatus. „

Obstant I. Apocaliyp. 14. n. 1. *Et vidi, & Ecce Agnus stabat supra montem Sion, & cum eo centum quadraginta quatuor millia, habentes nomen ejus, & nomen Patris ejus scriptum in frontibus suis*. Et num. 4., & 5. *Hi sunt, qui cum mulieribus non sunt coinquinati: Virgines enim sunt. Hi sequuntur Agnum quocunque ierit. Hi empti sunt ex hominibus primitiæ Deo, & Agno. Et in ore eorum non inventum est mendacium; sine macula enim sunt ante thronum Dei*: ergo ingens fuit numerus Infantium Innocentium ab Herode occisorum. II. Ecclesia usurpat recitata Apocalypsis verba pro explicando numero parvulorum, quos Herodes occidit: ergo vere Ecclesia approbat ingentem numerum parvulorum occisorum. III. Reprobant passim Scriptores Bollandum, qui tom. 1. mensis Maji folio 57. dicit, numerum hunc quatuordecim millium Infantium occisorum esse ad cæteras Græcorum fabulas adjiciendum: ergo male a nobis hic idem numerus reprobatur. IV. Probabile est, quod Herodes, qui erat suspicacissimus, jusserit Carnificibus, ut ampliarent locum, & tempus ortus stellæ: ergo Carnifices plures occiderunt, quam vel locus, vel tempus stellæ præcise poscebat, ut sic Christus nullo modo posset mortem evadere; quod est argumentum Cornelii a Lapide ad cap. 2. Matthæi. V. Poterant Ministri Herodis filium ejus infantulum occidere, cum non agnoscentes, vel non credentes illis, qui eum dicebant, filium Herodis esse; hoc enim subterfugio cæteri quoque infantes poterant mortem evadere, si illi semel fides adhibebatur. VI. Plura Edicta fecit Herodes, quibus plurimorum cædes imperavit, & illa omnia refert Flavius Josephus: Si hoc igitur Edictum de occidendis infantibus Josephus non refert, argumentum nobis est, non fuisse illud ab Herode factum. VII. Lucius Dexter in Chronico hæc scribit: Anno tertio Christi, Urbis Romæ 754. *Herodes universos pueros in Bethlehemitica Regione necat*. Quid igitur mirum, si totius Regionis pueri omnes ad quatuordecim millia perveniebant, quum non essent unius Civitatis, vel Vici, vel Castelli, sed totius unius Regionis? VIII. Sanctus Leo serm. 8. de Epiphan. docet: *In stella fulge-*

re, *Dei gratia*; *& in tribus viris vocatio Gentium*; *& in Rege impio crudelitas Paganorum*; *& in occisione Infantium cunctorum Martyrum forma praecessit*. Si ergo in Infantulis ab Herode occisis omnes Martyres figurabantur, quum innumeralibis fuerit Martyrum multitudo, necesse est pariter, ut dicamus, ingentem fuisse Occisorum Infantium numerum.

Respondemus ad I. S. Joannem in citatis Apocalypsis locis loqui de Virginibus, qui Antichristi libidini, & persequutioni resistent ad mortem usque, atque martyrium. Ita respondet Cornelius a Lapide ad cap. 2. Matthaei, qui & subdit: „ Non „ vero loquitur de nostris ab Herode occi- „ sis; nec credibile est, in loco tam parvo, „ qualis erat Bethlehem fuisse centum qua- „ draginta quatuor millia parvulorum bi- „ mulorum tempore Herodis.

Ad II. Ecclesia usurpat verba illa Apocalypsis, eaque applicat Innocentibus ab Herode occisis, non ut ipsorum definiat numerum, sed ut explicet Innocentiam, & in passione Constantiam, quibus sine delicto, & sine quaerela atrocissimam quaestionem sustinuerunt, vel etiam, ut Herodis, immanissimi Tyranni crudelitatem, qua in infantulos desaevit, explicaret; & uno, eodemque tempore notum faceret, & Martyrum patientiam, quam Deus coronavit in Coelis, & Tyranni sevitiem, quam etiam in terris castigare non omisit.

Ad III. Non solum Bollandus hanc ingentem Innocentium occisorum multitudinem ad caeteras Graecorum fabulas adjecit; verum quoque Serry eadem usus dicendi, vel potius censurandi formula, fidenter scripsit: Is itaque puerorum, Bethlehemi occisorum numerus ad caeteras Graecorum fabulas amandandus est. Si ergo Graveson propter hoc dicit, audiendum non esse Bollandum, quare non idem de Serry asserit, qui eadem ac Bollandus exscripsit? Dicit enim Graveson: „ Non ergo audiri debet Bollandus, „ qui tom. 1. mensis Maji pag. 57. asserit, „ istum quatuordecim millium infantium „ occisorum numerum ad caeteras Graeco- „ rum fabulas esse adjiciendum. „ At de Serry nil tale scribit. Caeterum illi, qui hos dicendi modos reprobant non quidem substantiam rejiciunt, sed modum non approbant, quatenus ad fabulas trahunt, quae mere sunt opiniones, quanvis probabiliores non videantur.

Ad IV. Quantumvis Herodianae crudelitatis Ministri excesserint modum, vel in finibus Bethlehemiticis, vel in aliis circumstantiis, quae ad Herodis edictum non spectabant, non per hoc tamen credimus occisorum numerum ad quatuordecim millia pervenisse, quatenus numerus hic major est quacunque infantium multitudine, quae Bethlehemi poterat, & in finibus ejus inveniri, ut superius dictum est. Non enim agitur de denariis, nec de centenariis, minus, aut magis; sed de millenariis, quae quidem maxime ingentem possunt reddere numerum.

Ad V. Filius Regis omnibus debebat esse cognitus, nec Nutrices eam sibi arrogassent libertatem dicendi filium Regis, qui talis non esset. Unde non poterant caeterae mulieres sub hoc eodem praetextu filios suos a generali caede eximere. Insuper nec credibile videtur, quod Herodes tradidisset filium suum lactandum a muliere extra regiam domum, & extra regiam Urbem; & quod illa mulier a Ministris ejus nullatenus cognosceretur.

Ad VI. De aliorum caedibus ab Herode imperatis, haec scribit Cornelius a Lapide in cap. 2. Matthaei: „ Eodem tempore „ concilium magnum Judaeorum, quod Sa- „ nedrim dicebatur sustulit; ac plures Pha- „ risaeos, quod cum nollent Regem agno- „ scere, interemit; caeteri coacti sunt ipsi „ juramentum praestare. Ad hoc eum „ juvit ejus Socer Simon, Boheti filius, ab „ eo factus Pontifex, & fiebant haec conscio „ Quintilio Varo Syriae Praeside, Herodis „ amico. Unde omnes primiores Judaeo- „ rum in carcerem conjicere non est veri- „ tus, eosque occidisset, si diutius vixisset. „ Instante vero sibi morte, jussit Sorori suae „ Salomae, ejusque marito Alexae illos om- „ nes occidere. *Ut*, inquit, *Judaei vel inviti* „ *cogantur lugere mortem meam, cum suos oc-* „ *cisos lugebunt*. Verum Salome mitior, eo „ mortuo, primiores e vinculis solvit, & „ liberos domum dimisit. Ita Josephus, Jo- „ sippus, Eusebius, & alii. Vide Joseph. 17. „ Antiq. cap. 8. & seq., & Eusebium lib. 1. „ Histor. c. 9. „ De silentio autem Flavii Josephi haec reponit Graveson: „ Deni- „ que mirum non est, si Josephus infanti- „ cidium ab Herode editum silentio ob- „ volverit: exscripsit quippe ille Auctor „ Nicolaum Damascenum, qui, ut omnes „ probe norunt, laudes Herodis potius ce- „ lebrandas susceperat, quam veram de- „ scribendam vitae hujus Principis histo- „ riam. Talem fuisse Nicolai Damasceni „ genium, perdocte observat Hugo Gro- „ tius

„ tius in Epistola ad Pereskium. Cum igi-
„ tur Nicolaus Damascenus silentio obvol-
„ verit infanticidium, in quo Herodes cul-
„ pari poterat, non est mirum, si Josephus
„ illius exscriptor illud ignoraverit.

Ad VII. Testimonium Lucii Dextri admittimus, ut alibi quoque admisimus; At illud admittendo, nihil contra nostram Conclusionem evincitur. Ipse enim dicit, quod Herodes occiderit universos pueros, qui erant in Regione illa; quod nos non negamus. At quot fuerint pueri in Regione illa, & quot fuerint occisi, hoc in quæstiune est; multos quidem, ac plurimos nos diximus fuisse, sed non ut pervenissent ad quatuordecim millia, in regione quidem non magna, nec multarum gentium plena, sed parva, qualis erat Bethlehem, Vicus, seu Castellum, ut diximus.

Ad VIII. Martyres quidem fuerunt pene innumeri, & Innocentes ab Herode occisi fuerunt quoque multi; at non debebant quoque esse in eo numero, in quo Martyres fuerunt. Ita enim quum Martyres fuerint plusquam millies centena millia, sic quoque debuissent esse Innocentes; quod nemo dixit. Ut autem figura figurato respondeat, sufficit, quod de utroque numerus quidem ingens verificetur; at non requiritur, ut numerus fuerit æqualis.

DISSERTATIO CCXXIII.

De Innocentium Infantium cæde. An Joannes Baptista fuerit ab Herodis Ministris ad necem quæsitus; Et quomodo mortem evaserit? An Innocentes Infantes ab Herode occisi fuerint veri Martyres? Et an quoque Martyres sint dicendi cæteri quique pueri in fidei odium, & pro Christo interempti?

PRimo. Sunt qui asserunt, Joannem Zachariæ, & Elisabethæ filium ex Herodis imperio fuisse a Ministris ejus ad necem quæsitum; non fuisse tamen inventum, adeoque nec occisum, quia Parentes eum subduxerant, & mater ejus in spelunca quadam illum occultaverat. Unde ira incensus Herodes Zachariam occidi fecit inter templum, & altare. Qui hujusmodi tuentur opinionem, ducem, habere se jactant S. Petrum, Alexandrinum Patriarcham, qui in regulis ecclesiasticis, quas VI. Synodus Generalis probavit, atque repecit, hæc scribit: *Cum quibus* (scilicet cum occisis infantibus) *Herodes, & alium prius natum infantem cum interfectrus quæsivisset, & non invenisset, patrem ejus, Zachariam interfecit inter templum, & altare, cum effugisset filius cum Matre Elisabeth.* Petrum Alexandrinum sequutus est deinde Nicephorus Callixtus lib. 1. histor. Ecclesf. cap. 8. asserens: *Joannem, Zacharia filium, una cum Matre Elisabetha in spelunca quadam ad regionem montanam fuisse servatum, & ibi Herodis sanguinariam manum effugisse.*

Secundo. Alii Scriptores putant, Joannem non fuisse ab Herodis Ministris ex ejusdem imperio ad necem quæsitum, quia Joannes, in montanis natus, non comprehendebatur inter Bethlehemi fines, pro quibus tantum Herodis Edictum intelligebatur; Sicque volunt, nec milites illum quæsivisse, nec Parentes occultasse, nec mortem Zachariæ Patri fuisse illatam.

Tertio. Alii existimant, ab Herode speciale mandatum fuisse Carnificibus datum, ut Joannem quærerent, & occiderent, quanvis Hebron, Civitas ei natalis, ut diximus, in Bethlehemi finibus non comprehenderetur. Et hoc asserunt, evenisse ob multa miranda, quæ Herodes in Joannis nativitate audierat; quando scilicet loquutus est Pater mutus, qui antea in ejus conceptione loquelam amiserat, & pluri-

ma

ma de puero illo dicebantur, quærentibus nimirum, & admirantibus inter sese Judæis: *Qui putas, puer iste erit?* Ex his Herodes motivum habuit credendi, Joannem esse Messiam, adeoque illum quoque timendi, sicuti Christum timebat, quem futurum Judææ Regem suspicabatur.

Quarto. Sunt plerique, qui, etsi credant quod de Joanne narrat Alexandrinus, credere tamen nullo modo possunt, Patrem ejus Zachariam ex Herodis mandato inter templum, & altare fuisse occisum. Et revera Hieronymus in cap. 13. Matth.lib.4. ait: *Alii Zachariam, patrem Joannis intelligi volunt ex quibusdam apocryphorum somniis, approbantes, quod propterea accisus sit, quia Salvatoris prædicaverit adventum. Hoc quia de scripturis non habet authoritatem, eadem facilitate contemnitur, qua probatur*. Ex quibus Hieronymi verbis primo habetur, quod adhuc admisso, Zachariam, Joannis patrem, fuisse occisum inter templum, & altare, non fuisse tamen, quia filium occultaverat, sed quia Messiæ adventum prædicabat. Quod pariter dixisse volunt, Cyrillum Alexandrinum, adversus Anthropomorphitas scribentem: *Hic Zacharias prophetico spiritu ad occultorum cognitionem deductus, cum mysterium Virginis de eximio partu probe intelligeret, non arcuit incontaminatam, purissimamque matrem ab eo templi loco, qui Virginibus ex lege designatus erat: docens nimirum Judæos, quod Creator totius universi, & omnis creaturæ Rex, humanam naturam, ut reliqua etiam omnia, subjectam habet, pro suo arbitratu eam ad quodcumque velit, ducens, non autem ipse creaturæ addictus; adeo ut in ipsius potestate sit situm, novam creaturam creare, quæ matrem effectam virginitate non privet. Idcirco non arcuit eam a loco templi Virginibus dicato: erat enim locus hic inter altare, & templum intermedius. Quando igitur audierunt Regem totius creationis ad humanam nativitatem divino consilio procedere; veriti ne in ejus Regis potestatem, & imperium venirent, eum, qui hac de partu testificatus erat, interficiunt, Sacerdotem Sacrificantes.* Et quanvis Baronibus ad annum Christi I. num.54. dicat, eadem narrari ab Origene in Matth.tract.26., a Gregorio Nysseno de Christi nativit., a Basilio de humana Christi generat: attamen Hieronymus ex Apocryphorum somniis illa omnia deducta esse, asserit; atque aperte firmat, Zachariam illum, quem Dominus interfectum dixit inter templum, & altare, non fuisse Joannis patrem, sed illum potius, qui dicitur occisus 2. Paralipomenon cap.24. a Joas Rege; qui quidem Zacharias fuit filius Jojadæ, quanvis in Evangelio Nazarænorum dicatur filius Barachiæ. Quæ quidem omnia dicta sunt, ut videatur, incertum omnino esse quod afferitur de Zacharia, Joannis patre, fuisse scilicet illum occisum ex Herodis mandato, quia filium suum Joannem ad evadendam teterrimam illam infantium cædem, occultaverat, & quum non potuerit Herodes filium perdere, perdiderat Patrem, matre etiam ejusdem in spelunca illa extincta.

Dicimus I. Joannem, Zachariæ, & Elisabethæ filium, non fuisse ab Herodis Ministris ad necem quæsitum, adeoque cum cæteris Innocentibus infantibus non periisse, nec fuisse a mortis imminentis periculo liberatum.

I. Probatur. Herodes præcepit occidi infantes, qui Bethlehemi, & in finibus ejus inveniebantur; sed Joannes de quo loquimur, non inveniebatur Bethlehemi; & in finibus ejus: ergo nec fuit ad necem quæsitus, nec ut non occideretur clanculum adservatus. Major constat ex Evangelio; minor probatur. Joannes infans habitabat in montanis; sed ad montana Bethlehemi fines non ostendebantur: ergo Joannes de quo loquimur, nec inveniebatur Bethlehemi, nec in finibus ejus. Major etiam constat ex Evangelio; & minor ex descriptione Judææ satis est comperta.

II. Probatur. Ideo dicitur, quod Joannes fuerit ad necem quæsitus, quia Herodes dedit speciale mandatum, ut occideretur propter admiranda, quæ in nativitate ejus acciderant, & quæ ipsum supponitur scivisse, quia omnia illa per totam Judæam evulgabantur; sed de hoc nihil asserit Evangelium: ergo non potest fidenter, & cum veritate asseri. Probatur minor. Evangelium loquens de Innocentium cæde ab Herode imperata, & a Ministris ejus exequutioni mandata, nec verbum continet de Joanne: ergo totum illud in Evangelio non invenitur.

III. Probatur. Testimonium Petri Alexandrini si continet incerta, non est efficax ad probandum, Joannem fuisse ad necem quæsitum, & a Parentibus fuisse servatum; sed vere continet incerta: ergo non est efficax ad probandum, quod Adversarii intendunt. Probatur minor. Continet cædem Zachariæ, quem Herodes occidi fecerat inter templum, & altare; sed

hoc

hoc est omnisio incertum, immo etiam falsum ex Hieronymo: ergo verba illa Petri Alexandrini continent aliquod incertum, adeoque per illa efformari non potest efficax argumentum ad probandum, quod Adversarii intendunt.

Opponunt I. Zacharias, Joannis pater, fuit filius Barachiæ Sacerdotis; sed Zacharias, qui dicitur occisus inter templum, & altare, fuit filius Barachiæ: ergo Zacharias Joannis pater fuit occisus inter templum, & altare. Probatur minor. Hippolytus martyr aperte asserit, Zachariam, qui fuit Joannis pater, Barachiæ Sacerdotis fuisse filium: ergo, &c. II. Christus opponebat Judæis occisionem Prophetarum, ab ipsis patratam a mundi exordio usque ad sua tempora; sed si nomine Zachariæ intelligeretur filius Jojadæ, non esset usque ad sua tempora, esset vero usque ad sua tempora, si intelligeretur Zacharias, Joannis pater: ergo verba illa intelligenda sunt de Zacharia, Joannis parente, non vero de Zacharia, filio Jojadæ. Probatur minor. Zacharias, filius Jojadæ, fuit occisus, Rege Joas imperante, Zacharias vero, Joannis pater, fuisset occisus tempore Christi: ergo non per occisionem Zachariæ, filii Jojadæ, sed per occisionem Zachariæ, Joannis parentis, occisio Prophetarum vere usque ad Christi tempora extensa fuisset. III. Tertullianus in Scorpiaco cap. 8. ait: *Zacharias intra altare, & ædem trucidatur, perennes cruoris sui maculas silicibus adsignans*; Sed hæ sanguinis maculæ non potuissent lapidibus impressæ per longum tempus adservari, si Zacharias, filius Jojadæ sanguinem illum effudisset: ergo rectius est ut dicamus, sanguinem fuisse effusum a Zacharia, Joannis parente, cujus recens erat occisio; adeoque sanguis poterat in lapidibus adservari. IV. Valentinianus Imperator, ut refert Theodoretus lib. 4. hist. cap. 7., scripsit epistolam ad Episcopos Asiæ, in qua aperte asserit, Zachariam occisum inter templum, & altare, fuisse Joannis parentem, & sanguinem, qui videbatur, ejusdem Zachariæ fuisse sanguinem, verbis hisce: *Ne in ea, quæ testamenti Christi sunt, damna incurratis, id, quod in Zachariæ sanguine eveniebat, nam funesti illi perinde ac pestifer Dæmon, qui cædis illius socius erat, mortis supplicio traditi, adveniente cælitus Rege nostro Jesu Christo, disrupti perierunt*; sed hæc verba verificantur tantummodo de Herode, qui Christi tempore periit, non vero de Joas Rege, qui Christi tempus longe præcessit: ergo Zacharias, qui occisus est inter templum, & altare, non fuit filius Jojadæ, sed Joannis pater. V. Gnostici, qui fuerunt hæretici proximiores Apostolorum temporibus, constanter affirmabant; Zachariam Joannis patrem fuisse occisum in templo: ergo antiqua traditio est, quod Zacharias, Joannis parens, fuerit occisus inter templum, & altare, Herode mandante. VI. Cedrenus in compendio historiæ testatur, Joannem fuisse servatum in innocentium excidio a Matre Elisabetha, quæ post dies quadraginta in spelunca illa, in qua Joannem occultaverat, mortua est, & tunc temporis Angelus, Joannis curam suscepit: ergo per subsequentia etiam tempora antiqua traditio necis Zachariæ, Joannis patris, omnino vigebat. VII. Josephus lib. 5. de bello judaico cap. 1. memorat etiam Zachariam in medio templo a factione zelotum interfectum fuisse. VIII. Cardinalis Baronius ad annum Christi 1. n. 55. testatur, se vidisse in Bibliotheca Vaticana antiquum Codicem scriptum, cui titulus erat: *de Peregrinatione ad loca sancta*, in quo affirmabantur sanguinis maculæ; quibus aspersi erant lapides templi, & sanguinem fuisse effusum a Zacharia, patre Joannis, quem Herodes occidi fecerat inter templum, & altare: ergo semper Petri Alexandrini testimonium de nece, quam evaserat Joannes, & quam incurrerat pater ejus Zacharias, subsequentium temporum, & Scriptorum, qui circa illa scripserunt, authoritate, firmatur.

Respondemus ad I. S. Hippolytum Episcopum Portuensem, & martyrem, qui fuerat Clementis Alexandrini discipulus, multa scripsisse, quæ enumerant Eusebius lib. 6. histor. cap. 16., & Hieronymus in libro de Scriptoribus ecclesiasticis; at fuisse omnia deperdita; & solum modo extare quædam, quæ fuerunt excerpta ex libris ejusdem S. Martyris de Theologia, & Incarnatione, & referuntur ab Henrico Canisio tom. 5. antiquæ lectionis. Insuper in Bibliotheca Sanctorum Patrum extat oratio de consummatione mundi, de Antichristo, & de secundo Domini Salvatoris adventu; ut testatur Cardinalis Bellarminus in libro de Scriptoribus ecclesiasticis ad Hippolytum ipsum. Igitur nullam merentur fidem verba, quæ de eodem Hippolyto narrantur, & in supradictis Scriptoribus non inveniuntur.

Ad II. Voluit Christus significare verbis illis petitionem vindictæ, factam a sangui-

ne Abel, & a Zachariæ morte; a sanguine Abel, quando dictum est: *Vox sanguinis fratris tui clamat ad me de terra*; & a Zachariæ morte, quia narratur, morientem eum dixisse: *Videat Dominus, & requirat*. Et quidem hoc peculiari nomine, quia nomine generico, & universali, ut legitur Apocalypsis 6., *Vindicat Dominus sanguinem omnium servorum suorum, & vindictam tribuit in hostes eorum, quia voce magna clamant sancti dicentes. Usquequo Domine (sanctus, & verus) non judicas, & non vindicas sanguinem nostrum de iis, qui habitant in terra?* Quod satis est dictum, ut Baronio respondeatur.

Ad III. Tertullianus non distinguit, de quo loquatur Zacharia; & ratio, quæ adducitur, ut probetur loqui de Zacharia, Joannis parente, non est sufficiens; poterant enim adhuc sanguinis guttæ adservari in lapidibus impressæ a tempore Zachariæ, Jojadæ filii, quia sanguinis maculæ, etiam per longum tempus non delentur, ut in multis aliis similibus sæpe videmus.

Ad IV. dicitur, quod, vel verba Valentiniani æque possunt de utroque Zacharia verificari, quia etiam primi occisores, vel posteri eorum, adveniente Christo Domino, patrati facinoris pœnam receperunt; vel dici potest Valentinianum, aut eum Scriptorem deceptum fuisse, unum Zachariam pro altero accipiendo, & quæ uni conveniebant, alteri attribuendo.

Ad V. Gnostici sicuti errarunt in assignando caussam Zachariæ necis, quam Baronius ridiculam dicit, & quam S. Epiphanius hæresi 26. recitat, ac refellit; ita errare pariter potuerunt in credendo unum Zachariam pro altero, & in fingendo sibi, & facta, quæ non extabant, & caussas, quæ non præcesserant. Cæterum hæc disconvenientia in caussa, quæ observatur adhuc in aliis Scriptoribus, qui Zachariæ, Joannis patri, cædem tribuunt inter templum, & altare, non obscurum est nobis signum, quod eidem vere nex illa non sit tribuenda.

Ad VI. Cedrenus in suo Compendio exscripsit quæ scripserat Nicephorus Callixtus in sua historia; adeoque illi, qui est recens, & nuperus Scriptor, & qui ex sententia sua non loquitur, nullam dare fidem recte possumus, præcipue, quando pro nobis habemus Hieronymum, antiquum sane, ac gravissimum doctorem, qui perspecta habebat quæcunque scribebat.

Ad VII. Zacharias, quem loco citato memorat Josephus, alius fuit ab illo, de quo hic loquimur; fuit enim temporibus Vespesiani Augusti interemptus, homo quidem illustris, probus, ac dives, quem idem Joseph fuisse filium Baruch, testatus est, ut apud Baronium ad annum Christi 1. num.56. legimus.

Ad VIII. Quæ fides danda sit scripto Codici, licet antiquo, & Authoris nomen non præseferenti, ipsemet Baronius novit; præcipue, quando in eo legitur, quod graviores alii Scriptores diversimode narrant, & in Codice, quæ continentur, leguntur tantum, & non probantur.

Pro secunda Dissertationis parte, conveniunt omnes Catholici, Infantes pro Christo occisos veros martyres esse; tum quia Ecclesia illos sub hoc titulo celebrat; tum etiam quia Patres hac eadem laude illos honestant. Citat Baronius Origenem homilia 3. de diversis dicentem: *Bene, & secundum voluntatem Dei eorum memoriam Sancti Patres mandaverunt sempiternam in Ecclesiis celebrari, veluti pro Domino morientium, veluti pro Judæis, & Gentibus credituris, vel etiam ipsis parentibus; quorum parentes, ut diximus, præ nimio dolore percutiebantur, ut eis intercessio filiorum ad Deum plurimum profuisset*; Revera tamen illius homiliæ 3. in diversa Evangelii loca Author non est Origenes, quanvis apud Origenem inveniatur. Eadem asserit Irenæus lib.4. adversus hæreses cap. 8., qui sunt ex Græcis; & ex latinis Cyprianus epist.56. Augustinus pluribus in locis, & præcipue agens contra Pelagianos, & in sermonibus de iisdem sanctis innocentibus habitis, & serm. 10. de Sanctis, Chrysologus serm.152.

Attamen quanvis inter Catholicos, constet, sanctos Innocentes esse Martyres, inter Theologos nihilominus non est certum, qua ratione, & quo jure martyres dicantur, ac dici debeant. Etenim ex una parte non dubitatur, quod martyrium supponit meritum in eo, qui consequitur illud; ex altera parte meritum non potest esse sine libero arbitrio, liberum arbitrium non est, ubi non est rationis usus; Infantes autem quum non haberent nec rationis usum, nec usum liberi arbitrii, hinc est, quod meritum ad martyrium necessarium habere nullo modo potuerunt. Additur, quod martyrii corona datur pugnantibus pro fide, & pro Christo; sed infantes illi impotentes erant, & ad pugnandum pro Christo, & ad confitendum

tendum Christum; ergo non poterant jure consequi martyrii coronam, atque triumphum.

Proinde his rationibus pressi, dicere coacti sunt, in infantibus illis rationis usum fuisse acceleratum. Hoc tamen non approbat S.Thomas 2.2. qu.124.art.2. ad 1. Et hoc quidem affirmari nequit sine ulla Patrum authoritate; sine ullo scripturarum testimonio, præcipue quum hoc dicere sit multa miracula congerere, ac cumulare, quod sine necessitate, expressa ratione, & fortissima authoritate fieri omnino non potest.

Alii propterea alteram inierunt viam, dicentes nimirum, quod pueri illi ab Herode occisi, fuerunt purgati vitio originis, & sanctitate donati, propter beneficium jam susceptæ circumcisionis. Verum & hi quoque extra stadium currunt, quia nos non quærimus, an infantes illi sint sancti, sed an sint martyres; martyres autem esse nullo modo poterant propter solum circumcisionis beneficium. Præterea nec omnes infantes illi occisi poterant esse circumcisi, quia probabile est, quod illorum aliquot non adhuc ad octavum diem pervenissent. Igitur

Dicimus II. Infantes ab Herode pro Christo occisos obtinuisse a Deo martyrii coronam ex Dei liberalitate, non ex merito proprio, eo ferme modo, quo infantes baptizati æternam gloriam sine merito proprio, sed titulo duntaxat hæreditatis, consequuntur.

I. Probatur. Si infantes ab Herode occisi non fuissent veri martyres, ideo esset, quia non habuerunt usum rationis, & liberi arbitrii; sed hoc non obstat: ergo fuerunt veri martyres. Probatur minor. Hoc obstaret, si fuissent veri martyres ex proprio merito, & non ex sola Dei liberalitate; sed fuerunt veri martyres non ex proprio merito, sed ex sola Dei liberalitate: ergo illud non obstat. Probatur minor. Non obstat, pueros baptizatos frui æterna gloria sine proprio merito, & titulo dumtaxat hæreditatis: ergo neque obstat, infantes ab Herode occisos, esse veros martyres, quanvis non habuerint proprium meritum, & martyrii coronam obtinuerint ex Dei dumtaxat liberalitate.

II. Probatur. Infantes ab Herode occisi pro Christo, si meritum respiciatur, habuerunt aliquid, quod non habent pueri baptizati: ergo multo magis illi dicendi sunt veri martyres. Probatur antecedens. Habuerunt quod in merito est materiale, hoc est opus bonum, & arduum, nimirum sanguinem profusum, & datam pro Christo vitam, quanvis non habuerint quod est in merito formale, scilicet liberam ordinationem boni operis in Deum, & hanc ob liberi arbitrii defectum non habuerunt: pueri autem baptizati neutrum habent; & hæc est ratio, quod infantes accisos ab Herode pro Christo, Ecclesia colat, & illorum veneretur reliquias, pueros vero baptizatos, & illorum reliquias non colat.

III. Probatur. Nihil deficit infantibus, qui interfecti sunt ab Herodis ministris pro Christo quo minus veri martyres dicantur: ergo veri martyres fuerunt, & dicendi sunt. Probatur antecedens. Si aliquod deesset, esset meritum proprium; sed hoc supplet liberalitas Dei: ergo nihil deest &c. Probatur minor. Non minus dicendus est Princeps qui principatum emit ære proprio, quam qui principatum accepit absque pretio, & ex sola Principis donatione, & liberalitate: ergo non minus dicendi sunt veri martyres, qui martyrii aureolam acceperunt ex Dei liberalitate, & non ex proprio merito, quod habendi incapaces erant, quam qui illi ex proprio merito obtinent, quum sint capaces proprium meritum habendi.

Dicimus III. Cæteros quoque pueros in odium fidei, & pro Christo ab alio Tyranno interemptos, veros quoque martyres esse. Est contra Joannem de Vitriaco lib.1.hist.occident. cap.36., putantem, fuisse illud singulare privilegium innocentium infantium, ab Herode occisorum, cæteris autem occisis æque ante rationis usum, haud pariter communicatum.

I. Probatur ratione, & verbis Estii in 4. sent. dist. 4. §. 21. quæ hæc sunt: „ Ad
„ hanc quæstionem respondendum videtur,
„ ex Patrum testimoniis satis apparere,
„ quod sensiat martyrium per se efficax
„ esse ad abluenda peccata, & præstandam
„ salutem. In primis aut id liquido convin-
„ citur ex martyrio Infantum. Quo circa
„ dicendum, Martyres non baptizatos ha-
„ bere quidem satis remedii ex martyrio, ut
„ videlicet a peccatis abluti vitam ha-
„ beant, sed quia Baptismus omnibus est in
„ præcepto, ideo illum suscipere tenentur
„ si possint. A quo si urgente persequtore
„ prohibentur, tunc ne quidem voto eum
„ expetere tenentur, utpote nulla jam le-
„ gem ad votum illud ad stricti, cum salu-
„ tem ab alio, eoque excellentiore remedio
„ expectent. Non enim si quis necessitate

„ aliqua prohibetur ab impletione legis „ positivæ, velut jejunii, aut vigiliæ, tenetur desiderio ad eam implendam aspirare, sed sufficit, ut non contemnat; nisi „ forte lex talis sit, quæ remedium præscribat, ad salutem necessarium, cujusmodi „ est lex baptismi extra casum martyrii. „ Unde de nullis Martyribus non baptizatis legimus, quod in ipso certamine positi, & jam morituri, Baptismum se desiderare aliquo modo significaverint, licet de „ quibusdam legatur, quod vel in carcere „ a sociis martyrii baptizati fuerint, vel ad „ tempus se occultaverint, ut baptizari „ possent, quemadmodum de quodam Antonino refert Usuardi Martyrologium „ ad XI. Kal. Septembris.

II. Probatur ab eodem Estio in eodem loco: „ Præterea non leve argumentum „ ex eo sumitur, quod infantes pro Christo „ interfecti, etiamsi vel olim non circumcisi, vel nunc non baptizati essent, martyres habentur, quibus profecto absque „ voto sacramenti solum martyrium salutem attulit. Nec enim recipienda est „ sententia Jacobi a Vitriaco dicentis lib. „ histor. occid. cap. 36. parvulos non baptizatos Christianorum, etiamsi a Paganis „ pro Christo occiderentur, non salvari; „ nec ad eos extendi privilegium speciale „ Innocentium, ab Herode pro Christo interfectorum. Communis enim ac vera „ Ecclesiæ sententia est in contrarium, „ scilicet eos salvari æque atque Innocentes, qui forte nondum circumcisi ab Herode necabantur.

III. Probatur ratione pariter, & verbis Cornelii a Lapide in cap. 2. Matthæi num. 16. „ Nota primo, hos Infantes ab „ Herode in odium Christi occisos vere „ esse martyres, ac ut tales ab Ecclesia coli, „ & festo celebrari, idque commune est „ omnibus infantibus, qui in odium fidei „ trucidantur ex gratuita, & liberali Dei „ ordinatione. Unde sequitur, martyrium „ ex opere operato justificare (per illud „ enim parvuli illi, qui necdum erant circumcisi purgabantur a peccato originali, & justificabantur,) ac idem operari, „ quod operatur Baptismus. Ita passim Patres, & Doctores in 4. dist. 4. Imo Ecclesia tota, ut dixi. Vide S. Bernardum „ serm. de Innocentibus. Hinc Doctores „ tres classes Martyrum statuunt: Prima „ est eorum, qui opere, ac voluntate sunt „ martyres, quales sunt adulti, qui voluntarie mortem a Tyranno pro Christo illatam, suscipiunt: Secunda eorum, qui „ solo opere sunt martyres; quales sunt „ infantes, qui pro Christo occiduntur; „ Tertia eorum, qui sola voluntate, ut qui „ optant martyrium, uti optabat S. Franciscus, qui idcirco profectus est ad Soldanum Ægypti, sed hic videns eum virum „ sanctum, noluit eum occidere. Unde „ caruit ipse realis martyrii laurea. Hi ergo infantes fuere cruore lacteo loti, ait „ Sanctus Cyprianus. Quo circa S. Augustinus serm. de Innocent. *O parvuli, ait, „ de vestra corona dubitet, qui parvulis baptismum prodesse non putat.*

IV. Probatur ex Augustino. S. Doctor lib. 13. de Civitate Dei cap. 7. aperte asserit, quod non baptizatis martyrium sit loco baptismi, ejusque vicem suppleat ad sacrarum Scripturarum mentem, verbis hisce: *Quicunque etiam non percepto regenerationis lavacro pro Christi confessione moriuntur, tantum eis valet ad dimittenda peccata, quantum si abluerentur sacro fonte baptismatis. Qui enim dixit: Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto, non intrabit in regnum cælorum, alia sententia istos facit exceptos, ubi non minus generaliter dixit: Qui me confessus fuerit coram hominibus, confitebor & ego eum coram Patre meo, qui in cælis est. Matth. 10. & alio loco; Qui perdiderit animam suam propter me, inveniet eam. Matth. 16. Hinc est quod scriptum est Psalm. 115. Pretiosa in conspectu Domini mors Sanctorum ejus, quid enim pretiosius quam mors, per quam fit, ut etiam delicta omnia dimittantur, & merita cumulatius augeantur? Neque enim tanti sunt meriti, qui cum mortem differre non possent, baptizati sunt, deletisque omnibus peccatis ex hac vita emigrarunt, quanti sunt hi, qui mortem differre non possent, ideo non distulerunt, quia maluerunt, Christum confitendo, finire hanc vitam, quam eum negando, ad ejus baptismum pervenire.* Idem Augustinus fere eadem docet lib. 4. contra Donatistas cap. 22. lib. 1. de origine animæ cap. 9. & lib. 2. cap. 12., & in epist. 108., vel secundum novissimam editionem Benedictinorum S. Mauri 265. his verbis: *Quoscunque legimus in corpore Christi, quod est Ecclesia, pertinere ad Regnum Cælorum, non nisi baptizatos intelligere debemus, nisi forte quos angustia passionis invenit, & nolentes negare Christum, antequam baptizarentur, occisi sunt. Quibus ipsa passio pro baptismo deputata est.*

V. Probatur ex aliis Patribus. Tertullianus in lib. de Baptismo; Cyprianus in Epistola ad Jubajanum, & in serm. de stella, & Ma-

Magis, qui ei adscribitur; Clemens Alexandrinus lib. 4. stromatum; Ambrosius in orat. de obitu Valentiniani, & serm. 40 de S. Agnete, in qua dicit, S. Emerentianam fuisse proprio sanguine baptizatam, quod & memorat Breviarium Romanum ad diem 23. Januarii; Martyrologium Romanum ad diem 25. Augusti memorat quoque Genesium quemdam exceptorem, qui fuit in proprio sanguine baptizatus; Cyrillus lib. 2. in Leviticum; Prosper sententia 149., & epigrammate 87. Fulgentius de fide ad Petrum cap. 3. & 30. Beda lib. 1. hist. Anglicanæ cap. 7. Bernardus epist. 77. Gratianus in decreto capite Baptismi vicem dist. 4. de consecrat. Quibus addit Estius: Hæc alia ex authoritate Scripturæ excepta testimonia: majorem hac dilectionem nemo habet, ut animam suam ponat quis pro amicis suis; quæ verba leguntur Joannis 16. Et hæc alia, quæ leguntur ad Romanos 10. *Ore confessio fit ad salutem*.

VI. Probatur ex peculiaribus sententiis, quas passim veteres usurpabant; nimirum: Martyrium tantundem valere quantum baptismum, immo vero martyrium esse alterum baptismum, & quidem excellentiorem. Insuper: Martyres exceptos esse ab illa sententia: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto &c.* propter generalem alteram sententiam: *Qui me confessus fuerit coram hominibus, confitebor & ego eum coram Patre meo &c.* Ulterius, Martyres ablui suo proprio sanguine, & ita quidem, ut baptismo aquæ non egeant; quod asseruit Basilius loco nuper citato. Denique Cyprianus in allegata epistola ad Jubajanum dicit, Catechumenos martyres baptizari gloriosissimo, & maximo sanguinis baptismo, de quo Dominus in Evangelio dicebat, habere se alio baptismo baptizari Lucæ 12. Addi possunt verba Ambrosii in orat. de obitu Valentiniani: *Si martyres suo abluuntur sanguine, & hunc sua pietas abluit, & voluntas.* Quibus Estius subdit: Hoc enim non recte ita distincte dici videtur, si martyrem suus sanguis non abluit, nisi simul adsit & voluntas, idest, votum baptismi.

Objiciunt I. Martyrium includit charitatis actum, juxta illud Joannis 10. *Majorem charitatem nemo habet, ut animam suam ponat quis pro amicis suis*; Sed Innocentes Infantes, ab Herode occisi, amoris actum eligere non poterant, quia rationis usu carebant: ergo vere martyres esse non potuerunt. II. Ad martyrium requiritur necessario confessio fidei, secundum illud ad Romanos 10. *ore autem confessio fit ad salutem*; sed innocentes Infantes loqui non poterant: ergo fidei confessionem ad martyrium necessariam facere non valebant: ergo vere martyres non fuerunt. III. Si satis fuisset, ut Martyres essent Infantes, ab Herode occisi, quod ipsi interficerentur propter Christum, sequeretur, quod quia Herodes post ipsos infantes, multos etiam Pharisæos occidi fecit propter ipsumet Christum, ipsimet Pharisæi martyres essent; sed hoc nemo dixit, nec dicere poterat: ergo non sufficiebat, ut infantes, ab Herode occisi, martyres essent, quod ipsi morerentur pro Christo, & propter Christum. IV. Cyprianus in epist. ad Cornelium, quæ est secunda libri 1. voluit, quod ii, qui erant lapsi prius reciperentur, & reconciliarentur, quam ad martyrium in persecutione prodirent. Et rationem hujus dicti reddens, inquit: *Nec quisquam dicat, qui martyrium tollit, sanguine suo baptizatur, nec pax illi ab Episcopo necessaria est, habituro gloriæ pacem, & accepturo majorem de Domini dignatione mercedem*; Sed eadem est ratio baptismi, & reconciliationis: ergo quemadmodum loquuntur Patres in uno, ita & nos in altero loqui debemus. V. Bernardus epist. 77., etiam in eo, qui tantam habet fidem, ut sit paratus mori pro Christo, requirit baptismi desiderium, quasi sine ipso nequeat quis salvari; sed hoc desiderium nequit esse in pueris, qui rationis usum non habent: ergo pueri rationis usum non habentes, vere martyres non sunt, etiamsi pro Christo interficiantur. VI. Concilium Tridentinum sess. 6. cap. 4. aperte decernit, quod hominis justificatio post promulgatum evangelium, fieri non possit sine lavacro regenerationis, aut ejus voto; sed infantes, de quibus loquimur, nec lavacrum regenerationis habent, nec ejus votum: ergo justificari non possunt, ac per consequens, nec vere martyres esse. VII. Etsi infantes ab Herode occisi ante rationis usum pro Christo, martyres esse potuerint, hoc tamen ideo fuit, quia pro Christo recens nato occidebantur; sed hæc ratio locum non habet in aliis pueris, qui modo sine rationis usu pro Christo occiduntur: ergo martyres, ut illi fuerunt, esse non possunt. Major probatur a Vitriaco, quia Christus Dominus illo singularis liberalitatis beneficio, quod

sub-

subsequentibus temporibus nulli alteri concedendum erat, voluit ortum suum, suæque vitæ primordia, illustrare. VIII. Si vera esset conclusio nostra, sequeretur, martyrium valere ex opere operato, & non ex opere operantis; sed hoc est falsum: ergo &c. Probatur minor. Si martyrium valeret ex opere operato, esset Sacramentum; sed nemo dixit, martyrium esse Sacramentum: ergo martyrium non valet ex opere operato.

Respondemus ad I. distinguendo majorem: Martyrium includit charitatis actum vel corde, vel opere, concedimus; corde semper, negamus; sic pariter distinguitur minor: Non poterant eligere amoris actum corde, concedimus: opere, negamus. Quanquam enim impotentes essent ad amandum quia rationis usu carebant; nihilominus non amabant quia nolebant amare, sed non amabant, quia amare non poterant. Et quod facere non poterant corde fecerunt opere. Quid enim amplius fecissent, si amare potuissent? Mori pro Christo; & hoc jam fecerunt; Unde ut ita dicamus habuerunt amorem virtualem, scilicet virtutem, vel effectum amoris consistentem in morte, quam pro Christo pertulerunt, quanvis non habuerint amorem actualem propter impotentiam, non vero voluntatis defectu.

Ad II. Requiritur ad martyrium utique oris confessio, quando fieri potest; quando autem fieri non potest, suppletur, vel nutu, vel signo, vel opere, quod est ipso sermone præstantius. Aliter si oris confessio materialiter ad martyrium requireretur, muti veri martyres esse non possent, quia usum linguæ non habent. Immo quemadmodum muti, surdi, amentes, veri martyres esse possunt, etsi non habeant rationis, vel linguæ, vel aurium, usum; quia tamen hic defectus, qui non est voluntarius, sed omnino involuntarius, suppletur ab opere; inde est, quod & muti, & surdi, & amentes, veri martyres esse possunt. Sic pariter de Infantibus est discurrendum, qui loqui, audire, & velle non poterant, non propter voluntatis defectum sed potentiæ.

Ad III. Herodes, ut testatur Baronius, in alia persequutione, sed circa eadem tempora multos Pharisæos occidi jussit; & motivum occisionis fuit, quod non jurassent Cæsari, & sibi, sicut alii Judæi fecerant. Igitur Pharisæi non fuerunt occisi propter Christum, sicut fuerunt Innocentes infantes, adeoque non eandem sortem, ac hi habere debebant. Hæc scribit Baronius ad annum Christi I. num. 52. „ Addunt nonnulli (quod modo diximus) „ iisdem temporibus Herodem complures „ Pharisæorum occidi mandasse, eo quod „ non sicut alii Judæi, Cæsari, & sibi jurassent. Timore enim nuper nati Regis „ Tyrannus exagitatus, ne Regni dispendium pateretur; quo sibi illud magis magisque firmaret, populum ad juramentum „ adegit: sed hæc fusius anno sequenti, quo „ sunt facta dicentur „. Latius rem pertractat Graveson, & majori distinctione explicat, cujus verba referre convenientissimum quoque putamus. Scribit igitur in Dissertatione citata: „ Advertat secundo Lector: Edictum Herodis Regis de occidendis pueris Bethlehemiticis esse omnino diversum ab illo Edicto, quo impius ille „ Rex, ingravescente ipsius morbo, sicut „ scribit Josephus lib. 17. Antiquit. Nobilissimos Judæorum undique Jerichuntem „ accivit, & in hyppodromo conclusit, datis mandatis Salome sorori, & ejus viro „ Alexæ, ut, se extincto, per milites interficerentur, quo videlicet Judæi lugendi „ causam haberent, alioqui lætaturi de illius interitu. Ratio est, quia illud Edictum Herodis de occidendis illis nobilissimis Judæorum viris non fuit exequutioni mandatum, sicut testatur Josephus, „ qui ibidem refert, Salomem, mortuo Herode, & antequam ipsius mors fuisset „ propalata, omnes Judæos in hyppodromo conclusos dimisisse, dicendo: Ita Herodem jussisse. At Herodis Edictum de „ trucidandis pueris Bethlehemiticis exequutioni traditum fuisse, vivente adhuc „ Herode, scribit S. Matthæus cap. 2. Confundi etiam non debet cædes infantium „ Bethlehemiticorum cum illa cæde, qua „ Herodes paulo ante suum obitum, sicut „ ibidem narrat Josephus, Matthiam Margolothum, ejusque socios, doctissimos Judæorum, & Interpretes Legis præstantissimos, vivos exuri jussit ob deturbatam „ Aquilam auream, quam supra majorem „ Templi portam ipse Herodes contra Legem posuerat. Ratio est, quia certissime „ constat, Matthiam Margolothum, ejusque „ socios, ætatis jam provectæ viros fuisse, ac „ subinde illorum cædem nihil commune „ habere potuisse cum strage infantium, „ quos Bethlehemi, & in omnibus finibus „ ejus a bimatu, & infra jussit Herodes occidi „.

Ad IV. His verbis Estius respondet „ Quod „ ex Cypriano objicitur, non aliud convin-

„ cit,

„ cit, quam valde expedire, ut quibus martyrii certamen imminet, prius vel baptizati, vel reconciliati sint, atque etiam Eucharistiæ cibo refecti (nam & hoc Sacramentum nominat eo loco Cyprianus) atque ita probe muniti procedant ad pugnam. Immo Baptismum, vel reconciliationem prius petere tenentur, tum propter præceptum, ut modo diximus, tum ad vitandum præsumptionis periculum, & ut majori Dei gratia muniti, securius ad pugnam procedant. Quod tamen si non fecerint, etiam illas culpas postea martyrium delebit „.

Ad V. Bernardus vere non loquitur de martyre, sed de eo, qui martyrium desiderat, adeoque qui est ita fortis, ut possit martyrium subire, & jam paratum ad illud subeundum se exhibeat. Igitur, ut ait Estius, non pro eodem valet martyrium, & martyrii desiderium, quum in multis differant non minus pro hoc effectu, de quo ad præsens loquimur, quam pro martyrii corona percipienda, quæ datur quidem illis, qui martyrium subeunt, at non datur illis, qui martyrium desiderant.

Ad VI. dicimus cum citato Estio, doctrinam Concilii Tridentini intelligendam esse cum martyrii exceptione, quemadmodum ipsa Scriptura, quæ abipso Concilio citatur, cum eadem exceptione intelligitur ab Augustino lib. 13. de civit. Dei cap. 7. & lib. 2. de Origine animæ cap. 12.

Ad VII. Vanum est illud Vitriaci effugium, ac prorsus inutile, quia idem Christus heri, & hudie, eadem gratia ex meritis ejus, quando ipse voluerit, & quando obstaculum a nobis non ponitur, quocunque tempore datur. Igitur si Christus sua gratia fecit quod Innocentes infantes potuerint esse vere martyres, non ex proprio merito, sed ex sola Dei liberalitate, cur hoc idem non faciet post suam nativitatem, quum eadem sit in Deo liberalitas, eadem beneficentia, idem amor, & quando recens est natus, & post multa sæcula a nativitate ipsius, non enim tempore mensuratur Dei benignitas, nec a temporum varietate dependet.

Ad VIII. Utique concedit Estius, martyrium valere ex opere operato, quia per ipsum fit, ut tota culpa simul & pœna remittatur; & hanc dicit esse constantem Patrum doctrinam. Ad id, quod opponebatur, quod scilicet sequeretur, martyrium esse sacramentum, vel Sacramentis esse adnumerandum, negat omnino sequelam, & rationem addit, quia non est institutum, ut signum aliquod gratiæ collativum, sed tantummodo est actus eximiæ fortitudinis, & perfectæ charitatis, cui Deus hoc contulit privilegium, ut mortui per ipsum, sive sint baptizati, sive non baptizati, nullam patiantur moram, quominus statim evolent ad cœleste Regnum, & coronam.

DISSERTATIO CCXXIV.

De Virgine in Templo purificata. Cujus purgatio in Evangelio describitur, Christi, an Virginis? An amborum? An Christus, & Deipara, tenerentur legibus in eodem Evangelio memoratis, & quidem summo jure? Et an purificationis festivitas sit antiqua in Ecclesia? nimirum a quo tempore cœperit, & propter quas caussas fuerit instituta?

LEGIMUS in Evangelio Lucæ cap. 2. num. 22. *Postquam impleti sunt dies purgationis ejus, secundum legem Moysis, tulerunt illum in Jerusalem, ut sisterent eum Domino, sicut scriptum est in lege Domini; quia omne masculinum adaperiens vulvam, Sanctum Domino vocabitur, & ut darent hostiam, secundum quod dictum est in lege Domini, par turturum, aut duos pullos columbarum.* In quibus verbis pronomen illud *ejus* magnam inter Interpretes quæstionem parturiit, quia ambiguum est, & clare non explicatur, an ad Christum referatur, an ad Mariam, an ad utrumque. Nec ad intelligentiam ejus possumus grecum Textum consulere, quia exemplaria varia sunt. Quædam enim continent αὐτοῦ; hoc est *ejus*, masculini generis, & sic refertur ad Christum, quædam vero habent αὐτῆς, hoc est *ejus*, generis fœminini, & sic refertur ad Virginem; quædam quoque continent αὐτῶν; & sic refertur ad utrunque.

Primo igitur, veteres quidam Interpretes, quos Cardinalis Tolerus recenset annotat. 37. in Lucam, dixerunt, pronomen illud referendum esse ad Christum, adeoque verbis illis Christi purgationem describi, purgationem scilicet legalem; & ideo dicunt, fuisse oblatos duos pullos columbarum, quia pro purgatione filii recens nati, duo pulli columbarum offerri solebant; & quum duos pullos columbarum obtulisset B. Virgo, verba illa volunt, intelligi de purgatione legali Christi, secundum hominum opinionem.

Secundo, Alii intelligunt de solius Mariæ purgatione, & hujus opinionis est Beda, quem plures Recentiores sequuntur; & Cornelius a Lapide ad verba: *Et postquam impleti sunt dies purgationis ejus:* addit;
„ Mariæ non pueri, ut patet ex græco
„ αὐτῆς, & ex Levitic. cap. 12. v. 7., & 8.
„ Male ergo legunt nonnulli αὐτοῦ, mascu-
„ line, *illius scilicet pueri*, aut, ut Origen.,
„ Theophyl., & Euthym. αὐτῶν, idest *illo-*
„ *rum*, pueri scilicet, & Mariæ Matris „.

Tertio. Alii intelligunt de purgatione illorum, & sub pronomine *illorum*, Origenes vult, venire Christum, & Mariam; Author vero homiliæ de occursu, sub Chrysostomi nomine, vult venire Mariam, & Josephum; Euthymius denique vult venire Mariam, Josephum, & Christum. Sicque propugnatores hujus tertiæ opinionis sunt Origenes homil. 14. in Lucam, Author homil. de occursu, sub nomine Chrysostomi, & Euthymius in suis Commentariis in Lucam.

Dicimus I. In Evangelio describi purgationem solius Mariæ, non vero Christi, neque amborum, nec denique Josephi.

I. Probatur. Illam verbis Evangelii debemus dare intelligentiam, quam dat Ecclesia; sed Ecclesia dat intelligentiam purgationis Mariæ, non vero Christi, nec amborum, neque Josephi: ergo nos etiam debemus intelligere purgationem solius Mariæ, non Christi, nec amborum, neque Josephi. Probatur minor. In Evangelio, quod legit Ecclesia in purgationis festo, hæc leguntur: *Postquam impleti sunt dies purgationis Mariæ secundum legem Moysi, tulerunt Jesum in Jerusalem, ut sisterent eum Domino, sicut scriptum est in lege Domini: Quia omne masculinum adaperiens vulvam, sanctum Domino vocabitur. Et ut darent hostiam*

ftiam secundum quod dictum est in lege Domini, par turturum, aut duos pullos columbarum. Insuper titulus ejusdem festivitatis in eodem Evangelio ita legitur: *In festo purificationis B. Mariæ Virginis*; & ita pariter invenitur in Martyrologio, & in Breviario: ergo sensus Ecclesiæ est, quod purificatio fuerit solius Mariæ, non autem Christi, nec amborum, neque Josephi.

II. Probatur. Purgatio, de qua agit Lucas in Evangelio, illa eadem est, de qua agitur in Levitico, quæ scilicet facienda erat secundum legem Moysi; sed purgatio, quæ legitur cap. 12. Levitici, est purgatio matris, non pueri, nec viri; ergo hæc eadem intelligendi est in Evangelio. Probatur minor. Levitici 12. legitur. *Mulier, si suscepto semine pepererit masculum, immunda erit septem diebus juxta dies separationis menstruæ. Et die octavo circumcidetur infantulus: ipsa vero triginta tribus diebus manebit in sanguine purificationis suæ. Omne sanctum non tanget, nec ingredietur in Sanctuarium, donec impleantur dies purificationis suæ. Sin autem fœminam pepererit, immunda erit duabus hebdomadibus juxta ritum fluxus menstrui, & sexaginta diebus manebit in sanguine purificationis suæ*. Quibus verbis purgatio tantum matris præcipitur, quia illius tantum erat immunditia eluenda; filii vero non nisi circumcisio præcipitur, nihil vero de viro mandatur.

Arguunt I. Natus puer legalem immunditiam contrahebat: ergo peculiari purgatione mundari debebat. II. Agnus anniculus, vel duo pulli columbarum, offerebantur pro filii purgatione: ergo purgatio non erat tantum matris, sed filii quoque. III. Pronomen illud *ejus* ad illam personam referri debet, quæ antecedenter, & proxime est nominata; sed antecedenter, & proxime nominatus est Jesus: ergo ad Jesum referri debet pronomen illud. Probatur minor. Sic legitur in Evangelio: *Postquam consummati sunt dies octo, ut circumcideretur puer, vocatum est nomen ejus Jesus, quod vocatum est ab Angelo, priusquam in utero conciperetur*: Post quæ verba immediate sequuntur hæc alia, addita particula conjunctionis *&*; & sic habentur: *Et Postquam impleti sunt dies purgationis ejus*: ergo pronomen *ejus* refertur ad Jesum. IV. Exodi 13. præcipitur, ut proles masculina, & primogenita, offeratur Deo; sed ante oblationem conveniebat, ut saltem legaliter purgaretur: ergo purgatio fuit etiam Christi.

Respondemus ad I. negando antecedens, nullibi enim in Scriptura fit mentio immunditiæ filii, sed tantum fit sermo de immunditia matris: adeoque præcipitur matrem purgari, non filium; ut dictum est nuper.

Ad II. dicitur, quod oblatio Agni anniculi, vel pullorum columbarum, fiebat, non pro filii, sed pro matris, purgatione. Hoc totum expresse legitur in Scriptura; dum enim dicitur: *Defert agnum anniculum in holocaustum*; subdit Moyses; *& pullum columbæ pro peccato, & tradet sacerdoti, & orabit pro ea; & sic mundabitur a profluvio sanguinis*. Quibus verbis expresse manifestatur immunditia, & purgatio matris, pro qua sola, dicendum est, factam fuisse oblationem.

Ad III. dicit Serry, quod tota illa periodus præcedens, qua narratur Christi circumcisio, concluditur intra parenthesim; adeoque pronomen illud *ejus* referri debet ad personam, quæ ante parenthesim fuerat nominata; Ante parenthesim fuerat nominata B. Virgo, quia dictum fuerat de ea: *Maria autem conservabat omnia verba hæc, conferens in corde suo*; unde patet, pronomen *ejus* referendum esse ad B. Virginem, & non ad Jesum.

Ad IV. Proles masculina, & primogenita, offerri debebat Deo, tanquam ipsi debita, & sancta; „idest, ut ait Cornelius a La-„pide, Deo consacrata, ob liberationem „primogenitorum Hebræorum, a Deo fa-„ctam, quando cæsa sunt primogenita „Pharaonis, & Ægyptiorum, ab Angelo „tempore Moysis Exodi 13., ita tamen, „ut proles oblata Deo, a Parentibus redi-„mi possit quinque siclis, idest, quinque „florenis Brabanticis, qui faciunt duos au-„reos Romanos, quorum quisque conti-„net decem Julios, sive Regales. Num. 3.„ Hæc Cornelius.

Pro secunda Dissertationis parte præmittimus, tres fuisse Mosaicas Leges, quas memorat Evangelium, & quibus tenebantur mater parturiens, & filius natus. Duæ tamen pertinebant ad matrem, una ad filium. Quæ pertinebant ad matrem, leguntur Levitici cap. 12. ver. 2., & erat, quod si mulier peperisset masculum, immunda esset per dies quadraginta; & vers. 6., quod si mulier fuisset eo pacto secundum legem immunda, pro obtinenda sui purificatione debebat offerre Deo in holocaustum agnum anniculum, ac pullum turris, vel columbæ in victimam

pro peccato; & hoc si fuisset dives: si autem fuisset pauper, debebat tantum offerre par turturum, aut duos pullos columbarum. Lex vero, quæ pertinebat ad filium, continetur Exodi 13., & est, quod si proles nata sit masculina, & primogenita, offeratur Deo, uti ipsi debita, & consecrata, ob liberationem primogenitorum Hæbreorum, tempore Moysis &c., ita tamen, ut proles offerenda posset redimi quinque siclis, ut dictum est. His præmissis

Dicimus II. Mariam Virginem fuisse liberam utraque lege, quæ ad mulieres parturientes spectabat.

I. Probatur. Cessavit in B. Virgine ratio, propter quam lata est lex illa, quæ legitur, Levitici 12. ergo cessare debuit & ipsa lex. Probatur antecedens. Lex, quæ continetur Levitici 12. hæc est: *Mulier, si suscepto semine pepererit masculum, immunda erit*; sed B. Virgo concepit, & peperit absque suscepto semine: ergo susceptum semen, quod erat ratio legis præfatæ, in B. Virgine cessavit, & per consequens cessavit etiam ipsa lex.

II. Probatur. Non fuit in B. Virgine immunditia illa legalis, quæ contrahebatur a parturientibus, & quam proinde lex præcipiebat fore purgandam: ergo neque etiam per hoc lex illa in B. Virgine locum habere debebat. Probatur antecedens. Immunditia illa, non aliunde proveniebat, quam ex fluxu sanguinis menstrui; unde legitur: *Immunda erit septem diebus, juxta dies separationis menstruæ*; & post pauca: *Mundabitur a profluvio sanguinis*; sed fluxus sanguinis menstrui non fuit in B. Virgine: ergo non fuit in B. Virgine immunditia illa legalis, quæ a parturientibus contraebatur, & quam lex præcipiebat fore purgandam. Probatur minor. Quæ peperit fuit Virgo, & Virgo quidem antem partum, in partu, & post partum; adeoque fœtum emisit absque Virginalis claustri effractione. Insuper, quia Virgo fuit quæ concepit, & peperit, ideo Spiritus Sancti opera concepit; & quia Spiritus Sancti opera concepit, ideo ille solus sanguis in Virgine fuit, qui necessarius erat in utero ad fœtus nutrimentum; fœtu autem ex utero egresso, totus ille sanguis cucurrit ad ubera, & conversus in lac, mutatus est in alimentum infantis nati: ergo nullus erat superfluus sanguis menstruus, & per consequens, nulla erat immunditia, quæ per purgationem, quam lex præcepera, eluenda esset.

III. Probatur ex Patribus. Cyrillus Alexandrinus lib. 2. de fide ad Reginas circa exordium libri, ex sua, & ex alterius antiqui Episcopi sententia, hæc habet: *Quod si is, qui Deus secundum naturam est, utpote, unigenitus Dei filius, servili forma indutus, sacræque Virginis primogenitus appellari, non dedignatus, semetipsum redemptionem pro omnibus tradidit: clare patet, in quantam impietatem prolabantur Ariani, qui Deiparam Mariam iis sacrificiis, quæ pro puerperis ex lege offerri, mos erat, opus habuisse asserunt*. Author Semonis de purificatione, qui sub nomine Eusebii Emisseni circumfertur: *Quamvis purgationis dies ad B. Mariam Virginem non pertinerent: expectavit tamen ipsa, donec omnes purgationis dies complerentur, quos non sibi, sed aliis mulieribus lex constituerat. Non enim de ea dictum fuerat, omne sanctum non tanget, quæ ipsum Sanctum Sanctorum in gremio tenebat, in sinu fovebat, & virgineo lacte nutriebat*. S. Eligius apud Suarez 3. par. qu. 37. art. 4. disput. 16. sect. 2. *Nequaquam immunda judicatur, quæ Sancto Spiritu obumbrante, totius munditiæ, & sanctitatis, auctorem genuisse probatur*. S. Bernardus serm. 3. de purificat. *Nihil in hoc conceptu, nihil in partu, impurum fuit, nihil illicitum, nihil purgandum. Nimirum cum proles ista fons puritatis sit, & purgationem venerit facere delictorum, quid in me legalis purificet observatio? Quæ purissima facta sum ipso partu immaculato?*

Dicimus III. Christum non fuisse tertia illa lege adstrictum, ut in Templo debuerit præsentari, redimi, & pro eo sacrificium offerri.

I. Probatur. Lex de primogenitis legitur Exodi 13. *Sanctifica omne primogenitum, quod aperit vulvam in filiis Israel... Cumque introduxerit te Dominus in terram Cananæi, sicut juravit tibi, & Patribus tuis, & dederit tibi eam; separabis omne, quod aperit vulvam Domino.... Omne primogenitum hominis de filiis tuis pretio redimes*. Pretium autem redemptionis explicatur Num. 18. *Redemptio erit post unum mensem siclis argenti quinque pondere Sanctuarii*; sed hæc verba legis nullo modo poterant obligare Christum: ergo &c. Probatur minor. Verba legis sunt de filiis, qui aperiunt vulvam; sed Christus Dominus non aperuit vulvam matris: ergo verba illa legis non obligabant Christũ Dominũ 1. Probatur minor. Christus Dominus conceptus est, & natus, integra manente

Vir-

„ Virginitate Matris: ergo non aperuit „ vulvam Matris.

II. Probatur ratione, & verbis Suarez. Ratione quidem, quia vel verba illa accipiuntur stricte, & Christum non obligant; vel accipiuntur materiali significatione, quasi aperire vulvam idem sit, ac primo exire per vulvam; & in hac materiali acceptione probabiliter dici potest, quod verba legis Christum aliquo modo obligaverint. Verba autem Suarez, quæ per extensum transcribimus, ut melius mens ejus percipiatur, sunt, quæ sequuntur: „ Circa hoc prætermissa illa „ sententia antiquorum, quæ magis mystica „ est, & spiritualis (ut supra dixi), duplex „ potest esse dicendi modus. Primus est, „ verbum illud: *Qui aperit vulvam*, a Spiri„ tu Sancto additum esse propter Christum, „ ut verbis hujus legis nullo modo compre„ henderetur, quia aperire vulvam proprie, „ & in rigore, significat more consueto, & „ ordinario nasci, vias, & meatus generatio„ nis perfecte aperiendo. Quomodo dixit „ Hormisda Pap. epist. 1. c. 3. Christum „ non aperuisse vulvam Matris, & hanc „ expositionem videtur indicare Beda Luc. „ 2. licet subobscure, & Cyrillus Hierosoly„ mitanus hom. de occursu Domini, dicens: „ *Samuel quidem, & Isaac, simul etiam Jacob,* „ *& Joseph, & alii multi, qui præter spem* „ *nati sunt ex sterilibus, & aperuerunt infer*„ *tiles vulvas matrum, Sancti Domino vocati* „ *sunt: Christus autem solus ex solo unigenitus,* „ *cum virginales portas non aperuisset, non est* „ *Sanctus Dominos sed Sanctus Sanctorum, &* „ *Dominus Dominorum, & Deus Deorum, &* „ *Primogenitus Primogenitorum, & Rex Re*„ *gnantium, & vocabitur, & credetur, &* „ *nunc in templo a Simeone prædicabitur.* Et „ hæc sententia est probabilis, quia verba „ legis in proprietate sermonis intelligenda „ sunt. Item quia ex vi illius verbi filius „ masculus, qui post fœminam nasceretur, „ quanvis inter masculos esset primus, non „ comprehendebatur hac lege, nec erat of„ ferendus in templo, quia non aperiebat „ vulvam matris, sed inveniebat apertam „ ex priori partu fœminæ; ut Cajetanus, „ Lippomanus, & Oleaster, & alii expo„ suerunt: ergo majori ratione Christus, „ licet fuerit primogenitus, cum non ape„ ruerit vulvam matris, nullo modo fuit „ verbis legis comprehensus. Neque huic „ expositioni obstant verba Lucæ. Solum „ enim significare voluit, Christum fuisse „ oblatum in templo, ut in eo servaretur „ quod de primogenitis aperientibus vul„ vam in lege statutum erat, non quia hæc „ verba ad ipsum pertinerent; sed quia cum „ re vera esset primogenitus, & mysterium „ nativitatis ejus ignoraretur, decuit, illam „ legem in eo servari. Alter dicendi modus „ esse potest, ut verbum illud: *Qui aperit* „ *vulvam*, non in ea proprietate, & quasi „ materiali significatione sumatur, videlicet, „ ut necessarium fuerit ad obligationem „ illius præcepti aperitionem vulvæ fieri „ ex filii nativitate: sed ut nihil aliud sit „ aperire vulvam, quam primo exire per „ vulvam. Quanquam enim ab illo effe„ ctu, qui naturaliter fieri solet a filiis, qui „ primo exeunt ab utero matris, eo nomi„ ne appellentur *primogeniti*: tamen id, ad „ quod significandum translata videtur illa „ vox, solum est ipse filius, qui absolute „ est primogenitus, seu, qui primo exit ex „ utero, sive materialiter rumpat claustrum „ matris, sive non. Et juxta hanc exponen„ di rationem Christus erit primogenitus „ adaperiens vulvam, & ita verbis quidem „ legis comprehendetur, quanvis lege non „ obligetur. Et hunc dicendi modum indi„ cat Rupertus lib. 2. de Trinitate, & ope„ ribus ejus in Exod. c. 24. & Abulensis c. „ 13. Exodi in principio, & eum sequutus „ est Jansenius c. 10. Concordiæ. Et est pro„ babilis: prior tamen sicut simplicior, & „ altior, & proprietati literæ magis consen„ taneus videtur „.

III Probatur ratione pariter, & verbis Serry, qui rem aliter explicare, ac componere conatur: Sunt ejus verba: „ Gravioris „ longe, majorisque momenti fuerit defini„ re, num perinde Christus altera lege de „ primogenitis Deo sistendis, consecran„ disque, eximeretur? Et quidem primo re„ rum intuitu ea lege videtur exclusus; sic „ enim lex habet lib. Exod. 13. *Sanctifica* „ *mihi omne primogenitum, quod aperit vul*„ *vam in filiis Israel, tam de hominibus, quam* „ *de jumentis*: Christus autem vulvam ma„ ternam nascendo non aperuit, sed clau„ stris pudoris intactis, & obseratis, per „ uteri penetrationem exivit, ut fuse alias „ demonstravimus: non itaque ea lege tene„ batur. Nihilominus ubi Ecclesiæ Patres „ consulo, & attentius observo, quemad„ modum, & consulere, & observare, ne„ cesse est, si volumus esse Theologi, ut de„ bemus, rem longe aliter esse deprehendo; „ Christumque ea lege deprehensum inve„ nio; quem nisi me Patrum moveret au„ ctoritas, liberum voluissem. Sic quippe „ summa consensione definiunt Tertullia„ nus lib. de carne Christi sub finem, Ori-

„ gines homil.14. in Lucam, S. Ambrosius „ lib.2. in eundem Lucam, S. Hieronymus „ lib.2. contra Jovinianum, Auctor homi- „ liæ de occursu Domini inter Opera D. „ Chrysostomi, S. Gregorius Nyssenus ho- „ mil. ejusdem Argumenti, S. Amphilo- „ chius, Iconii Episcopus, homil. de Puri- „ ficat. S. Isidorus lib. 1. Epist. 23., Theo- „ phylactus, & Euthymius in suis ad Lu- „ cam Commentariis, S. Joannes Damasce- „ nus oratione de Dormitione B. Virginis. „ Quorum omnium hæc una vox est, non „ modo Christum ea primogenitorum lege „ comprehendi, sed longe verius, certius- „ que, quam cæteros quosque primogeni- „ tos: imo ob illum ipsum fuisse legem „ hanc constitutam; cui & Deo sisti, uti „ lex illa ferebat, & consecrari maxime „ congruebat, quippe qui vere, & proprie, „ Sanctus erat. Eccur vero, inquiet aliquis, „ ea lege concluditur Christus, quæ de so- „ lis masculini sexus primogenitis *vulvam* „ *aperientibus* lata est? Si mea hic respon- „ sio quæreretur, reponerem facile, eam „ sacris Scripturis familiarem esse loquendi „ formulam, qua ii notari solent, qui primi „ omnium e materno utero prodeunt, quo- „ cunque tandem pacto res illa contingat, „ seu vulvæ apertione, quæ communis na- „ scentium conditio est, seu sola uteri pe- „ netratione, quod Christi Domini privi- „ legium fuit, Moysemque idcirco *sanctifi-* „ *candum*, hoc est, offerendum Deo dixisse „ primogenitum, non qualemcunque, sed „ *qui aperit vulvam*, seu qui primus om- „ nium ex utero materno prodit in lucem: „ quia primogenitus inter masculos esse „ potest, qui tamen vulvam non aperiat, si „ prius fœmina nata sit: & rursus primo- „ genitus potest esse viri, non autem uxo- „ ris, quæ filium ex præcedenti matrimo- „ nio suscepit. Mea hæc, si forte quærere- „ tur, responsio foret, qua objectionem il- „ lam eluderem. Verum quia non mea, sed „ Sanctorum Patrum, quorum hic senten- „ tiam expendo, responsio quæritur: repo- „ nunt ii vice versa tantum abesse, ut ex „ iis legis Mosaicæ verbis, *primogenitum,* „ *quod aperit vulvam* momentum peti pos- „ sis, quo Christus ea lege eximatur, ut po- „ tius inde gravius reperiant argumentum, „ quo Christum hac ipsa lege concludant; „ hac etenim nota Christum maxime desi- „ gnatum existimant. Cætera quippe pri- „ mogenita, inquiunt illi, tam in homini- „ bus, quam in jumentis, non tam nascen- „ do vulvam aperiunt, quam apertam in- „ veniunt: præcedente scilicet, copula, „ quæ vulvam cœperat aperire, antequam „ pueri nascentis dilapsu aperiatur ex in- „ tegro: Christus vero, nulla præeunte co- „ pula conjugali, natus ex Virgine, vul- „ vam, quam nullo pacto, nullove modo „ apertam invenit, nascendo solus aperuit. „ Ita concordi sententia citati Patres, Ori- „ gines, Tertullianus, Chrysostomus, Am- „ brosius, Gregorius, Hieronymus, Am- „ philochius, Isidorus, Theophylactus, „ Euthymius, Joannes Damascenus locis a „ me paulo ante laudatis. Absit tamen, ut „ tot Ecclesiæ Patres Sanctissimos, atque „ doctissimos, Deiparæ Virginis puritati „ injurios existimemus, dum vulvam ejus, „ nascente Christo, apertam dixere. Absit, „ inquam. Vulvam siquidem *aperire* nihil „ aliud in illorum Codicibus sonat, quam „ *perviam facere*, ne Christo exeunti esset „ impedimento; quod tamen sine fractura, „ uterique dilatatione, factum est, sed pro- „ digiosa penetratione; atque ita illæsa vir- „ ginitate, claustrisque pudoris prorsus in- „ tactis. Utrumque enim laudati Patres af- „ firmant: Ita Christus partus tempore „ procreatur, vulvamque aperit, ut interim „ virginitatis claustra minime labefactet, „ inquit S. Joannes Damascenus orat. de „ Dormit. B. Virginis.

IV. Probatur ratione alterius legis, quæ legitur Levitici 12. his verbis: *Mulier, si suscepto semine peperit masculum, immunda erit septem diebus, juxta dies separationis menstruæ, & die octavo circumcidetur infantulus: ipsa vero triginta tribus diebus manebit in sanguine purificationis suæ. . . . Cumque expleti fuerint dies purificationis suæ pro filio, sive pro filia, deferet agnum anniculum in holocaustum, & pullum columbæ, sive turturem pro peccato . . . . Quod si non invenerit manus ejus, nec potuerit offerre agnum, sumet duos turtures, vel duos pullos columbarum, unum in holocaustum, & alterum pro peccato, orabitque pro ea Sacerdos, & sic mundabitur.* In quibus verbis advertit Suarez dictionem illam, *pro peccato,* esse ambiguam, quia simpliciter ponitur, & non explicatur, an referenda sit ad matrem, an ad filium; & per consequens ambiguum quoque redditur, an hæc lex, pro ut continet sacrificium offerendum pro peccato, respiciat filium, vel matrem; adeoque an sit posita propter aliquam matris, vel potius propter filii, sanctificationem? Sunt qui putant referri ad matrem; & ita hæc lex nullo modo pertineret ad Christum, sed tantum ad Virginis purificationem. Et hujus sen-

ten-

rentiæ sunt, Lyranus in cap. 12. Levitici, Abulensis, qu. 23. & 30. Cajetanus ibi, & Jansenius cap. 10. Concordiæ. Alii vero putant verbum illud, *pro peccato*, referendum esse ad prolem, & sic sacrificium esset propter aliquod peccatum prolis expiandum, Et ita sentiunt Augustinus lib. quæstionum in Leviticum qu. 40. quem sequuntur S. Thomas, Cajetanus, Hugo Cardinalis, Rupertus lib. 2. in Leviticum cap. 17. Beda, Euthymius in cap. 2. Lucæ, Eligius homil. de purificat., & Glossa ordinaria; qui omnes citantur a Suarez. Idem tamen Suarez conciliare intendens has contrarias interpretationes, putat verbum, *pro peccato*, neque ad solam matrem, neque ad solum filium, sed ad utrunque esse referendum. Hoc ipsum suadere intendit, & verbis Augustini, & ratione Jansenii. Verba Augustini sunt, quæ apud ipsum leguntur: *Cur ergo non illud, quod natum est, purgari dicit Scriptura per hoc sacrificium, sed ipsam, quæ peperit? An ad ipsam quidem, unde illa origo trahebatur, relata purgatio est propter sanguinis fontem? Non poterat tamen sine ipsius fœtus purgatione, qui ex ipso sanguine exortus est*. Ratio autem Jansenii, verbis etiam Suarez exposita, hæc est: „ Ad quod magis explicandum conferre potest doctrina, quam Jansenius affert: cum in Scriptura dicitur offerendum esse aliquod sacrificium *pro peccato*, non semper intelligi illud sacrificium offerendum esse in satisfactionem, ac remissionem alicujus culpæ, sed illam vocem esse impositam ad significandum quoddam genus sacrificii instituti ad quamcunque expiationem, ut ex Levitic. 14. & 15., & ex aliis locis constat. In hac ergo lege præcipiebatur fœminæ, ut tam pro se, quam pro filio, offerret holocaustum in gratiarum actionem, & sacrificium pro peccato, ad suam purgationem, & sanctificationem filii, qui speciali modo tunc Deo dicabatur. Nam licet per circumcisionem masculi sanctificarentur: tamen neque illa cæremonia fuerat peculiariter in lege Moysi instituta, sed antiquior; nec erat generalis omni proli, & habuit aliam propriam, & specialem rationem institutionis; & ideo conveniens fuit, ut per speciale legis sacrificium statim filii sanctificarentur legali sanctificatione, ac Deo consecrarentur, vel certe, ut magis, ac magis mundarentur, ac liberarentur a reliquiis originalis peccati, ut Hugo Cardinalis adnotavit, & indicavit Euthymius supra dicens: *Jussit lex, ut darent par turturum, propter pueri temperantiam. Est enim turtur animal castissimum, aut duos pullos columbarum, propter ejus fœcunditatem*. Ex quibus omnibus intelligere licet, hanc legem observatam esse a Virgine, non solum propter se, sed etiam propter filium. Itaque non solum mater, sed etiam filius huic legi se subjecit: quanquam multis nominibus ab illa esset liber, & specialiter, quia nulla indigebat sanctificatione, nec propria, nec legali. Potuit tamen holocaustum, quod erat in gratiarum actionem, proprie pro illo offerri; sacrificium autem pro peccato, non ita proprie, si secundum specialem rationem, & intentionem suam consideretur: Nam quatenus omne sacrificium continet cultum Dei, & potest in gratiarum actionem offerri, sic poterat etiam tale sacrificium pro Christo offerri: imo ab ipsomet offerebatur, etiam in satisfactionem pro totius naturæ peccato.

Obstant I. Semen in loco Levitici, ubi legitur: *Mulier si suscepto semine, pepererit masculum*: accipitur pro ipsa prole, quæ nascitur; sed ex Maria Virgine nata est proles: ergo ipsa ad purificationis legem summo jure tenebatur. II. In Scripturis semen non semper accipitur pro semine virili, ex quo fit proles: ergo quanvis in generatione Christi virile semen non intervenerit, semper tamen B. Virgo ad purificationis legem stricto jure tenebatur. Probatur antecedens 2. Regum 7. dicitur: *Regnabit semen tuum post te*: & Psal. 88. *Ponam in seculum seculi semen ejus*. Et Jeremiæ 22. *Non erit de semine ejus, qui regat populum meum Israel*; & Lucæ 2. *Loquutus est ad Patres nostros, Abraham, & semini ejus in secula*. III. Si peccatum, pro quo offerri debebat sacrificium, non potest dici vere peccatum, quia hoc nec in matre, nec in filio fuit; potest tamen dici immunditia legalis, quæ est irregularitas quædam, contracta ex sordibus puerperii, & ex sanguinis fluxu; sed hæc potest habere locum tam in matre, quam in filio, quum hic dici possit ex immunda nativitate natus: ergo &c. IV. Origenes de Virginis oblatione sermonem habens homil. 14. hanc peculiarem sententiam adstruit: *Turturum par, & duos pullos columbarum pro Salvatore videmus oblatos; ego, & aves istas beatas puto, quæ pro ortu Domini oblatæ sunt. Et quomodo asinam Balaam miror, & felicitate accumulo, quia digna fuerit non solum videre Angelum Dei, sed*

etiam

etiam ore reserato in humanum sermonem erumpere: sic multis amplius has volucres prædico, easque suscitolo, quod pro Domino nostro, & Salvatore, oblatæ sunt. Ut offerrent pro eo par turturum, aut duos pullos columbarum. Novum quid forsitan videar inferre: sed pro majestate rei parum dignum. Sicut nova fuit generatio Salvatoris, non ex viro, & muliere, sed ex sola tantum Virgine, sic & par turturum, & duo pulli columbarum, non fuerunt tales, quales oculis carnis aspicimus, sed qualis Spiritus Sanctus in specie columbæ descendit, & venit super Salvatorem, quando in ordine fuit baptizatus, tale fuit & par turturum. Non erant volucres istæ, ut istæ, quæ per aërem volitant, sed divinum quiddam, & humana contemplatione augustius, sub specie columbæ, & turturis apparebat, ut non talibus victimis, qualibus omnes homines, ille, qui pro toto mundo nascebatur, & pati debebat, coram Domino mundaretur: sed ut dispensatio ejus nova omnia, ita etiam haberet novas hostias secundum voluntatem Omnipotentis Dei. V. Bernardus serm. 3. de purificat., B. Virginem alloquens, hæc habet: *Esto itaque, o B. Virgo, inter mulieres tanquam una earum, nam & filius tuus, sic est in numero puerorum:* ergo ita debuit B. Virgo adimplere legem purificationis, sicut Christus Dominus filius ejus adimplevit legem Circumcisionis; Sed Christus Dominus filius ejus summo jure adimplevit legem Circumcisionis: ergo ita etiam B. Virgo summo jure adimplevit legem purificationis. VI. Ideo Jansenius dicit, quod verba legis Virginem non comprehenderint, neque ligaverint, quia ipsa concepit & peperit Deum, qui supra omnem legem est; sed hæc ratio non est sufficiens: ergo &c. Probatur minor. Si hæc ratio haberet locum, B. Virgo esset libera omni obligatione veteris legis, quia respectu cujuscunque verificaretur, ipsam concepisse Deum, qui veteris legis est Author: Non dicitur autem, nec conceditur, quod B. Virgo fuerit libera omni obligatione veteris legis: ergo &c.

Respondemus ad I. In loco Levitici nomine seminis non venire prolem editam, quamvis concedatur in aliis locis, recte posse illam intelligi. Repugnat enim Textus hebraicus, qui ubi latina versio habet: *Mulier, si suscepto semine*; legit: Si susceptio spermate; vel, ut vertunt Septuaginta Interpretes: *Mulier, si spermatizata pepererit*. Patet ergo, quod in loco Levitici nomine seminis, non venit proles edita, sed proprie semen, seu sperma, ut dictum est.

Ad II. Quicquid sit de aliis Scripturæ locis, quæ adducuntur, in loco Levitici verba illa: *Si suscepto semine pepererit masculum*; poni a Moyse, ut rationem, propter quam mulier sit immunda. Non est autem mulier immunda per hoc præcise, quod concipiat, & pariat prolem, sed per hoc, quod prolem concipiat, & pariat ex semine immundo; unde fit clarum, quod verba illa non significant prolem susceptam, sed virile semen. Addie Serry, quod mulier vere, & proprie non dicitur suscipere prolem, sed vir; quia mulier parit viro prolem tanquam ipsius seminis fructum, non autem vir mulieri: ergo vir dicitur suscipere prolem ex muliere, non mulier ex viro. Quum ergo dicatur in Levitico: *Mulier, si suscepto semine &c.* nequeunt verba illa intelligi de suscepta prole, sed de suscepto virili semine ad prolem pariendam.

Ad III. dicitur, quod immunditia illa legalis neque in matre, neque in filio fuit, ac proinde nequit dici, quod Christus Dominus fuerit ex immunda nativitate natus. Immunditia enim legalis provenit ex sordibus puerperii, ex sanguinis fluxu, ex secundinis &c., hæ autem, ut suo loco probavimus, in B. Virginis partu non fuerunt: ergo neque fuit immunditia legalis: ergo neque verbum illud *pro peccato* de legali immunditia intelligi valet. Quæ quidem omnia confirmantur a Bernardo serm. 3. de purificat., in quo scribit: *Nihil in hoc conceptu, nihil in partu impurum fuit, nihil illicitum, nihil purgandum. Nimirum cum proles ista fons puritatis sit, & purgationem venerit facere delictorum, quid in me legalis purificet observatio, quæ purissima facta sum ipso partu immaculato?* Confirmat etiam Eusebius Emyssenus, vel quisquis alius est Author sermonis de purificat. *Quamvis purgationis dies ad B. Mariam Virginem non pertineant; expectavit tamen ipsa donec omnes purgationis dies complerentur, quos non sibi, sed aliis mulieribus lex constituerat. Non enim de ea dictum fuerat: omne sanctum non tanget, quæ ipsum Sanctum Sanctorum in gremio tenebat, in sinu fovebat, & virgineo lacte nutriebat.* Insuper & s. Eligius: *Nequaquam immunda judicatur, quæ Sancto Spiritu obumbrante totius munditiæ, & Sanctitatis Authorem genuisse probatur.* Denique confirmat S. Cyrillus Alexandrinus lib. 2. de fide ad Reginas: *Quod si is, qui Deus secundum natu-*

naturam est, utpote unigenitus Dei filius, servili forma indutus, sacraque Virginis primogenitus appellari non dedignatus, semetipsum redemptionem pro omnibus tradidit: clare patet in quantam impietatem prolabantur Arriani, qui Deiparam Mariam iis Sacrificiis, quæ pro puerperii ex lege offerri mos erat, opus habuisse asserunt.

Ad IV. Respondet Suarez, verba illa scripta fuisse ab Origene in sensu metaphorico; scilicet, ut innueret, sacrificium illud prout oblatum est a Virgine, & pro Christo, habuisse singularem excellentiam, ac fuisse peculiaris Spiritus Sancti providentia ordinatum. Cæterum, subdit Suarez, de fide certum esse, aves illas fuisse veras, quales ab aliis offerri solebant; quia hoc requirit Scripturæ veritas, atque proprietas, & Origenes in hac parte habendus est suspectus, quia facile literalem sensum relinquit, & ad metaphoricum transit.

Ad V. Bernardus tam pro matre, quam pro filio, loquitur de convenientia, non de necessitate; quia, ut ait Suarez, sicut decuit, ut filius, etiamsi impurus, ac peccator esset existimandus, legem servaret, ut humilitatem, ac obedientiam profiteretur, omnemque scandali occasionem vitaret, ita ob easdem caussas oportuit, Virginem purificari.

Ad VI. dicitur, quod illa est una ex rationibus, quas affert Jansenius ad intentum illud probandum, sed non est sola, quia alias etiam subdit rationes; nimirum, quia in B. Virgine cessavit ratio legis, quum puerperii sordibus caruerit; insuper quia genuit, & peperit Authorem sanctitatis, & munditiæ; denique, quia genuit, & peperit Deum, qui supra omnem legem erat. Verum præter has rationes, nos alteram firmiorem dedimus, quia scilicet B. Virgo legis verbis non comprehendebatur; ut in probationibus late ostendimus.

Pro ultima Dissertationis parte Graveson de vita, Myster. & Annis Christi dissert. 9. q. 4. duas inter se oppositas affert sententias, quarum unam propugnat Cardinalis Baronius in Notis ad Martyrologium Romanum ad diem Februarii 2., asserens, Purificationis festum primo celebratum fuisse sub Justiniano Imperatore anno 541., & afferens testimonium Nycephori Callixti lib. 17. histor. Ecclesiast. cap. 28. scribentis: *Imperatorem Justinianum instituisse tum primum tota terrarum orbe festo die celebrari Hypapantem, idest, occursum Domini*; & Baronium sectatur Thomassinus lib. 2. de festis cap. 11. Alteram vero sententiam tuetur Bollandus tom. 1. de Actis Sanctorum pag. 270. volens ab Apostolis purificationis Mariæ festivitatem fuisse institutam. Nos in Allegationibus nostris Canonicis tom. 2. Allegat. 1. diximus, festivitatem, de qua loquimur, fuisse primo institutam inter Græcos sub Justiniano Imperatore anno jam dicto; & caussam illius institutionis fuisse pestem, Byzantii grassantem, & B. Mariæ Virginis protectione extinctam; quod asserunt Paulus, vel ut alii dicunt, Joannes Diaconus in historia miscellan. anno 15. Justiniani, Sigebertus in Chronico anno Christi 542. *Constantinopoli mortalitate magna insurgente, statuta est solemnitas B. Mariæ, quæ græce ὑπαπάντη; idest, obviatio dicitur*: & Landulphus in Vita Justiniani: *Anno imperii Justiniani decimoquinto, mense Octobris, facta est mortalitas Byzantii, & eodem anno Hypapante Domini sumpsit initium, ut celebraretur secunda die Februarii mensis*; Et Siffridus Presbyter lib. 1. epist. 2. *Sub Pelagio Papa, & Justiniano Imperatore sumpsit initium apud Constantinopolim, ut Hypapante Domini, idest Purificatio B. Mariæ Virginis celebraretur*: inter Latinos vero fuisse institutam sub Sergio, Romano Pontifice, qui floruit anno 687., quod asserit Baronius in præfatis notis. Verum aliud est, Sergium instituisse Purificationis festivitatem, quod communiter negatur, aliud præcepisse Candelarum cæremoniam, quæ in eadem festivitate observatur; quod scribunt Baronius, & Macri in Hierolexico, verbo Hypapante; Baronius verbis hisce: *Addidit huic solemnitati Sergius Papa, ut habet Ordo Romanus, Litanias sic institutas, ut exeunte Clero cum Populo ab Ecclesia S. Hadriani, procederet cum cereis, ad talem usum benedictis, ad Basilicam S. Mariæ Majoris; nec quis putet, eundem etiam cereorum usum ab eadem Sergio esse institutum.* Macri vero his aliis: *Processio vero, quæ cum candelis fit in hac die, a Sergio Papa fuerat instituta, ut ex Ord. Rom. constat; sed quoad cæremoniam candelarum censendum est, vetustiorem fuisse.*

Dicimus III. B. Mariæ Virginis Purificationis festum antiquissimum fuisse in Ecclesia, & quidem circa Apostolorum tempora institutum, quamvis non eodem tempore in singulis Ecclesiis introductum, ob varias caussas, quæ succedentibus

tem-

temporibus in iisdem extiterunt.

I. Probatur. Ideo Baronius dicit, ante Justinianum Imperatorem non fuisse hoc festum in Ecclesia institutum, quia ante illa tempora non inveniuntur sermones, & homiliæ de eadem festivitate tractantes; sed hoc est falsum: ergo &c. Probatur minor. Bollandus ostendit, & post ipsum Graveson, Purificationis Mariæ festivitatem in Palæstina, Phænicia, Syria, atque Asia reliqua, primis Ecclesiæ seculis viguisse, & Sanctos Patres plures, præsertim Methodium, Nyssenum, Amphilochium, Cyrillum Alexandrinum, Cyrillum Jerosolymitanum, Sophronium, & Chrysostomum in eadem festivitate sermones, & homilias ad Populum habuisse: ergo &c.

II. Probatur. Nicephorus citato loco dicit, quod *Justinianus instituit Purificationis festum, sicut Imprator Justinus de Sancta Christi nativitate fecerat*; sed Imperator Justinus non primo introduxit Christi Domini Nativitatis festum, at potius illud ampliavit, & in toto Orbe celebrandum solemniter præcepit: ergo hoc idem asserendum est de Justiniano, quod scilicet Purificationis festum celebrari præceperit Constantinopoli, ubi antea non celebrabatur; vel potius, ut celebraretur toto terrarum Orbe, quod antecedenter forsitan non ubique fiebat. Et hæc sunt verba Nicephori Callixti, cit. loco dicentis: *Imperatorem Justinianum instituisse tum primum toto terrarum Orbe, Festo die celebrari Hypapantem, idest occursum Domini*.

Objiciunt I. S. Ildephonsus, Episcopus Toletanus, serm. 1. de Purificat. Virginis, hæc scribit: *Agitur autem hac festivitas mense Februario, quam Romani adhuc Pagani a Februo, idest, Plutone, sic votaverunt; quem potentissimum purgationis credebant; februare enim purgare dicimus. Quo mense lustrabatur Civitas. Cum enim Romani omnes Gentes sibi subjugassent, tributum eis impositum fuerunt eo tenore, ut quinto quoque anno idem tributum solveretur, quo expleta, & censu persoluto, ab omni populo, ut dictum est, Civitas lustrabatur, & Diis manibus sacrificia offerebant, quorum auxilio, & virtute totum Orbem se subjugasse putabant. Quam lustrandi occasionem tongrue, & religiose Christiana mutavit Religio, tum eodem mense, hoc est, hodierna die, in honorem S. Dei Genitricis, & perpetua Virginis Mariæ, non solum Clerus, sed & omnis plebs Ecclesiarum loca cũ cereis, & diversis hymnis lustrantibus circumeunt; non jam in memoriam terreni Imperii quinquennem, sed ob recordationem cœlestis Regni perennem*: ergo eodem tempore instituta est pariter Purificationis festivitas. II. Gelasius, Romanus Pontifex, qui præcessit Justinianum annis 30., mutavit Lupercalia, quæ secundum Varronem lib. 5. de lingua latina agebantur mense Februario, in solemnitatem Purificationis, quam deinde Justinianus Constantinopoli præcepit: ergo non ad tempora Apostolorum, sed ad Pontificatum Gelasii nostræ solemnitatis institutio solummodo est extendenda. III. Siffridus Presbyter lib. 1. epist. 2. aperte asserit: *Sub Pelagio Papa, & Justiniano Imperatore sumpsit initium apud Constantinopolim, ut Hypapante Domini, idest Purificatio B. Mariæ Virginis, celebraretur*. IV. Cedrenus in Compendio ad annum nonum Justini Imperatoris Senioris, testatur, sub eodem Justino Seniore Purificationis festum Constantinopoli habuisse exordium: ergo nec temporibus Apostolorum, nec Justiniani Imperatoris, qui Justino Seniori successit.

Respondemus ad I., Sanctum Ildephonsum non fuisse loquutum de Purificationis festo, sed de cæremonia illa lustrationis, quæ multo tempore post institutionem Solemnitatis introducta est in Ecclesia, ut fere omnes rerum Ecclesiasticarum periti fatentur. Igitur quando nos asserimus festi Purificationis antiquitatem, & illam ex temporibus Apostolorum deducimus, non loquimur de ritibus, qui postmodum tractu temporis fuerunt ab Ecclesia eidem Solemnitati adjuncti; quales fuerunt Candelarum accensio, Processio, Lustratio &c., sed loquimur dumtaxat de Solemni Purificationis Mariæ Virginis memoria, & hanc dicimus, ab Apostolorum temporibus fuisse quotannis in Ecclesia die 2. Februarii celebratam.

Ad II. Diximus in Allegatione nostra citata, non esse certum, quod Gelasius Pontifex Lupercalia sustulerit, quanvis non parum conatus fuerit ea de medio tollere; & dato quod hoc obtinuerit, neque tamen constat, quod in illorum festorum Gentilium locum ritus, & cæremonias, de quibus loquimur, in Purificationis festo introduxerit. Unde ex Gelasii facto nullum potest deduci efficax argumentum, quo Adversariorum intentum probetur. Et hoc vel ex eo maxime, quia ex rationibus, quas affert Baronius, ad hoc probandum, nihil certi evinci potest, quo constet,

Gela-

Gelasium, & Lupercalia sustulisse, & in Purificationis festo ritus, & Cæremonias, quæ modo in usu sunt, in Ecclesiam introduxisse.

Ad III. Siffridus non asserit absolute, quod Purificationis festum sumpserit initium sub Justiniano Imperatore; sed quod sumpserit initium apud Constantinopolim; Unde Justinianus dicendus est Author illius festi in Civitate Imperiali tantum, non vero in aliis Imperii Provinciis, in quarum Ecclesiis jam ab Apostolorum temporibus festivitas erat introducta, & instituta.

Ad IV. Cedrenus aut fallitur, aut vult nos fallere, ut in Allegatione nostra notavimus, & nobiscum Scriptores omnes consentiunt. Cæterum de lustrandi consuetudine, quæ absque dubio consequuta est Purificationis solemnitatem, hæc habet Beda de ratione temporum cap. 10. *Sed hanc lustrandi consuetudinem bene mutavit Christiana Religio, cum in mense eodem, die S. Mariæ, plebs universa cum Sacerdotibus, & Ministris, hymnis modulatæ vocis per Ecclesias, perque congrua Urbis loco procedit, datosque a Pontifice cuncti cereos in manibus gestant ardentes; & augescente bona consuetudine, id ipsum in cæteris quoque ejusdem B. Matris, & perpetuæ Virginis, festivitatibus, agere didicit.*

DISSERTATIO CCXXV.

De Virgine in Templo purificata. Quis fuerit Simeon ille, qui Christum in suas ulnas excepit? An fuerit Sacerdos, vel laicus? An fuerit Propheta, & cæcus? Et an Virgo Deipara post purgationem peractam in Templo oraverit in loco, qui fuerat Virginibus adorandum, destinatus?

PRIMO Calvinus voluit Simeonem, de quo loquimur, fuisse plebejum, & obscuræ famæ hominem; ut refert Cornelius a Lapide ad caput 2. Lucæ verbis hisce: *Calvinus vult Simeonem fuisse plebejum, & obscuræ famæ. Verum eum sanctitate, & senio fuisse venerabilem, docent sequentia apud Lucam.*

Secundo, Galatinus lib. de arcanis fidei cap. 3. censuit, hunc Simeonem fuisse filium, & discipulum Hillellis, qui paulo ante nativitatem Christi fuit author Scribarum, & Pharisæorum; & adducit testimonium S. Hieronymi in cap. 8. Isaiæ. Verba Galatini sunt: *Simeon Hillellis filius, quem ob ejus præcipuam sanctitatem Talmudistæ Saddic, idest justum cognominant. In quo (ut in Pirke avoth, idest in capitulis Patrum dicitur) Academia magna Synagogæ sceptrum defecit: multo de Messia dixit; & tandem cum in ultima senectute a Spiritu Sancto responsum accepisset, non visurum se mortem, nisi Messiam videret, Christum ipsum ulnis suscipiens, quæ de eo a Spiritu Sancto edoctus docuerat, ipsa præsente confirmavit; cujus egregia dicta Talmudicis libris sparsim reperiuntur.* Eadem habet Genebrardus lib. 2. Chronologiæ, addens ad prædicta: *In Simeone Spiritum Synagogæ magnæ, qui erat prophetico minor, communi major, defecisse, auctores sunt Talmudici in tractatu Pirke avoth. R. Moses Ægyptius non tantum discipulum, sed & Hillellis filium fuisse, scribit, Gamalielisque, ad cujus pedes legem Paulus didicit, Præceptorem, imo vero & Patrem.* Addit quoque ad hæc Cornelius a Lapide citato loco: „ Multi „ fuere Simeones, sive Simones (utrumque „ enim idem est nomen) justi, uti fuit Simon „ Pontifex, filius Oniæ cognomento Justus, „ quem fuse laudat Eccles. c. 50. v. 1. Adde, „ Hillellis posteros & discipulos, puta Scribas, & Pharisæos fuisse summe contrarios „ Christo „.

Tertio, Plures asserunt, Simeonem fuisse Sacerdotem, & uti talem Mariæ, & Joseph benedixisse; & hi quidem sunt Lyranus, Dionysius Carthusianus, Cardina-

lis Cajetanus, Franciscus Lucas, Cardinalis Toletus, aliique apud Cornelium a Lapide; quibus alii addunt Athanasium, Cyrillum Jerosolymitanum, Epiphanium; sed de his videbitur infra; adnumeratur nihilominus re vera Canisius lib. 4. de Deipara cap. 10. Et hi profecto sunt Scriptores, quos Serry nomine Vulgus appellat, in Exercitat. 37. scribens; „ Sacerdotem de more vulgus existimat, Pictoribus pro more suo errorem foventibus, qui Simeonem Pontificali indutum veste, habituque penicillo adumbrant. Temere prorsus, & imprudenter „.

Quarto, Alii volunt, Simeonem non fuisse Sacerdotem, sed merum laicum; & hujus sententiæ sunt Theophylactus, Euthymius, Jansenius, Barradius, Tillemontius, aliique non pauci, dicentes, Simeonem benedixisse Mariæ, & Josepho, non ut Sacerdotem, sed ut senem; ut legitur apud Cornelium a Lapide; vel, ut ait Serry, benedictionem Simeonis non fuisse Sacerdotalem, sed laicalem; qua scilicet Seniores, Patresfamilias, Reges, Judices, Duces, aliique viri, in dignitate constituti, quanvis laici, in veteri Testamento in usu habebant aliis benedicere.

Dicimus I., Simeonem, de quo loquimur, non fuisse Sacerdotem, sed laicum.

I. Probatur. S. Lucas in suo Evangelio Simeonis hujusce laudes, & prærogativas recenset plures, nihil tamen de Sacerdotio profert: ergo re vera Simeon non fuit Sacerdos, sed laicus. Antecedens probatur. Lucæ 2. legitur de Simeone num. 25. *Et ecce homo erat in Jerusalem, cui nomen Simeon, & homo iste justus, & timoratus, expectans consolationem Israel, & Spiritus Sanctus erat in eo*; sed in his verbis, quæ laudes, & prærogativas Simeonis continent, nihil de Simeonis sacerdotio invenitur: ergo Lucas de Sacerdotio Simeonis nihil asserit; quanvis pro aliis, qui vere Sacerdotes erant, hoc manifestare Lucas non omiserit, sed potius primo loco posuerit, ac apertis verbis expresserit.

II. Probatur. Ecclesia Simeonis sacerdotium non exprimit, quanvis de eo expresse in locis variis loquatur: ergo signum est, quod Simeon Sacerdos non fuit sed laicus. Probatur antecedens. Octava die Octobris Ecclesia celebrat Simeonis festum, & neque in Martyrologio, quod legitur ad publicas preces, neque in ipsis precibus invenitur aliquid, quod Simeonis Sacerdotium designet: ergo Ecclesia non exprimit Simeonis Sacerdotium, quanvis de eo expresse in locis variis loquatur. Probatur antecedens. In Martyrologio ad diem octavam Octobris hæc leguntur verba: *Eodem die natalis B. Simeonis Senis, qui in Evangelio Dominum Jesum suis in ulnis suscepisse legitur*; in sacro autem precum Officio ad præfatam diem nihil de Simeone legitur.

III. Probatur. Patres Ecclesiæ quanvis non uno ex titulo Simeonem commendent, nullus tamen ex illis ex Sacerdotio laudat; quod non effecissent, si Simeon vere fuisset Sacerdos: ergo pariter ex silentio Patrum evincitur aperte, Simeonem non fuisse Sacerdotem, sed laicum. Si qui Patres de Simeonis sacerdotio loquentes, ab Adversariis obtrunduntur, in objectionibus adducentur, & in responsionibus ad illas explicabuntur.

IV. Probatur. Theophylactus enarratione in cap. 2. Lucæ hæc scribit: *Non erat Simeon Sacerdos, sed homo Deum amans, & expectans, quando veniat Christus consolaturus Hebræos*. Euthymius in quatuor Evangel. cap. 3. hæc de Simeone habet: *Spiritus Sanctus erat super eum: Spiritus Sanctus prophetiæ. Non erat autem Sacerdos, ut mihi interim videtur; alias enim & hoc omnino manifestasset Evangelista, tanquam magnam viri dignitatem*. Si sunt quidem mediæ ætatis Scriptores, qui in suis in Evangelium commentariis de Simeone tractarunt, & Sacerdotis dignitatem siluerunt, immo potius negaverunt, & eum omnino laicum fuisse, asseruerunt: illos autem ex Recentioribus sequuti sunt Cornelius Jansenius, Episcopus Gandavensis, Barradius, Tillemontius, aliique plures, quibus adjungi debet Leo Allatius in Diatriba de Simeonibus.

V. Probatur. Simeon excepit Jesum in ulnas suas extra templum, vel saltem ad fores templi, quando, scilicet, Maria & Joseph eum in templum inferebant, ut illum in templo Deo sisterent, ac proinde fortuito occursu, quæ ratio fuit, quare hæc solemnitas in Ecclesia primo diceretur a Græcis υπαπαντοι, scilicet occursus; sed Sacerdotes in templo manentes, stabant in interiori templi parte juxta Domini tabernaculum, & ibi excipiebant pueros e manibus Parentum, & Deo pro munere, & officio suo sistebant: ergo Simeon in actione illa Sacerdotis munere non est functus: ergo Sacerdos non erat. Major est certa; quia Ecclesiæ Græcæ Patres sermones plures, & homilias scripserunt, quos in occursu Domini appellarunt;

larunt; & de Simeone Lucas cap. 2. hæc aperte tradit: *Et venit in Spiritu in Templum, & cum inducerent puerum Jesum Parentes ejus, & ipse accepit eum in ulnas suas, & benedixit Deum.*

VI. Probatur. Sacerdotes debebant puerum offerre Deo; sed Simeon non obtulit Christum Deo: ergo Simeon non est functus Sacerdotis officio. Probatur minor. Simeon postquam Christum in ulnas suas excepit, benedixit quidem Deum, sed non Christum, nec Christum Deo obtulit, prout legitur in Evangelio: *Et ipse accepit eum in ulnas suas, & benedixit Deum.* Hoc autem absque dubio effecisset, si Christum accepisset ut Sacerdos, & ut legalis sanctificationis minister: ergo semper stat, quod Simeon in actione illa sacerdotali ministerio non est functus.

Dicimus II. Simeonem non fuisse cæcum, fuisse tamen Prophetam.

Prima Conclusionis pars probatur I. contra illos, qui dicunt, Simeonem fuisse Sacerdotem; tum quia non poterat Simeon Sacerdotale ministerium obire, sine oculorum usu; tum etiam quia ex lege Moysis Cæci, claudi, gibbi, & qui aliquo membro carebant, aut aliquam notabilem deformitatem habebant, ab altaris ministerio arcebantur; Cur ergo Simeon, quum cæcus esset, poterat esse Sacerdos, & sacerdotale ministerium obire?

II. Probatur. Si miraculum illud in actione illa evenisset, utique expressisset Lucas in Evangelio, tum ad majorem Christi gloriam, tum etiam ad Simeonis commendationem; quemadmodum expressit Zachariæ loquelæ privationem, & loquelam ipsam eidem miraculose restitutam in Joannis Baptistæ filii sui nativitate: ergo si Lucas Simonis cæcitatem non expressit, & videndi facultatem eidem restitutam non narravit, signum est quod Simeon nec cæcus fuerat, nec visionem in actione illa receperat.

III. Probatur. Simeon peregit actionem illam, quando puerum Jesum Parentes ejus inducebant in templum: ergo nec Sacerdos, nec cæcus erat. Consequentia probatur primo de Sacerdotio, quia oblatio puerorum in templo non fiebat, nisi postquam puerorum matres in semota Templi parte adimplevissent purgationis legem, & obtulissent munera a lege præscripta; antea enim censebantur immundæ, ut legitur Levit. 12. *Omne Sanctum non tangebant, nec ingrediebantur in Sanctuarium*; Maria autem Virgo inducens puerum Jesum in Templum nondum purgationis legem impleverat, sed adhuc impletura pergebat: ergo actio illa Simeonis non fuit sacerdotalis oblatio. Consequentia etiam probatur de cæcitate; quia si re vera cæcus fuisset Simeon, utique debuisset eum aliquis per templum manuducere, quod si factum fuisset, certissime Lucas in Evangelio non tacuisset.

Secunda Conclusionis pars probatur ex Cantico illo, quod composuit Simeon in illa actione, scilicet: *Nunc dimittis servum tuum Domine secundum verbum tuum in pace &c.*, & ex verbis aliis, quæ dixit Mariæ, nimirum: *Ecce positus est hic in ruinam, & in resurrectionem multorum in Israel; & in signum, cui contradicetur. Et tuam ipsius animam pertransibit gladius, ut revelentur ex multis cordibus cogitationes.* Quæ quidem omnia propheriis sunt plena.

Objiciunt I. S. Athanasius in lib. de naturali communione essentiæ divinæ; S. Epiphanius in lib. de Vitis Prophetarum; S. Cyrillus in homil. de occursu Domini, manifeste celebrant Simeonem propter Sacerdotii dignitatem: ergo Simeon vere fuit Sacerdos. II. Augustinus serm., qui est 13. de tempore, & 9. de nativit., hæc de Simeone scribit: *In templo præsentabatur, & a Simeone Sene, annoso, probato, coronato agnoscebatur*; Ubi verbum illud *coronato* explicant quidam per coronam sacerdotalem, adeoque inferunt ex Augustino, Simeonem fuisse vere sacerdotali dignitate ornatum. III. Proprium Sacerdotum erat benedicere; sed Simeon dicitur in Evangelio Lucæ, quod benedixerit Christi Parentibus: ergo Simeon fuit Sacerdos. IV. Per verba illa Lucæ 2. *Et Spiritus Sanctus erat in eo*, inferunt quidam, Simeonem fuisse Sacerdotem; non aliter enim Spiritus Sanctus in eo esse poterat, quam per sacerdotium.

Respondemus ad I. librum de naturali communione essentiæ divinæ esse Athanasio injuste affictum; nec enim illum memorant, qui de Scriptoribus Ecclesiasticis scribunt, nec ipsemet titulus est Athanasio dignus. Quis enim Theologiæ doctrina, vel mediocriter tinctus, asserere audeat in essentia divina communionem, quum in ea sit summa, & indivisibilis identitas? Communio namque pluralitatem importat, identitas vero unitatem Et quum hujuscemodi loquendi formula

sit quolibet Theologo viro indigna, indignissima profecto est Athanasio, qui acerrime contra Arium pro essentiæ divinæ identitate decertavit, ut omnes sciunt. Epiphanius Vitas Prophetarum non scripsit, sed tantum dicitur S. Hilarionis vitam scripsisse, at eam modo non extare, Cardinalis Bellarminus testatur. Denique homil. illa de occursu Domini est S. Cyrillo supposita, ut Critici omnes conveniunt.

Ad II. Augustinus per verba illa *respexit* ad caput 1. Epist. catholicæ S. Jacobi, in qua legitur: *Beatus vir, qui suffert tentationem, quoniam, cum probatus fuerit, accipiet coronam vitæ*: unde dictus est ab Augustino probatus, & coronatus, non quidem temporali, seu sacerdotali, seu regia corona, sed corona æternæ vitæ, quam Deus diligentibus se repromisit.

Ad III. In veteri Testamento, ultra Sacerdotes, alii etiam homines benedicere solebant, quamvis laici essent, scilicet Seniores, Patres Familias, Reges, Judices, Duces, & alii, qui dignitate præstantes essent. Cæterum, ut diximus, Simeon non benedixit Parentes Jesu, sed benedixit Deum, ut legitur Lucæ 2. *Et ipse accepit eum in ulnas suas, & benedixit Deum*. Verum est, quod postmodum dicit Lucas: *Et benedixit illis Simeon*; attamen verbum *benedixit* explicat Cornelius a Lapide; *& bene precatus est*; deinde subdens: „ Eis scilicet parentibus, Josepho, & Mariæ, uti præcessit, non puero Christo (licet & hoc velit Jansenius) inquit Maldonatus, Fran. Lucas, & alii: puerum enim utpote Messiam, Salvatorem, & Deum suum, venerabatur, & adorabat, ac ab eo benedici optabat, non vero eum benedicere audebat, vel præsumebat, quia summe, ut par erat, eum reverebatur „.

Ad IV. Verba illa: *Et Spiritus Sanctus erat in eo*; vel indicant Spiritum Prophetiæ, quo ornatus a Deo fuerat Simeon; vel Spiritum Sanctitatis, quo anima ejus prædita Deo maxime placebat. Cæterum Sacerdotium in veteri lege per originem, & per nativitatem, contrahebatur, ut omnes norunt, non vero per Spiritus Sancti infusionem, quemadmodum fit in Sacerdotibus novæ Legis, qui characterem sacerdotalem accipiunt, & gratiæ sanctificantis augmentum acquirunt.

Dicimus III. Virginem Deiparam non orasse in templo in loco separato ab illo, in quo mulieres, virum passæ, orabant, ac proinde nec in loco, qui fuerat Virginibus ad orandum destinatus.

I. Probatur. Qui hanc fabulam tuentur, subdunt, quod, quum Judæi de hoc scandalum paterentur, tentarunt Virginem de loco illo expellere, & quum Zacharias, Joannis pater, Sacerdotis vices impleret, eam jussit in loco manere, atque precari; sciebat enim, illam esse Dei Matrem, & Virginem; Ex quo facto Zachariæ indignati Judæi, eum occiderunt inter templum, & altare; quod respexit Dominus Jesus, quando dixit Matthæi 23. *Veniet super vos omnis sanguis justus, qui effusus est super terram a sanguine Abel justi, usque ad sanguinem Zachariæ filii Barachiæ, quem occidistis inter templum, & altare*: sed in superioribus probavimus, hoc esse falsum; quia non de Zacharia, qui fuit Joannis pater, verba illa sunt intelligenda, sed de alio: ergo verba illa Evangelii nullam dare possunt huic fabulæ credulitatem.

II. Probatur ex Hieronymo in cap. 24. Matth., ubi ait, fabulam hanc *ex Apocryphorum somniis fuisse derivatam, eanque eadem facilitate contemni, qua profertur*: ergo ex Hieronymo inter apocrypha recensenda est hæc Zachariæ mortis narratio: ergo pariter apocrypha censenda est narratio, de qua loquimur, utpote innixa Zachariæ mortis apocryphæ narrationi.

III. Probatur ex Origene tract. 26. in Matth. ubi narrationem hanc referens, eam popularis traditionis nomine appellat, dicens: *Venit ad nos quædam traditio talis &c.* & post eam recitatam subdit: *Sunt tamen, qui hujusmodi traditioni non credunt*: ergo traditio hæc ex Origene popularis est, & quæ fidem non meretur.

IV. Probatur. Maria Virgo ideo purgationis officium exequi voluit, ad quod ex legis præscripto non tenebatur, & ut exemplum humilitatis, & obedientiæ præberet, & ut divini partus mysterium occultaret; sed finem hunc utrunque destruxisset, si occupando Virginum stationem, se ipsam voluisset Virginem ostendere, & facto suo Judæis scandalum ingeneraret: ergo, quum hæc de Virgine Sanctissima credere non debeamus, nec etiam asserere debemus, ipsam in templo Virginum locum occupasse.

V. Probatur. Si Judæi Zachariam, Joannis Baptistæ patrem occidissent, eo quod Mariæ Virginitatem probaret, atque tueretur, jam Judæis virgineæ fœcunditatis mysterium patuisset, adeoque divinam

nam incarnationem jam agnovissent; sed hoc dici non potest, quia Deus non volebat, illa statim, & tempore illo a Judæis agnosci: ergo falsum est, & utcumque in illius fabulæ narratione consarcinatur.

Arguunt I. S. Gregorius Nyssenus orat. de Christi nati vit., & S. Basilius homil. de humana Christi generatione, narrationem hanc concordi approbatione referunt: ergo signum est, eam, & communi traditione, & Patrum suffragio roborari. II. Cyrillus Alexandrinus tract. adversus Antropomorphitas hanc eandem traditionem refert, atque confirmat, & magna Græcorum Menæa ad diem quintam Septembris eandem non desinunt celebrare: ergo non est tanquam fabula respuenda, sed potius credenda utpote Græcæ Ecclesiæ consentione admissa, & Græcorum Patrum communi voto probata. III. Maria Deipara vere Virgo erat, ac proinde non debebat connumerari inter mulieres, quæ Virgines non essent: ergo rite factum est, ut ipsa oraret in templo in loco, qui fuerat Virginibus ad orandum destinatus; sed quod rite fit non est ad fabulam revocandum: ergo narratio, de qua loquimur, non est ut fabula rejicienda. IV. Zacharias probe noverat divinæ fœcunditatis mysterium: ergo pati nullo modo debebat, ut Virgo, quæ illæsa Virginitate divinitus conceperat inter fœminas, quæ erant virum passæ, locum haberet.

Respondemus ad I. Patres citati fabulam, quam rejicimus, sua authoritate non firmant, sed eam referunt tanquam in ore vulgi positam, adeoque declarant, se nec illi dare fidem, nec ab aliis velle, ut eidem fides detur. Certe narratio hæc primum ad Origene sub popularis traditionis nomine scripta fuit; non est igitur credendum, ut Patres illi, qui Origenem sequuti sunt, firmiori modo eam crediderint, quo Origenes credidit; atqui nuper ostendimus, Origenem dixisse, illam fuisse popularem traditionem, adeoque illi multos non credidisse: ergo pariter subsequentes Patres ut popularem traditionem habuerunt, adeoque illi nec omnino crediderunt, nec alios credere voluerunt.

Ad II. dicit Serry verba illa non esse vere Cyrilli Alexandrini, sed potius audacioris Plagiarii, qui Gregorii Nysseni orationem exscripsit. Græcorum autem Menæa, quum multa inania, ac futilia contineant, non tantæ sunt authoritatis, ut quibuscunque in ipsis continentur, fidem accommodemus. Certe multa alia in Menæis iisdem inveniuntur, quæ fuerunt a Græculis sine delectu, & absque veri specie, consuta, & consarcinata, ac proinde iisdem fides omnino ab omnibus denegatur.

Ad III. Quanvis Deipara vere Virgo esset, quia tamen in actione illa se matrem ostendebat, & nondum volebat Deus, ut eam Virginem matrem comprobaret; hinc credere non debemus, ut eam in loco Virginum collocari voluisset; quia aliter jam patefactum omnibus fuisset, quod ipsemet Deus occultare volebat, & nondum omnibus manifestare, & sic igitur fabula, quam rejicimus, contraria fuisset intentioni Dei, contra quam nullum factum, aut potest, aut debet admittere, qui omnino expers non sit rationis.

Ad IV. Certe Simeon sciebat divinæ, ac virgineæ fœcunditatis mysterium nondum fuisse mortalibus reseratum; & quanvis ipse sciret per peculiarem revelationem, sciebat tamen, nondum advenisse tempus, ut Judæis revelaretur; & hoc potissimum in actione illa purificationis Mariæ, per quam mysterium ipsum Judæis abscondebatur. Qua igitur ratione fieri poterat, ut eodem tempore, & per eandem actionem, mysterium virgineæ fœcunditatis Judæis simul & occultaretur, & manifestaretur?

Quæritur hic, quare Christi Parentes obtulerint duos pullos columbarum, pauperum more, quum potuerint commode offerre agnum anniculum more divitum?

Difficultas augetur, quia supponunt plures, Christi Parentes ex Magorum muneribus divitiis fuisse auctos, adeoque potuisse more divitum oblationem in templo facere. At nihilominus dicimus cum Serry, non fuisse in Parentum arbitrio positum offerre quod mallent pro nata prole donum, & pauperum affectare conditionem, si tales non essent. Ex lege enim præscripta erant sua quibusque dona pro statu, & conditione sua; unde illi tantum debebant duos pullos columbarum offerre, qui pro censu sui tenuitate offerre non poterant agnum; quod legitur Levitici 12. *Quod si non invenerit manus ejus, nec potuerit offerre agnum, sumet duos turtures, aut duos pullos columbarum.* Ex quibus patet, quod Christi Parentes sine dubio peccassent, si valentes offerre agnum, duos turtures, aut duos pullos columbarum, obtulissent; quod non est omnino dicendum.

dum. Ex altera autem parte ex Evangelio habemus, quod Christi Parentes pauperum oblatione contenti fuerunt; ait enim Lucas: *Tulerunt Jesum in Jerusalem, ut sisterent eum Domino .... & ut darent hostiam secundum quod dictum est in lege Domini, par turturum, aut duos pullos columbarum.* Ne igitur dicamus, quod dici omnino non potest, Christi Parentes se affectasse pauperes, quum divites essent, dicere debemus, illos adeo pauperes fuisse, ut agnum offerre non potuerint.

DISSERTATIO CCXXVI.

De Christi Domini Genealogia. Ex qua Tribu Christus Dominus sit ortus? Et per quem? Quomodo genealogiæ Christi, a Matthæo, & a Luca descriptæ, secum invicem concilientur? Et quo pacto ambæ Christi genealogiæ cum Veteris Testamenti historia conformentur?

NON loquimur hic de Genealogia Messiæ, sed de genealogia Christi. Illi enim, quos adversarios habemus, concedunt utique, genealogiam Messiæ ducendam esse ex tribu Juda per Davidis stirpem; at negant sic fuisse ductam Christi genealogiam; ut ex hoc postea inferant, Christum non fuisse Messiam. Nos vero contra illos omnes, qui quidem sunt, & Judæi, & Ethnici, & aliquot quoque ex veteribus Heterodoxis, æque probabimus, & Messiæ genealogiam, & Christi, ductam fuisse ex tribu Juda per Davidis stirpem; ut ex hoc postmodum concludamus, Christum verum fuisse Messiam. Adnumerandi sunt autem antecedenter, juxta methodum, quam usquemodo sequuti sumus, Adversarii, quos diximus, & nominatim recensendi.

Primo, inter Gentiles insurrexit Celsus contra Christi genus, asserens, ac propugnans, quanvis inaniter, & insulse, eum non fuisse ex regio Davidis sanguine procreatum; immo etiam temere defendens, eum non ex Judæ tribu, sed potius ex Levitica, oriundum extitisse. Contra Celsum perdocte scripsit Origenes in libris aliquot, quos contra illum evulgavit.

Secundo, fuit Porphyrius, Gentilis pariter homo, & infensissimus Christianæ Religionis hostis, qui Celsi insaniam amplectens, ac propugnans, fuit a Hieronymo invicte, ac luculenter, confutatus.

Tertio, Porphyrii errorem amplexus fuit impius Julianus Augustus, turpissimus nostræ Religionis desertor, qui pariter de suo plures cavillationes congessit, ut fortius Porphyrii delirium tueretur; & contra Julianum S.Cyrillus acerrime pugnavit.

Quarto, inter Hæreticos fuit Tatianus, nativitate Syrus, Justini Martiris, & Philosophi discipulus, qui sub Sotero, Romano Pontifice, & sub Antonino Philosopho Imperatore, floruit anno 173. Hic, ut testatur Theodoretus lib. I. fabul. hæretic., & refert Annatus „ amputavit in „ Harmonia, quam edidit in quatuor Evan„ gelia, genealogias, & alia, quæ osten„ dunt, Christum Dominum natum esse „ ex Davide secundum carnem. „ Contra ipsum idem Theodoretus scripsit.

Quinto Faustus, Manichæus, asseruit, Christi genealogiam, quam concinnavit Matthæus, non esse evangelium, nec ad evangelium pertinere; unde posse a quocunque rejici; salva evangelii veritate. Et hoc ideo effutiit, quia fateri nolebat, Christum ex regio Davidis sanguine fuisse procreatum. Contra hunc decertavit Augustinus pluribus in locis, sed præcipue contra hunc errorem lib. 2. 3. 7. & 23. contra Faustum.

Dicimus I. Messiam ex Tribu Juda, & per Davidis stirpem, fuisse nasciturum; Christum ex eadem Tribu, & per eandem stirpem, fuisse natum.

I. Con-

I. Conclusionis pars probatur I. ex Scripturis. Isaiæ 11. v. 1. *Egredietur virga de radice Jesse, & flos de radice ejus ascendet*, & v. 10. *In die illa radix Jesse, qui stat in signum populorum, ipsum gentes deprecabuntur.* David fuit Jesse filius; unde si Messias descendere debebat ex Jesse debebat pariter ex Davide originem ducere. Psal. 88. loquens Deus de Davide, dixit: *Ponam in seculum seculi semen ejus, & thronum ejus sicut dies cœli.* Et Psal. 131. *Propter David servum tuum non avertas faciem Christi tui. Juravit Dominus David veritatem, & non frustrabitur eam: De fructu ventris tui ponam super sedem tuam.* Genesis 12. dicebat pariter Dominus ad Abraham: *In te benedicentur universæ cognationes terræ.* Et c. 22. *Benedicentur in semine tuo omnes gentes.* Ad quæ verba Apostolus ad Galatas 3. subdit: *Abrahæ dictæ sunt promissiones, & semini ejus. Non dicit in seminibus, quasi in multis, sed quasi in uno, & semini tuo, qui est Christus.*

II. Probatur ex Rabinis. R. Abenesra, R. Salomo, R. Kimchi, R. Arbabenel, R. Arama; quibus non pauci Hebræi recentiores assentiuntur; præfata verba Scripturarum de Messia interpretantur: iisdenque adhæret Lippomanus in Nizzachon.

Secunda Conclusionis pars probatur I. Lucæ 3. *Et ipse Jesus erat incipiens quasi annorum triginta; ut putabatur filius Joseph, qui fuit Heli .... qui fuit Judæ. ... qui fuit Abrahæ.* Ad Romanos cap. 10. *manifestum est enim, quod ex Juda ortus sit Dominus noster.* Matth. cap. 1.: *Liber generationis Jesu Christi, filii David, filii Abraham &c.* Et quidem Matthæus scribebat Judæis, & cum Judæis conversabatur; si igitur illa vera non essent, qua fronte poterat eadem Judæis scribere, qui bene genealogias suorum Regum callebant? Et si Matthæus falsum quid scripsisset, facili negotio poterant eum mendacii accusare?

II. Probatur. Maria Virgo nata est ex progenie David: ergo pariter Christus Jesus. Consequentia sequitur; quia quum Christus Dominus natus sit ex Maria Virgine, ex eadem progenie dici debet natus Christus Dominus, ex qua nata est Maria Virgo. Antecedens probatur. Lucæ 2. legimus: *Josephum ascendisse a Galilæa de civitate Nazareth in Judæam in civitatem David, quæ vocatur Bethlehem, eo quod esset de domo, & familia David, ut profiteretur cum Maria desponsata sibi uxore prægnante.* Ex quibus verbis sic argumentamur: Maria profiteri debebat in eadem civitate, in qua profitebatur Joseph; sed non aliunde, nisi quia erat ex eadem Tribu, & progenie, cum Joseph: ergo si Joseph profitebatur in civitate Bethlehem, quia erat ex progenie David, Maria virgo, quia in eandem civitate profitebatur, ex eadem pariter Tribu, & progenie erat. Et hoc est argumentum, quo utuntur SS. Patres Ambrosius, Hieronymus, & Augustinus.

III. Probatur. Maria juncta fuit Josepho per matrimonium, quia Josepho erat conjuncta proximo agnationis gradu: ergo Maria & Joseph ex eadem Tribu, & ex eadem familia, erant; atqui Joseph erat ex regio sanguine Davidis: ergo pariter Maria: ergo etiam Christus Jesus. Minor subsumpta patet ex Evangelio; prima consequentia docetur a Patribus ex Scriptura; quia non poterant apud Hebræos matrimonio jungi, qui contribules non essent, nisi in certis quibusdam casibus, qui in Maria, & Josepho, locum non habuerunt; ut mox dicemus.

IV. Probatur. Christus Dominus sæpe dicitur in Scripturis, quod pertineat ad stirpem David, & ad Tribum Juda; sed non poterat pertinere per Josephum, quia ex ejus semine non erat natus: ergo per Mariam, in cujus utero carnem sumpsit: ergo Christus Dominus vere dicendus est ex Tribu Juda per Davidem descendisse ratione Matris ejus Mariæ. Argumentum est Augustini lib. 23. contra Faustum scribentis: *Quisquis itaque dicit: Mariam ad consanguinitatem David non pertinuisse, manifestum est, quod istarum Scripturarum tam excellenti auctoritati obluctetur; ipse ergo convincat, non eam pertinuisse ad semen David, & hoc ostendat non ex quibuscunque literis, sed ecclesiasticis, canonicis, & catholicis.*

V. Probatur. Ad Hebræos 7. *Manifestum est, quod ex Juda ortus sit Dominus noster, in qua Tribu nihil de Sacerdotibus Moïses locutus est.* Et post non multa: *Si consummatio per Sacerdotium Leviticum erat, quid adhuc necesse fuit, secundum ordinem Melchisedech alium surgere Sacerdotem, & non secundum ordinem Aaron dici?* Et ad Romanos 1. *Qui factus est ex semine David secundum carnem*; & II. ad Timoth. 2. *Memor esto, Dominum Jesum resurrexisse a mortuis ex semine David.* Quæ quidem omnes auctoritates plane probant, Christum Dominum non ex Tribu Levi, sed

ex

ex Tribu Juda, per Davidem fuisse ortum.

Opponunr I. S. Lucas texuit Christi genealogiam per Nathanem, qui fuit filius naturalis Uriæ Sacerdotis, & filius adoptivus Davidis: ergo Christi genealogia petenda est ex Tribu Levi, non vero ex Tribu Juda. Probatur consequentia. In genealogiis recensendis sequi debemus Patrea naturales, non adoptivos: ergo si in Christi genealogia reperimus Nathanem, Atavum naturalem Christi, qui fuit filius adoptivus Davidis, & filiua naturalis Uriæ Sacerdotis, qui descendebat ex Tribu Levi; debemus dicere, Christum descendisse ex Tribu Levi per Nathanem ex Uria, non vero ex Tribu Juda per Davidem. II. Christus non potest dici, quod fuerit contentua in Adamo, & quod fuerit decimatus in lumbis Abrahæ; sed hoc diceretur, si Christus fuisset ortus ex Tribu Judæ per stirpem Abrahæ, & per familiam Davidis: ergo &c. Probatur Major. Si Christus fuisset contentus in Adamo, & fuisset decimatus in lumbis Abrahæ, ejus caro fuisset originali peccato obnoxia; sed hoc dici non potest: ergo neque dici potest, quod Christus fuerit contentus in Adamo, & quod fuerit decimatus in lumbis Abrahæ. III. Si Christua pertinere debet ad illam Tribum, ad quam pertinuit Maria Virgo, opus est ut dicamus pertinuisse ad Tribum Levi, quia ad Tribum Levi pertinuit B. Virgo. Et hoc probatur; quia B. Virgo dicitur cognata Elisabeth, quæ erat de filiabua Aaron: ergo & ipsa B. Virgo erat pariter de filiabua Aaron: ergo pertinuit ad Tribum Levi. IV. Lex erat Hebræis, ut nulla mulier ex aliena Tribu potuisset nuptui tradi viro, qui fuisset ex altera Tribu; & in hac lege, quæ continebatur in Levitico, & cap. ultimo lib. Numerorum legebatur: *Omnes Viri ducent uxores de Tribu, & cognatione sua, & cunctæ feminæ de eadem Tribu maritos accipient*; in quibus legibus nulla fit stirpis Sacerdotalis exceptio. Et hoc vel ex eo majorem vim habet, quod in nostra Vulgata allata verba leguntur. V. Si Maria est de Tribu Juda, & ex stirpe Davidia, & Christua Dominus est filiua naturalia Davidis, quia est filius naturalis Mariæ: cur ergo Evangelistæ non ducunt genealogiam Christi per Mariam; sed per Josephum, qui non fuit pater naturalis Christi, & cujus proinde genua non poterat ad Christum pertinere? Si ergo Evangelistæ non duxerunt genealogiam Christi per Mariam, sed per Josephum, signum est, quod Maria non fuit oriunda ex stirpe Davidis; & sic neque Christus ad davidicam stirpem pertinere potest. VI. Jeremiæ 22. dicitur de Jechonia: *Scribe istum virum sterilem, nec enim erit de semine ejus vir, qui sedeat super solium David*; sed Isaiæ 9. dicitur de Christo, quod super solium David sedebit: ergo si Christus non fuit de semine Jechoniæ, neque fuit de stirpe Davidis; Matthæus enim seriem generationum Atavorum Christi ducit a David per Jechoniam. VII. Sacræ Scripturæ Interpretes, & sacræ Theologiæ Doctores, non explicant neque ex Scriptura, neque ex Patrum traditione, quo agnationis gradu conjuncti fuerint Maria & Joseph; sed hoc explicari debet necessario, ut videatur, eandem esse genealogiam Mariæ, & Joseph: ergo si non explicatur, argumento est, quod agnati non fuerunt; & per consequens non eadem est utriusque genealogia. VIII. Augustinus lib. 2. de consensu Evangelistarum c. 2. Hilarius in c. 1. Matth. Nazianzenus in carmine *De manus*, docent, Christum Dominum fuisse ex genere Sacerdotum: ergo fuit ex Tribu Levi.

Respondemua ad I. negando, quod Lucas texuerit genealogiam Christi per lineam sacerdotalem. Et hoc multis ex rationibus; quarum prima est, quia non est certum, quod Urias, qui fuit Bersabeæ vir, fuerit Sacerdos; ac proinde neque est certum, Nathanem, qui dicitur fuisse filius naturalis Uriæ, pertinuisse ad lineam sacerdotalem. Secunda ratio est, quia Nathan non fuit filius naturalia Uriæ, Bersabeæ viri, sed potiua Davidis Regis, quod expresse dicitur lib. 1. Paralip. cap. 3., ubi Generationes Davidis Regis his verbis enumerantur; *Porro, in Jerusalem nati sunt ei filii Simmaa, & Sobab, & Nathan, & Salomon, quatuor de Bersabea, filia Ammiel*. Tertia ratio est, quia Josephus Hebræus lib. 20. antiquit. judaic. cap. 18. scripsit seriem Pontificum, & in ipsa nec unum nominae illorum, quos Lucas a Nathane usque ad Josephum, Mariæ virum, recenset; ex quo clare inferri potest, quod nemo illorum Sacerdos fuerit. Quarta ratio est, quia si Lucaa texuisset Christi genealogiam per lineam sacerdotalem, contrarius fuisset Apostolo, qui in Epist. ad Hebræos cap. 7. aperte tradit Christum non

non fuisse ortum ex Sacerdotibus, adeoque genus suum ex tribu Levi non duxisse. Verba Apostoli sunt, quæ etiam nuper retulimus: *Si ergo consummatio per sacerdotium Leviticum erat..... quid adhuc necessarium fuit secundum ordinem Melchisedech alium surgere Sacerdotem, & non secundum Aaron dici?...... Manifestum est enim, quod ex Juda ortus sit Dominus noster, in qua Tribu nihil de Sacerdotibus Moyses locutus est*. Hæ sunt rationes, quas affert Graveson, ad probandum quod intendimus, qui proinde concludit: „ Quanvis ergo nonnulli Sancti „ Patres, & antiqui Scriptores, existimaverint, Lucam Christi Domini texuisse „ genealogiam per lineam sacerdotalem, „ nihilosecius nobis religio esse non debet, „ ab eorum desciscere sententia; nam, ut „ optime ait Vincentius Lirinensis cap. „ 39. sui Commonitorii: *Antiqua Sanctorum Patrum consensio, non in omnibus divinæ Legis quæstionibus, sed solum in certa præcipue fidei regula, magno nobis studio, & investiganda, & sequenda est*. Sed de „ authoritate SS. Patrum plura legesis apud „ nostrum Melchiorem Canum lib. 7. de „ locis theologicis. „ Alias autem affert rationes Serry, quæ sunt, nimirum, quod Urias non fuerit de tribu Levi, sed potius de Tribu Juda; quia Urias multis in locis librorum Regum vocatur patria Hethæus, & hæc regio in partitione terræ promissæ cesserat in sortem Tribu Juda; adeoque Urias erat de Tribu Juda. Insuper, quod præfati Patres dixerunt, Christum ortum non solo genere sacerdotali, sed utroque simul, Regum scilicet, & Sacerdotum; regium autem genus in Judæ tribu erat. Unde etsi afferant, Christum ortum e tribu Levi ob matrimonia, inita inter tribum Juda, & tribum Levi, eundem tamen Christum multo proprius, e tribu Juda prognatum prædicant. Denique concludit pro tertia ratione verbis hisce: „ Quocirca notatum hic maxime velim, Nathanem „ Davidis filium, per quem Lucas stemma „ Christi Genealogicum deduxit, alium „ longe esse a Nathane Propheta, qui Davidem de adulterio reprehendit. Prior „ enim natus est in Jerusalem, alter in „ Gabbath Galilææ; junior ille; senior „ iste; ille de tribu Juda, utpote filius Davidis; iste incerta tribu, quem tamen „ Levitem fecere nonnulli: quo duplici „ errore decepti, Christum ex Nathane „ secundum Lucam procreatum e Levitica Tribu commenti sunt. Apostolo, ut „ sæpe monuimus, repugnante. Ita plane „ statuit Augustinus lib. 1. Retr. cap. 26. „ contra quod antea docuerat lib. 83. „ quæst. 61. „

Ad II. Substantia corporis Christi, scilicet materia, quam Christus ex Maria Virgine sumpsit, fuit in Adamo, sicut in principio activo, non autem sicut in principio materiali; quia materia illa fuit formata in Corpus Christi, non per virtutem seminis ab Adamo profectam, sed per solam operationem Spiritus Sancti: & ideo Christus fuit in Adamo secundum substantiam corporalem, non vero secundum rationem seminalem, & sic non infertur quod Adversarius intendit. Ulterius, Christus non fuit decimatus in lumbis Abrahæ, quia per decimationem intelligitur ab Apostolo ad Hebræos 7. actio illa, qua Abraham Sacerdoti Melchisedecho decimas obtulit, illa eadem actione significans, & declarans, Melchisedechum esse superiorem suum, se vero esse imperfectum, & inferiorem; quod legitur Genesis 14. Ex quo infert Apostolus, quod Sacerdotium Melchisedechi, prout gerit figuram Christi, est majus Sacerdotio Levi, qui erat in lumbis Abrahæ, & fuit simul cum eo decimatus, quatenus fuit per Isaac, & Jacob, ab eo propagatus. Igitur si Christus fuisset in lumbis Abrahæ decimatus, fuisset subditus, & inferior Melchisedecho, quod est contrarium Scripturæ; quum dicatur psalm. 109. *Tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech*. Hæc omnia optime explicantur ab Augustino lib. 10. de Genesi ad literam cap. 20. *Nec Levi, nec Christus in lumbis Abrahæ, secundum animam; secundum vero carnem, & Levi, & Christus, sed Levi secundum concupiscentiam carnalem, Christus autem secundum solam substantiam corporalem; cum enim sit in semine, & visibilis corpulentia, & invisibilis ratio, utrumque concurrit ex Abraham, vel etiam ex ipso Adam usque ad corpus Mariæ, quia & ipsum eodem modo conceptum, & exortum est. Christus autem visibilem carnis substantiam de carne Virginis sumpsit; ratio vero conceptionis ejus non a semine virili, sed longe aliter, & desuper venit. Ille igitur est decimatus in Abraham, qui sic est natus.... per legem scilicet repugnantem legi mentis, & invisibilem concupiscentiam, &c. Non autem & ille ibi decimatus est, cujus caro inde non fervorem vulneris, sed materiam medicaminis traxit;*

nam cum ipsa decimatio ad præfigurandam medicinam pertinuerit, illud in Abrahæ carne decimabatur, quod curabatur, non illud unde curabatur.

Ad III. Alibi diximus, illos, qui erant de Tribu Levi potuisse contrahere conjugia cum illis, qui essent de Tribu Juda; & hoc propter peculiare privilegium Tribus Sacerdotalis, quo cum Tribu regia intimius, quam cum aliis Tribubus, copulabatur. Hic autem dicimus, quod Sacerdotes, qui Deum pro portione habebant, non tenebantur lege illa, qua cæteri Judæi debebant intra suam Tribum, & familiam, nubere, ne hæreditates, quas possidebant, permiscerentur; & hæc lex legitur capite ultimo libri Numerorum; unde cuilibet Sacerdoti licitum erat ex quacunque Tribu sibi sumere uxorem. Ex quibus infert Angelicus 3. par. qu. 31. art. 2. ad 2., quod vel pater Elisabeth, qui erat de Tribu sacerdotali, potuit ducere uxorem de stirpe David, & ratione hujus matrimonii Maria Virgo, quæ erat de Stirpe David, habebat cum Elisabeth cognationem: vel potuit, aut pater, aut aliquis majorum B. Mariæ ducere uxorem de stirpe Aaron, seu de Tribu Levi, & ratione hujus matrimonii B. Virgo cum Elisabetha cognationem habebat. Pro lege vero, quæ, ut diximus, legitur cap. ultimo libri Numerorum, S. Thomas 1. 2. qu. 105. art. 2. ad 2. docet, quod lex illa, quæ jubet Virgines nubere intra eandem Tribum, ad solas illas spectat Virgines, quæ erant hæredes ex asse, quum in familia ipsarum proles masculina non esset; & non ad illas Virgines, quæ nullam habebant hæreditatem. Et hanc interpretationem apud Graveson sequuntur Paulus a S. Maria, Episcopus Burgensis ad cap. 36. lib. Numer., Cajetanus in Comment., Andreas Masius Commentarii in Josue cap. 17., Mariana in scholiis, Bonfrerius, & alii. Subdit idem Graveson, quod Virgines, quæ hæredes erant, si hæreditatem renunciabant, & avita jura repudiabant, poterant cum aliis Tribubus matrimonialia jura contrahere; quia tunc evitabatur inconveniens, quod per legem illam caveri curatum est; scilicet, ne hæreditas familiæ unius Tribus ad familiam alterius Tribus pertransiret. Hinc legimus in Scripturis Sanctis, & præcipue in libro Judicum cap. 21. Beniaminitis cæterarum Tribuum homines filias suas nuptum dedisse: & lib. 1. Regum cap. 18. Davidem Beniamitidem uxorem duxisse: & lib. 2. Paralipomenon cap. 22. Jojadam Pontificem filiæ Joram, quæ erat de Tribu Juda nupsisse. Denique additur his, quod Gentes de Tribu Levi capaces non erant, nec acquirendi, nec possidendi hæreditatem; adeoque Virgines illarum poterant viris extra Tribum suam nubere. Et hinc est, quod potuit B. Virgo Maria esse cognata Elisabeth, quia aliquis ex majoribus Mariæ Virginis, quanvis esset de stirpe David, alicui Leviticæ Virgini nupsit. Et hoc vult S. Thomas post Nazianzenum in carmine de Genealogia Christi, divino consilio contigisse, ut scilicet Christus Dominus, qui Sacerdos est simul, & Rex, ab utroque genere, sacerdotali nimirum, & regio, secundum carnem nasceretur.

Ad IV. Dicimus cum Graveson, quod Editio vulgata hoc solum vult dicere, quod omnes viri, qui non erant de genere sacerdotali, debebant uxores de Tribu, & cognatione sua ducere; & quod omnes filiæ, quæ possidebant hæreditatem, non alios maritos ducere poterant, quam illos, qui essent de Tribu sua. Unde fit, quod Editio Vulgata circa legem Connubiorum, quæ refertur in libro Numerorum capite ultimo, optime conveniat, & cum Textu hebræo, & cum antiquis Sacræ Scripturæ versionibus, quæ legem illam limitant ad filias, quæ ratione defuncti fratris, paternam hæreditatem possidebant. Textus hebraicus sic habet: *Omnis ideo filia possidens hæreditatem de Tribubus filiorum Israel, alicui de familia Tribus patris sui erit in uxorem, ut hæreditatem filii Israel singuli possessionem patrum suorum.* Targum Onkelosi: *Et omnis filia hæres possessionis de Tribu filiorum Israel, uni de familia Tribus patris sui sit in uxorem, ut hæreditent filii Israel singuli possessionem patrum suorum.* Syriaca versio: *Et quæcunque filia possederit hæreditatem ex Tribu filiorum Israel, alicui ex Tribu domus patris sui nubat; ut possideat quisque filiorum Israel hæreditatem patris sui.* Post quæ idem Scriptor subdit, quod hæc eadem leguntur in versione Arabica, & in versione Septuaginta Interpretum; in fine tandem concludens verbis hisce: „ Quocirca cum Textus hebræus, & antiquæ Scripturæ Sacræ versiones, legem latam Numeror. cap. ultimo de ineundis connubiis intra eandem Tribum, limitent ad filias, quæ defectu prolis mascu-

,, læ poſſident hæreditatem; dicendum eſt,
,, eodem in ſenſu eſſe intelligendam no-
,, ſtram editionem vulgatam. Addo etiam
,, non deeſſe Criticæ diſciplinæ peritos, &
,, Scripturæ Sacræ doctiſſimos Interpretes,
,, qui exiſtimant: Editionem vulgatam,
,, loco mox laudato, in quo legem de
,, incundis Connubiis non ſatis clare ex-
,, plicat, corrigi, & emendari debere ad
,, normam Textus hebræi. Quanvis enim
,, Concilium Tridentinum, cæteris, quæ
,, id ætatis circumferebantur Scripturæ Sa-
,, cræ verſionibus latinis, editionem vul-
,, gatam prætulerit, eanque authenticam
,, declaraverit; non eam tamen eo in ſenſu
,, authenticam declaravit, ut præponi de-
,, beat originariis, ſeu primigeniis exem-
,, plaribus hebraicis, & græcis, cum certum
,, ſit Summos Pontifices Sixtum V., & Cle-
,, mentem VIII. etiam poſt Concilium
,, Tridentinum, nonnulla Editionis vul-
,, gatæ loca, quæ temporis, rerum omnium
,, edacis, injuria, vel incuria Typographo-
,, rum, vel ignorantia ſciolorum, erant
,, interpolata, aut minus accurate transla-
,, ta, ad normam hebræorum, & græcorum
,, Codicum, correxiſſe, ac diligenter caſti-
,, gaſſe; ſed ſolum eo in ſenſu editionem
,, evulgatam authenticam pronunciavit
,, Sacra Synodus Tridentina, ut nihil pror-
,, ſus contra fidem, & bonus mores com-
,, plectatur. *Eatenus igitur*, verba ſunt *An-*
,, *drea Vega*, qui Concilio Tridentino ade-
,, rat, cum decretum illud de Sacris Scri-
,, pturis editum eſt, lib. 15. in Concilio Tri-
,, dentino cap. 9. *Voluit Synodus authenticam*
,, *haberi*, (editionem vulgatam) *ut certum*
,, *omnibus eſſet nullo eam defœdatam errore*,
,, *ex quo pernicioſum aliquod dogma in fide*,
,, *& moribus colligi poſſit*. Hanc nonnullo-
,, rum hujus temporis Theologorum ſen-
,, tentiam obiter dumtaxat refero, nec ta-
,, men approbo. Conſulat Lector noſtrum
,, *Natalem Alexandrum* in Diſſert. de Edit.
,, Vulgat., & in Anticritica contra *P. Fraſ-*
,, *ſenum, Franciſcanum*. ,,

Ad V. Primo reſpondent aliqui, quod Matthæus, & Lucas duxerunt genealogiam Chriſti per Joſephum, ut ſe accommodarent opinioni Judæorum, & Paganorum, qui Chriſtum filium eſſe naturalem Joſephi, arbitrabantur; & quia Judæi, & Pagani inficias ire non poterant, Joſephum eſſe de Tribu Juda, & de genere Davidis, ideo hoc pacto contra Judæos pariter, & Paganos, probatum habebant, Chriſtum eſſe de Tribu Juda pariter, & de genere Davidis. At hæc reſponſio non admittitur, quia Spiritus Sanctus veritatem falſo medio non probat; Spiritus Sanctus autem per Evangeliſtas loquebatur: ergo ſi Evangeliſtæ probaſſent, Chriſtum eſſe ex Davidis ſtirpe eo ſolo nomine, quo Chriſtus putabatur filius Joſeph, veritatem probaſſent falſo medio. Ulterius; ex data reſponſione ſequeretur, quod Matthæus voluiſſet conſulto occultare Judæis Incarnationis myſterium; quod quidem eſt falſum, quia Matthæus cap. 1. aperte dicit, Mariam fuiſſe gravidam ex Spiritu Sancto, & ex Iſaia probat, Chriſtum debuiſſe naſci ex Virgine. Denique ex data reſponſione ſequeretur, quod Evangeliſtæ deſcripſiſſent genealogiam Joſephi, & non Chriſti; hoc autem fuiſſet contrarium ſcopo, quem ſibi propoſuerant, ſcribentes: *Liber generationis Jeſu Chriſti*. Secundo alii reſpondent, quod Matthæus, & Lucas perduxerunt genealogiam Chriſti per Joſephum, quia origo Joſephi non eſt aliena a genere Chriſti. Et hoc probant: primo, quia Chriſtus propter legem connubii Mariæ cum Joſepho idem genus habebat cum Joſepho, qui erat verus ac legitimus Sponſus Matris ejus; ſecundo, quia Joſephus adoptaverat ſibi in filium Chriſtum natum ex Maria, Sponſa ſua; unde etiam ſi Virgo Maria ex proſapia Davidis non fuiſſet orta, Chriſtus tamen per Joſephum ad eandem proſapiam pertinebat. Et hæc eſt reſponſio Hugonis Grotii in cap. 1. Matthæi, & Bernardi Lamy cap. 6. Comment. in concordiam Evangelicam. Verba Grotii ſunt: *Si ea vis eſt legis, ut partus Viduæ, ex agnato viri defuncti conceptus, in omnes jus defuncti ſuccedat, non aliter quam ſi ex ipſius genitura ortum traxiſſet, & proles a fratre genita, ſemen vocatur non illius, per quem ſuſcepta eſt; ſed illius, cui ſuſcepta eſt, nempe fratris, ſine liberis defuncti, quidni id, quod ſine humana opera ex legitima Joſephi conjuge natum eſt, quaſi ipſius ſolo divinitus inſitum, ipſius proprium cenſeatur? Atque hinc eſt nimirum, quod non tantum ab Evangelii Scriptoribus Joſephus pater Chriſti, nuptiis videlicet patrem demonſtrantibus, nominetur, ſed & Chriſtus omnia obſequia, atque operas præſtitit, quæ expectari poſſunt a filio in ſacris paternis conſtituto. Quod ſi ubique gentium adoptivi liberi ex ejus generis, cui velut inſiti ſunt, nobilitate cenſentur; quanto juſtius omnia jura gentilitia Joſephi, ac promiſſiones divinæ ipſius majoribus facta ad Dominum Jeſum pertinebant?* Verum ne-

quæ placet omnibus hæc responsio: primo, quia Evangelistæ non descripsissent genealogiam naturalem Christi, sed adoptivam; secundo, quia Christus ex Scripturis est filius naturalis Davidis; ex hac responsione vero esset filius tantum legalis. Denique, quia exemplum Levirorum, seu Patrum Legalium, non est ad rem; & quia Christus non fuit suscitatus ad conservandum nomen, & memoriam Josephi; & quia Christus non fuit genitus a fratre, vel agnato Josephi, vel ab aliquo alio homine mortali, sed tantum a Spiritu Sancto formatus; & quia filii legales generabantur, quando priores mariti erant jam mortui, Christus vero natus est, quando Josephus jam inter vivos erat. Tertio alii respondent, quod Matthæus ideo duxit genealogiam Christi per Josephum, quia Josephus junctus erat cum Maria primo agnationis gradu, ita ut haberent communes Avos, & majores; & Lucas duxit genealogiam Christi per Mariam, quia pater naturalis Mariæ erat Heli, qui dictus est etiam Eliakin, & Joakin. Attamen neque hæc responsio arridet; tum quia afferit, quod Lucas texuerit genealogiam Christi per Mariam, non per Josephum; hoc autem non erat in usu apud Judæos, texere scilicet genealogias per fœminas, & non est eredendum, quod Lucas scienter voluerit ab hac consuetudine recedere; tum etiam, quia incertum est, an Heli fuerit idem ac Eliakin, ac Joakin; & ex aliis quoque capitibus, quæ a Graveson recensentur. Quarto respondent alii, quod Matthæus, & Lucas ideo retulerunt ad Josephum, & non ad Mariam genealogiam Christi, quia Hebræi non solebant texere mulierum genealogias, ut alicujus viri genus ostenderetur: Unde hoc erat apud Hebræos effatum: *Matrisfamilia, non familia*; Et hujus sententiæ sunt Ambrosius, Hilarius, Hieronymus, Chrysostomus, Damascenus, & S. Thomas. Hoc autem non ita intelligi debet, quod mulierum in Scriptura genealogiæ nunquam legantur; quia Judith. 8. legitur ejusdem genealogia; sed tantum accipi debet, quod Judæi nunquam consueverint describere genealogias virorum per fœminas. Et hinc est, quod Evangelistæ genealogiam Christi per Josephum, & non per Mariam duxerunt. Quinto denique alii dixerunt, quod Evangelistæ texuerunt genealogiam Christi per Josephum, quia Maria & Joseph erant consanguinei, & quidem proximo agnationis gradu conjuncti; Unde directo describentes genealogiam Josephi, indirecte quoque describerunt genealogiam Mariæ, ex qua natus est Jesus. Ita docet S. Ambrosius lib. 3. in Lucam verbis hisce: *Cur Joseph magis quam Mariæ generatio describatur, cum Maria generaverit Christum, & Joseph a generatione Domini videatur alienus, dubitare possemus, nisi consuetudo instrueret Scripturarum .... nolì mirari, quod Joseph origo descripta est, etenim secundum carnem natus, usum debuit sequi carnis: & qui in seculum venit, seculi debuit more describi, maxime cum in Joseph origine etiam origo sit Mariæ; nam cum vir justus fuerit Joseph, atque ex Tribu sua, & ex patria sua (seu familia) accepit uxorem, nec potuit justus facere contra id, quod lege praceptum est.* Et ante Ambrosium docuerat Eusebius lib. 1. histor. Ecclesiast. cap. 7., cui consentiunt Chrysostomus hom. 2. in Matth., Hieronymus comment. in Matthæum, Hilarius in cap. 1. Matth., & S. Thomas 3. par. qu. 28. art. 1., & Nos quoque subscribimus. Igitur Maria Virgo, quæ erat unica proles Joachimi, & Annæ, & ex asse hæres, juxta legem Numerorum debebat matrimonio jungi Josepho, qui erat ejusdem Tribus, & Familiæ. Nec dici potest in contrarium, quod Maria, quum esset pauperrima, non tenebatur obedire legi Numerorum, quæ Virgines divites complectebatur, ne hæreditates ad alias Tribus, & Familias, transirent: etenim ex Sacris literis adhuc constat, quod Ruth, quanvis esset quoque pauperrima, tamen nuptui data est Boozo, propinquo suo. Et Tobiæ 6 legitur: *Est hic Raguel nomine, vir propinguus de Tribu tua, & hic habet filiam nomine Saram, Sed neque masculum, neque fœminam ullam habet aliam præter eam. Tibi debetur omnis substantia ejus, & oportet, eam te accipere conjugem.* Manasses quoque, qui fuit vir Judithæ, fuit ejusdem Tribus, & familiæ cum ea. Et quod hæc lex de ineundis connubiis inter eandem Tribum, & familiam, fuerit semper in usu apud Judæos, testatur Philo. Denique Epiphanius hæresi 78., quæ est Antidicomarianitarum, testatur, Mariam fuisse vere hæredem, quanvis minima esset hæreditas: *B. Virgo Josepho tradita est, quia illam jura hæreditatis, quam possidebat, adegerant.*

Ad VI. respondet S. Thomas verbis hisce: *quod per illam auctoritatem propheticam (sicut Ambrosius dicit super Lucam) non nega-*

negatur ex semine Jechoniæ posteros nascituros, & ideo de semine ejus Christus est. Et quod negavit Christus, non contra prophetiam est: non enim seculari honore regnavit, Ipse enim dixit: Regnum meum non est de hoc mundo.

Ad VII. Fuerunt quidem Theologi, & Sacræ Scripturæ Interpretes, qui proximum consanguinitatis gradum inter Mariam, & Josephum assignerunt. Et primo Petrus Possinus in Diallactico Theogenealogico, Bollandus ad diem 19. Martii, de Marca in Differt. de Stemmate Christi, dixerunt, Joachinum, patrem Mariæ Virginis, & Josephum, ejus sponsum, fuisse filios Heli; & per consequens Josephum fuisse Mariæ patruum. Secundo Hugo Grotius in Adnotationibus ad cap. 3. Lucæ dixit, Josephum fuisse fratruelem, seu consobrinum Barpantheris, quem asseruit, fuisse Proavum Mariæ. Tertio alii putarunt Josephum fuisse fratruelem, seu consobrinum Mariæ Virginis; & hoc, quia supponunt, Mathanem, qui descendebat ex Davide per Salomonem, genuisse Jacob, & Annam, & Jacob genuisse Josephum, Annam autem genuisse Mariam. Attamen prima conjectura non subsistit, quia si Joseph fuisset frater Joachimi, debuisset esse valde senex, quando Mariæ per Matrimonium junctus fuit; Nos autem contrarium in superioribus probavimus. Minus subsistit secunda conjectura, quia secundum illam Joseph, quando matrimonium cum Merie inivit, debuisset esse centenarius. Denique nec tertia conjectura valet; tum quia incertum est, an Mathan fuerit S. Annæ pater; tum etiam quia secundum hanc sententiam B. Virgo secundum solum maternum genus ex Davide per Salomonem descendisset, secundum vero paternum venisset ex Davide per Nathanen; quod est contra communem Theologorum sententiam, docentium promissiones factas a Deo Abrahamo, & Davidi, de nascituro Messia, fuisse adimpletas in linea Salomonis, non in linea Nathanis. Igitur nos rectius respondendum putamus, quod quanvis aperte non constet de agnationis gradu, quo Maria, & Josephus, conjuncti erant, attamen ex Sanctorum Patrum traditione, & ex Sacræ Scripturæ sensu, colligitur, Mariam, & Josephum, fuisse proximo agnationis gradu conjunctos. Quod sic ostenditur. Matthæus se declarat texere genealogiam Christi ex una parte; ex altera parte testatur, Iosephum non fuisse patrem naturalem Christi. His positis: Matthæus deinde texit genealogiam Christi per Iosephum; sed non quidem quia Iosephus pertineret ad generationem naturalem Christi, quia non erat pater ejus naturalis: ergo quia Iosephus conjunctus erat proximo agnationis gradu cum Maria, quæ erat Mater naturalis Christi.

Ad VIII. respondet Serry „ Nihil Patres „ illos Judæis, eorum testimonio ebuten„ tibus, suffragari. Quandoquidem Chri„ stum, non solo sacerdotali genere ortum „ dicunt, sed utroque simul, *Regum scilicet, „ & Sacerdotum*. Regium autem genus in „ Judæ Tribu perennabat. Adeoque temere „ Christum e Tribu Levi sensu quodam „ ortum observent, ob inita, scilicet, inter „ utramque Tribum matrimonia; eundem „ tamen simul, ac multo verius e Tribu Iu„ da ortum agnoscunt „. Subdimus quoque ex Graveson: „ Maxima quidem cum „ veneratione excipiendam esse SS. Pa„ trum, & antiquorum Scriptorum senten„ tiam in iis, quæ ad fidem, & morum re„ gulam spectant, neminem tamen SS. Pa„ trum, quando in unam, & eandem sen„ tentiam non conspirant, in his præser„ tim, quæ ad historiam, & minuta, levia„ que rerum genera pertinent, authoritate „ ita constringi debere, ut ab ea interdum „ secedere non liceat, maxime quando cer„ to certius constat, sententias, quas tradi„ derunt, minus veritati consonas esse „.

Pro secunda Dissertationis parte jam in comperto est, Matthæum, & Lucam, Christi genealogiam descripsisse, & quidem in ea describenda in multis convenire, in aliquibus vero disconvenire; quæ profecto fidei nostræ hostes nobis olim opponebant, ut Evangelicæ historiæ veritatem oppugnarent. Illa, in quibus disconveniunt ambo Evangelistæ in Christi genealogiis, quas descripserunt, ad tria potissimum reducuntur. Primum est, quod Matthæus cap. 1. Evangelii illam ducit a Davide per Salomonem; Lucas vero cap. 3. illam texit a Davide per Nathanem, qui fuit alter Davidis filius, exscribens ordine retrogrado: *Qui fuit Menæ, qui fuit Nathan, qui fuit David &c.*, hoc est filius. Secundum, quod Matthæus descendens a Davide ad Joseph, percenset Progenitores Christi omnino distinctos ab iis, quos percenset Lucas, si excipiantur Salathiel, & Zorobabel, qui in utraque genealogie inveniuntur scripti; quibus nihilominus Matthæus dat patrem

patrem Jechoniam: *Jechonias genuit Salathiel, Salathiel autem genuit Zorobabel*: Lucas vero dat patrem Nerium: *Zorobabel, qui fuit Salathiel, qui fuit Neri*. Tertium denique, quod Matthæus dat patrem Josepho Jacobum: *Jacob autem genuit Joseph, virum Mariæ*; at Lucas dat Josepho patrem Heli: Joseph, qui fuit Heli, qui fuit Mathan: His positis

Dicimus II. Conciliari utrumque Evangelistam Matthæum, scilicet, & Lucam, in origine Josephi, si attendatur ratio, quam tradidit Julius Africanus in Epistola ad Aristidem apud Eusebium lib. 1. hist. Eccles. cap. 7.

I. Probatur. Julii Africani ratio hæc est: Mathan, qui descendebat ex Davide per Salomonem, uxorem habuit nomine Estham; ex hac filium suscepit nomine Jacob. Post Mathanem mortuum viduam ipsius Estham sibi duxit in uxorem Melchi, vel, ut alii dicunt Mattath, qui descendebat ex Davide per Nathanem; & ex hoc matrimonio Melchi, seu Mattath, cum Estha natus est Heli; unde Jacob & Heli fratres erant uterini, quanvis ex diverso genere descenderent. Heli sine liberis decessit, unde Jacob frater ejus uterinus viduam Heli sibi conjugem accepit, & ex ea genuit Josephum, naturali ratione filium suum, sed secundum legem filium Heli, quia Heli semen suscitaverat frater ejus Jacob jure Leviratus, prout legitur Deuteronomii 25. Unde Joseph duos habuit patres, naturalem unum, hoc est, Jacobum, ex Davide per Salomonem descendentem, & alterum legalem, Heli nempe, procedentem ex Davide per Nathanem. Lucas ergo quia describebat legalem successionem parentum Joseph, ideo tribuit ipsi patrem Heli, & Matthæus quia texebat naturalem genealogiam Parentum Joseph, ideo patrem ipsi asseruit Jacob. Julius Africanus, qui hanc protulit rationem ad conciliandum utrumque Evangelistam, testatur apud Eusebium loco nuper citato, se illam a Cognatis Servatoris nostri accepisse: *Cognati enim Servatoris nostri, sive ad ostendendam generis sui nobilitatem, sive ut simpliciter rem docerent, veraci utique sermone hæc nobis tradiderunt*: Sed hæc ratio est omnium optima ad conciliandas antilogias omnes, quæ fortassis apparere possent in genealogiis, quas duo Evangelistæ texuerunt: ergo &c. Probatur minor. Hæc Julii Africani ratio præcessit antiquiores Patres, tam Græcos, quam Latinos, & quam iidem omnes sequuti sunt, ut fatetur Petrus Possinus, qui eam nihilominus impugnare conatur: ergo pro se habet antiquiorum Patrum authoritatem, temporis etiam antiquitatem, & rationum omnium aliarum, quæ ab aliis adducuntur prioritatem, non tam quidem tempore, quam efficacia, & robore, ut mox ad oculum quidem, si Deus faxit, ostendemus.

II. Probatur. Hæc Julii Africani ratio expeditior, probabilior, ac verosimilior, est aliarum omnium, quæ ab aliis ad eundem finem ducuntur: ergo relictis aliis eam sequi debemus. Probatur antecedens. Prima ratio est quorundam, qui dicunt, Jacob, & Heli non fuisse diversos homines, sed eundem binominem, quomodo fuit Petrus, qui vocatus est Cephas, & alii binomines, & trinomines quoque in Scripturis. Verum hæc ratio S. Thomæ non placet, dicit enim 3. par. qu. 31. art. 3. quod *stare minime potest, quia Matthæus ponit unum filiorum David, scilicet Salomonem, Lucas autem ponit alium, scilicet Nathan, quos secundum historiam libri Regum constat, fratres fuisse*. Insuper diversi sunt Parentes, Avi, Proavi, Atavi, Tritavi, quos Matthæus assignat Jacob, & quos Lucas tribuit Heli: ergo clarum est signum, quod Jacob, & Heli, non fuit una, eademque persona, duorum nominum. Secunda ratio est Hugonis Grotii, qui putat, Mathanem ex Davide descendentem per Salomonem, habuisse uxorem Estham, quam etiam habuit, Mathane absque liberis defuncto, Melchi, ex Davide per Nathanem procedens, qui & ex ea tres liberos suscepit, hoc est Jacob, Heli, & Levi. Jacobo autem mortuo etiam sine filiis, Heli, qui erat Jacob frater, genuit Joseph, qui proinde fuit filius naturalis Heli, & hæres Jacob. Et ex hoc infert Grotius, quod ideo Matthæus dat Josepho patrem Jacob, quia Josephus fuit hæres Jacob, & Lucas ideo dat Josepho patrem Heli, quia Josephus fuit filius naturalis Heli. Subdit Grotius, quod Levi, qui secundum ipsum fuit frater Iacob, & Heli, genuit Barpantherem, quem dicit Proavum Mariæ Virginis; Barpanther genuit deinde Pantherem; Panther genuit postmodum Ioachimum, Mariæ Virginis patrem. Sed nec etiam hæc ratio admitti potest; Primo, quia sequeretur, quod Iosephus, quando Mariam Virginem duxit uxorem, fuisset cen-

centenarius, quod non est dicendum, ut vidimus nuper. Secundo, quia Mathan non est mortuus absque filiis; si enim mortuus fuisset absque filiis, frustra eum Matthæus in genealogia Christi posuisset. Quod etiam de Iacob dici potest, si sine prole decessisset. Tertio, ex Matthæo, Iacob fuit filius Mathanis, qui ex Davide per Salomonem descendebat; dicit enim: *Mathan genuit Jacob*: ergo non fuit filius Melchi, qui ex Davide per Nathanem proveniebat. Insuper, ex Luca, Levi non fuit frater Heli, sed potius Avus; dicit enim: *Qui fuit Heli, qui fuit Mathat, qui fuit Heli*. Quarto, Ioseph fuit filius naturalis Iacob, non solum hæres, ut asserit Grotius; dicit enim Matthæus: *Jacob genuit Joseph*. Quinto, quia Rabbinorum fuit commentum, quod Levi fuerit pater Barpantheris, Barpanther pater Pantheris, Panter pater Ioachimi. Denique Possinus, & Bollandus, quos sequitur Graveson, putant, Pantherem, & Barpantherem, non esse diversos a Matthat, & Heli, ita ut Levi genuerit Matthat, cognomento Pantherem, cujus filius, seu Heli, dictus est Barpanther, eo quod esset filius Pantheris, seu Matthat. Et ita dicit Graveson, esse intelligendum Damascenum, qui hac in re Grotio non favet; & pro hoc probando asserit Huetium, Episcopum Abrigensem, in Demonstratione Evangelica proposit. 9., & Michaelem Le Quien. Tertia ratio est Petri Possini in libro, cui titulus *Diallacticon Theogenealogicum*, seu de *Genealogia Christi Domini*; asserentis, quod Matthæus sequutus tantum fuerit legalem successionem, seu ordinem juris ad regiam dignitatem; Lucas vero naturalis generationis ordinem: Unde Matthæus dedit Iosepho patrem Iacob, quia Iacob erat pater legalis ipsius, secundum, scilicet, legalem successionem, & ordinem juris ad regiam dignitatem; Lucas vero dedit Iosepho patrem Heli, quia Heli erat pater naturalis ipsius. Hanc eandem sententiam sequuntur Bollandus ad diem 19. Martii, De Marca in Differt. de Stemmate Christi, Lamy in Harmonia Evangelica; sed nec placet hæc ratio; primo, quia verba Matthæi: *Jacob genuit Joseph*: significant veram, & naturalem generationem; verba vero Lucæ: *Jesus, ut putabatur, filius Joseph; qui fuit Heli*: filiationem legalem important. Secundo, quia antiquorum Patrum, & Theologorum, mens semper fuit, promissionem de nasciturо Messia ex semine David in linea Salomonis, & non in linea Nathanis, fuisse impletam: ratio autem hæc supponit, quod mortuo absque liberis Jechonia, Rege Iuda, stirps Salomonis penitus exaluerit, & a linea Salomonis ad lineam Nathanis promissio illa transierit. Tertio, quia est antiquorum Patrum traditio, quod Iacob fuerit pater naturalis Iosephi, non vero legalis. Quarto alii dicunt, quod Matthæus scripserit genealogiam Iosephi, cujus pater naturalis fuit Iacob, qui descendebat ex Davide per Salomonem; Lucas vero texuit genealogiam Mariæ, cujus pater naturalis fuit Heli, quem dicunt quoque Heliachim, seu Ioachim, & quem pariter volunt fuisse patrem civilem Iosephi, utpote ipsius Generi, ratione veri, & legitimi matrimonii, quod cum Maria Virgine contraxerat. Ex hoc inferunt, quod Matthæus ideo Iosepho patrem dedit Iacob, quia Matthæus scribebat genealogiam Josephi, cujus pater naturalis erat Jacob; & Lucas ideo Josepho patrem dedit Heli, quia Josephus erat Gener Heli, patris naturalis Mariæ Virginis, cujus genealogiam scribebat. Gener itaque Heli fuit a Luca appellatus filius juxta Scripturarum consuetudinem, ut dicunt. Concludunt denique Authores isti, quod, quum non esset consuetudinis Hebræorum texere genealogias per fœminas, & quum Lucas referre non posset Christi Domini patrem naturalem, quem in terris non habuit, ideo ipsemet Lucas gradum fecit a Nepote ad Avum, quando dixit: *Jesus erat incipiens quasi annorum triginta, ut putabatur, filius Joseph, qui fuit Heli*; ita ut dictio illa *qui* non referatur ad Josephum, sed ad Christum, & sit sensus: Christus putabatur filius Joseph, qui tamen, Christus, fuit Heli, idest, Nepos Joachim, qui erat Mariæ Virginis pater. At hæc ratio neque satisfacit; supponit enim duo, quæ sunt probanda; unum scilicet, quod Lucas texuerit genealogiam Christi per Mariam contra Hebræorum consuetudinem; alterum, & quod pater naturalis Mariæ fuerit Heli, qui descendebat ex Davide per Nathanem, quod nec in Scripturis, nec in Patribus, fundamentum habet. Quum igitur adductæ rationes non subsistant, dicendum est, solam illam Julii Africani esse admittendam, atque recipiendam.

III. Pro-

III. Probatur, quod admissa Julii Africani explicatione, aliæ duæ apparentes antilogiæ in utraque genealogia concilientur. Etenim facta parentum Josephi distinctione, Jacob scilicet, & Heli, non est mirum, quod Matthæus, & Lucas prosequantur Christi genealogiam per Avos, & Atavos distinctos, atque diversos, & unus perveniat ad Davidem per Nathanem; alter vero per Salomonem. Ratio est, quia quum Jacob, & Heli essent uterini tantum fratres, & cognati tantum, atque propinqui, alios certe habere debebant Avos, & Atavos, per quos fieri debebat ascensus ad primum stipitem. Denique Salathieli, & Zerobabeli, qui in utraque genealogia notantur, Matthæus dat patrem Jechoniam, Lucas vero Nerium, & hoc evenisse, dicendum est, quod Nerio extincto sine liberis, Jechonias, cognatus ejus, atque propinquus, in uxorem duxit relictam ejus viduam, ex qua filium habuit Salathielem; qui quidem Salathiel filius Jechoniæ fuit secundum naturam, filius vero Neri fuit secundum legem Leviratus. Levir enim dicitur mariti frater; & ideo lex illa, per quam frater sibi ducebat uxorem fratris mortui sine liberis viduam, lex Leviratus dicebatur.

Obstant I. Justinus Martyr in libro Responsionum ad Orthodoxos ad quasdam quæstiones, tradidit rationem conciliandi utrumque Evangelistam Matthæum, & Lucam, & quidem eandem, quam tradidit Julius Africanus; sed Julius Africanus fuit posterior ad Justinum, Justinus vero prior ipso: ergo ratio illa, quam nos tantopere commendamus, & quam sequimur, male dicitur a Nobis, & ab aliis Julii Africani, sed potius dici debet Justini Martiris, & Philosophi. II. Dato quod esset Julii Africani, Julius ipse supponit, quod Melchi fuerit pater Heli, & nullam facit mentionem Mattath, vel Levi; sed hoc est contra Evangelium Lucæ, in quo cap. 3. legitur: *Qui fuit Heli, qui fuit Mattath, qui fuit Levi, qui fuit Melchi*: ergo Julii Africani ratio non est numeris omnibus absoluta. III. Falsum est quod asserit Julius Africanus, Matthæum scilicet describere naturalem successionem Josephi parentum, Lucam vero legalem: ergo ejus ratio non est admittenda. Probatur antecedens. Matthæus describere tantum voluit legalem successionem, seu ordinem juris ad regiam dignitatem; Lucas vero sequutus est naturalis generationis ordinem: ergo falsum est &c. Antecedens sic probatur apud Graveson. „ Matthæus siquidem, „ quia ostendere dumtaxat voluit jus regnandi, nepotibus Abrahæ, & Davidis „ Regis promissum, ad Christum Dominum pertinere, ideo genealogiæ Christi „ exordium ducit ab Abrahamo, cui primum promissiones factæ sunt, postea „ Davidem ipsum, cæterosque Reges Judæorum invicem sibi sanguinis jure succedentes proponit usque ad Jechoniam, „ & ejus fratres sub ipsa Babilonici exilii „ tempora. Dein, subjungit successionem „ Principatus Judaici in Salathiele, & Zorobabele, qui ex Davide per Nathanem „ descendebant, quia ad eos extincta stirpe „ Jechoniæ, Regis Juda, qui ex Davide „ per Salomonem genus ducebat, jus ad „ regiam dignitatem fuit devolutum. Denique, quia jus regnandi a Zorobabele „ transmissum est ad Abjudem, primogenitum Zorobabelis, ideo Matthæus „ Abjudis posteros persequitur usque ad „ Jacob, quem, habita ratione successionis „ ad regiam dignitatem, patrem assignat „ Josepho. At ex adverso, Lucas cum in „ describenda genealogia Christi ordinem „ naturalis successionis sibi proposuerit, orsus est ab Adamo, primo omnium parente, deinde stirpem Davidicam perduxit „ usque ad Salathielem, & Zorobabelem, „ non per lineam Salomonis, & aliorum „ Regum, vel Principum, sed per lineam „ Nathanis, ejusque posterorum, qui jure „ ad regiam dignitatem non potiebantur. „ Denique, postquam Lucas pervenit ad „ Zorobabelem, totam Stirpem Davidicam per Rezam, filium secundo genitum Zorobabelis, ejusque posteros, qui „ jus ad regiam dignitatem non habebant, „ terminat in Heli, quem, attento solum „ ordine generationis naturalis, patrem „ tribuit Josepho. Patet itaque ex modo, „ quem uterque Evangelista in describendo stemmate Christi tenuit, Matthæum „ voluisse dumtaxat exhibere legalem successionem, seu ordinem juris ad regiam „ dignitatem; Lucam vero, prætermissa „ illa successione ad regium sceptrum, naturalis tantum generationis ordinem „ fuisse sequutum. „ IV. Lex illa Deuteronomii, de qua loquimur, intelligebatur de fratribus simul habitantibus; sed Jacob, & Heli, quanvis fratres uterini essent, atque etiam cognati, non habitabant tamen simul, quia ex diversis parentibus orti erant: ergo pro iisdem Lex Deutero-

rono-

ronomii non erat. V. Lex Leviratus imponebat, quod primogenitus ex secundo matrimonio natus, prioris mariti nomine vocaretur; sed filius natus ex Jacob non fuit vocatus Heli, sed Joseph: ergo lex Leviratus observata non fuit. VI. Filius ex secundo matrimonio natus, nunquam dicitur in Scripturis defuncti mariti filius: ergo quanvis Joseph propter legem Leviratus ex secundo matrimonio natus esset, nunquam tamen debuisset dici Heli filius. VII. Matthæus appellat Jechoniam patrem Salathielis, Lucas vero nominat Nerium; sed Jechonias non fuit pater naturalis Salathielis, sed solum legalis; Nerius vero fuit re vera ejusdem naturalis pater: ergo non Matthæus, sed Lucas sequutus est naturalis generationis ordinem. Probatur minor. Jeremiæ 22. prædicitur Jechoniæ, Regi Iuda, deportatio in Babiloniam, & privatio posteritatis in regio throno: *Scribe virum sterilem &c.* sed ex his verbis cogimur dicere Iechoniam non fuisse patrem naturalem Salathielis, sed solum Legalem: ergo &c. Unde ex Posino sic prosequitur Graveson: „ Unde quando Matthæus
„ dicit: Iechoniam genuisse Salathielem,
„ vult tantum ostendere Sacer ille Evange-
„ lista, extincta Stirpe Iechoniæ, qui ex
„ Davide per Salomonem descendebat, jus
„ ad regiam dignitatem fuisse devolutum
„ ad Salathielem, filium naturalem Neri,
„ qui ex Davide per Nathanem procede-
„ bat; & quia Salathiel ordine juris ad re-
„ giam dignitatem successit Jeconiæ, ideo
„ Matthæus Salathielem appellat filium
„ Iechoniæ, habita scilicet ratione legalis
„ successionis, seu spectato dumtaxat ordi-
„ ne juris ad regiam dignitatem; quod qui-
„ dem manifesto probat: Matthæum in
„ conscribenda genealogia Christi, lega-
„ lem tantum successionem, seu ordinem
„ juris ad sceptrum exhibuisse, Lucam ve-
„ ro ad naturalem successionem, seu ad
„ naturalis generationis ordinem attendis-
„ se. „ VIII. Matthæus in genealogia Christi, quam descripsit, tres Reges omisit, scilicet Ochosiam, Ioam, & Amasiam. Ioram enim genuit Ochosiam, Ochosias Ioasum, Ioas Amasiam, Amasias Oziam; quos tamen omnes in sua genealogia Lucas descripsit.

Respondemus ad I. Librum Responsionum ad Orthodoxos non esse legitimum fœtum Iustini Martyris & Philosophi; quod quidem patet primo, quia in illo citatur Irenæus, Episcopus Lugdunensis, qui fuit Iustino posterior; secundo, quia in illo remittuntur Lectores ad Origenis libros, ut ex eis nominum hebraicorum intepretationes edoceantur; Iustinus autem fuit Origene antiquior; tertio, quia ibidem notantur Manichæi, qui fuerunt ipsomet Origene recentiores; Unde exactiores nostrorum temporum Critici librum illum Iustino merito abjudicant, ut videre est apud Bellarminum, qui hæc scribit: „ De libro quæstionum quin-
„ que Gentibus a Christianis positarum,
„ facile judicari potest, cum librum non
„ esse Iustini; quod in eo sæpe fiat mentio
„ Manichæorum, quos post mortem Iusti-
„ ni exortos esse constat. Idem judicium
„ fieri potest de quæstionibus 146., quas
„ Gentes Christianis posuerunt: nam
„ quæst. 82., & 86. citatur Origenes, &
„ quæst. 115. citatur Irenæus, & martyr ap-
„ pellatur, cum tamen Iustinus utroque
„ antiquior fuerit: nam ipse etiam Ire-
„ næus lib. 5. Iustinum martyrem adducit,
„ tanquam se antiquiorem. „ Idem judicium ferunt Sixtus Senensis, Oudinus, Cave, Dupinus &c.

Ad II. hæc reponit Graveson: „ Quod
„ licet audaciores quidam Critici, quos in-
„ ter numerantur Cordesius, Canonicus
„ Lemovicensis, & Hugo Grotius, ex ea
„ omissione facta a Iulio Africano, occa-
„ sionem sumpserint suspicandi Levi &
„ Mattath in Textum S. Lucæ irrepsisse,
„ aut oscitantia librariorum fuisse intrusos,
„ ac subinde expungendos esse; nullus ta-
„ men dubito, quin standum sit lectioni
„ nostræ editionis vulgatæ, in qua legimus,
„ Melchi fuisse patrem Levi, Levi autem
„ patrem esse Mattath, Mattath patrem
„ esse Heli. Omnibus quippe Theologis, &
„ Scripturæ sacræ Interpretibus religio esse
„ debet, citra antiquorum Codicum, aut
„ translatorum fidem, vel minimum api-
„ cem in Sacris Litteris Antiqui, & Novi
„ fœderis ex ingenio immutare. Unde S.
„ Hieronymus, qui novum Testamentum
„ jussu Damasi, Summi Pontificis, Græcæ
„ fidei reddidit, Mattath, & Levi in Textu
„ S. Lucæ agnovit, & servavit. Quapropter, ipse probabilius censeo cum doctis-
„ simo Valesio in adnotat. ad cap. 7. Histor.
„ Ecclesf. Eusebii, Julium Africanum eo lo-
„ ci memoria fuisse lapsum, dum dicit: He-
„ li fuisse filium Melchi, quem potius fi-
„ lium Mattath dicere debuisset. Cæterum
„ hic lapsus ne tantillum quidem sententiæ
„ Julii Africani labefactat fundamentum,
„ in eo præcipue positum, quod Jacob, &

„ Heli fuerint uterini fratres ex eadem matre, patre tamen diverso prognati.
„ Nodum ergo in scirpo quærunt, qui ex hoc Julii Africani memoriæ lapsu, rationem, quam tradidit ad conciliandum utrumque Evangelistam in origine Josephi, infringere se posse putant.

Ad III. Matthæus incepit genealogiam Christi ab Abrahamo, quia Abrahamo factæ sunt promissiones de Messia nascituro; eandem continuavit per Davidem, Salomonem, aliosque Reges; & hoc ut ostenderet, pertinere ad Christum jus ad regiam dignitatem, & pariter ut demonstraret, Christum non legali, sed vera, & naturali ratione ex stirpe Abrahæ, & Regum Juda descendere, ac proinde esse verum Messiam, quia promissiones de Messia nascituro fuerunt potissimum factæ Abrahamo, & Davidi. Lucas vero incepit genealogiam Christi ab Adamo, ut indicaret, beneficia Messiæ pertinere ad omnes homines, qui ab Adamo propagantur. Cæterum plura supponit objectio, quæ vera non sunt; & quidem primo supponit, quod extincta stirpe Jechoniæ, jus ad sceptrum devolutum fuerit ad Salathielem, & Zorobabelem; verum hæc suppositio est falsa, quia stirps Jechoniæ non fuit extincta, nec jus ad sceptrum, quod erat in Nepotibus Salomonis, fuit translatum ad posteros Nathanis. Secundo supponit, quod Abiu, per quem Matthæus deducit stirpem Davidicam usque ad Jacob, fuerit filius primugenitus Zorobabelis, & quod Reza, per quem Lucas deducit Stirpem Davidicam usque ad Heli, fuerit filius secundo genitus Zorobabelis. At hæc suppositio pariter est falsa, quia plures peritissimi Sacræ Scripturæ Interpretes docent, Abiu fuisse filium Zorobabelis, qui ex Davide per Salomonem descendebat, Rezam vero fuisse filium alterius Zorobabelis, qui descendebat ex Davide per Nathanem. Unde fit, quod Salathiel, & Zorobabel, quos Matthæus ponit in genealogia Christi, sint diversi a Salathiele, & Zorobabele, quos in eadem genealogia ponit Lucas, quod in Scripturis non est novum.

Ad IV. dicitur, quod verba illa Legis Deuteronomii: *Quando habitaverint Fratres simul*: non possunt intelligi de communi utriusque fratris habitatione in eadem domo. Et hoc patet; tum quia prior frater, quando uxorem duxit, diviserat jam hæreditatem cum aliis fratribus, & separatus ab iisdem habitabat; tum etiam, quia lex illa non est de solis fratribus, stricto sensu acceptis, sed de fratribus quoque late sumptis, cognatis scilicet, propinquis, &c. quod ex historia Ruth viduæ patet. Non poterant autem cognati omnes, & propinqui in eadem domo habitare. Igitur habitare simul in præfatâ lege Deuteronomii idem sonat, ac simul se eodem tempore vivere, ita quidem, ut adverbium simul sit temporis, & non loci. Sensus igitur verborum legis est, quod quandiu duo fratres simul tempore vixerint, & postea unus ipsorum, qui uxorem duxit, mortuus fuit sine filiis, alius, qui remanet, viduam relictam in uxorem ducet.

Ad V. dicitur, quod Lex Leviratus hæc erat: *Primogenitum ex vidua filium nomine prioris mariti appellabit, ut non deleatur nomen ejus ex Israel*: Hæc autem verba non possunt de nomine intelligi, quia filius Ruth in secundo matrimonio non est vocatus Chelion, quod erat nomen prioris mariti, sed Obed. Sic autem intelliguntur: *Primogenitum ex ea natum prioris mariti filium habebit, ac reputabit, illiusque hæredem constituet, ut non deleatur memoria ejus ex Israel*. Et hæc non solum est Interpretum communis explicatio, verum quoque ipsiusmet legis fini cohæret. Finis enim legis erat, ut hæreditas prioris mariti in filio conservaretur, non nomen; quia si prior maritus vixisset, filius ejus hæreditatem utique illius habuisset, sed non nomen. Igitur eodem modo dicendum est fieri debuisse, priore marito defuncto, ut primus filius secundi non nomen, sed hæreditatem illius haberet.

Ad VI. Totum est falsum quod opponitur. Etenim & in ipsa Lege Leviratus, & in aliis quoque Scripturæ locis, clare patet, filium ex secundo matrimonio procreatum, haberi, ac dici prioris mariti filium. Hæc enim sonant verba illa: *Primogenitum ex ea filium nomine illius appellabit*: hoc est, filium illius habebit, atque dicet. Et hoc ipsum importat quoque, quod legitur Genesis 38. de Onan: *Sciens Onan, non sibi nasci filios, introiens ad uxorem fratris sui, semen fundebat in terra* scilicet, quia sciebat Onan, quod filius nasciturus ex vidua fratris sui, habendus erat fratris potius filius, quam suus, semen fundebat in terra. Et hoc quidem evenit antequam lex a Moyse ferretur, quia jam usu, & consuetudine

fer-

servabatur. Igitur Joseph potuit haberi, & dici ex Lege Leviratus, filius Heli, quia genitus erat a Jacob ex matrimonio, inito cum vidua Heli, fratris sui.

Ad VII. Jechonias fuit pater naturalis Salathielis, & ex Jeremiæ prædictione contrarium non probatur. Quanvis enim in ea dicatur, Jeconiam futurum sterilem, hæc tamen maledictio non importabat prolis, sed tantum Regni, & prosperitatis negationem. Hæc sunt verba Jeremiæ: *Scribe virum sterilem, virum, qui in diebus suis non prosperabitur; neque erit de semine ejus vir, qui sedeat super solium David, & potestatem habeat ultra in jura.* Et ita Jeremiam interpretantur Hieronymus in cap. 22. Jeremiæ, S. Thomas 3. par. qu. 31. art. 2. ad 3. Immo ex ipsomet Jeremia constat; testatur enim cap. 18. Jechoniam filios procreasse; & ex lib. 1. Paralipomenon cap. 3. habetur, quod octo filios habuit Iechonias, quorum secundus dictus est Salathiel.

Ad VIII. respondet Natalis Alexander in histor. Ecclesiast. seculo 1. cap. 1. art. 2., id consilium factum fuisse a Matthæo: „ Scilicet cum constituisset Evangelista omnes illas generationes in certas Tessaradecadas referre, & in secunda serie septemdecim Generationes reperirentur, aliqui fuerunt prætermittendi, & quidem tres, ut numerus ille constaret. Hi autem prætermissi fuere, ob maledictionem peculiarem, quam Deus bis pronuntiat, effundendam super domum Achab (3. Reg. 21., & 4. Reg. 9.) Quidquid videlicet Achabi esset, excisum iri usque ad mingentem ad parietem. Quam maledictionem hic latam esse voluit Deus, tres hos Reges, qui erant ex posteritate Achabi (nam Ochosias a Joramo ex Athalia Achabi filia genitus fuit) prorsus expungendo ex catalogo Regum antecessorum Christi. Et quanvis regnarint actu tres illi Reges, tamen ob singularem illam maledictionem censentur quasi capite minuti non regnasse. Ita hunc nodum solvunt SS. Hilarius, & Hieronymus. „

Pro tertia Dissertationis parte, remanet, ut proponamus apparentes antilogias cum veteris Testamenti historia, quæ in una, aut altera Evangelistarum genealogia Christi, nobis opponuntur, easque ab Auctoribus conciliatas adducamus.

Objiciunt ergo I. quod dicitur apud Matthæum cap. 1 *Joram genuit Oziam*; quando 4. Regum 8., & 11. legitur, quod Joram genuit Ochoziam, Ochozias genuit Joas, Joas genuit Amasiam, Amasias genuit Oziam. Igitur tres genealogici gradus, qui in historia Regum leguntur, a Matthæo omittuntur. II. Apud Matthæum dicitur: *Josias genuit Jechoniam, & fratres ejus in transmigratione Babylonis*; sed 4. Regum 24. & 25. legitur, quod Josias genuit Joachin, non Jechoniam, & Joachin deinde genuit Jechoniam: ergo unus gradus genealogicus a Matthæo omittitur, qui in historia Regum legitur. III. Ex libro 2. Paralipom. 34. Josias mortuus est ante transmigrationem Babylonis: ergo Jechoniam, & fratres ejus non potuit in transmigratione Babylonis generare. IV. lib. 2. Paralipomen. 35. Salathiel dicitur genitus in ipsa transmigratione Babylonis; Matthæus vero scribit, quod post transmigrationem Babylonis Jechonias genuit Salathiel. V. Matthæus dicit, quod Salathiel genuit Zorobabel; at lib. 1. Paralipom. 3. habetur, quod Zorobabel fuit filius Pedajæ, non Salathielis. VI. Lucas proximos Christi Avos ita describit; *Qui fuit Heli, qui fuit Mattath, qui fuit Levi, qui fuit Melchi*; Sed Eusebius, Nazianzenus, Hieronymus, Augustinus, ex veteris Testamenti Historia ita scribunt: *Qui fuit Heli, qui fuit Melchi*: ergo duo gradus genealogici omittuntur a Luca. VII. Lucas inter Patriarchas, qui post diluvium vixerunt, ponit Arphaxadem, Cainanis patrem, & Cainanem, patrem Sale: *Sale, qui fuit Cainam, qui fuit Arphaxad*; sed in libris veteris Testamenti Cainan prætermittitur, & Arphaxad dicitur pater Sale: ergo &c. Probatur minor Genes. 10., & 11., & lib. 1. Paralipom. cap. 1. dicitur, quod proposuimus: ergo &c. Nec dici potest, quod Arphaxad mediate genuit Sale, scilicet intermedio Cainane; sicuti quando dicitur, quod Joras genuit Oziam: Non potest quidem dici, quia Genes. 11. expresse legitur: *Arphaxad vixisse trigintaquinque annis, & genuisse Sale*. Per quæ verba quæcunque media generatio excluditur; quia si inter Arphaxadum, & Sale, medius fuisset Cainan, qui fuit genitor Sale, Arphaxadus non potuisset habere triginta quinque annos, sed longe plures, quando genitus est Sale; illos scilicet annos, quos habebat Cainan ejus filius, quando genuit Sale. VIII. Matthæus scribit, Achaz, Regem Juda, genuisse Ezechiam; sed hoc est contra quod legitur lib. 4. Reg. cap. 16.: ergo &c. Probatur minor lib. 4. Regum cap. 16. legitur, quod Achaz regnare cœpit anno

anno ætatis suæ vigesimo, & quod sexdecim annis regnavit; unde vixit triginta sex annis. Cap. autem 18. ejusdem libri legitur, quod Ezechias, filius Achaz, & immediatus in Regno Successor, vigintiquinque annos habebat, quando regnare cœpit: Igitur si vigintiquinque anni Ezechiæ detrahantur de triginta sex annis Achaz, fiet, quod Ezechias fuit conceptus ab Achaz, quando hic erat adhuc puerulus decennis, quod non est credendum. Rectius ergo dicetur, quod Achaz non fuit verus, & naturalis pater Ezechiæ, sed quod Achaz, absque filiis defuncto, successerit Ezechias, qui erat Princeps proximior regii sanguinis, ritu quidem generis, & jure recepto.

Respondemus ad I. quod Joram, si non immediate, saltem mediate genuit Oziam. Sacrarum enim Scripturarum mos utplurimum est, quod nepotes, & Pronepotes, dicantur filii; Avi, & Proavi, dicantur patres, ut patet, quando Christus dicitur filius David, & Judæi dicuntur filii Abrahæ; & quando Isaiæ 51. ad Judæos dicitur: *Attendite ad Abraham patrem vestrum, & ad Saram, quæ peperit vos*; quanvis intercesserint inter Judæos, qui Isaiæ tempore vivebant, & inter Abrahamum, & Saram, circiter mille trecenti anni. Ratio autem, propter quam illi tres intermedii a Matthæo fuerint omissi, & quidem moralis, hæc a Serry assignatur: „ Quia tres „ illi Reges erant ex progenie Achabi: Joram enim genuit Ochosiam ex Athalia „ filia Achabi: Deus autem Achabi progeniei maledixerat usque ad mingentem ad „ parietem 3. Reg. cap. 21., ideoque non „ erant in Christi genealogia recensendi. „ Uti plane Tribus Dan in recensione „ *signatorum ex omni Tribu filiorum Israel* „ prætermissa est. Apocal. cap. 7., quia „ hæc a Dei cultu defecerat, ac sese gentibus immiscuerat; Judicum 18. Ideo tamen secuti deinceps Achabi posteri in „ Christi genealogia sunt recensiti, quia „ Dei maledictio filiis interminata ob peccata patrum non protenditur ultra tertiam, & quartam generationem: *Ego sum* „ *Dominus Deus tuus, fortis, zelotes, visitans* „ *iniquitates patrum in filios in tertiam &* „ *quartam generationem eorum, qui oderunt* „ *me* „.

Ad II. dicitur, quod unus ille gradus genealogicus fuit omissus, & justa de caussa, & salva Evangelica veritate. Justa quidem de caussa, quia, ut ait idem Serry, Joachin, Josiæ filius, & Jechoniæ, seu Joachini secundi pater, vir nequissimus fuit, & ob ingentia scelera sepultura asini extra portam Civitatis sepultus est; ut legitur Jeremiæ 22. ver. 19. „ Idcirco, verba „ sunt Serry, in Christi progenitorum serie „ silentio mittendus Matthæo visus est, perinde ac Ochosias, Joas, & Amasias, de „ quibus antea dicebamus. Illæsa quoque „ Evangelica veritate id factum est: quippe „ stat semper, Josiam genuisse Jechoniam, „ non immediate quidem, ut ajunt, sed medio Joachino filio suo. Quæ loquendi „ ratio ex Sacrarum Scripturarum usu maxime est. Neque refert, si dixeris, Jechoniam, seu Joachinum secundum (binomius enim fuit) haud multo meliorem „ fuisse Joachino primo patre suo; adeoque „ pari ratione fuisse omittendum. Ne enim „ omitteretur & ipse, peculiaris ratio obfuit, quia dignitas Regum Juda ex stirpe „ David in eo finem habuit: idcirco peculiaris ipsius mentio facienda fuit. Huc adde, „ non deesse, qui putent omissionem illam „ Joachini Josiæ filii a Matthæo ipso consulto factam non esse, sed Scribarum, & „ Amanuensium mendum id esse. Testatur „ enim Faber Stapulensis, a Joanne Maldonato laudatus, legisse se Codicem Græcum ita referentem: *Josias autem genuit* „ *Joachin, Joachin autem genuit Jechoniam*. „ At num hæc verius peculiaris illius Scribæ audacia fuit, qui Joachinum de suo „ adjecit „?

Ad III. Verba illa: *In transmigratione Babylonis*; non referuntur ad *genuit*; ita ut sit sensus, quod Josias genuerit Jechoniam, etiam medio Joachino, in transmigratione Babylonis; quia jam obierat diu antequam transmigratio fieret; sed referuntur ad Jechoniam, & fratres ejus; quasi dicat: Josias genuit Jechoniam, & fratres ejus, qui fuerunt in transmigratione Babylonis. Et ita respondet Serry. Cornelius vero a Lapide hæc habet: „ *In transmigratione Babylonis: Græce* ἐπὶ τῆς μετοικεσίας „ Βαβυλῶνος; idest, sub, vel circiter transmigrationem Babylonis, idest, sub captivitatem Babylonicam, in qua Judæi capti a „ Nabuchodonosore, abducti sunt in Babylonem. Transmigratio ergo Judæorum „ Babylonis, id est, Babylonica, vel in Babylonem, fuit triplex: Prima enim contigit anno undecimo Joakim Regis, in qua „ abductus fuit Daniel, & Ezechiel; Secunda contigit post tres menses, in qua cum „ Rege Joachin, filio Joakim, abductus „ fuit Mardochæus, Patruus Esther; Tertia, „ & perfectissima accidit post undecim an- „ nos,

,, nos, scilicet; anno undecimo, & ultimo
,, Sedeciæ Regis, qua pene omnes reliqui
,, abducti sunt. Vide dicta Daniel. 1. 1. &
,, Jerem. 52. 4. ,,

Ad IV. Matthæus scripsit, Salathielem genitum post trasmigrationem Babylonia; intelligens, per verba illa actum ipsum transmigrandi e Judæa in Babylonem: Sed Auctor libri 2. Paralip. scribens Salathielem genitum in ipsa transmigratione intelligit totum tempus in Babylone, quæ per annos septuaginta duravit; & per id temporis Jechonias genuit Salathielem.

Ad V. Zorobabel, de quo est sermo lib. 1. Paralipom., diversus est ab illo, de quo loquitur Matthæus in Salvatoris genealogia. Zorobabel Matthæi est ille, cujus fit mentio apud Esdram, & Agæam, a quibus semper dicitur filius Salathielis. Videatur lib. 1. Esdræ cap. 3. ver. 2., & 8., & cap. 5. ver. 1., & videatur Agæas cap. 1. ver. 12., & cap. 2. ver. 3. Et quod fuerint duo diversi Zorobabeles, ex hoc patet quam maxime, quod illorum diversi numerentur filii; etenim Zorobabelis Matthæi filius dicitur Abiud; & alterius Zorobabelis dicuntur filii Mozolla, & Hanania lib. 1. Paralipom. cap. 3.

Ad VI. Hæc reponit Serry: ,, Ergone Lu-
,, cas in vitio est, si qui forte Patres ali-
,, quando aliter legerint? Aut etiam, si
,, superis placet, ex Patribus Evangelium
,, emendabimus, ac non potius Patres ex
,, Evangelio? Si qui ergo alicubi legerunt
,, aliter, nonnullosque inter scribendum
,, genealogicos gradus prætermisere; id,
,, vel oscitantia factum est, vel quod in
,, mendosos fortasse Codices, si qui tamen
,, sunt hoc in capite, inciderint aliquan-
,, do. ,, Nos autem rectius putamus, dicendum, quod, vel mediatos, non immediatos, Avos, aut Proavos Christi recensuerint Patres illi, vel quod, brevitatis gratia illos omiserint.

Ad VII. Transcribimus quæ probati Auctores circa hunc Cainan putarunt, atque dixerunt. Et quidem Cornelius a Lapide in cap. 3. Lucæ ver. 36. hæc habet: ,, Hunc Cainan omittunt, & ex-
,, pungunt Hebr., & Chaldæus Genes. 11.
,, ver. 12. & 1. Paralipom. 1. ver. 18., & 24.
,, Addunt vero eundem ibidem Septuag.,
,, & ex iis Lucas hic. Problema ergo chro-
,, nologicum est, an Cainan hic Christi
,, genealogiæ, & chronologiæ inserendus
,, sit cum Septuag. & Luca, an vero omit-
,, tendus cum Mose? In Genesi cum Mose
,, steti pro Mose, & rationes attuli, cur
,, omittendus videatur Cainan. Nunc in
,, Luca stabo pro Luca, & rationes, cur
,, inserendus sit afferam. Lector judicet,
,, & eligat quod sibi probabilius apparet.
,, Omittendum esse Cainan censent Bero-
,, sus, Philo, Josephus, Theophilus An-
,, tioch., Africanus, Orosius, Procopius,
,, S. Hieronymus, Gregorius Turon., Isi-
,, dorus, Ado, Beda, Abulensis, Eugubinus,
,, Genebrardus in Chronol. Gen. c. 11.
,, v. 12., ac Jansenius, & Cajetanus hic.
,, Si eis objicias, Lucam hic non omittere,
,, sed inserere Cainam, respondent, Lucam
,, more suo, quia Gentibus scribebat, qui-
,, bus nota erat dumtaxat versio Græca
,, Septuag., non vero ipsa Hebræa Mosis,
,, ex Septuag. inserere Cainan, idque ne
,, a Gentibus falsitatis, vel ignorantiæ in-
,, simularetur, quod contra fidem Biblio-
,, rum Græcorum, quæ sola ipsi norant,
,, omitteret Cainan. Ita respondet S. Hie-
,, ronymus in quæst. in Genesin, dans cau-
,, sam, cur Lucas Actor. 7. dicat ex Se-
,, ptuag. 75. animas cum Jacob ingressas
,, in Ægyptum, cum Moses (Genes. 46.
,, v. 27.) tantum assignet 70. *Facilis*, in-
,, quit Hieronymus, *excusatio est; non enim*
,, *debuit S. Lucas, qui ipsius historiæ scriptor*
,, *est, in Gentes Actuum Apostolorum volu-*
,, *men emittens, contrarium aliquid scribere*
,, *adversus eam Scripturam, quæ jam fuerat*
,, *Gentibus divulgata: & utique majoris opi-*
,, *nionis illo dumtaxat tempore Septuaginta*
,, *Interpretum habebatur auctoritas, quam*
,, *Lucæ, qui ignotus, & vilis, & non magnæ*
,, *fidei in nationibus ducebatur. Hoc autem*
,, *generaliter observandum, quod ubicumque*
,, *S. Apostoli, aut Apostolici viri loquuntur ad*
,, *populos, iis plerumque testimoniis abutuntur,*
,, *quæ jam fuerant in Gentibus divulgata: li-*
,, *cet plerique tradant Lucam Evangelistam,*
,, *ut proselytum, Hebræas literas ignorasse.*
,, Huc usque S. Hieronymus. Quo circa,
,, inquiunt Auctores isti, in Luca nihil est
,, falsi, nullum mendacium, cum ex Se-
,, ptuag. interserit Cainan, sive verum,
,, sive fictum, & falsum, quia id facit non
,, ex se, sed ex Septuag., quos more com-
,, muni sequitur, q. d. Ego Lucas recito
,, vobis, o Gentes, genealogiam Christi
,, juxta Catalogum generationum, quam
,, texunt Septuag. qui a vobis toto Orbe
,, receptus est, in quo Cainan inseritur,
,, esto juxta hebraicam veritatem sit omit-
,, tendus. Hæc enim sententia est vera, &
,, irreprehensibilis, etiamsi a Septuag. er-
,, ratum, vel evariatum esset. Qui enim in

,, Chro-

„ Chronologia, aliave re affert communem „ Auctorum gravium sententiam, non errat, cum illa probabilis sit, esto a parte „ rei minus sit vera, & falsa. Sic Ecclesia „ consignans in Martyrologio die 25. Decembris annum Nativitatis Christi, dicensque, Christum natum esse anno a „ mundi creatione 5199., non errat, quia „ id facit ex mente Septuag., qui totidem „ annos assignant, quos olim totus orbis „ sequebatur; esto in annis hisce re vera „ juxta veritatem Hebraicam videatur esse „ error, uti ex S. Augustino ostendi Genes. „ 5. Auctoritas enim Septuag. Interpretum „ in Chronologia facit sententiam probabilem, quam quisque tuto sequi, & citare potest ut probabilem, imo illo ævo „ communem. Loquendum enim, ut multi; sapiendum, ut pauci. Sæpe enim Scriptura, & Auctores Canonici loquuntur „ ex communi aliorum sensu, & vulgi opinione, non ex rei veritate. Ne longe „ abeamus, exemplum est in Luca, qui hic, „ & cap. 2. Joseph vocat patrem Christi, „ cum re vera non esset pater, sed tantum „ a vulgo putaretur esse ejus pater. Hæc „ Auctores illi, puta Eugubinus, Cajetanus, Genebrardus, Jansenius, liberius, & „ audacius. Alii mitius, & reverentius errorem hunc (si tamen est error) in inserendo Cainan tribuunt non ipsis Septuag., sed eorum descriptoribus, qui „ per oculorum lapsum videntes Cainan „ paulo ante positum in genealogia Adæ „ ante diluvium, eumdem hic post diluvium repetierunt. Quam enim eorum „ incuria vitiosi fuerint olim Codices Septuag., præsertim in genealogiis, & nominibus propriis, locuples testis est S. „ Hieronymus epist. ad Domnionem, & „ Rogatianum. Ex adversa parte inferendum esse Cainan, censent Eusebius, S. „ Augustinus, Nazianzenus, Sulpitius, „ Hugo, Dionysius, Lipomanus, Melch. „ Canus, Delrio, Toletus, Barradius, & „ alii moderni passim. Ratio est, quod „ omnia exemplaria tum hic interserant, „ Latina, Syra, Persica, Ægyptia, Æthiopica, Arabica, Græca (unico excepto.) „ Romæ consului Codices manuscriptos, „ antiquissimos in Bibliotheca Vaticana, „ in Basilica S. Pauli, in Oratorio Cardinalis Baronii, ubi vidi Biblia ante 800. „ annos manuscripta, Alcuini, & Caroli „ Magni, in quibus omnibus hoc loco reperi insertum Cainan. Quare religio „ mihi est, a Sacro S. Lucæ textu adeo „ constanti, & certo non recedere: hanc „ enim reverentiam S. Lucæ, & sacris libris debere me existimo, præsertim cum „ minus incommodi sit dicere, Cainan a „ Mose præteritum ob causas nobis incognitas, quam in Lucam irrepsisse, aut „ falso poni in sacro S. Lucæ textu, itaque „ in eo suspectam facere fidem omnium „ exemplarium. Imo Albertus Magnus, „ Glossa, & Toletus suspicantur Cainan „ olim fuisse Genes. 11. 12. in textu Hebr. „ indeque Septuaginta eum in Grecum „ transtulisse. Alii censent Septuaginta „ eum addidisse ad mysterium, quod nos „ latet. Liranus censet, Cainan fuisse filium non naturalem, sed adoptivum „ Arphaxad. Alii Cainan censent, esse eundem cum Sale. Unde Lipomanus in Genes. 11. Joan. Nauclerus, & Joan. Lucidus „ legunt hic: *Qui fuit Sale, qui & Cainan*, „ sed contra omnium Codicum fidem. „ Quare omnino retinendum hic censeo „ Cainan, uti & censui Genes. 11. 12. An „ Chronologiæ sit intexendus, eique addendi anni 30. ut ceteris, an non, variant Chronologorum sententiæ, aliis „ annos hos 30. addentibus, aliis eos omittentibus. Forte enim alia de causa inseruere eum Septuaginta, & ex eis S. Lucas. Est enim hoc, ut dixi, problema „ Chronologiæ: Unde Lucas non ait: *qui genuit, sed qui fuit Cainan*, quod varie „ explicari potest, ac multo magis Græcum „ τῦ καϊνᾶν. Simili modo Septuaginta alibi „ multa supplent, & addunt, quæ non „ sunt in Hebræo, & ab eo sæpe evariant. „ Fuere enim ipsi non tantum interpretes, sed & Vates spiritu prophetico pollentes, teste S. Hieronymo, & S. Augustino lib. 2. de consensu Evangelistarum „ cap. 66., & fusius in Quæstionibus super „ Genes. quæst. 169. „ Serry autem hæc de eodem Cainane scribit Exercit. 43. „ Quapropter alterutrum fateri cogimur, „ vel mendum irrepsisse in veteri Testamento, ex quo intermedia Cainanis generatio detracta fuerit; vel irrepsisse „ mendum in Evangelio Lucæ, ubi perperam adjecta fuerit; Quia tamen facilius „ est, Scribarum audacia mendum semel „ tantum irrepsisse Lucæ 3. per levem additionem præpostere factam; quam irrepsisse omnino quater in veteri Testamento per studiosam generationis unius „ detractionem; tot enim vicibus ibi legimus, Arphaxad genuisse Sale, omisso „ Cainane: probabilius multo est, Cainanis „ generationem Arphaxadum inter, & Sale in Lucæ Evangelio a Scribis, & Ama-

„ nuen-

nuenſibus fuiſſe inſertam. Id, ut aſſaram, alia multa me movent, quanquam vel hoc unum, etſi deeſſent alia, abunde ſufficeret. Quia nulla Cainanis illius inter Arphaxadum, & Sale mentio occurrit in Textu Hebraico Geneſeos, & Paralipomenon, nulla in verſionibus, Arabica, Chaldaica, Samaritana, ac etiam Vulgata noſtra. 2. Quia Beroſus Chaldæus, Eupolemon, Alexander Polyhiſtor, quorum fragmenta extant apud Joſephum lib 1. Antiquit. cap. 8., & apud Euſebium lib. 9. Præparationis Evangelicæ, Cainanem illum aperte rejiciunt. Quippe qui Abrahamum decima poſt Diluvium generatione vixiſſe, concorditer ſcribunt; qui tamen numerato Cainane, undecimus eſſet. 3. Quia Scriptores Hebræi vetuſtiores, & inſigniores, Joſephus, & Philo; eundem in taxenda Patriarcharum ſerie ſecundæ ætatis prætermittunt. Uti etiam Euſebius Cæſarienſis in Chronico; ubi annos veterum Patriarcharum enumerat ex triplici textu, Hebraico, Græco, & Samaritano. 4. Quia tametſi in hodierna Septuaginta Interpretum Verſione Cainanis generatio legatur; liquet tamen aliena, & interpolatrice manu fuiſſe illic infartam, & a primigeniis illius exemplaribus abfuiſſe: cum Philo Judæus, Joſephus, Julius Africanus, Irenæus, Theophilua Antiochenus, Origenes, Epiphanius, qui Septuaginta Interpretum calculos ſequi ſolent, Cainanem illum in ſtemmate genealogico Patriarcharum omittant: noteteque Procopius Gazæus ad cap. 11. Geneſis, Cainanis generationem in Verſione Septuaginta Interpretum obelo fuiſſe confixam, in Hexaplis Origenis: *Hebraica*, inquit, *veritas habet, Salem genitum eſſe ab Arphaxad: quæ deinde in medio ponuntur, obelo ſignata viſuntur*. 5. Demum, quia abeſt idem ille Cainan e nonnullis pervetuſtis Codicibus Græcis, ipſius etiam Evangelii Lucæ, ac maxime a Codice Græcu Latino quarti, ut pletique putant, Eccleſiæ ſæculi omnium probatiſſimo in Galliis olim aſſervato, quique nunc extat in Bibliotheca Cantabrigenſi. Unde maxime liquet, ne quidem apud Lucam extitiſſe primitus Cainanem illum; ſed deinceps temere, ac per ſummam audaciam fuiſſe inſertum. Sed extat, inquis, Cainan ille in Vulgata S. Lucæ verſione, quæ a Concilio Tridentino, ut authentica probata fuit. Ita ſane: ſed abeſt, inquio ego, in Vulgata Veteris Teſtamenti Verſione, quæ perinde authentica eſt ejuſdem Concilii Tridentini judicio. Alterutro itaque loco mendum irreptitium eſſe, neceſſe eſt, quantacunque ſit illa Vulgatæ Verſionis authentia: multiplex tamen in veteri Teſtamento, ſimplex in Novo mendum erit: nam quater illic deeſt Cainan, iſtic ſemper abundat. Imo longe gravius illic mendum erit, patentiorque lacuna. Cum enim Moyſes Geneſ. 11. non modo narret generationes omnes Patriarcharum a Noe uſque ad Abraham; verum etiam diſtincte notet, quoto quiſque vitæ ſuæ anno filium genuerit, quotve ſubinde annis poſt genitum filium ſupervixerit, ſi qua illic, Cainanis occaſione, mutilatio facta eſt; conſequens erit, non modo Cainanis generationem fuiſſe detractam, verum etiam detractos perinde annos, quos Cainan numeraret, dum genuit Sale; annoſque perinde, quos poſt Sale genitum, ad mortem uſque numeravit. Si quid ergo Vulgatæ Verſionis authentia nos movet, ne eam ſub aliquo mendo cubare de facili concedamus; quis non videat, concedendum potius leve, ſimplexque mendum in Evangelio Lucæ, quam multiplex, graviuſque in Moyſis Pentatheuco? Ut fatear nihilominus, quod res eſt: nihil iſtius generis menda, ubicumque contigerint, Vulgatæ Verſionis authentiæ officiunt. I. Quia conſtat ex Criticis univerſis, ac ex ipſa Præfatione Clementinæ Bibliorum correctioni præfixa, leviora hujuſmodi menda nonnulla, etiam ad præſens in ea Verſione reperiri; quorum Scriptores aliqui elenchum, & indicem texuerunt. 2. Quia etiam poſtquam probata fuit ut authentica in Concilio Tridentino, a variis mendis leviuribus repurgata fuit a Sixto V., & Clemente VIII. 3. Quia ad illius authentiam ſatis eſt, ſi nihil contineat contra fidem, aut bonos mores; nihil in gravioribus aberrera vero. 4. Quia a Concilio Tridentino authentica dicta eſt comparate ad reliquas Verſiones; non quod fontibus Hebraicis, ac Græcis præferenda ſit, ad quorum potius fidem publica Eccleſiæ authoritate emendari poſſet. Quæ omnia, ne quis forte audacius dicta putet; legat, ſi per otium vacat, Andream Vega lib. 15. de Juſtif. cap. 9., Alphonſum Salmeronium Proleg. 3. in Evang., Robertum Bellarminum lib. 2. de Verbo Dei cap. 10., & 11., Sixtum Senenſem

lib. 8.

„ lib.8. Biblioth., Cardin. Pallavicinum lib.6. hist. Concilii Tridentini cap. 17., Serrarium in Prolegom. cap. 19. quæst. 18., & Præfationem recentioribus Bibliis affixam, tibi hæc ipsa fusius explicantur. Quia vero hanc hodiernis Italiæ Theologis labem inuri video, ut, neglecta fide Majorum, in contraria nunc sententia versari credantur: placet dictis adjicere, quæ paucis ante diebus Orator Summus, idemque Theologus non vulgaris coram Eminentissimo Principe, ac delibato totius litteratissimæ Civitatis flore, e suggestu pronunciabat, dum de veterum linguarum studio Sacrarum Scripturarum studiis adjungendo, publice diceret: Græcos, inquiunt, & Hebraicos Codices, tum ipsa vetustate exesos, tum etiam multorum audacia corruptos esse: huc ipsos Tridentini Concilii Patres spectavisse, cum Vulgatam unanimi consensu probaverunt, & unam ex omnibus Sacrorum Bibliorum editionem Christianis hominibus commendarunt. Non tantum mihi a vobis conceditur otii, ut veteri calumniæ, sæpiusque retusæ hodierna luce respondeam: id unum dicam, quod, ubi opus fuerit, gravissimorum Scriptorum suffragiis confirmare possum; Vulgatam editionem, non Græcæ, aut Hebraicæ, sed reliquis Latinis, quarum magna copia, & varietas in dies exibat, necessario illo Tridentinorum Patrum decreto præpositam fuisse. Multa quidem commoda, ac prope innumera in Christianam Ecclesiam ad fidei, morumque leges componendas per Synodum Tridentinam redundarunt; sed nihil tam grave accepimus, quam quod ex omnibus Latinis Sacrarum Scripturarum Interpretationibus una illa probata est, quæ cæterarum optime, ac fidelissima nutantia multorum ingenia tanquam clavo firmaret, certisque regionibus circumscriberet. Neque tamen ideo Hebraicis, aut Græcis Codicibus, unde Latini omnes, cæterique manarunt, quippiam auctoritatis detractum est: Stat adhuc eorum fides firmissimis præsidiis fulta, liceteque in rebus dubiis ad prima illa Verbi Divini exempla, non modo sine crimine, verum etiam cum laude provocare. Haud equidem nego, mutila quædam in illis esse, nonnulla vero etiam mendosa; sed & menda ipsa verendæ antiquitatis indicia sunt, & partibus insunt minime necessariis; & in Vulgatam quoque, Librariorum incuria, si minuta quælibet animadvertimus, irrepserunt. Nihil novi affero, nihil, quod Summi Vulgatæ patroni, si serio, & ex animo agant, negare possint. Sed vereor auditores, ne quemadmodum qui dignitates in Republica obtinere non possunt, privatum otium laudare solent, omnemque rei gerendæ rationem conquisitis difficultatibus improbare; ita qui Græca, & Hebraica studia, sive animi infirmitate, sive inertia defugiunt, eorum laudem malignius imminuant, tantumque Latinis concedant, ut modum, fidemque superet. „ Denique Natalis Alexander in histor. Ecclesiast. veteris Testamenti dissert.4., cui titulum præfixit: *De Cainan Arphaxadi filio, in Vulgata Editione memorato, an verus sit, an insititius?* proposit. unica, cujus titulus est: *Cainan, qui in Semi Genealogia inter Arphaxad, & Sale habetur, irreptitius, ac suppositititus est*; totus est, ut probet, quod Cainan, qui in Genealogia Christi apud Lucam reperitur, vel Librariorum errore, vel quocunque alio modo invectus fuerit, adeo ut omnino irreptitius, ac supposititius dicendus sit. Concludit denique in Scholio apposito ad Dissertationis Calcem ad Editionem Parisiensem anni 1699. „ Quod viri quidam Eruditi ajunt, ex hebræis Codicibus Cainan a Judæis expunctum fuisse omni specie probabilitatis caret. Nihil enim causæ fuit, cur a Judæis expungeretur, cum illius seu nominatio, seu prætermissio nihil prorsus faciat ad Christianorum dogmatum confirmationem, sive ad confutationem pravitatis judaicæ. Et sane Judæorum rabies genuinum potius fixisset in Vaticiniis de Christo extantibus in Scriptura Sacra, quæ tamen integra habemus, hodieque ad Judaicam impietatem expugnandam. Nec probabilius dici potest, nomen illud forte prætermissum Librariorum oscitantia, & incuria, cum non solum nomen Cainan desit in Hebræo Textu, sed & generatio ejus, & anni vitæ, quæ omnia per incuriam expuncta, vel prætermissa fuisse, haud verisimile est. Facilius quin etiam concedi posset, mendum illud irrepsisse in Textum sacrum, siquidem uno saltem loco mentio Cainan extaret: tribus vero locis id factum quis sibi persuadeat. Præterea, si nomen illud ex Hebraico Textu expunctum, vel prætermissum per incuriam fuisset, nunquid id Masoretharum criticam diligentiam fuisset, qui non solum

„ nul-

„ nullius literæ hic meminerunt, sed & „ contrarium tradunt, nullam, videlicet, „ deesse generationem inter Arphaxad, „ & Sale. Nam ad v.21. 1.Paralip. 1. in „ notis marginalibus Masorethicis legitur: „ *Duo versus,in quorum dictionibus omnibus* „ *Schin*, scilicet reperitur, quod utique „ falsum foret, si Cainan insertus aliquando „ fuisset medius inter Arphaxad, & Sale. Denique intruso in Textum sacrum „ Cainan, uno, eodemque anno, & filius, „ & nepos ab Arphaxad dicerentur geniti. „ Si enim Codicem Hebræum consulamus, „ reperiemus, Arphaxad genuisse Sale anno ætatis trigesimo quinto. Si consulamus Septuaginta Interpretes, illo ipso „ anno Arphaxad genuit patrem Sale, nimirum Cainan. Moysen, & S. Lucam „ facile conciliari posse viris quibusdam „ Eruditis videtur, & Codicum Hebræorum simul ac Græcorum fides, & integritas probari, dicendo, Cainan, & Sale „ nominibus unam, eandemque personam „ designari, & hunc esse sensum verborum S.Lucæ, τῦ Σαλὰ τῦ Καινὰν; non *qui* „ fuit Sale, *qui fuit Cainan*; *sed qui fuit Sale, qui & Cainan*; hoc est, qui Sale vocatus etiam fuit Cainan. Verum hæc „ responsio non satisfacit. Nam 1. ex versione Græca Geneseos evidens est, Cainan proponi ut personam distinctam a „ Sale, imo ut patrem Sale, a quo iste genitus: a Versione autem illa hoc loco „ interpolata, ut explicuimus, admodum „ probabile est, Cainan in Textum S. Lucæ irrepsisse. Præterea hic ratio, & significatio articuli τῦ eadem est, quæ in „ toto capite. Cum ergo ubique alias designet & personam diversam, & habitudinem inferioris ad superiorem, causæ „ nihil est, cur hic solummodo articulus „ duplicatus unam, eandemque personam „ designet. Denique probandum esset, „ non supponendum, Sale fuisse binomium, & vocatum etiam Kainan.„

Triginta circiter ab hinc annis hæc præsens de Cainane controversia inter primæ notæ Theologos Urbis, acriter exarsit, quibusdam pro una, & aliis pro altera parte pugnantibus. Fuimus Nos de sententia nostra requisiti; sed illam nemini aperire voluimus; tum propter venerationem, quam antiquo Textui profitebamur; tum ratione submissionis, quam Vulgatæ editioni exhibemus. Eodem prorsus modo hic pariter agimus; nempe de hac celeberrima controversia animi nostri sensum celantes objectioni propositæ satisfacimus unius, vel alterius ex prælibatis Scriptoribus verbis, ac rationibus.

Ad VIII. Respondet Hieronymus Epist.32. ad Vitalem, quod Achaz anno decimo ætatis suæ re vera genuerit Ezechiam; & ut hoc possibile probet, plura adducit exempla. Subscribit Hieronymo Fridericus Spanhemius part. 2. Dubiorum Evangelicorum, ubi exemplis quoque probat, quod ætas undecim annorum ad generandum aliquando sufficiat. Et Scaligerus narrat temporibus suis contigisse, quod in Civitate Lectoratensi puer, annorum undecim minor, genuit ex puella consobrina sua, quæ nondum decimum annum expleverat. Alii autem respondent, quod Achaz fuerit quatuordecim annorum, quando genuit Ezechiam. Rationem hujus responsionis sic prosequitur Graveson. „ Ratio est, quia „ in Scriptura Sacra tacentur anni incompleti Achazi; erat enim Achaz, cum regnare cœpit, viginti annorum, & unius „ completi, quem non numerat Scriptura, „ rursum Achaz regnavit sexdecim annis, „ scilicet integris, & decimo septimo incompleto: quare, juxta hunc computum, „ Achaz mortuus est anno ætatis suæ trigesimo octavo. Similiter, Ezechias erat „ tantum viginti quatuor annorum completorum cum regnare cœpit, sed inchoarat annum vigesimum quintum. Si „ ergo numerus viginti quatuor annorum „ completorum, quos natus erat Ezechias, „ quando Regnum capessivit, detrahatur „ de annis triginta octo, quos habebat „ Achaz, quando e vivis excessit, perspicuum erit, Achazum anno ineunte decimo quarto ætatis suæ genuisse Ezechiam, quod sane non est incredibile, „ utpote nec experientiæ, nec naturæ ordini contrarium.„

DISSERTATIO CCXXVII.

De Christi Domini fuga in Ægyptum. Qua de caussa Christus in Ægyptum fugere voluerit? Quo tempore, & ex quo loco, Maria Virgo, & Joseph cum Christo, fugam arripuerint? Quantum temporis in Ægypto permanserint? Portenta, atque prodigia in Ægypto patrata, quando Christus illuc pervenit, quæ fuerint? Ubi vera adstruuntur, falsa refutantur.

EX Evangelio habemus, Josepho datum fuisse ab Angelo divinum mandatum in somnia, ut in Ægyptum fugeret, Matthæi 2. verbis hisce: *Surge, & accipe puerum, & Matrem ejus, & fuge in Ægyptum, & esto ibi, usque dum dicam tibi: Futurum est enim, ut Herodes quærat puerum, ad perdendum eum.* Ex quibus verbis patet, quod mandatum datum fuit soli Josepho, postquam Jerosolymis purificationis, & oblationis officium peractum est. Ratio hujus dicti est, quia Joseph postquam divinum mandatum accepit, statim illa eadem nocte consurgens secessit in Ægyptum, ut ait Evangelista: ergo si ipsemet Joseph non peregit officium illud, antequam discederet, non fuit a B. Virgine peractum, quod est pariter contra Evangelium; Et quia officium illud peractum est quadragesimo die post partum, remanet, ut dicamus, quod discessus in Ægyptum post quadragesimum diem post partum peractus fuerit. Insuper, peracto purgationis, & oblationis officio, Joseph cum Maria Virgine conjuge, & cum puerulo Jesu, in Galilæam petrexerunt, & in Civitatem suam Nazareth, ubi fixam habebant habitationem. Quod asseritur expresse a S. Luca cap. 2. sui Evangelii: *Ut autem perfecerunt omnia secundum legem Moysi, reversi sunt in Galilæam in Civitatem suam Nazareth.* Quibus verbis, *ut perfecerunt, reversi sunt*, denotatur, illos statim rediisse Nazareth, postquam illa fuerunt perfecta. His positis

Primo fuerunt putantes, ex Bethlehemo Sanctos Conjuges cum puero Jesu fugam arripuisse in Ægyptum. Ita S. Augustinus, & cum eo Jansenius, Episcopus Gandavensis, censent, Christum ex Judæa, non ex Galilæa, fugisse in Ægyptum, ex eo quod Matthæus dicat, Josephum redeuntem ex Ægypto cogitasse ire in Judæam: ergo, inquiunt, ex ea fugerat in Ægyptum.

Secundo alii dicunt, ex Jerosolymis fugam suscepisse, ut in Ægyptum irent, post præsentationem scilicet in Templo factam; & hujus opinionis est Cajetanus in Matthæi 2., motus conjectura probabili, non tamen efficaci, ut ait Suarez 3. par. qu. 27. ar. 4. disp. 17. sect. 1.

Tertio alii censent, post adorationem Magorum Jesum, Mariam, & Joseph, venisse Jerosolymam, ut Maria purificaretur, & Jesus præsentaretur in Templo, quo utroque officio peracto, abjerunt Nazarethum, & ibi fugiendi mandatum a Deo per Angelum acceperunt; quo accepto, statim ex Nazaretho susceperunt iter, & in Ægyptum fugerunt. Et hujus sententiæ sunt Euthymius, Tatianus, Ammonius Alexandrinus in Harmonia Evangeliorum, Origenes, hom. 18. in Lucam, Anselmus, aliique plures.

Quarto ex fuga ista in Ægyptum Infideles pletique crediderunt, Christum non fuisse verum Deum, dicentes; Si verus Deus fuit, quid oportuit fuga vitæ consulere? Et Nestoriani apud Maxentium Dialog. 1. publicare non erubescebant: *quid potest esse iniquius, quam ut credatur*

Deus

Deus propter hominem fugisse in Ægyptum?

Dicimus I., Christum Dominum fugisse in Ægyptum, & ut periculum mortis vitaret, & ut prophetias adimpleret, & ut Regionem illam sua præsentia, exemploque suo, sanctificaret.

Prima pars probatur I. Christus mortuus est, quia voluit: ergo tunc est mortuus, quando voluit: ergo quando noluit, non est mortuus; sed noluit mori in infantia: ergo ne in infantia moreretur in Ægyptum fugit. Et ideo dicebat Fulgentius serm. de Epiphania: *Dignatus est in Ægyptum fugere, ut postea crucem dignaretur ascendere, facit enim eum mori benignitas propria, non malignitas aliena*. II. Poterat Christus absque fuga in Ægyptum mortem vitare, si usus fuisset potentia, & majestate sua; sed nolebat uti potentia, & majestate sua: ergo ut mortem vitaret, uti debebat dignatione, & infirmitate sua; sed hoc importabat fugere in Ægyptum. Et hoc dicere intendunt Sancti Patres, quos subdimus; Eusebius lib. 9. de Demonstrat. Evangel. cap. 4. *Non decebat, Salvatorem adhuc puerum miracula exordiri, atque ante tempus divinam ostentare virtutem*. Et recte Fulgentius: *Fugit, non formidine humana, sed dispensatione divina; fugit, non necessitate, sed potestate.* Chrysologus serm. 150. *Quid est, quod sic cælestis causa tristatur, ut humanus se confundat auditus, lassetur animus, laboret intelligentia, sensus hebetetur, fides nutet, spes titubet, credulitas ipsa succumbat, persequente homine, Deus fugit, sæviente terra, Cælum trepidat, & pavor patriæ, filio fugiente, monstratur, David, persequente Saul, ad Judæam confugit, recepit vicinia, domus unius Viduæ Eliæ sufficit ad latebras, Christo fugienti locus deest, provincia deficit, non subvenit patria .... Bellicosus, quod in bello fugit, artis est, non timoris, Deus quando fugit hominem, sacramenti est, non pavoris potens, quando se subducit infirmo, insequentem non pavet, sed foras producit, vult enim in aperto vincere, qui publicam referre cupit ex hoste victoriam; hinc est, quod Christus fugit, ut cedat tempori, non Herodi.* III. Voluit Deus hoc in casu dare locum prudentiæ humanæ, & non uti providentia divina: ergo oportebat, ut Christus in Ægyptum fugeret. Antecedens patet, quia licet Deus potuisset divina providentia servare Christum immunem in Civitate Nazareth, secundum tamen prudentiam humanam, ibi securus non erat, qui facile poterat eum Herodes inquirere, invenire, & occidere: Consequentia sequitur; quia secundum prudentiam humanam, non erat alius modus evadendi Herodis persequutionem, quam per fugam in Ægyptum, quo Herodis potentia non extendebatur.

Secunda Conclusionis pars probatur. I. In Evangelio enim exprimitur prædictio Prophetæ Oseæ de reditu Christi ex Ægypto, & per consequens de fuga Christi in Ægyptum. Dicitur enim Matthæi 2. *Qui consurgens accepit Puerum, & Matrem ejus nocte, & secessit in Ægyptum. Et ibi erat usque ad obitum Herodis, ut adimpleretur quod dictum est a Domino per Prophetam dicentem: Ex Ægypto vocavi filium meum. Si enim in Ægyptum non fugisset, ex Ægypto vocari non potuisset.* II. probatur ex Patribus, qui hoc idem intelligunt; nimirum Nazianzeno orat. 24. dicente: *De quo* (hoc est de Christo) *nunc mihi quoque Patrem audire videor dicentem, ex Ægypto vocavi filium meum.* Eadem habent Athanasius lib. de Incarnat. Verbi Dei, Prosper de promissionibus, & prædictionibus Dei part. 3. cap. 8., Eusebius Emissenus, qui dicit apud Suarez: *Impleta est prophetia, & utilitas prophetiæ*; Anastasius Synaita lib. 12. Commentariorum in Hexameron. III. Hoc ipsum probant Patres ex vaticinio Isaiæ cap. 19. *Ecce Dominus ascendet super nubem levem, & ingredietur Ægyptum, & commovebuntur simulacra Ægypti a facie ejus.* Patres autem, qui hoc intelligunt apud Suarez sunt Author Operis imperfecti, quem ipse Suarez dicit Chrysostomum homil. 2., Eusebius lib. 6. de demonstr. Evangel. cap. 20., Athanasius loco nuper citato, Procopius in Isaiam per nubem levem intelligens B. Virginem, cujus ulnis Salvator invectus est in Ægyptum.

Tertia conclusionis pars de causis mysticis, & moralibus, probatur, enumerando illas, prout enumerantur ab eodem Suarez, quarum prima ponitur illa, quam tetigit Leo Magnus serm. 2. de Epiphan. *Tunc autem etiam Ægypto Salvator illatus est, ut gens antiquis erroribus dedita, jam ad vicinam salutem per occultam gratiam signaretur, & quæ nondum ejecerat ab animo superstitionem, jam hospitio reciperet veritatem.* Et serm. 3. de Epiphan. idem Leo scribit: *Ægypto se parentum ministerio subvectus intulerat, repetens, scilicet, Hebrææ gentis antiqua cunabula, & principatum veri Joseph majoris providentiæ potestate disponens,*

ut illam diriorem omni inedia famem, qua Ægyptiorum mentes veritatis inopia laborabant, veniens de cælo panis vita, & cibus rationis auferret: ne sine illa regione pararetur singularis hostia sacramentum, in qua primum occisione agni salutiferum crucis signum, & Pascha Domini fuerat præformatum. Secunda caussa affertur ab Origene apud Suarez verbis hisce: *Fuge in Ægyptum, ut ii, qui nomine Christi persecutionem patiuntur, qui tribulationes tolerant, qui injurias perferunt, fortiter stent, viriliter prælientur, Ecclesiam non deserant; sed semper meminerint, quia Dominus a peccatoribus persecutionem perpessus est .... Fugit enim Dominus de loco in locum, non mortem timens, neque interfectionem formidans, sed mysterium, & consummationem passionis expectans.* Quibus addit Athanasius apologia de fuga: *decuisse Christum, sicut esuriendo, sitiendo, patiendo, ita quoque ipsa ratione fugiendi ostendere se carnem gestare, & hominem factum esse.* Denique Chrysologus serm. 150. *Christus fugit nobis, non sibi; Christus fugit, ut dispensata temporibus sacramenta servaret: Christus fugit, ut futuris virtutibus, & perfidis materiam tolleret excusandi, & credituris fidei fiduciam largiretur, quia in persecutione melius est fugere, quam negare.*

Arguunt I. Herodes jussit occidi infantes, qui erant in Bethlehem, & in omnibus finibus ejus; sed Christus Dominus habitabat Nazareth, non Bethlehem: ergo non comprehendebatur inter infantes Herodis jussu interficiendos: ergo non debebat ob hanc rationem fugere in Ægyptum. II. Deus sciebat, quo in loco facienda erat illa puerorum interfectio, & sciebat pariter, quod Nazareth nullus infans erat occidendus: ergo frustra per Angelum revelavit Josepho, Christum esse occidendum ab Herode, adeoque fugeret in Ægyptum, ut imminentem interfectionem vitaret. III. Quando Josephus rediit ex Ægypto, & imminebat timor Archelai, Herodis filii, non timuit ire Nazareth, & ibi permanere: ergo pariter nec timere debebat Nazareth habitare, quando occidendi erant infantes, & per consequens non oportebat eum cum Jesu, & Maria, in Ægyptum fugere. IV. Si Christus erat Deus poterat alio modo quam per fugam vitæ suæ consulere, absque eo quod ostenderet imbecillitatem, timorem, & infirmitatem, quæ propriæ sunt hominis. V. Nestoriani apud Maxentium dialogo 1. hæc Catholicis opponebant: Quid potest esse iniquius, quam ut credatur, Deum propter hominem fugisse in Ægyptum? VI. Poterat Jesus cum Parentibus suis fugere in aliam Religionem, quæ esset Nazareth propinquior, & non in Ægyptum, quæ erat Regio longinqua, barbara, & inaccessa; per tortuosas, difficillimas, ac asperas vias, per quas ad eam aditus parabatur.

Respondemus ad I. cum Suarez, quod licet potuisset Christus potentia, ac majestate sua, non solum Herodis insidias impedire, sed etiam illum Regno, & vita privare; noluit tamen potestate uti, sed dignatione. Et hoc ipsum probat Suarez Patrum testimoniis, quæ nos in probatione primæ Conclusionis partis adduximus.

Ad II. Idem Suarez respondet, quod quamvis præsciverit Deus, Herodem non fuisse interfecturum infantes Nazareth, sed Bethlehem, tamen quia noluit Deus negocium hoc gubernari juxta præscientiam suam, sed juxta periculi gravitatem, prout modo hominibus accommodato vitari poterat; inde est, quod præcepit, ut fugeret Christus non solum a finibus Bethlehem, sed etiam a Regionibus illis, quæ Bethlehem erant conterminæ. Subdit idem Suarez, quod quanvis constet, interfectos fuisse tantum Bethlehemiticos infantes, non tamen inde sequitur, non adhibuisse Herodem omnem aliam diligentiam in toto Regno suo, si forsasse alicubi vestigium aliquod novi Regis nati inveniret.

Ad III. Diversa est ratio inter discessum, quando fugit Josephus, & reditum; quia in discessu aliis etiam modis, & artibus conatus est Herodes pueri vitæ insidiari per totum quidem suum imperium, quod tunc utranque Provinciam complectebatur. „ Facile enim poterat inquirere, ait „ Suarez, & perscrutari diligenter, donec „ intelligeret fœminam quandam peregri„ nam, & advenam Bethlehem peperisse, „ ac postea discessisse; ac ita paulatim pote„ rat Salvatorem invenire. Præsertim cum „ (ut notat Hieronymus circa illa verba „ Matthæi 2. *Mortui sunt enim qui quærebant* „ *animam pueri*) non solum Herodes, sed „ etiam Scribæ, & Pharisæi, ut illi morem „ gererent, Christi necem procurarent „.

Ad IV. Poterat etiam Christus, si divinitatis suæ potentiam exercere voluisset, evitare opprobria, derisiones, blasphæmias, quæ in ipsum præsentem injecerunt Judæi;

dæi; immo verbera, plagas, passionem, & mortem, quam ipsi intulerunt Carnifices; & nihilominus noluit, sed voluit potius illa recipiendo, sustinendo, ac patiendo, humanam infirmitatem ostendere, quia homo erat, quanvis etiam esset Deus. Quid igitur mirum, si noluit omnipotentiam exercere, se tutum, & ab Herode immunem Nazareth conservando, & voluit potius in Ægyptum fugere; parum, aut nihil curans, quod pacto suam ostendisset imbecillitatem, ac infirmitatem, qui etsi esset Deus, erat nihilominus pariter homo quæ omnia dicta sunt ab Eusebio, a Fulgentio, ac Chrysologo in probationibus.

Ad V. Indecens quidem hoc fuisset, si Christus ex necessitate, non ex dignatione facere voluisset; adeo ut nullus alius ei fuisset modus, nisi per fugam, ab Herodis odio se immunem servare. At quum illa potuisset facere Christus ut Deus, per miracula, scilicet, Herodis iram declinare, voluit potius per fugam, ut homo ab Herodis persequutione se servare. Unde dicebat Fulgentius: *Fugit, non formidine humana, sed dispensatione divina; fugit, non necessitate, sed potestate.*

Ad VI. Jussus est Joseph aufugere extra fines dominationis, ac potestatis Herodis, & in Ægyptum se recipere, ubi Herodes nec authoritatem, nec potestatem habebat. Ut enim ait Serry: „Non in Judæa dumtaxat, sed & in Galilæa dominabatur Herodes magnus, qui Regnum tunc Judæorum integrum obtinebat. Illius quippe discissio, atque divisio in quatuor partes, ac Tetrarchias post Herodis dumtaxat obitum facta est: in Judæam, scilicet, proprii nominis dictam, quæ Jerosolymam, ac loca finitima complectebatur; Samariam, & Idumæam, quæ pars data est Archelao, & Filio ejus; Galilæam, quæ data est alteri Herodi cognomento Antipæ; Ituræam, & Traconitidem, quæ Philippo concessa fuit; Abilinam demum, quæ Lysaniæ cessit in sortem: ut ex Lucæ Evangelio cap. 3. colligere est, & ex Josepho lib. 10. Antiquitatum cap. 10.“

Dicimus II. Josephum, postquam Nazareth se recepit, ibidem de fuga arripienda, accepisse mandatum, & ex Nazaretho fugam re ipsa arripuisse:

Prima Conclusionis pars probatur I. Parentes Jesu simul cum ipso Nazareth habitabant: ergo Nazareth post purificationem reversi sunt: ergo illhc post reversionem suam mandatum de fuga arripienda, acceperunt. Probatur ultima consequentia. Ibi mandatum acceperunt, ubi habitabant; sed reversi sunt ubi habitabant: ergo mandatum acceperunt ubi reversi sunt. II. Mandatum fugiendi accepit Joseph post purificationem Mariæ in Templo factam, & ante puerorum excidium ab Herode imperatum; sed purificatio Mariæ facta est die 2. Februarii, & puerorum excidium circa festum Paschæ, ut habetur apud Cornelium a Lapide, & inter utrumque tempus saltem menses duo erant medii, quibus omnino credere debemus in domo sua Josephum cum uxore, & puerulo habitasse. III. Antequam fugerent in Ægyptum conveniens erat, ut in Nazareth redirent; tum quia Nazareth habitabant, & ibi debebant de domo sua disponere; tum etiam, ut ex bonis, quæ ibi possidebant pararent sibi viaticum, & reliqua, quæ ad iter tam longum in Ægyptum necessaria videbantur. Audiatur Cornelius a Lapide in cap. 2. Lucæ ad verba illa: *Et ut perfecerunt omnia, secundum legem Domini, reversi sunt in Galilæam, in Civitatem suam Nazareth.* „Statim ergo reversi sunt Nazareth, indeque metu Herodis infanticidæ cum puero Jesu fugerunt in Ægyptum. Hoc enim infanticidium paulo post purificationem Virginis contigit circa Pascha, ait Euthymius, Toletus, & alii, licet S. Augustinus lib. 2. de consensu Evangelistarum cap. 5. Jansenius, & Franc. Lucas censeant, eos ex Jerusalem immediate fugisse in Ægyptum, indeque post novem annos redeuntes, reversos esse in urbem suam Nazareth, ut ait hic Lucas. Vide dicta Matthæi 2. 13. Porro ante fugam redierunt in Nazareth; tum quia ibi habitabant, ut de domo sua disponerent; tum ut ex bonis, quæ ibi possidebant, viaticum, & reliqua necessaria ad iter longum in Ægyptum pararent. Tempus vero ad fugam abunde suppetebat, quia a die 2. Februarii, qua facta est Purificatio, usque ad Pascha, quo factum dicitur infanticidium, intercedunt circiter duo menses“.

Secunda Conclusionis pars probatur I. Ex loco illo fugam arripuit Joseph, in quo fugiendi mandatum per Angelum a Deo accepit; Sed ex probatis fugiendi mandatum accepit in Civitate Nazareth: ergo ex Civitate Nazareth fugam arripuit. II. Post Præsentationem, & purificationem in Templo factas Maria, & Ioseph cum Iesu, reversi sunt Nazareth, & ibi perman-

mansferunt usque ad tempus, quo Herodes infanticidium præcepit; sed fuga arrepta est ab illis ex eo loco, in quem se receperunt post præsentationem,& purificationem peractas, & in quo permanebant antequam exequtioni mandaretur infanticidium, quod Herodes præcepturus erat: ergo ex Nazareth fugam arripuerunt. III. Non arripuerunt fugam ex Bethlehem, quia inde discesserunt statim, postquam Magi in Regionem suam reversi sunt: neque arripuerunt ex Jerusalem, quia ibidem post peractas præsentationem,& purificationem non permanserunt diu, sed discesserunt statim: ergo fugam arripuerunt ex Nazareth. Consequentia sequitur; quia ex uno ex illis tribus locis debebant fugam arripere; non arripuerunt ex Bethlehem, neque ex Jerusalem: ergo arripuerunt ex Nazareth.

Objiciunt I. Matthæi 2. habetur, quod mandatum de fuga arripienda factum est Iosepho statim post Magorum discessum: *Qui cum recessissent*, (sic loquitur Evangelium de Magis) *Ecce Angelus Domini apparuit in somnis Joseph, dicens: Surge, & accipe Puerum, & Matrem ejus, & fuge in Ægyptum*; sed Magi impleverunt adorationem Bethlehemi, & post impletam adorationem Bethlehemo discesserunt: ergo pariter Bethlehemi datum fuit Iosepho mandatum fugiendi in Ægyptum, & de facto ex Bethlehemo fugam arripuit. II. Ex illo loco jussus est Ioseph discedere, in quo timere poterant, quod Iesus occidendus esset ab Herodis Satellitibus; sed nullus erat timor, quod occidendus esset Nazarethi: ergo ex Nazaretho non discessit. Probatur minor. Ibi poterat esse timor, quod Iesus occidendus esset, ubi futurum erat, ut cum Herodes quæreret ad perdendum; sed non quæsivit Herodes Iesum ad necem in Galilæa, sed in Bethlehem, & in omnibus finibus suis: ergo non poterat esse timor, quod Nazarethi Iesus occidendus esset ab Herodis Satellitibus. III. S. Augustinus lib. 2. de consensu Evangelistarum cap. 5. aperte docuit, Sanctos Iesu Parentes ex Jerusalem immediate fugisse in Ægyptum, indeque reversos esse in Nazareth urbem suam. IV. Post discessum Magorum videns Herodes, se fuisse a Magis delusum, credibile est, quod ipse statim, & illico infantium cædem præceperit; sed hoc intellexit Herodes antequam Sancta Familia in Civitatem suam Nazareth rediret; ergo Ioseph ante reditum in Civitatem suam Nazareth mandatum fugiendi accepit: ergo non accepit Nazarethi, sed potius Bethlehemi, vel Jerosolymis.

Respondemus ad I. dicendo, quod si vim argumentum haberet, probaret quoque fugam fuisse ab illis arreptam, antequam præsentatio, & purificatio in Templo peragerentur; Magi enim ante illas discesserunt: ergo si Ioseph mandatum fugiendi accepit statim, & immediate post Magorum discessum, accepit etiam ante præsentationem, & purificationem in Templo factas, quod est falsissimum. Re vera tamen, ait Cornelius a Lapide ad verba illa: *Qui cum recessissent, ecce Angelus Domini apparuit in somnis Joseph, dicens: Surge, & accipe Puerum, & Matrem ejus, & fuge in Ægyptum, & esto ibi usque dum dicam tibi: futurum est enim, ut Herodes quærat Puerum ad perdendum eum*.
„ Nota hæc non statim contigisse post
„ adorationem Magorum: Nonnulla ergo
„ hic supplenda, & interserenda ex Luca
„ cap. 2. v. 22., scilicet, quod post abitum
„ Magorum, sive post diem 6. Januarii,
„ Christus ductus sit Jerosolymam, ibique
„ præsentatus in Templo die 2. Februarii,
„ indeque redierit in Nazareth patriam
„ suam, quæ erat in Galilæa, ut ait Lucas
„ cap. 2. v. 39. indeque tandem fugerit in
„ Ægyptum. Ita Euthymius, & Maldona-
„ tus hic, & Ammonitus, ac Tatianus in
„ Harmon. Evangel. „

Ad II. Jam diximus, quod Herodes etiam extra Bethlehem,& fines ejus poterat quærere Jesum ad perdendum; poterat, scilicet, quærere in tota ditione sua, intra quam Galilæa comprehendebatur, & Nazareth erat; adeoque etiam ex Nazareth fugiendi necessitas urgebat; & poterat pariter quærere per Scribas, & Pharisæos, qui omnes quærebant puerum ad necem, ut ait S. Hieronymus ad verba illa Matthæi 2. *Mortui sunt enim qui quærebant animam pueri*; ubi observat, quod non solum Herodes, sed etiam Scribæ, & Pharisæi, ut illi morem gererent, Christi necem procurabant. Scribæ autem, & Pharisæi non solum Bethlehemi, & in finibus ejus, sed etiam Nazarethi, & in tota Galilæa inveniebantur.

Ad III. S. Augustinus lib. 2. de Consensu Evangelist. docet, quod Sacri Scriptores plerumque peractas diverso tempore, & loco, eadem narratione, & eodem sermonis contextu recitant; quando scilicet, quæ gesta sunt intermedio tempore,

re, certis de caussis putant silentio mittenda; Unde ait Serry: „ Cum itaque „ Matthæus totum Virginis purificatæ, & „ Christi Jesus in Templo oblati mysterium „ silentio prætermiserit, & Lucæ narrandum reliquerit; nihil profecto mirum, „ si statim, narrata Magorum adoratione, „ illorumque discessu, mandatum Josepho „ de fuga in Ægyptum maturanda, ab Angelo denunciatum recitaverit: ut subinde imperatam ab Herode puerorum stragem a Luca prætermissam describeret, „ Non quod illa duo eodem tempore, eodemque loco contigerint „.

Ad IV. Si observetur tempus, quod fluere debebat in discessu Magorum, & in relatione, quæ de eodem facta fuit Herodi, & quod pariter intercessit inter Herodis mandatum, & ejusdem exequutionem; bene intelligi potest, quod Sancti Parentes cum Jesu tempus habuerunt discedendi Bethlehem, adeundi Jerusalem, ut præsentationis, & purificationis officium implerent, & revertendi Nazareth, ut ibidem res domesticas componerent, antequam longum iter, quod ipsis debebat Deus præcipere per Angelum, susciperent. Unde nulla sequitur implicantia, quam Adversarii opponebant.

Pro tertia Dissertationis parte, in qua quæritur, quantum temporis in Ægypto permanserint, primo vult Epiphanius lib. 1. Panarii post hæresim 20. & lib. 3. hæresi 78. Christum rediisse ex Ægypto quarto ætatis suæ anno; ex quo infert, quod Christus duobus tantum annis in Ægypto habitaverit; ipse enim in ea sententia est, ut putet, Christum, expleto biennio a Nativitate, fuisse a Magis adoratum, & deinde in Ægyptum profectum. Hæc eadem sententia tribuitur a Suarez Severo Sulpicio lib. 2. Sacræ histor., quatenus hic opinatur, sicut Epiphanius, Christum esse natum anno trigesimo tertio Regni Herodis, & Herodem annos triginta septem regnasse. Ex quo fit, quod Christus redierit ex Ægypto quarto ætatis suæ anno, quia statim post Herodis mortem rediit.

Secundo Nicephorus Callixtus lib. 1. cap. 14. vult, Christum rediisse ex Ægypto tertio ætatis suæ anno; unde per ipsum, qui cap. 3. docet, fugam Christi in Ægyptum factam fuisse statim post ejus præsentationem in Templo, Christus dicendus est, quod tribus tantum annis in Ægypto permanserit.

Tertio Jansenius cap. 11. Concordiæ tenet, quod Christus venerit ex Ægypto vel in fine quinti, vel initio sexti anni ætatis suæ. Ejus autem fundamentum est, quod vult Christum natum anno 32. Regni Herodis, quod colligit ex Eusebio in Chronico; quum ponat initium Regni Herodis anno tertio Olympiadis 186. Nativitatem autem Christi Olympiade 194. anno tertio: Et quia regnavit Herodes annos 37., ut docent Eusebius, & Joseph Judæus lib. 14. antiquit. cap. 26. & lib. 17. cap. 10., inde fit, quod Christus agens sextum ætatis annum, ex Ægypto redierit. Et quod pro hac sententia afferri etiam possit Beda lib. de sex ætatibus, asserit Suarez, subdens: „ Licet „ enim dicat, Regnum Herodis 36. annis „ finitum fuisse, asserit tamen, Christum „ natum esse trigesimo primo anno Regni „ ejus.

Quarto Ammonius Alexandrinus in Harmonia Evangeliorum asserit, Christum septem annos in Ægypto egisse, quem sequitur Anselmus, qui in cap. 2. Matthæi dicit, Dominum latuisse septem annis, & habitasse in quadam Civitate Ægypti, quæ vocata est Heliopolis, & inferius significat, fugam Christi in Ægyptum fere post annum a nativitate sua cotigisse. Fundamentum hujus sententiæ his verbis exponit, & rejicit Suarez 3. parte quæst. 37. art. 4. disp. 17. sect. 2. „ Dicitur enim innocentes fuisse occisos post „ annum, & dies quatuor ab ortu Christi; „ colligitur autem ex Evangelio, Christum „ paulo ante Innocentium necem aufugisse; unde fit juxta sententiam Anselmi, „ fieri etiam potuisse, ut Christus in Ægypto octavum ætatis annum expleverit. „ Quod vero Anselmus dicit de tempore „ cædis Innocentium, non video quo fundamento nitatur, nisi quod fortasse existimavit, Innocentes eo die fuisse interfectos, quo eorum Solemnitas ab Ecclesia „ celebratur, nimirum 28. die Decembris; „ cumque hoc non potuerit fieri eodem „ anno, quo Christus est natus, cum nondum fuisset circumcisus, adoratus a Magis, oblatus in Templo, & in Ægyptum delatus, quæ omnia ante Innocentium necem facta esse, compertum est, „ conjectatus est Anselmus, eam cædem „ sequenti anno a Nativitate Christi accidisse. Illud vero fundamentum, quod „ Anselmus supponit, infirmum est, & incertum; non enim necesse est, Innocentes eo die interfectos esse, quo Ecclesia „ eos colit; imo fortasse, neque uno die

„ in-

„ interfecta est tanta Innocentium multi-„ tudo.

Quinto Cardinalis Baronius ad annum octavum existimavit, quod Christus redierit ex Ægypto inchoato nono ætatis suæ anno. Hanc sententiam uti probabiliorem sequitur Suarez citato loco.

Sexto Onuphrius Panvinius in Fastis, & in Chronico Ecclesiastico, ponit hunc Christi reditum ex Ægypto in tertio ætatis suæ anno. Hanc eandem sententiam sequitur Serry in Exercit. 38.

Dicimus III. Commorationem Christi in Ægypto vix integrum annum tenuisse.

I. Probatur. Matthæi 2. habetur post narratam puerorum stragem: *Defuncto autem Herode, ecce Angelus Domini apparuit in somnis Joseph in Ægypto, dicens: surge, & accipe puerum, & matrem ejus, & vade in terram Israel, defuncti sunt enim qui quærebant animam pueri; qui consurgens accepit puerum, & Matrem ejus, & venit in terram Israel*. Hoc ipsum dixerat compendio ver. 15. verbis hisce: *Erat ibi* (hoc est in Ægypto) *usque ad obitum Herodis*; atqui Herodes illo eodem anno, quo infanticidium edixerat, & quo filium suum Antipatrum carcere detentum, interfici jusserat, ut scribit Josephus lib. 16. Antiquit., Tabe mortuus est sub festum Paschatis; & per consequens vix tertio mense post Josephi fugam in Ægyptum, quæ sub Februarii medium suscepta fuerat: ergo Joseph cum Jesu, & Maria commorationem in Ægypto ultra annum non protraxit.

II. Probatur. Si dicatur, quod reversio ab Ægypto non fuerit facta statim ac Herodes mortuus est, sed postquam Archelaus regnare cœpit; quod asserit Matthæus: *Audiens autem Joseph, quod Archelaus regnaret in Judæa pro Herode patre suo, timuit illo ire, & admonitus in somnis secessit in partes Galilææ*; illud idem, quod in Conclusione proposuimus sequitur: ergo &c. Probatur antecedens. Archelaus successit Patri suo Herodi post sex circiter menses: quibus additis tribus illis mensibus, quibus Herodes vixit post infanticidium, annum integrum non conficiunt: ergo semper stat, quod commoratio in Ægypto annum integrum non excesit.

Opponunt I. Lucæ 2. habetur, quod Christus cum Parentibus suis post reditum ab Ægypto, statim iverit Jerusalem ad adorationem in Templo; dicitur enim ibi: *Et ibant Parentes ejus per omnes annos in Jerusalem in die Solemni Paschæ.* Sed quando Jesus perrexit Jerusalem cum Parentibus suis, erat duodecim annorum: ergo non erat unius anni, quando de Ægypto cum Parentibus suis reversus est. II. Herodes mortuus est anno octavo ætatis Christi; sed Christus rediit ex Ægypto post mortem Herodis: ergo Christus rediit ex Ægypto nono ætatis suæ anno. Probatur major. Christus natus est vigesimo nono anno Regni Herodis; hic autem regnavit triginta sex annis; ex quibus sequitur, quod quando Herodes mortuus est, Christus octavum annum agebat. III. Ex Anselmo Christus latuit septem annis in Ægypto, & habitavit in Civitate quadam, quæ Heliopolis dicebatur: ergo non per solum annum Christus in Ægypto commoratus est, ut nostra conclusio supponit. IV. Benedictus Pererius, eruditus quidem Chronologus, in Danielem quæst. 5. lib. 11. quæstionem hanc, quam satis implicatam dicit, insolutam relinquit: ergo consultius est de ea nihil positive determinare. V. Cornelius a Lapide his verbis putat, Christum circiter per biennium in Ægypto mansisse, citans pro se Panvinium, quem nos citavimus: „ Defunctus „ est Herodes paucis diebus post cædem „ Antipatri, ut ait Josephus, ac consequen-„ ter & Infantum, ut liquet ex Macrobio: „ quare Christus non videtur hæsisse in „ Ægypto ultra biennium; nam eo non „ ivit, nisi uno anno ante mortem Hero-„ dis, & post eam statim Archelao Hero-„ dis filio Romam profecto, & mox inde „ redeunte, ac regnante, rediit, ut hic di-„ citur. Ita Onuphrius Panvinus in fastis, „ & ante eum S. Epiphanius hæresi 78. „ Nicephorus lib. 1. cap. 14., licet Baronius „ putet, Christum rediisse ex Ægypto an-„ no ætatis nono, Amonius septimo, Janse-„ nius quinto. Vide Pererium lib. 11. in „ Danielem 9. 5.

Respondemus ad I., non colligi ex verbis Lucæ, quod statim post reditum ab Ægypto Parentes Jesu, simul cum ipso perrexerint Jerusalem in die Solemni Paschæ, sed tantum Lucas loquitur de eo tempore, quo habitabant Nazareth; habitarunt ergo ibi aliquot annis, priusquam Jesus factus esset duodecim annorum. Subdit autem Suarez, quod anni illi fuerint tres, aut plures anni, incertum est, parumque ad fidei mysteria explicanda refert, sicut etiam abscondita sunt, & occulta, quæ a Christo, & ejus Matre illis annis peracta fuerint.

Ad II. Remittimus Legentes ad ea, quæ diximus, quando annum nativitatis Christi statui-

statuimus; ibi enim firmavimus Christum fuisse natum anno 36. Regni Herodis desinente; Unde omnino falsum reputamus, quod assumitur in majori propositione prioris argumenti; sicut, & falsum omnino est, quod assumitur in majori propositione sequentis argumenti, quæ est probatio majoris antecedentis argumenti.

Ad III. Negatur antecedens; etsi enim Anselmus hoc dixerit, quod Nobis omnino non constat, certum est tamen, quod dixerit absque antiquitatis testimonio, & absque priorum Patrum suffragio. In his autem, quæ respiciunt facta, illis assentimur Scriptoribus, qui vel Sacrarum Scripturarum authoritatem, vel probatæ traditionis fidem, vel veterum Patrum, aut Historicorum documenta pro se ipsis producunt.

Ad IV. Conclusionem nostram, nec ut veram damus, nec ut probabilissimam venditamus, sed tantum ut cæteris verosimiliorem, ac probabiliorem exponimus; & quanvis Pererius noluerit hac in re mentem suam aperire, non per hoc tamen potuit aliis imponere silentium, itaut de eadem opiniones, quas sentirent, non publicarent.

Ad V. Cornelius a Lapide, vel parum, aut nihil distat a nostra sententia; vel si eidem opponitur, ipsius verbis nos rationum momenta, quæ pro nostra Conclusione firmanda, proposuimus, illi fortiori jure opponimus.

Pro quarta Dissertationis parte, non in ea sumus sententia, ut inficienda putemus miracula omnia, quæ a Patribus tribuuntur infanti Jesu, ea sola ratione, quod Joannes cap. 2. dicat, initium signorum, seu miraculorum, Christi fuisse aquam versam in vinum ad nuptias in Cana Galilææ; quæ est insolentia Casauboni, & aliorum Hæreticorum, qui posteriori seculo miracula omnia, sive a Christo, sive a Sanctis suis patrata, ingenti odio insectati sunt. At de iis tantum prodigiis loquimur, quæ dicuntur facta in Ægypto, quando Christus infans illuc primum advenit, quorum primum dicitur, quod falsorum Numinum simulacra, quæ in Ægypto plurima erant, in Christi adventu subito corruerunt. Hoc volunt apud Baronium, fuisse antea ab Isaia prædictum cap. 19. *Ecce Dominus ascendet supra nubem levem, & ingreditur Ægyptum, & commovebuntur simulacra Ægypti a facie ejus, & cor Ægypti tabescet in medio ejus*. Post quæ Isaiæ verba Ecclesiæ Annalium Pater aliquot profert Patres, & Historicos duos, qui, ut ipse ait, rem totam ex integro narrant, atque testantur. Historici sunt Sozomenus, & Evagrius. Sozomeni verba lib. 5. Histor. Ecclesiast. cap. 21. hæc recitat: *Memorant arborem esse, quæ Persis dicitur, Hermopoli, quod est Oppidum Thebaidis, cujus fructus, aut folium, aut particula aliqua corticis ægrotis admota, morbos a compluribus depulerit. Nam traditum est, Joseph cum propter Herodem assumptis secum Christo, & Maria Sancta Deipara, fugisset, venisse Hermopolim; atque simul ut portæ appropinquavit, statim arborem, licet plane maximam, adventu Christi turbatam esse, atque ad solum usque se inflexisse, & Christum adorasse. Atque hæc quidem de hac arbore, sicut a multis audivi, a me commemorata sunt. Quæ quidem, si quid ego judico, vel significabat jam Christum in Urbe adesse, vel, ut est verisimile, non modo arborem, quam incolæ propter magnitudinem, & pulchritudinem lege gentilitia venerabantur, Dæmone jam, qui ibi colebatur, ob Christum talium rerum eversorem, qui in eo loco comparebat, perhorrescente, sua sponte commotam esse: verum etiam omnes Ægyptiorum statuas, adventante tum Christo, juxta prophetiam Isaiæ concussas. Itaque, Dæmone inde abacto, arbor, quo rei gestæ testimonium esset, remansit ibi, fidelesque morbis liberavit. Atque ut Ægyptii, & Palæstini istarum rerum, sic alii singuli aliarum, quæ apud ipsos gestæ sunt, testes locupletes existunt.* Subscribit, pressius licet, & compendiosius Evagrius in vitis Patrum lib. 2. cap. 7. *Vidimus & alium Sanctum virum, nomine Apollonium apud Thebaidam in finibus Hermopolis, ad quam Civitatem Salvatorem cum Maria, & Joseph de Judææ finibus venisse tradunt secundum prophetiam Isaiæ: vidimus ergo ibi, & Templum ipsum, in quod, ingresso Salvatore, corruisse omnia Idola in terram, & comminuta esse memorabantur*. Patres autem quos Baronius producit, sunt Eusebius lib. 6. Demonstrat. Evangel. cap. 20., Athanasius lib. de Incarnat. Verbi, ejusque corporali in nos adventu, Origenes homi. 3. in diversa Evangelii loca; quos quidem omnes hic sigillatim expendemus. At primo de Isaiæ vaticinio aliqua dicenda sunt. Et quidem Isaias, sive attendatur nativus, & proprius verborum sensus, sive allegoricus, aliud, quam quod hic tractamus, respexit. Sensu quidem literali, & proprio, voluit, ut ait Serry, unum, ac verum Deum, ultorem scele-

rum, veloci, celerique impetu, Assyriorum exercitu concitato, ingressurum, ac vastaturum Ægyptum, fana illius direpturum, eademque Diis aureis,& argenteis spoliaturum; quod a Sennacherib,& a Nabuchodonozor, factum fuit. Sensu vero allegorico voluit Propheta, Deum in utero Virginis tanquam in nube levi mundum hunc aliquando ingressurum, & idololatriam longe lateque diffusam eliminaturum. Et hæc est interpretatio Hieronymi dicentis: *Juxta tropologiam ascendit Dominus supra nubem levem, corpus S. Virginis Mariæ, quod nullo humani seminis pondere prægravatum est: vel certe corpus suum, quod de Spiritu Sancto conceptum est, & ingressus est in Ægyptum hujus mundi: statimque omnia Ægypti simulacra commota sunt: itaut divinationes, & universa frons Idololatriæ, quæ deceptum possidebat Orbem, se fractam esse sentiret.* Post quæ addit Serry: „ Nempe successu „ temporis, & beneficio prædicationis „ Evangelicæ. Nihil hic, si priorem sen„ sum spectes, de pueri Jesu, Herodis sæ„ vitiam effugientis, in Ægyptum ingressu: „ nihil, si spectes alterum de peculiari si„ mulacrorum Ægyptiorum eversione, „ dum illuc puer Jesus ingressus est. „

Patres modo a Baronio productos expendamus. Et quidem Eusebius explicans jam dictam Isaiæ prophetiam juxta Aquilæ versionem, asserit, priorem partem, quæ continebat ingressum Domini in Ægyptum, fuisse adimpletam; non item vero aliam, quæ pronunciabat commota, & eversa simulacra. Eusebii verba sunt: *Scriptura dixit, ecce Dominus ascendit super crassitudinem, & venit in Ægyptum: crassitudinem levem corpus de Spiritu Sancto conceptum appellans. Igitur etiam ipsa hæc prophetiæ particula ad verbum exitum sortita est, quo tempore Angelus Domini in somnis visus ipsi Joseph, dixit: Surgens, accipe puerum, & matrem ejus, & fuge in Ægyptum, & esto ibi, donec dicam tibi. Tunc igitur ipse Dominus Deus Verbum puerilem ætatem ingressus, & suo corpori, quod ex Sancto Virgine acceperat, conjunctus in terra Ægyptiorum diversatus.* Ex quibus verbis patet, quod si una pars prophetiæ, scilicet, adventus Christi in Ægyptum, verificata est, altera pars ejusdem, nempe commotio, & aversio simulacrorum, non est verificata. Ex eodem Eusebio adveniente Christo in Ægyptum, Dæmones latentes in simulacris, commoti sunt, & perturbati, sed intrinsecus, & invisibiliter: ergo non extrene, & manifeste: ergo tantum factum est, quando Evangelium prædicatum fuit. Audiatur igitur Eusebius loco citato: *Si qui prius incolebant Ægyptum, vitiosi, pravique Dæmones per multa secula in Simulacris latitantes, animasque Ægyptiorum omni superstitionis errori addicentes, ac subjicientes, cum sensissent novam quandam, divinamque virtutem ad se accessisse, illico commoti sunt, & fluctuationem, ac perturbationem in seipsis pertulerunt, corque ipsorum, & vis intelligendi intrinsecus in ipsis convicta sunt, cessaruntque, ac fugata sunt ab ea virtute, quæ visum effugiens, illos compellebat, & ignis instar ineffabili quadam ratione adurebat. Et tunc quidem invisibiliter Dæmones talia passi sunt; cum Salvator noster Jesus Christus in Ægyptum cum visibili corpore pervenit. At vero postquam plene ipsius Evangelium ad Ægyptios, sicut ad reliquas gentes perlatum est, &c.*

De Origene vero dicimus, quod quanvis Auctor homil.3. in diversa Evangelii loca non sit Origenes, ut habet Cardinalis Bellarminus de Scriptoribus Ecclesiast. in Origene dicens: *Homiliæ in diversa loca Evangelii sine dubio non sunt omnes Origenis;* Attamen alia est Auctoris mens, quam Baronius supponit. Etenim mandatum Josepho datum de fuga arripienda sic per paraphrasim exponit ad Oratoris morem: *Fuge in Ægyptum propterea, ut destruantur manufacta eorum, ut confringantur, & pereant Idola ipsorum: propterea, ut Dæmones turbentur, ut Regum fabrica in Idolis destruantur, ut fiat in adventu Domini fugitivorum servorum, atque malorum interitus. Fuge in Ægyptum, ut impleas, quæ dicta sunt: Ecce Dominus sedet in nube pusillo, & veniet in Ægyptum, & commovebuntur omnia manufacta Ægypti.... Fuge in Ægyptum, ut fugiant de Ægypto, qui ibi sunt Dæmones, & appropient ibidem Angeli Sancti, qui Deum consequuntur, qui Sanctis junguntur ut pro multitudine Templorum, atque abominationum multarum multitudo exuperet Ecclesiarum: pro Idolorum turbis; turbæ abundent fidelium, atque colentium Dominum: pro vitiis, & erroribus multis, multa castitas, multaque sanctitas superabundet, multoque virginitas.*

Denique Athanasius, quem pro se Baronius adducit, hæc habet: *Qui Justorum, aut Regum in Ægyptum descendit, & ejus descensu Idola in Ægypto ceciderunt? Abraham descendit, nihilo tamen minus Idololatria*

tria ubique viguit. Natus est Moyses, eque tamen illic hæsit religionis error .... Certe eam in Judæa nasceretur, Persa adoratum venere. Hic est, qui antequam in humana specie appareret, de adversariis Dæmonibus victoriam, & de Idololatria triumphum reportavit. Nam quotquot ubique sunt gentes, ejurantes patrium ritum, & Idolorum impietatem, suam jam in Christum spem constituunt, eique sua nomina dant, ut etiam vel ipsis oculis deprehendere licet. Alioquin Ægyptiorum superstitia non quievisset, nisi Dominus omnium in corpore, quasi in nube vectus eo descendisset, & Idolorum errores compescuisset omnes, in se, & per se ad Patrem transferens. Quibus verbis Athanasius figurate loquitur, per Ægyptum scilicet intelligens mundum; sicut intellexit Tertullianus lib. contra Judæos cap. 9. scribens: *Ægyptus totus Orbis intelligitur superstitionis, & maledictionis Elogio.* Mundi autem superstitio non per Christi ingressum in Ægyptum, sed per ejus adventum in mundum, sublata est. Cæterum ipsemet Baronius fatetur, quod in Adventu Christi in Ægyptum *non omnia, quæ tunc erant in Ægypto, corruerunt simulacra, sed de his aliqua*; Et vere quidem, quia ipsemet Baronius asserit, quod Idola Ægypti usque ad annum Christi 389. durabant, ait enim, quod Isidis, & Serapidis templa a Theodosio Imperatore eversa sunt.

Sozomenus tamen, & Evagrius, moderni sunt Scriptores, quibus absque antiquis loquentibus, & scribentibus, quæ fides sit adhibenda, Legentes norunt. Tandem ad Dissertationis complementum subdimus, quod fortassis & in Ægypto, & extra Ægyptum, Christus plura fecerit signa, absque eo quod Antiquorum Patrum, dicentium, Christum ante illud Canæ Galilææ nullum fecisse signum, assertio destruatur. Subjungimus ex Serry in fine Exercit. 38. „Quod itaque *initium signorum in Cana Galilaæ* sit factum, nullumque a Jesu infante miraculum fuerit editum; (quæ Patrum quorundam, ac ipsius D. Thomæ assertio fuit, *in* cap. 2. Joannis) accipiendum id est de miraculis, distincta voce, imperioque sub sensum cadente, patratis, qualia certe nulla ante susceptum publicum ministerium a Christo Jesu peracta sunt: non de iis, quæ occulta, secretiori virtute patrata fuere. Ut sileam, D. Joannem Chrysostomum hom. 22. in Joannem, Theophylum, Euthymium, celebratum illud Evangelii dictum, *hoc fecit initium signorum Jesus in Cana Galilaæ*, sic accipere, ut non omnium ubivis gestorum prodigiorum initium fuerit; sed eorum dumtaxat, quæ in Cana peracta sunt. Quo circa studiosam Juventutem monere juvat, librum de *Infantia Salvatoris*, non idcirco a Gelasio Summo Pontifice confixum esse, quod miracula a Jesu infante edita dixerit; sed quod qualiumcumque miraculorum ineptiam, insulsamque farraginem, teste nullo, auctore nullo, venditarit„.

DISSERTATIO CCXXVIII.

De Visitatione Templi a Jesu, & Parentibus ejus quotannis peracta. Quomodo fieri poterat, ut Jesus quotannis cum Parentibus ejus Jerosolymam veniret, Archelao Regnante, qui eum ad necem quærebat? Redeuntes ex Ægypto Jesus, & Parentes ejus, in quam Civitatem, aut locum, se receperunt? Quam vitæ rationem, & quod vivendi institutum, tenuit Christus toto illo tempore apud Parentes ejus?

PRÆCEPIT Deus, ter in singulos annos Templum, quod Jerosolymis inveniebatur, Judæos visitaturos, aut saltem semel, si forte aliquos ex illis itineris longitudo, vel aliud insuperabile impedimentum excusasset. Unde legimus Exodi 23. 14. *Tribus vicibus per singulos annos mihi festa celebratis:* Et num. 17. *Ter in anno apparebit omne masculinum tuum coram Domino Deo tuo.* Et Deuteron. 16. 16. *Tribus vicibus per annum apparebit omne masculinum tuum in conspectu Domini Dei tui, in loco, quem elergerit: in solemnitate azymorum, in solemnitate hebdomadarum, & solemnitate tabernaculorum.* Et quia iter e Galilæa usque Jerosolymam tridui erat; hinc per singulos annos Parentes Jesu ad Templi visitationem ibant; quod exprimit Lucas cap. 2. sui Evangelii scribens: *Ibant Parentes ejus per singulos annos in Jerusalem in die solemni Paschæ.* Hoc posito. Insurgit difficultas si in Judæa regnabat Archelaus post obitum Herodis Magni, Patris sui, & Archelaus quærebat puerum Jesum ad necem, quo consilio poterant Parentes Jesu eum ducere Jerosolymam, & ibi illum Archelai odio, ac furori, exponere; maxime quod Archelaus Jerosolymis sedem regiam haberet, & scire facile potuisset, quod Jesus in Civitate sua inveniretur. Difficultatem auget, quod Joseph sciens in Judæa regnare Archelaum, noluit illo ire, sed perrexit in Galilæam, & habitavit Nazareth. Angelus enim antecedenter dixerat Josepho: *Vade in terram Israel*: Nomine autem Terræ Israel æque Judæa, & Galilæa veniebat. Sciens deinde Joseph, quod in Judæa regnaret Archelaus, timuit illo ire; & tunc Angelus denuo ei per inspirationem dixit, quod iret in Galilæam, & habitaret Nazareth. Si igitur tunc in reditu ab Ægypto noluerunt Parentes Jesu eum ducere Jerosolymam, quia timebant Archelaum, qui ibi regnabat, & Jesum ad necem quærebat; quomodo deinde quotannis Jesum ducebant Jerosolymam, absque Archelai timore, & absque vitæ Jesu periculo? Et hæc est difficultas, quam in priori præsentis Dissertationis parte examinandam, ac pertractandam suscipimus. Pro qua

Dicimus I. Parentes Jesu simul cum ipso quotannis ad Templi visitationem Jerosolymam venisse.

I. Probatur. Lucæ 2. habetur: *Et ibant Parentes ejus per singulos annos in Jerusalem in die solemni Paschæ.* Ad quæ verba hæc subdit Cornelius a Lapide in eodem loco: „ Jusserat Deus Exodi 23. v. 14. & „ Deuteronomii 16. 16., ut omnes viri ter „ in anno adirent tabernaculum, vel tem„ plum, ad Deum ibidem publice adoran„ dum, eique offerendas oblationes. B. Vir„ go postquam rediit in Ægypto, licet le„ ge non teneretur, tamen ex devotione „ junxit se marito, secumque duxit filium „ ad templum, ut doceret Matres filios a „ teneris ducere ad templum, Deumque „ colere. Ita Beda, Maldonatus, Janse-

„ nius,

„ nius, Franc. Lucas, & alii. Nec timuit
„ Archelaum Herodis infanticidæ filium,
„ tum quia prudenter æstimabat in tanto
„ Judæorum omnium concursu posse latere
„ ad paucos dies, donec rediret in Nazareth;
„ tum quia sciebat se Deo, pro cujus
„ honore periculum hoc subibat, esse cordi,
„ & curæ. Ita S. Augustinus lib. 2. de
„ consensu Evangelistarum cap. 10., idque
„ insinuat Lucas v. 42. & 43. Nonnulli
„ tamen probabiliter putant, Jesum non
„ ascendisse Jerosolymam, nisi anno ætatis
„ duodecimo: illo enim anno Archelaus
„ actus est in exilium ab Augusto Cæsare:
„ unde nil ab eo Jesu timere poterat, uti
„ dixi v. 1. „

II. Probatur. Ideo Parentes Jesu non debuissent eum ducere Jerusalem quotannis ad templi visitationem, quia debuissent timere Archelaum, qui eum quærebat ad necem; sed hæc ratio non officit: ergo &c. Probatur minor ex Augustino lib.2. de consensu Evangelist. cap. 10. dicente: *Hoc mihi dissolvero non esset difficile, nec si aliquis Evangelistarum expressisset, quamdiu ibi regnaret Archelaus. Fieri enim poterat, ut per diem festum inter tam ingentem turbam latenter ascenderent non reversuri; ubi tamen aliis diebus habitare metuerent, ut nec solemnitate prætermissa essent irreligiosi, nec continua mansione conspicui. Cum vero etiam de Regno Archelai, quam fuerit diuturnum, omnes tacuerint, iste quoque intellectus patet; ut quod Lucas dicit per omnes annos eos ascendere solitos in Jerusalem, tunc accipiamus factitatum, cum jam non timeretur Archelaus. Quod si Archelai regnum aliquanto diuturnius ulla prater Evangelium historia prodit, cui fides habenda videatur: illud, quod superius dixi, sufficerit, quod ita timebant parentes puer habitationem in Jerusalem, ut tamen propter Dei timorem festivitatem solemnem non prætermitterent, in qua latere facillime possent. Neque enim incredibile est, captatis temporibus opportunis, vel dierum, vel horarum, accedere homines ad ea loca, in quibus esse formidant.*

III. Probatur. Ideo non debuissent Parentes Jesu eum ducere Jerusalem ad visitandum Templum, quia iidem redeuntes ex Ægypto propter Archelai timorem non perrexerunt in Judæam, sed in Galilæam; sed in utroque casu diversa est ratio: ergo &c. Probatur minor. In primo casu, redeuntes ex Ægypto permanenter habitare debebant in eo loco, ad quem ibant. Advenientes vero Jerosolymam, ad Templi visitationem, non permanenter Jerosolymis habitassent, sed tantum per paucos dies, adeoque ibi facile potuissent latitare, & a præsentia, & cognitione Archelai se subducere: ergo in utroque casu diversa est ratio. Unde scribit Serry exercit. 44. „ Josephum nempe ex Ægypto
„ revertentem timuisse in Judæam ire, ut
„ illic lares figeret, certamque habitationem
„ constitueret; sic enim ab Archelao
„ fuisset facile deprehensus: non tamen perinde
„ timuisse ad paucos dies per singulos
„ annos illic hospitari, recurrente maxime
„ festivitate Pascbali, atque in tanta
„ confluente undique multitudine Judæorum,
„ intra quam, tantilla adhibita cura,
„ latitare facile poterat „.

Objiciunt I. Josephus lib. 17. Antiquit. Judaic. cap. 15. aperte dicit, quod Archelaus decem annis regnavit in Judæa, antequam a Cæsare Augusto in exilium mitteretur: ergo, regnante jam Archelao in Judæa, Christus cum Parentibus suis toto illo decennio Archelai Regni per singulos annos debebat Jerosolymam ascendere; quod non fuisset a Parentibus suis prudenter factum, & quod assertioni Augustini repugnare videtur. II. Christus quum posset adorare Deum Nazareth, ubi habitabat, superfluum videtur, quod adorare Deum veniret Jerosolymam cum Parentibus suis. III. Saltem quando Christus duodecimum annum agens, venit Jerusalem, & disputationem habuit cum Doctoribus in Templo, agnitus est a multis, adeoque ejus notitia facile potuisset ad Archelaum pervenire. IV. Si Josephus, ab Angelo monitus, non perrexit in Judæam, sed in Galilæam; quomodo deinde absque Angeli mandato Jerosolymam quotannis cum puerulo Jesu, & cum conjuge Maria, ad Templi adorationem abibat? Et quomodo etiam Angelus, qui antecedenter ei præceperat, ut in Judæam abiret, deinde mutatus præcepit, ut iret Nazareth in Galilæa? Et quomodo denique, adveniente quotannis tempore visitationis Templi, nihil ei Angelus dicebat, aut revelabat, de itinere Jerosolymam versus suscipiendo?

Respondemus ad I. Quod annis illis, quibus adhuc Archelaus in exilium pulsus non fuerat, Christus Dominus cum Parentibus suis veniebat Jerusalem, in Templo adoraturus, sed latitabat, adeout pro hominum frequentia, & multitudine, nec facile posset agnosci, nec inveniri. Unde pro annis illis Parentes ejus totam posue-

runt

runt illorum curam, ut eum occultarent, ne ab aliis cognosceretur, qualis esset, & ad Archelaum referretur. Tempore vero illo, quo erat duodecim annorum, & quo disputans in Templo cum Doctoribus, ab aliis fortassis agnoscebatur, Archelaus non regnabat, quia jam a Cæsare Augusto pulsus in exilium fuerat; & ita intelligendus est Augustinus; quod & asserit Hennus in tract. brevi de præcipuis Vitæ Christi mysteriis sect. 8.: „ Quia illo tem„ pore actus erat in exilium Archelaus ab „ Augusto Cæsare, ut testantur historiæ, „ sicque nihil erat ab eo timendum. Et Serry exercit. 44. confirmat dicens „: Cæ„ terum quo subinde tempore Jesus anno„ rum duodecim factus palam sese noscen„ dum Doctoribus dedit in Templo, Ar„ chelaus in exilium pulsus erat, nihilque „ tunc ab illo timendum erat „.

Ad II. Respondet Hennus loc. cit. „ Quia „ ter in anno, nempe in Pascha, Pentecoste, „ & Scenopegia, debebant omnes masculi „ comparere coram Domino, ut patet Exod. „ 23. & Deuter. 16. sed quia cum illis, qui lon„ ge distabant a Jerusalem, cujusmodi erant „ Galilæi, dispensabatur de duobus ulti„ mis; ideo sufficiebat Christo adorare in „ Jerusalem semel in Paschate: quod licet „ non obligatus, religiose observabat; quia „ non venerat legem solvere, sed adimple„ re „. Igitur quum multa perfecisset Christus, ad quæ obligationem non habebat, mirum non est, ut hoc quoque perfecerit, ad quod non tenebatur. Additur, quod non sufficiebat Judæis ut obligationi Deum adorandi satisfacerent, quovis in loco adorare Deum, sed illum debebant in Templo adorare. Templum autem non in alia Civitate, quam Jerosolymis inveniebatur, & inde erat, quod Jerosolymam tenebantur omnes adire, ut Deum in Templo adorarent.

Ad III. Jam diximus, quod quando Christus, duodecim annos habens, Jerosolymam venit, & templum visitavit, & cum Doctoribus disputavit, Archelaus non amplius regnabat in Judæa, quia a Cæsare Augusto fuerat in exilium pulsus. Unde disputationis ratione non poterat a Iudæis perquiri & agnosci quis esset, & neque poterat de eo ad Archelaum relatio fieri.

Ad IV. Non quæcunque faciebat Ioseph ab Angelo discebat, sed illa solum ei Deus per Angelum revelabat, quæ Iesu vitam, & conservationem, respiciebant. Quia autem nullum periculum vitæ Jesu imminebat ob visitationem Jerosolymitani templi quotannis faciendam; & ex altera parte ad visitationem Judæi tenebantur; inde erat, quod eam Josephus cum Iesu ex Maria quotannis perficiebat. Non sic autem in reditu ex Ægypto, in quo vitæ Iesu discrimen timebatur.

Pro secunda Dissertationis parte, in qua quæritur de loco, seu Civitate, in quam Jesu Parentes, cum ipso ex Ægypto redeuntes, se receperunt; scire oportet, quod quanvis certum sit ex cap. 2. Matthæi, quod venerint, & habitaverint Nazareth; dicitur enim ibi num. 22., & 23. *Audiens autem, quod Archelaus regnaret in Judæa pro Herode patre suo, timuit illo ire, & admonitus in somnis secessit in partes Galilææ. Et veniens habitavit in Civitate, quæ vocatur Nazareth: ut adimpleretur quod dictum est per Prophetas: Quoniam Nazaræus vocabitur:* Nihilominus Suarez 3. par. qu. 37. art. 4. disp. 17. sect. 2. duplicem movet difficultatem; quarum prior est, sunt verba ipsius. „ Cur dicatur illuc divertisse „ ob timorem, & non potius, quia illa erat „ propria patria, unde discesserat? Posterior „ est, quomodo existimaverit, se ibi fore „ securiorem, quum sicut Archelaus in Ju„ dæa, ita in Galilæa regnaret Herodes „ Tetrarcha pro Herode patre suo? „ A priori difficultate pressus Cardinalis Cajetanus in cap. 2. Matthæi dixit, quod Parentes Christi post illius præsentationem non redierunt Nazareth, neque intenderant ibi amplius habitare; & per consequens in reditu ex Ægypto in eadem intentione perseveraverunt, & in Judæa voluerunt habitare. At hæc responsio Cajetani nec Suarez, nec nobis sufficiens videtur, quia non est Lucæ verbis consona. Alias ergo ex Augustino, & ex Hilario conjecturas affert Suarez verbis hisce: „ Augustinus igitur lib. 2. de „ consensu Evangelist. cap. 9. respondet, „ cum primum Angelus apparuit Josepho „ in Ægypto, illum intellexisse *jussum se „ esse pergere in Judæam, ipsa enim primitus „ intelligi potuit terra Israel*; postea vero „ cum audisset regnare Archelaum, noluis„ se se tali periculo objicere, sed cogitasse „ Galilæam etiam potuisse sub terra Israel „ comprehendi. Quæ responsio neque ipsi „ Augustino satisfecit, quia non est verisi„ mile Josephum existimasse aliquid sibi es„ se præceptum ab Angelo, quod re vera „ non erat, nisi cum Hilario dicamus, reve„ ra prius fuisse Josephum monitum ab „ Angelo, ut in Judæam rediret, postea

„ vero

„ vero ut iret in Galilæam. Quod tamen
„ neque ex verbis Evangelii colligi potest,
„ nec videtur admodum verisimile. Nam
„ (ut idem Hilarius objicit) cur per Ange-
„ lum fieret admonitio, quæ statim mutan-
„ da erat? Et ideo Augustinus subdit illam
„ responsionem, quæ videtur nonnihil
„ Cajetano favere. Dicit enim: *Videri po-*
„ *tuisse Parentibus Christi cum puero, de quo*
„ *talia per angelica responsa didicerant, non*
„ *esse habitandum nisi in Jerusalem, ubi erat*
„ *Templum Domini: postea vero ob timorem*
„ *Archelai mutasse voluntatem, quia non jube-*
„ *bantur divinitus ibi habitare.* Quæ respon-
„ sio est verisimilis; nec tamen favet sen-
„ tentiæ Cajetani, quia non dicit, Parentes
„ Christi a principio concepisse eam vo-
„ luntatem, sed post Angelicas apparitio-
„ nes. Solum occurrunt duo addenda; pri-
„ mum indicare Augustinum in ultimis
„ verbis, Josephum concepto timore Ar-
„ chelai suo arbitratu mutasse voluntatem,
„ & decrevisse ire in Galilæam, quia aliud
„ non erat divinitus præceptum: ex ver-
„ bis tamen Matthæi colligitur, illum ex
„ divina revelatione id fecisse, ut patet ex
„ illo verbo: *Et admonitus in somnis.* Unde
„ Hilarius canone 2. in Matthæum illud
„ explicans, inquit: *Per Angelum monetur,*
„ *ut in Galiæam transeat, & in regionis ejus*
„ *Civitate Nazareth inhabitet.* Alterum est,
„ satis probabile videri (quod Jansenius di-
„ cit) Josephum voluisse ire in Judæam,
„ non ut ibi habitaret, sed ut gratias Deo
„ ageret, & sacrificium in Templo Deo
„ offerret; postea vero timuisse, ne in tem-
„ plo agnitus Christus, Archelao manife-
„ staretur. „

Dicimus II. Parentes Jesu, simul cum ipso redeuntes ex Ægypto, se recepisse in Civitatem Nazareth, ibique habitasse.

I. Probatur. Matthæi 2. habetur: *Defuncto autem Herode, ecce Angelus Domini apparuit in somnis Joseph in Ægypto, dicens: Surge, & accipe puerum, & matrem ejus, & vade in terram Israel; defuncti sunt enim qui quærebant animam pueri. Qui consurgens, accepit puerum, & matrem ejus, & venit in terram Israel. Audiens autem, quod Archelaus regnaret in Judæa pro Herode patre suo, timuit illò ire; & admonitus in somnis, secessit in partes Galilææ. Et veniens habitavit in Civitate, quæ vocatur Nazareth, ut adimpleretur quod dictum est per Prophetas: Quoniam Nazaræus vocabitur.* Quibus verbis plane constat, ex Angeli monitu se recepisse Parentes Jesu cum ipso simul post reditum ex Ægypto in terram Israel; & quia nomine terræ Israel Joseph intellexit Judæam, & proinde timuit illò ire, ubi regnabat Archelaus, & Angelus intelligebat Galilæam; hinc opus fuit, ut Angelus denuo appareret Joseph in somnis, eumque moneret, ut simul cum Conjuge, & Jesu, se reciperet in Galilæam, & in Civitate Nazareth habitaret. Quod explicavit S. Augustinus lib. 2. de consensu Evangelist. cap. 9. & ex eo Glossa: *Non determinat* (Angelus) *in quam partem, ut ad dubitantem iterum revertatur: quia vero non distinxerat, Joseph intellexit Judæam, quæ dignior est pars regni: Putavit enim tali puero non nisi Jerosolymis habitandum; Angelus vero Galilæam intellexit.*

II. Probatur ex Epiphanio lib. 1. Panarii cap. 21., ubi scribit: *Archelaus vero novem annos regnat; in cujus regni principio egressus Joseph de Ægypto, una cum Maria, & puero, cum audisset Archelaum regnare, secessit in partes Galilææ, & habitavit tunc in Nazareth.* Ex quo, quemadmodum etiam ex Hieronymo, Eusebio, Brochardo, Saligniaco, & ex aliis, Adrichomius Nazareth describens, hæc habet in descriptione Terræ sanctæ pag. 241. num. 73. *Nazareth, quod interpretatur flos, pulchra, ac flores Galilææ Civitas est, Capharnaum urbi subjacens, ædificata super montem, quem coronæ instar ambit, duabus leucis a monte Tabor, trium autem dierum itinere ab Jerusalem distans. Hic B. Maria, candens flos virginum, nata est. Hic Christus Dominus noster, & Salvator, gloria, & corona nostra, ut flos campi (inquit Hieronymus) nasceretur in flore virtutum, conceptus, & educatus est, ac viginti quatuor annis habitavit. Unde & Civitas hæc, civitas sua, & patria sua, ipse vero Nazarenus, seu Nazaræus, & Galilæus, appellatus est. Sed & nos, qui nunc a Christo Christiani, apud veteres quasi opprobrio a Nazaræo Nazaræi, & a Galilæo Galilæi dicebamur.*

III. Probatur a Baronio ad annum Christi nonum, ex Hieronymo, Beda, & aliis, verbis hisce: „ Idem Jesus Christus Re-
„ demptor noster, cum superiori anno mo-
„ nitus ab Angelo Joseph ex Ægypto re-
„ cessisset, septima Januarii in Palæstinam
„ reductus, ac in Galilæam perductus, Na-
„ zareth habitavit. Memorabilis fuit anti-
„ quitus in Ecclesia ea dies, quæ cum in
„ Martyrologio Romano, tum in cæteris
„ anniversaria commemoratione recolitur
„ Est Nazareth ubi Christus egit, inquit
„ Hieronymus, viculus in Galilæa juxta
„ mon-

„ montem Tabor, unde & Dominus noster „ Jesus Christus Nazarenus vocatus est; ha„ betque Ecclesiam in loco, quo Angelus „ ad B. Mariam evangelizaturus intravit; „ sed & aliam, ubi Dominus est nutritus: „ de iisdem duabus domibus & Beda me„ minit, cum agit de locis sanctis „.

Arguunt I. Si Joseph timuit ire in Judæam, quia ibi regnabat Archelaus, Herodis magni filius, pari ratione debebat quoque timere pergere in Galilæam, ubi regnabat Herodes Antipas, qui pariter erat Herodis magni filius: ergo non est potior ratio, qua dicamus, Josephum cum puero, & conjuge non venisse Jerosolymam, sed Nazareth, propter Archelai metum. Probatur antecedens. Herodes Magnus regnum suum in quatuor Tetrarchias divisit, quorum unam, Judæam scilicet, Archelao tradidit, Galilæam Antipæ, Trachonitidem tertio eorum Fratri Philippo, Abilinam Lysaniæ; quod patet Lucæ 3., quam divisionem Augustus Cæsar confirmavit. II. Archelaus tunc temporis non erat Rex, sed tantum Tetrarcha, vel Toparchs; habebat tamen spem Regni, & nominis regii, si bene se gereret, juxta promissionem, quam illi fecerat Augustus: ergo non debebat se ostendere paternæ crudelitatis hæredem & imitatorem, ut regnum, & nomen regium, assequeretur; sciens præsertim, quod Augustus Cæsar patris feritatem in infantium cæde magnopere fuerat detestatus: ergo immerito illum timebat Josephus, adeoque poterat absque timore simul cum conjuge & puero, in Judæam se recipere, & Jerosolymis habitare. III. Dicitur, quod Christus Dominus appellatus sit Nazarenus, eo quod Parentes ejus post reditum ex Ægypto, illum duxerunt Nazareth, ibique per totam suam ferme ætatem habitavit; & ex hoc etiam quod dictus sit Galilæus, quia Nazareth in Galilæa invenitur; sed hoc est falsum: ergo &c. Probatur minor. In Galilæa, quæ est in Palæstina, non invenitur Nazareth; illa enim posita est in Tribu Nephtali, & Galilæa Gentium vocata est. IV. Christus Dominus ex Hieronymo dictus est Nazarenus a Sanctitate: ergo non quia Nazareth venit post reditum ex Ægypto, & Nazareth habitavit. Probatur antecedens. Hieronymus in cap. 2. Matthæi exscribit: *Nazaræus Sanctus interpretatur. Sanctum, aut Dominum futurum, omnis Scriptura commemorat. Possemus, & aliter dicere, quod etiam eisdem verbis juxta hebraicam veritatem in Isaia scriptum sit: Exiet Virga de radice Jesse, & Nazaræus de radice ejus conscendet.*

Respondemus ad I. cum Suarez, quod Joseph minus timuit Herodem Antipam, quam Archelaum, quia Antipas juste, & pacifice, Provinciam suam moderabatur, Archelaus vero crudelior erat, & tyrannice gubernabat; unde propter hoc privatus Regno fuit, & in exilium ab Augusto Cæsare pulsus; quod invenire possunt Legentes apud Josephum lib. 17. Antiquit. Judaic. cap. ultimo, & lib. 2. de bello judaico cap. 6.

Ad II. Quamvis Archelaus nondum Regis nomen ab Augusto obtinuisset, quia tamen Regi Patri proprie successerat in Regno, Regis nomen affectabat, & Jerosolymis, ubi pater regiam sedem tenebat, imperabat; unde ad patrem Magi accesserant quærentes novum Regem Judæorum; & ideo verosimilius censet Suarez, Archelaum simul cum Regno alterius Successoris odium a Patre hereditasse.

Ad III. Baronius ad annum Christi nonum hæc scribit, & ex his nos quoque ad propositam objectionem respondemus: „Ex „ eo quod Dominus noster fuit incola „ Nazareth, juxta sermonem propheticum, „ Nazarenus est appellatus; quæ etiam „ nomenclatura ignominiæ causa affixa „ est titulo Crucis. Porro & Angelus apud „ Marcum, & Apostoli honoris causa Je„ sum Nazarenum dicere consueverunt. „ Quin etiam ipso principio nascentis Ec„ clesiæ a Jesu Nazareno omnes item Chri„ stiani Nazaræi dicebantur, & ipsa Chri„ stiana Religio Secta Nazarenorum. Nam „ qui accusabant Paulum Judæi, ut habent „ Acta Apostolorum: Hunc, dicebant, in„ venimus hominem pestiferum, & contu„ macem, & Auctorem seditionis sectæ „ Nazarenorum &c. Perseveravit vero „ ejusmodi nomenclatura, ut Christiani di„ cerentur Nazaræi, quousque omnes æque „ cœperunt dici Christiani: tunc etenim „ Nazarenorum nomen remansit Hæreti„ cis, quorum duplex erat differentia: alii „ nanque fuerunt ante Christum, nec Chri„ stum noverunt: alii vero qui sic in Chri„ stum credebant, ut tunc in observatione „ legalium Judæi esse non desinerent, de „ quibus pluribus Epiphanius. Ad hæc eo „ quod Dominus in Provincia Galilæa ha„ bitasset, ab impiis nominatus est Galilæus; „ & ab eo Christiani etiam Galilæi sunt „ appellati, eo quippe nomine insignes, „ impietatis viri, Porphyrius, & Julianus

„ Ap-

" Apostata, & alii his similes, Christianos " nuncupare consueverunt. Sunt autem " duæ Galilææ in Palæstina, quarum al- " tera continis est Judææ, altera vero con- " termina Phœnicibus. (Sic eas describit " Cyrillus, quas Josephus superiorem, & " inferiorem nominat) Prior, posita in " Tribu Nephtalim, Galilæa Gentium " dicta est, posterior autem in Tribu Za- " bulon circa Tiberiadem, & stagnum Ge- " nezareth, ut tradit Hieronymus, sita est: " In harum posteriori est Nazareth, ubi Chri- " stus Dominus habitavit. Sed de Galilæo- " rum natura, hæc breviter Josephus: *Sunt*, " inquit *pugnaces ab infantia Galilæi, & om-* " *ni tempore plurimi: neque aut formido un-* " *quam viros, aut penuria regiones illas occu-* " *pavit; quoniam tota, optima, & fertiles* " *sunt, &c.* Atque hæc satis ".

Ab IV. Non est novum in Sacris Scripturis, quod idem nomen, & literalem, & mysticam habeat significationem; Literalem quidem, quatenus a Patria, vel a genere, derivationem significet; mysticam vero, quia importat aliquid, quod virtutem, vel portentum, vel dignitatem, præseferat. Unde nec mirum videri debet, quod Christus appellatus sit Nazarenus, & quia Nazareth educatus, ibidemque per plures annos habitavit, & quia sanctitatem, segregationem a seculo, innocentiæ florem, in se habebat, quæ omnia voc illa Nazaræus, seu Nazaræus, Nazarænus mystice importat.

Pro tertia demum Differtationis parte, primo Author hæreticus libri de Infantia Salvatoris, plurimas fabulas commentus est, ac scripto tradidit, de vitæ instituto, ac de vivendi genere, quod Christus Dominus exercuit; quas quidem Nænias putridissimas sane, & insolentissimas, una simul cum libro, qui illas continebat, Gelasius Romanus Pontifex, in Romano Concilio rite proscripsit, atque damnavit.

Secundo Valentiniani de Christo infante, & Scholas frequentante ad literas addiscendas, non pauca commenti funt. Illos autem refellunt Irenæus lib. 1. adversus hæreses cap. 17., & Augustinus tract. 29. in Joannem. Immo Joannis 7. Judæi, qui de Christo dicebant: *Quomodo hic literas scit, cum non didicerit?* In antecessum hos nebulones apertissime confutarunt. Quomodo enim Christus frequentare scholas poterat, qui literas non didicit? Et quomodo verificari potest, quod literas non didicerit, quum scholas frequentaverit?

Tertio Christiani aliqui tertio Ecclesiæ seculo quædam miracula venditabant, quæ a Christo patrata in puerili ætate dicebant. Contra quos loquitur Chrysostomus homil. 16. in Joannem, dicens: *Constat, signa illa, & miracula, quæ in Christi pueritia feruntur, vera non esse. Nam si a puero miracula facere cœpisset, non sane eum Joannes ignorasset; nec reliqua multitudo indiguisset Magistro, qui ipsum manifestaret. Nunc autem, inquit Joannes, propterea hoc veni, ut manifestetur in Israel.*

Quarto. Alii dixerunt, quod Christus non artificio, sed quotidiana mendicatione, & corrogata ostiatim stipe victitavit; quod fuit commentum Michaelis a Cæsena, Guillelmi Ochami, aliorumque ex Minoribus Patribus S. Francisci, quod Joannes XXII. Romanus Pontifex, anno 1322. tribus Extravagantibus, scilicet, *Ad Conditorem &c. Cum inter nonnullos &c. Quia quorundam &c.* damnavit.

Quinto, Alii voluerunt, Christum toto illo tempore, quod fluxit a pueritia ad annum usque 30. in secessu vixisse, secreto loco solitariam vitam duxisse, & continuæ orationi, contemplationi, ac etiam jejunio, vacasse. Et hujus sententiæ fuerunt Paulus Brugensis ad cap. 6. Marci, Barradius in cap. 2. Lucæ, Simon de Cassia lib. 4. de Vita Christi cap. 2. Post quos recensitos Serry exercitat. 44. subjungit: " Verum quanquam id ea parte varum " esse non negem; Christumque plurimam " privatæ vitæ partem contemplationi, & " orationi dedisse non dubitem; difficulter " tamen adducor, ut credam, eum socialem " vitam nusquam egisse, artemque aliquam " mechanicam non exercuisse: tum ut in ea " exercenda patri subditus esset; tum, ut " honesta industria, & sua, & Parentum " inopiæ succurreret; tum, ut humilitatis, " & modestiæ præberet exemplum; tum " demum ad fugam otii ".

Sexto, Iidem quoque dixerunt, quod Christus interdum saltem fabrilem artem exercuit, una simul cum Josepho patre, fabro. Et hujus sententiæ sunt præcipue Chrysostomus homil. 30. in cap. 13. Matthæi, Basilius in Asceticis, Angelicus Doctor in cap. 13. Matthæi. Et quamvis in hoc fere omnes conveniant, discrepant tamen de fabrili arte, quam specialiter exercuit. Etenim Justinus martyr in Dialogo cum Triphone Judæo voluit, Christum artem lignariam exercuisse, & illam præsertim, *quæ aratra fabricatur, & juga*, quam carpentariam dicimus; & Justino subscribit

Ambrosius lib.3. in Lucam. Hilarius vero ad cap. 14. Matthæi, Beda ad caput 6. Marci, & Chrysologus sermone 48. scripserunt, Christum fabrum ferrarium fuisse.

Septimo, Plerique concedunt, Christum pauperem vitam duxisse, quod multa Evangelii loca indicant; Immo & aliquando mendicasse, quod asseruit S.Thomas opusc.contra Impugnantes Religionem cap.7.Ad quæ subdit Serry: „Aliud „ longe est paupertas, aliud mendicitas: „ aliudque rursus est mendicitas ex status, „ & vitæ conditione; aliud mendicatio ex „ occasione dumtaxat, & in exercitium „ humilitatis, qualis fuit in Christo Domino.„

Octavo, Iidem volunt pariter, quod B.Virgo, Christi mater, honesto artificio, & sibi, & filio, vitæ necessaria comparaverit, sicut & vir ejus Joseph, & quod ob hoc dicta fuerit a Tertulliano lib. de spectaculis, *Quæstuaria*, hoc est artem ad quæstum exercens, quemadmodum etiam a Hieronymo epist.1.ad Heliodorum. Verum quam artem in individuo exercuerit, non conveniunt Patres; etenim Anselmus scribit, fuisse Lanariam; Epiphanius Indusiariam; Hieronymus, & Beda Textricem; ex lana, scilicet, lino, serico, & bisso.

Dicimus III. Christum Dominum, a pueritia usque ad trigesimum ætatis suæ annum, privatam, ac solitariam vitam ducentem, orationi, contemplationi, ac jejunio, vacasse; eodemque tempore fabrilem artem lignariam cum Josepho exercuisse; non autem mendicasse, nisi aliquando ex accidenti.

Prima Conclusionis pars probatur I. Matthæi 13. *Et veniens in patriam suam, docebat eos in Synagogis eorum, itaut mirarentur, & dicerent: Unde huic sapientia hac, & virtutes? Nonne hic est Fabri filius? Nonne Mater ejus dicitur Maria; & fratres ejus, Jacobus, & Joseph, & Simon, & Judas? Et sorores ejus nonne apud nos sunt? Unde ergo huic omnia ista?* Ad quæ addit Cornelius a Lapide: „Videtur ergo Christus cum patre Joseph artem fabrilem exercuisse usque ad annum trigesimum, quo cœpit docere, & prædicare. S.Hilarius, & Ambrosius censent, „ Christum fuisse fabrum ferrarium; Hugo, murarium, vel aurificem. Communis sententia est, Christum fuisse fabrum lignarium, ut ex S.Chrysostomo „ docet S.Thomas, & S.Justinus dialogo „ contra Triphonem. *Erat*, inquit, *aratra, & juga boum conficiens*. Hinc prædicans Christus sæpe ab eis petit similitudinem, ut cap.11. *Tollite jugum meum super vos. Et nemo mittens manum suam ad aratrum, & respiciens retro aptus est regno Dei*: Lucæ 9. ver.62.

II. Probatur ex Marci 6. *Nonne hic est faber, filius Mariæ, frater Jacobi, & Joseph, & Judæ, & Simonis? Nonne & sorores ejus hic nobiscum sunt?* Ad quæ etiam Cornelius a Lapide cit. loco ad cap. 13. Matthæi, qui scribit: „Hinc & Christianus „ ille a Gentili irrisore rogatus, *quid faceret fabri filius?* puta Christus, argute respondit: *Juliano* (Apostatæ) *fabricat feretrum*: nam paulo post occisus est Julianus. Ita Sozomenus lib.6. cap.2.„ Quod & repetit Serry in Exercit. 44. dicens: „ Nata quippe est illa pii cujusdam, ac religiosi, Ludimagistri responsio Libanio Ethnico, & Juliani Imperatoris Apostatæ intimo familiari, olim data, quam referunt Theodoretus lib.3. Histor. cap. 18. & Sozomenus lib.6. Histor. cap.23. „ Cum, scilicet, per derisum quæsiisset Libanius: *Quid agit Fabri filius?* Christum intelligens, & irridens. Respondit Ludimagister: *Juliano tuo feretrum fabricatur*. Quod certe probavit eventus: „ nam paulo post sagitta ictus Julianus interiit, ac feretro in tumulum delatus „ est.„

Secunda Conclusionis pars probatur I.Joannis 4. dicitur, *Jesum misisse Discipulos suos ad emendum cibos: Discipuli enim ejus abierant in Civitatem, ut cibos emerent*. Ad quæ dicit Cornelius a Lapide: „ Hic „ etiam nota, Christum tunc non mendicato vixisse, se pretio, quod sibi a Magdalena, aliisque feminis oblatum, ipse non ut proprium, sed ut commune cum Apostolis possidebat.„

II. Probatur Joannis 13. Christus præcepit Judæ, qui loculos habebat, ut emeret ea, quæ ad festum celebrandum erant necessaria, & ut egentibus subveniret: *Quidam enim putabant, quia loculos habebat Judas, quod dixisset ei Jesus: Eme ea, quæ opus sunt nobis ad diem festum; aut egenis ut aliquid daret*. Ad quæ idem Cornelius: „ Licet enim ex verbis Christi „ scirent Judam fore proditorem, tamen non sciebant eum tam cito, scilicet, eadem nocte, Christum proditurum, sed suo tempore. Quare non intellexerunt Christum dicentem: *Quod facis, fac citius*, „ de proditione sua loqui, sed ad emen-

„dum

„ dum necessaria pro instante Paschate „ transtulerunt. Erat enim Judas procurator „ tor Christi, & Apostolorum. „ Quod docuerat etiam Beda lib. 4. cap. 54. in cap. 12. Lucæ: *Facite vobis sacculos, qui non veterascunt: eleemosynas, videlicet operando, quarum merces in eternum maneat. Ubi non hoc praeceptum esse putandum est, ut nil pecuniæ reservetur a Sanctis, vel suis scilicet, vel pauperum usibus suggerenda: cum & ipse Dominus, cui ministrabant Angeli, tamen ad informandam Ecclesiam suam loculos habuisse legatur, & a fidelibus oblata conservans, & suorum necessitatibus, aliisque indigentibus tribuens: sed ne Deo propter ista serviatur, & ob inopiæ timorem justitia deseratur.*

III. Probatur. Joannes XXII., Romanus Pontifex, in citatis Extravagantibus *Ad Conditorem, &c. Cum inter nonnullos, &c. Quia quorundam, &c.* declaravit, decrevit, ac definivit, Christum aliquid in commune cum Apostolis habuisse, & hoc paupertatis perfectioni nullatenus officere. Quo etiam extremo judicio, ait Serry, censendus est revocasse caput *exiit, de verborum significatione* in VI., quod Nicolai IV. contrarium asserentis decretum erat. Videatur Odericus Raynaldus in Annalibus ad annum 1323.

IV. Probatur. Ex Tertulliano, Epiphanio, Hieronymo, Beda, & Anselmo locis citatis, B. Maria Virgo, Christi mater dicta est *Quæstuaria*, scilicet artem ad *quæstum* exercens, *Lanaria, Indusiaria, Textrix*, ut diximus; non est autem verisimile, Christum mendicasse victum, quando convivebat Parentibus, qui honestam artem exercebant, ut se, illumque alimentarent.

Objiciunt I. Hilarius, Beda, & Chrysologus, locis citatis dixerunt, Christum fuisse fabrum ferrarium: ergo non fuit faber lignarius. II. Basilius in Constitutionibus monasticis cap. 5. hæc habet de Christo: *Cum prima sua ætate Parentum suorum imperio esset subjectus, & labores corporis omnes æquo una cum ipsis animo illis obediens, toleravit. Verisimile est enim, cum homines illi essent & justitiæ, & pietatis cultores: tenues tamen solitos eos in assiduis corporis laboribus versari, & hac ratione quotidianum sibi victum quæritare. Porro Jesus cum his (ut divinæ literæ prædicant) esset subjectus, sine dubio in perferendis etiam una cum ipsis laboribus, morigeram declarabat suam obedientiam.* Ex quibus verbis patet, quod Christus quotidianum victum quæritaverit, hoc est mendicaverit. III. Hieronymus in Epist. 22. ad Eustochium de custodia Virginitatis scribit, quod Christus *usque ad triginta annos Parentum paupertate contentus fuit*: ergo si tunc Christus Parentum paupertate contentus non mendicavit, deinde post triginta annos a Parentibus separatus, mendicavit. IV. Christus adoratus a Magis eleemosynas ab iisdem accipit: ergo primo veniens in mundum, & in fasciis agens, vitam mendicatione sustinuit. V. Triduo illo, quo Parentes eum amiserunt Jerosolymis, & in Templo erat cum Doctoribus disputans, asserunt omnes, quod mendicato vitam transegit: ergo non proprio labore vixit, sed mendicando ostiatim. VI. Chrysostomus homil. 67. in Matthæum docet, quod Christus *regulas nobis præbuit, ne majora, quam necessarius usus exigat, requiramus. Itaque quando nascebatur, non magnificas ædes, non locupletem matrem, sed pauperrimam, & Fabro desponsatam, elegit.* Et consonat iis, quæ dixerat Origenes homil. 8. in Leviticum: *In hoc ostenditur, verum esse illud: quod scriptum est, quia Christus Jesus cum dives esset, pauper factus est, ideo & matrem, de qua nasceretur, elegit pauperem.* VII. Si non fuit Christo incongruum fabrilem artem a Josepho discere, neque dicendum est, fuisse inconveniens, quod a Ludimagistro literas, illasque cognoscendi peritiam compareret; quod apud Irenæum Valentiniani, qui proximi Christi ævo fuerant, asserebant. VIII. Patres omnes asserunt, quod Christus ante trigesimum annum obscuram vitam duxerit, & ab aliis minime cognitam; sed si fabrilem artem exercuisset, facile fuisset ab hominibus agnitus, & non potuisset orationi, contemplationi, & jejunio vacare: ergo verum non est, quod diximus, Christum, scilicet, ante trigesimum ætatis annum solitariam, obscuram, ac privatam vitam duxisse; sed potius socialem, cum aliis conversando, ac pertractando.

Respondemus ad I. quod Hilario, Bedæ, ac Petro Chrysologo, præferimus Justinum martyrem, & philosophum; & quia fuit omnium antiquissimus, & Christi temporibus propior, & quia pro ejus opinione peculiaria monumenta, quæ adduximus, faciunt, quæ cæterorum sententiæ minime suffragantur.

Ad II. Profecto Christus ex Basilio quotidianum victum quæritavit, at non mendicando, ut Adversarius supponit, sed potius laborando, ut ex ipsiusmet Basilii verbis

bis innotescit. Quum enim dicat, quod Parentes ejus, ut sibi vitæ necessaria acquirerent, laborarent, non mendicarent, consequens est etiam ut dicant, quod Christus Parentum vestigia sequens una simul cum ipsis laboraverit, non vero mendicaverit. Et hoc potiori jure facere debebat, ut scilicet Patris putativi senectuti adjumento esset, se socium laborum ejus reddens, atque constituens.

Ad III. Christus nec ante trigesimum ætatis suæ annum, nec post ipsum, mendicavit; non quidem ante; quia etsi pauper in Parentum suorum domo esset, non erat tamen mendicus; immo B. Virgo Parentes habuit honestæ, & commodæ conditionis, quorum ipsa unica erat hæres, & ideo viro ejusdem Tribus, & Familiæ nupsit. Quod dixerat Nicephorus lib. 1. hist. Eccles. cap. 3., scilicet *Parentes Domini post Christi nativitatem e Bethlehem rediisse Nazareth, propter eam, quæ tum ibi eis erat, substantiam, & possessionem. Utrobique enim habitabant, quod utroque loco proventum aliquem (ut conjicere licet) haberent*. Immo Eusebius Emissenus, vel quisquis est author homiliæ in Nativitate Virginis Mariæ: *Manifestum est, Beatissimam Virginem Mariam, quæ nobilissima hæres parentibus suis in hæreditatem successerat, (siquidem, neque fratres habuit, neque habuisse legitur) neminem de alia Tribu conjugem accipere potuisse. Sed fortasse dicis, eam non habuisse hæreditatem. Lege ergo in Levitico, & invenies, quod nemo hæreditatem suam ex toto vendere poterat, etsi usum ejus vendere potuisset. Veniente namque jubilæo, omnis hæreditas ad proprium Dominum revertebatur; quomodo ergo sine hæreditate esse poterat, quæ ex tam nobilissimis parentibus orta fuerat?* Post quæ loc. cit. subdit Suarez: „ Itaque licet non essent „ divites Maria, & Joseph, non tamen adeo „ inopes existimandi sunt, ut sine aliorum „ subsidio parvam familiam suam alere „ non possent. Neque decebat Sanctissimam Virginem talis egestatis modus, ac „ vivendi ratio. Neque etiam ad virtutis, „ ac sanctitatis perfectionem fuit necessaria, neque conveniens saltem pro eo tempore, in quo statu matrimonii vitam privatam, & in exterioribus rebus communem agebat. Et eadem ratione non oportuit Christum saltem pro illo tempore „ hunc paupertatis modum assumere „.

Ad IV. Quod Magi Christo obtulerunt in præsepio vagienti, non fuit stipes eleemosynaria, sed fuit tributum, vel donum. Ita in Epiphaniæ solemnitate canit Ecclesia, ita prædicant Patres. Et quidem etsi possit admitti, quod aurum pro eleemosyna detur, nunquit etiam pro eleemosyna dari potest myrrha, vel thus? Habuerunt profecto mysticas significationes dona illa, quibus declarabatur Christus Deus, Rex, & homo mortalis; hoc est per myrrham homo mortalis, per aurum Rex; & per thus Deus. Non ergo aurum dabatur illi a Magis ut mendico, sed offerebatur ut Regi.

Ad V. Diximus quidem in conclusione, Christum aliquando mendicasse ex accidenti, & hoc fuit, quando deperditus Jerosolymis a Parentibus, post disputationes in Templo habitas cum Doctoribus, victum mendicando quærebat. Per hoc autem non fit, quod mendicitatis statum amplexus fuerit ante baptismum; quod & notavit Serry, scribens: „ Et vero si eum „ mendicitatis statum amplexus esset Christus ante baptismum, post baptismum „ utique tenuisset, ad vitæ necessaria comparanda: non retinuisse autem compertum est ex Evangelio Joannis cap. 4. ubi Christi discipulos in Civitatem ivisse legimus, ut cibos emerent „. Quod & Nos in probationibus adduximus. Attamen Cornelius a Lapide in cap. 2. Lucæ hæc scribit: „ Totum hoc triduum ergo Jesus „ egit partim orando, partim audiendo „ Doctores, hisque respondendo in Templo: cibum a Doctoribus, aut astantibus „ sapientiam ejus mirantibus, invitatus accepit, licet alii minus verisimiliter putent „ eum ostiatim mendicando victitasse, uti „ putat S. Bernardus homil. infra octavam „ Epiphaniæ, Bonaventura, Alensis, & alii, „ & favet S. Thomas 2. 2. q. 187. art. 5., „ qui Christum aliquando mendicasse probat ex illo: *Ego autem mendicus sum, & pauper* psalm. 39. Ex adverso Lyranus, „ Dionysius, Joannes Major hic, & Abulensis in Matth. cap. 17. q. 194. censent, Christum nunquam mendicasse, eo quod mendicare Judæis esset vetitum Deuter. 15. „ *Mendicus non erit inter vos*. Verum hæc „ verba non præceptum, sed promissionem „ opum significant, si legem Dei observent, „ scilicet, eos adeo fore divites, ut nemo „ eorum mendicet „.

Ad VI. Non negamus quæ Origenes, & Chrysostomus docuerunt, B. Virginem scilicet, non fuisse locupletem, non fuisse divitem, sed tantum asserimus non fuisse mendicam, ita ut quæ ad vivendum erant necessaria, mendicando quæreret

simul

simul cum Sponso,& Filio. Hoc profecto nemo ex Patribus asseruit, nullus ex Theologis dictitavit; immo nos nuper non semel ostendimus,& illam Parentum ejus fuisse hæredem; adeoque hæreditatem, & paternam, & maternam, Sponso suo deportasse, & artes quoque exercuisse, quibus ad vivendum necessaria parabantur.

Ad VII. Inconveniens porro erat Christo literas a Ludimagistro discere,quia Evangelium contrarium publicabat, dicens: *Quomodo hic literas scit, cum non didicerit?* At fabrilem artem Josephi exemplo exercebat, ad quam tale magisterium exigitur, quale ad literas, & scientias acquirendas necessarium est. Cæterum Valentiniani non solum falsa, sed & ridicula de Christo puero, & literas addiscente somniabant, quæ refert Irenæus lib.1. adver.hæref. cap.17. *Assumunt in hoc & illam falsationem, quasi Dominus cum puer esset, edisceret litteras, cum dixisset Magister ejus, quemadmodum in consuetudine est: Dic, A; Respondit, A. Rursum cum Magister jussisset dicere eum, B, respondisse Dominum: Tu prior dic mihi quid est, A, tunc ego dicam tibi quid est, B. Sed facessant commenta hac.*

Ad VIII. Dicimus, potuisse Christum uno, eodemque tempore ducere vitam privatam, & obscuram, ac exercere artem illam, quam diximus exercuisse. Non enim ars illa constituebat ipsum in triviis, vel in plateis, ut ibidem omnium hominum colloquia exciperet, sed in officina tantum putativi Patris sui eum restringebat ad laborem quidem manuum, sed & ad mentis quoque in Deum elevationem; adeout uno, eodemque tempore vitam ageret activam, cum hominibus aliquot conversando, & contemplativam per crebras orationes, & contemplationes, quibus illius anima continuo cum Deo conjungebatur.

DISSERTATIO CCXXIX.

De disputatione Christi in Templo. An interrogatio B. Virginis Christo facta, & responsio ejusdem ad illam, aliquid habuerint objurgationis, vel reprehensionis? An Christus sedens in Templo interrogaverit, vel docuerit Doctores, & de quibus rebus? An Christus Jesus quemadmodum ætate, & statura, ita & sapientia, & gratia, profecerit?

POSTQUAM Christum Parentes ejus invenerunt in Templo cum Doctoribus disputantem, quem per triduum amissum inter Cognatos, & notos, requirentes, invenire non poterant, mater ejus dixit ad eum Lucæ 3. *Fili, quid fecisti nobis sic? Ecce pater tuus, & ego dolentes quærebamus te.* Quæ quidem verba non defuerunt qui dicerent, continuisse objurgationem, quam mater fecit ad eum; alii tamen rectius loquentes putarunt, fuisse potius verba mirantis, & dolentis matris, doloremque suum dolenter explicantis. Quod exponit Cornelius a Lapide ad eadem verba scribens: „ Verba „ hæc matris sunt, non Christum objur„ gantis, sed mirantis, & dolentis, dolo„ remque suum dolenter explicantis. Hoc „ enim suadet veneratio matris erga talem „ filium, scilicet hominem Deum: ac pro„ inde verisimile est, matrem hæc ei dixis„ se, non publice in consessu Doctorum, „ sed secreto segregando eum, vel consess„ su jam demisso. Ita Jansenius, Maldo„ natus, & alii „Jesus autem respondit illis: *Quid est, quod me quærebatis? Nesciebatis, quia in his, quæ Patris mei sunt, oportet, me esse?* Quæ pariter verba, aliqui

qui dixerunt esse reprehendentis; quum consultius alii senserint, esse potius instruentis, consolantis, suumque factum defendentis; Quod exponit præfatus Cornelius verbis hisce: „S. Ambrosius „ censet, hæc esse verba reprehendentis. „ Et poterat Christus ut Messias, ut Legislator, jure suo reprehendere matrem, si „ peccasset. Verum nulla in matre fuit „ peccati culpa: ergo nec in Christo ulla „ ejus fuit reprehensio; habent tamen verba hæc ejus interrogationem quandam „ acriorem, reprehensioni similem; ut per „ eam parentes doceat, & ad res suas discendum acrius incitet, uti solent Parentes filios, & Magistri discipulos acrioribus verbis ad studium, & diligentiam „ exstimulare. Hæc ergo verba Christi sunt „ instruentis, consolantis, & se excusantis, „ suumque factum defendentis, quasi dicat: „ Non opus erat, ut me quæreretis, quia „ cogitare poteratis, me negotia salutis „ mundi, ad quæ a Patre cœlesti missus „ sum, inchoando tractare. Nec enim cogitare debetis, me semper vobiscum „ mansurum, sed aliquando ad illa, vobis „ relictis, abiturum, uti jam abire cœpi. „ Porro quod vobis insciis abierim, studio „ id feci, ut vos doceam, in illis me non „ pendere a vobis, sed a Patre cœlesti, & „ ex illius voluntate, ac consilio, non ex „ vestro eadem tractare debere. Ego ergo „ vobis non dedi causam doloris, sed illam vobis partim amor vester erga me, „ partim ignorantia mysterii jam dicti vobis ministravit: ignorabatis enim, me „ in Patris mei negotiis occupari, esto enim „ vobis merito in mentem id venire debuisset, tamen tener vester in me amor „ fecit ne veniret, & cogitationem hanc „ divertit. Unde Beda: *Non*, inquit, *quod* „ *eum quasi filium quærat, vituperat, sed quod* „ *ei potius, cui æternus est filius, beat, cogit* „ *oculos mentis attollere*. Istis nihilominus „ non obstantibus, nebulones quidam, hoc „ est, Hæretici homines, quod alibi retulimus, Mariam propter hæc verba accusant, quasi illa objurgaverit Christum, „ & quasi Christus eam reprehenderit.

Primo Lutheras in Evangelium Dominicæ 1. Epiph. hæc blasphemando, scripsitavit: „ In Maria Deipara eo usque erravit, ut nesciret, ubi Christus quærendus „ esset, &c. Quid potuit cogitare Maria, „ nisi sua culpa amissum filium Dei, & „ Deo Patri visam indignam, cui filium „ suum commissum denuo relinqueret? Melius fuisset non factam fuisse matrem, „ quam rapi ab eo ex improviso, &c. Et „ quis inter homines major peccator (ut „ conscientia tenerrima) quam hæc ipsa „ mater Dei?

Secundo Nicolaus Hemmingius in postilla Dominicæ 1. post Epiphan. scribebat: „ Hic taxatur aperte negligentia parentum Iesu: quæ negligentia fuit in leve „ peccatum: unde nec levis crux extitit in „ corde Virginis. Sensit partem gladii cor „ suum tetigisse: cogitabat hic thesaurum „ sibi commissum a Deo, ut illum observaret: contulit suam miseriam cum miseria Evæ. Nam ut illa genus humanum „ a Diabolo seducta, perdidit: ita Virgo „ existimavit sua negligentia se amisisse „ Salvatorem promissum.„

Tertio Magdeburgenses Centuriæ primæ lib. 1. cap. 10. fol. 294. lin. 17. „ Solet „ hic quæri de peccato Mariæ, ob amissionem filii Messiæ, facta collatione ad peccatum Evæ, quæ salutem hominum initio pervertit, & amisit. Exaggeratur factum Mariæ, quia circa majus objectum „ versatur, nempe Mundi Salvatorem. Sed „ cum ea res alterius fori sit, & in commentariis explicari talia soleant, contenti simus in præsentia brevi explicatione, „ quod utraque delicta Evæ, & Mariæ non „ sint exigua. Sed tamen non tantum secundum objecta discernuntur peccata, „ verum magis principaliter secundum interiores causas, nempe judicium, & assensum voluntatis. Eva sciens, & volens, „ facit contra mandatum Dei: Maria insciens, & contra voluntatem amittit filium; sed nihilominus graviter peccat.„

Dicimus I. Interrogationem B. Virginis Christo factam, & responsionem ejusdem ad illam, nihil habuisse nec objurgationis, nec reprehensionis.

Prima pars probatur I. In verbis illis, quæ dixit Maria ad Iesum, non continetur defectus aliquis, qui Iesu imputetur, sed solum iisdem exprimitur dolor Parentum, qui eum amiserant: ergo nulla in iisdem invenitur objurgatio. Antecedens est certum ex eorundem verborum consideratione. Consequentia probatur. Objurgatio continet exprobrationem illius, qui objurgatur; exprobratio autem nequit esse sine defectu, qui imputetur, vel accusetur: ergo ubi non est defectus, nequit esse exprobratio, & per consequens nequit esse objurgatio. II. Manifestatio proprii mœroris ac doloris nequit dici objurgatio; sed in præfatis verbis Mariæ ad Iesum est manifestatio do-

doloris, ac mæroris ejusdem, ac Sponsi sui, ob filii amissionem: ergo nulla in iisdem inveniri potest objurgatio. Probatur minor. Verbum *dolentes* exprimit dolorem, ac mærorem eorundem ob amissionem prædictam: ergo in prefatis Verbis continetur manifestatio doloris, ac mæroris &c. III. Fere eadem, aut similia verba legimus in Sacris Scripturis, quæ dicebant Sancti Viri ad Deum, quando cum eo pro aliquo supplicio populo inflicto lamentabantur; & præcipuæ in Moyse, quando Deum alloquebatur, illum deprecans pro populo sibi commisso, ut averteret indignationem suam ab illo: ergo quanvis B. Virgo filium suum veneraretur ut Deum, poterat nihilominus illa verba eidem dicere absque Objurgationis periculo, sed tantum cum quadam lamentationis specie, quæ matrem dilectum filium alloquentem, & Deum suum deprecantem, & obsequentem, non dedecebat.

Secunda Conclusionis pars probatur I. Si Christi verba, parentibus ejus dicta, reprehensionem continerent, hoc maxime esset propter verbum *nesciebatis*; sed verbum hoc nullam præsefert reprehensionem: ergo &c. Probatur minor. Verbum *nesciebatis*, quando dicitur per interrogationem, idem est, ac *sciebatis*; sed verbum *sciebatis* nullam meretur reprehensionem: ergo neque verbum *nesciebatis* per interrogationem dictum. Probatur minor consimilibus exemplis, quæ in Sacris literis inveniuntur. 1. ad Corint. cap. 9. legimus: *Nescitis, quod qui in stadio currunt, omnes quidem currunt, sed unus accipit bravium?* Et hoc idem est ac dicere: *scitis, quod qui in stadio currunt &c.* Et cap. 6. *Nescitis, quoniam Angelos judicabimus? quanto magis sæcularia?* Et hoc idem sonat, ac si dicatur: *Quum vos sciatis, nos judicaturos esse Angelos, illud multo certius scire debetis, nos judicaturos esse secularia.* Sic pari modo exponenda sunt verba illa: *Nesciebatis, quia in his, quæ Patris mei sunt, oportet me esse?* hoc est: *Quia vos sciebatis, quod in his, quæ Patris mei sunt, oportet me esse, non erat, cur me quæreretis, ubi essem; sed illud advertere poteratis, absentiam illam meam a vobis ea de caussa factam fuisse, ut opus, mihi a Patre impositum, implerem.* Et hoc pacto hunc locum exponit Cardinalis Toletus notat. 81. in cap. 2. Lucæ. II. Nullus fuerat in verbis matris defectus: ergo nulla debebat esse in Christi verbis reprehensio. Consequentia sequitur; quia ubi non est culpa, neque est reprehensioni locus. Probatur antecedens. Ex probatis in prima Conclusionis parte Verba illa Mariæ solum continebant mærorem, & dolorem, & nullam præseferebant Objurgationem: ergo nullus in eis defectus erat. III. Verba, quæ sunt instruentis, consolantis, & se excusantis, non sunt reprehendentis; sed verba illa, ut probavimus ex Cornelio a Lapide, sunt instruentis, consolantis, & se excusantis: ergo non sunt reprehendentis.

Obstant I. Saltem excusari non possunt Parentes Christi, quod non adverterint, absentiam illam trium dierum Domini Jesu factam fuisse ea de caussa, ut Patris opus impleret: ergo propter hanc culpam bene poterant a Christo reprehendi. II. Actio illa Christi, vel erat divina, vel erat humana; Non divina, quia actiones divinæ Christi, scilicet ut Dei, & ut filii Dei, erant, creare, conservare, gubernare omnia, quæ ad divinitatem spectant, & spirare Spiritum sanctum, quod pertinet ad personalitatem filii: Si ergo erat actio humana, poterat illa a Parentibus suis recognosci, qui jus habebant ad judicandum eam; ergo poterant eum quoque propter eandem objurgare. III. Ex eodem Luca ibidem *Parentes Jesu non intellexerunt Verbum, quod loquutus est ad eos:* ergo saltem reprehensibiles erant propter hoc ipsum, quod ignorarent quæ Jesus facere debebat, ut Patris voluntatem impleret. IV. Bernardus serm. 19. in Cantic. putat, quod Iesus rediit Nazareth cum Parentibus suis, quia illi verbis ejus acquiescere noluerunt: Verba Bernardi sunt: *Cum remansisset in Jerusalem, & dixisset, in his, quæ Patris sui erant, oportere se esse, non acquiescentibus Parentibus ejus, sequi eos in Nazareth non despexit, Magister discipulos, Deus homines, Verbum, & Sapientia fabrum, & feminam:* igitur vel defecerunt Parentes Jesu, cogentes eum, ut non faceret quæ Divini Patris sui erant; vel defecit Jesus morem gerens Parentibus suis, & ea, quæ Patris sui erant, omittens.

Respondemus ad I. cum Serry in dicta Exercit. 44., quod Parentes Jesu, quanvis scirent illum facturum omnia, quæ Patris sui erant, non tamen tenebantur scire singula, quæ faciebat, illius generis esse; ita ut illud non avertentes, peccarent. Verba Serry sunt: „Cum enim Christus „ per omnia nobis similis factus, excepto

pec-

„ peccato, cæterorum tunc puerorum more se gereret, communesque tunc puerorum fragilitates haberet, (quas tamen non ex infirmitate, sed ex voluntate patiebatur) poterant citra culpam Parentes ejus existimare, voluisse illum, cæterorum quoque puerorum more, velà via deflectere, vel Jerosolymis alia de causa subsistere: nec scire illico tenebantur, voluisse illum hac in occasione Divinum opus implere; seque Dei filium coram Doctoribus ostentare. Maxime cum nihil hujusmodi toto præcedenti pueritiæ tempore in illo experti fuissent. Nulla itaque in Parentibus culpa fuit, quam Christus data responsio reprehenderit. „

Ad II. Actio illa non fuit divina sed humana; at non ex illis actionibus humanis, quas Christus habebat, ut homo, sed ex illis, quas habebat ut homo-Deus. In his ultimis non tenebatur obedire Parentibus, sed soli Deo Patri, cujus opus agebat. Responsio est Cornelii a Lapide ad caput 2. Lucæ hæc scribentis: „ Ut hoc „ e radice, & fundamento intelligas, nota, „ Christum præter actiones divinas, quas „ habebat ut Deus, Deique filius, quales „ sunt, creare, conservare, & gubernare „ omnia, ac spirare Spiritum Sanctum, habuisse actiones humanas, easque duplices; „ priores, quas habebat, ut homo, communes aliis hominibus, ut sunt comedere, „ ambulare, laborare, fabricare, &c., posteriores, quas habebat ut homo-Deus, „ sive ut Redemptor, sibi quasi Christo „ proprias, quæ proinde a S. Dionysio lib. „ de Divin. nomin. *Teandrica*, idest, *Dei-viriles*, nuncupantur, quia partim Dei, „ partim hominis sunt opera. Tales erant „ docere, facere miracula, discipulos convocare, Apostolos creare &c. In prioribus voluit Christus sponte sua Parentibus, a quibus eas cum natura quasi acceperat, obedire, & ab eis finebat se in illis „ regi: in posterioribus vero nequaquam, „ sed soli Deo Patri voluit subjici, & obedire: quia hæ, utpote altioris ordinis, a „ solo Deo erant acceptæ, & directæ. Unde Christus Parentibus eas petentibus, „ quasi ex materno quodam imperio, respondit, illas non ad parentum, sed ad „ Dei voluntatem, & nutum esse faciendas, ut patet hic, & in conversione aquæ „ in vinum in nuptiis Canæ Galilææ, Joan. „ 2.4., & aliis similibus, ut patet Matthæi „ 12.48. Porro, Christus actiones suas theandricas, quas patrabat ut Deus homo, vocat actiones Dei Patris, Patrique eas attribuit, non sibi; Primo, quia propter „ has a Patre missus erat in Mundum. Secundo, quia Christus a Patre habebat „ suam Divinitatem: hæc autem opera præcipue erant divinitatis. Tertio, quia eas „ faciebat ex præcepto Patris. Quarto, quia „ in his nemini suberat, nisi soli Patri „ æterno, ut doceret, amori matris etiam „ tenerrimo præponendum esse Dei præceptum, vel consilium, ut, cum Deus „ aliquem vocat ad Religionem, ad Sacerdotium, ad martyrium, ad apostolatum, „ cui Parentes repugnant. Sic in humanis „ filius qua filius subest Parentibus, quoad „ paterna jura, qua vero idem magistratum gerit, v. g. Rex est, aut Princeps, „ Parentibus non subest, sed præest, quoad „ jura regalia: Rex enim omnium, qui in „ Regno sunt, ac consequenter Parentum „ suorum, est superior, & Dominus; quare „ eos jure communi reipublicæ regere, dirigere, & corrigere tenetur. „

Ad III. Idem Cornelius a Lapide sequentibus verbis videtur occurrere: „ Nonnulli „ ignorantiam hanc referunt ad Auditores, qui stupebant super prudentia, & responsis Jesu, v. 47. Alii ad solum Joseph „ per Synecdochen. Verum plane tam ad „ B. Virginem, quam ad Joseph hæc referenda sunt: licet enim ipsi nossent Jesum „ suum esse Christum Dei Filium, & Salvatorem Mundi; tamen ignorabant, qua „ ratione illud munus obiturus esset, seu „ quæ illa essent negotia Patris in particulari, in quibus, ipse dixerat, oportere se „ versari vers. 49. nimirum, an, quando, „ quomodo, docturus, victurus, moriturus, crucifigendus esset pro salute mundi; hæc enim eis a Deo necdum revelata „ erant, sed ea ipsa progressu temporis, vel „ per experientiam, vel per revelationem „ Jesu didicerunt. Quare ex reverentia Jesu, cum hoc loco curiose, quænam essent illa mysteria interrogare non sunt „ ausi, sed tempus opportunum ea noscendi prudenter expectarunt. „

Ad IV. Nullus ex illis defecit, quis Jesus jam opus suum perfecerat, disputando cum Doctoribus in Templo per triduum, & deinceps humilitatem suam exercens, Parentibus obedire non recusavit. Parentes vero ejus agnoscentes ea, quæ Dei erant, esse completa, & nullam a filio de ulteriori permanentia Jerosolymis requisitionem recipientes, existimarunt, Dei voluntatem esse, ut una cum illo Nazareth redirent.

Pro Secunda Dissertationis parte; Ex Evangelio

gelio sane habemus, Christum Dominum sedisse in Templo in medio Doctorum, eosdemque Doctores interrogasse, ac simul audivisse, illisque consequenter respondisse: *Invenerunt illum in Templo sedentem in medio Doctorum audientem illos, & interrogantem eos.* Explicat Cornelius a Lapide, quod verbum illud *in medio Doctorum*, est hebraismus, phrasis scilicet hebraica; & idem significat, ac inter Doctores, sed humiliori loco, quasi discipulum, idque ad hoc, ut suis interrogationibus illos ad respondendum excitaret. Quum autem dicatur, quod audiebat illos; hoc plane significat, & quod illi respondebant interrogationibus suis, & quod eum pariter interrogabant, ut ipse quoque posset interrogationibus ipsorum respondere. De quibus autem rebus facta fuit disputatio, communiter censent Doctores, fuisse factam de Messiæ adventu; & præcipue de Sceptro jam translato a Juda ad Herodem alienigenam, ac de expletis jam septuaginta hebdomadibus Danielis, ac de cæteris Prophetarum de Messia Oraculis. Et hoc ex Euthymio idem Cornelius asserit.

Dicimus II., Christum sedisse inter Doctores, eos interrogasse, ac iisdem respondisse, de Oraculis, quæ de Messiæ adventu in Sacris Bibliis legebantur.

I. Probatur. Etsi interrogare sit proprium puerorum, qui discere cupiunt, attamen Christus non interrogabat ut disceret, sed ut doceret. Unde scribebat Origenes, quod quemadmodum Magistri docti docte discipulos interrogando docent, ita & Christus, qui omnium erat doctissimus, Doctores interrogando docebat: *Ex una quippe doctrina fonte manat, & interrogare, & respondere sapienter, & ejusdem scientiæ est, scire quid interroges, quidve respondeas.*

II. Probatur. Lucæ 2. dicitur: *Stupebant autem omnes, qui eum audiebant, supra prudentia, & responsis ejus*: ergo Christus respondebat. Quæ enim fuissent ipsius responsa, si ipse non respondisset? Et quidem consulto respondebat, ut Doctoribus daret ampliorem interrogandi occasionem, sicque eos cumulatius doceret, ac de Messiæ adventu magis instrueret.

III. Probatur ex Ambrosio, quem affert Hennus in tractatu brevi de præcipuis vitæ Christi mysteriis scribens: „Porro, „juxta Ambrosium in tres Classes divide„bantur assistentes: primam occupabant Se„niores in Cathedris, de quibus fuit lo„quutus Christus dicens *Amant primas Ca„thedras in Synagogis*: Secundam non ita „Venerabiles; in sedibus inferioribus ter„tiam sub eorum pedibus tenebant disci„puli in storeis, & hunc locum tenuit hu„milis Christus, saltem ab initio; quod ad„do, quia tenent aliqui fuisse postea, ob „sapientiam inauditam, in primariam ca„thedram translatum.„ Quod scripserat antecedenter Baronius ad annum Christi duodecimum: „Hæc ut intelligamus, „sciendum Judæorum morem fuisse, ut „non tantum in Synagogis legem explica„rent, & de lege disfererent, sed etiam in „templo. Unde Paulus Apostolus Actor. „24. cum suam coram Felice Præside di„xit defensionem, hæc ait: *Neque in templo „invenerunt me cum aliquo disputantem, aut „concursum facientem turbæ, neque in Syna„goga &c.* In ejusmodi autem publico con„ventu is ab illis ordo servari consuevit, „qui apud Ambrosium in epist. ad Co„rint. c. 14. descriptus habetur, nimirum ut „sedentes disputarent, Seniores dignitate „sederent in cathedris, quæ ordine erant „dispositæ, erant hæ illæ cathedræ, de „quibus Dominus in Pharisæos Matth. „23., Marci 12. & Lucæ 11. 20., ait *Amant „primas cathedras in Synagogis*. Cæteri mi„noris ordinis in subselliis; novissimi om„nium in parimento super mattas, quibus „& dabatur dicendi locus, cum eis quid „revelatum esset; quæ omnia majores di„judicabant. Hunc quidem morem, ut „rem valde laudabilem, Paulus conatus „est inferre in Christi Ecclesiam, ut ea „Epistola, quam scripsit ad Corinthios 1. „14. idem affirmat. In ejusmodi vero „congressum incidit Dominus Jesus, apud „quem etiam inventus est a Parentibus.„

IV. Probatur. Ad quæsitum hoc: *Qua de re tractavit Christus in illa conferentia?* Hennus cit. loc. respondet, citans Cornelium a Lapide sub cujusdam Interpretis nomine: „Probabilius tractasse de Ad„ventu Messiæ, exponendo Prophetarum „oracula, ac Prophetias de tempore, quo „veniret Christus: ne inopinata, inquit „quidam Interpres, Doctoribus esset ejus „manifestatio; sed ut ex hisce indiciis, „quasi scintillis, postea prædicans, & mi„racula patrans, facilius ab eis velut Mes„sias reciperetur.„

Pro tertia demum Dissertationis parte, ex cap. 2. Lucæ habemus, quod *Jesus proficiebat sapientia, & ætate, & gratia apud Deum, & homines*; & antecedenter dixerat: *Puer crescebat, & confortabatur plenus sapien-*

sapientia, *& gratia Dei erat in illo*. In quibus verbis posterioribus profectus tantum ætatis describitur, non vero sapientiæ, & gratiæ, quemadmodum in prioribus: unde priora explicanda sunt per posteriora verba. Et re vera quum priora sint de Christo jam adulto, bene intelligi possunt, quod per opera, quæ Christus faciebat, ostendebatur in eo major gratia, & sapientia; unde profectus in rigore erat tantum in ætate, & statura, in sapientia vero, & gratia, erat major ostensio, non major profectus.

Dicimus III. Christum profecisse in ætate, & statura; toto vero tempore illo exercuisse eximia gratiæ, & Sapientiæ, opera, per quæ una cum corporis incremento sapientia ejus & gratia quotidie magis, magisque, foris se ostendebant.

Primo, Conclusio est contra Photinum, Nestorium, & Theodorum, qui voluerunt, Christum fuisse purum hominem, adeoque in dies in gratia, & meritis, apud Deum profecisse. His autem anathema dicit Nazianzenus epist. 1. ad Cledonium.

Secundo, quidam Patres, dicit Cornelius a Lapide, quod idem affirmare videantur; & nominat Athanasium serm. 4. contra Arianos, & Cyrillum Alexandrinum lib. 10. thesauri. Verba Athanasii sunt: *Humanitas Christi in sapientia profecit transcendens paulatim humanam naturam, deificata nimirum, organum sapientiæ effecta*. Cornelius autem sic illa interpretatur: Videntur enim dicere, humanitatem Christi a Verbo sensim majorem hausisse sapientiam, sicut hausit B. Virgo, cæterique homines. At rectius Athanasii, & Cyrilli mentem explicat deinde scribens: „ Idipsum, non aliud velle S. Athanasium loco jam citato, liquet ex eo, „ quod subdit: *Ut per eum suam energiam exerceret, sapientiaque inde elucer et, omnibusque innotesceret*. Et paulo ante: *Ita enim augescente magnitudine corporis, una crescebat in eo divinitatis manifestatio, innotescebatque apud omnes ipsum esse templum Dei, Deumque in ejus corpore existere*. Nec aliud velle Cyrillum patet ex „ iis, quæ subdit: *Non ergo ipse, sed humana proficiebat natura. Nam dum in dies in ipso deitas manifestaretur, mirabilior, & sapientior videbatur. Proficiebat autem in ipso natura humana, hoc modo: Assumpsit Sapientia Dei, hoc est Filius Dei nostram naturam, paulatimque, tum verbis, tum factis deificationem assumpti hominis revelans, proficere ipsum revelando faciebat*; ut scilicet suam „ deitatem revelaret, exercendo in dies „ majores sapientiæ, & gratiæ, operatio- „ nes, quas ei sugerabat ipsa ei assistens di- „ vinitas, unde ex ipsis illa ab hominibus „ agnoscebatur, sicut anima latens in cor- „ pore agnoscitur per vitales, & animales, „ operationes, quas in dies majores per „ corpus exercet. Et paulo ante: *Cum igitur audis eum profecisse in sapientia, & gratia, noli putare quicquam ipsi additum fuisse, qui nullius unquam rei egere potest: sed quia videntibus, atque audientibus eum, sapientiorem, gratioremque in dies se praebebat, idcirco dicitur profecisse. Ita detegendo se ipsum in dies, non ipse, sed qui mirabantur ipsum, atque amabant, proficiebant*. „

Tertio Toletus nomine sapientiæ, & gratiæ, non intelligit habitum gratiæ, & sapientiæ, sed opera ipsa, & verba, sapientia, & gratiosa, quæ ab interna sapientia, & gratia procedunt. Unde dicitur Ecclesiastici 10. *Verba oris sapientis gratia*, hoc est gratiosa; Psalm. 44. *Diffusa est gratia in labiis tuis*; Proverb. 22. *Propter gratiam labiorum suorum amicum habebit Regem*; Lucæ 4. *Mirabantur in verbis gratiæ, quæ procedebant de ore ipsius*. Jacobi 1. *Hæc est religio visitare pupillos*; hoc est, hæc sunt opera religiosa. Cæterum potuisset, quidem Deus per absolutam potentiam, ut ait Cornelius a Lapide, gratiam, quam Christo dedit, utpote finitam, augere, ac facere, ut Christus in ea, etiam quoad habitum cresceret, & proficeret; quod contra Cajetanum, & alios, docet Vasquez 3. par. qu. 7. art. 12. disput. 47. cap. 3.

Quarto, Alii dicunt, quod Christus profecit cum ætate in sapientia, & gratia, primo in opinione hominum, & in specie, ac ostensione externa. Scriptura enim loquitur secundum id, quod exterius videtur, & vulgo judicatur. Unde ex operibus majoribus, quæ faciebat Christus, judicabant homines eum crescere in sapientia, & gratia, uti crescunt cæteri pueri. Et ita putarunt Origenes, Theophylactus, Nazianzenus, Athanasius, & Cyrillus, citati. Secundo proprie crevit Christus sapientia experimentali; ut enim ait Cornelius, ipso non multa expertus, majorem acquisivit experientiam. Unde dicitur ad Hebræos 5. *didicit ex iis, quæ passus est, obedientiam*. Tertio etiam proprie; ejusdem Cornelii sunt verba: „ Esto Christus non creverit sa- „ pientia, & gratia habituali, crevit tamen „ actuali, & practica; nam robur spiritus,

„ & sa-

„ & sapientiam cœlestem in anima laten-
„ tem, in dies magis, & magis exerebat
„ etiam existens puer, ita ut in vultu, in-
„ cessu, sermone, factis semper majores
„ ederer actus modestiæ, maturitatis, pru-
„ dentiæ, castitatis, suavitatis, pietatis, alia-
„ rumque virtutum. Posset quoque *gratia*
„ hic accipi pro gratiositate, quod scilicet
„ Christus in dies magis gratiosum se face-
„ rer Deo, & hominibus. Verum hæc ma-
„ jor gratiositas includit incrementum
„ gratiæ: nam sine eo nemo fit magis gra-
„ tus Deo. „

I. Probatur. Si gratia in Christo crevisset, nulla fuisset differentia inter gratiam Christi, & nostram; sed hoc est falsum: ergo, &c. Minor a nemine negari potest, & sequela ab omnibus est admittenda; nihilominus ut de neutra ullus detur ambigendi locus, hunc proponimus discursum, quem facit Cornelius a Lapide, proponens quatuor discrimina, quæ intercedunt inter gratiam Christi, & nostram: „ Primum: Christus gratiam ha-
„ buit quasi naturalem, tum ex vi unionis
„ hypostaticæ, huic enim connaturalis est
„ gratia: tum ex vi conceptionis suæ de
„ Spiritu Sancto: nobis vero omnis gratia
„ indebita est, & gratuita, adventitia,
„ & supernaturalis. Secundum: Gratia
„ in nobis primo delet peccatum originale,
„ & actualia, si quæ sint, sicque quasi se-
„ cundo facit nos Deo gratos: in Christo
„ vero gratia fuit ante, imo sine omni pec-
„ cato, per se primo sanctificans Christum;
„ nam ex gratia unionis cum Verbo ema-
„ navit gratia habitualis, ut radius a sole,
„ statim, & naturaliter. Quocirca nos ado-
„ ptivi sumus, & dicimur Dei filii: Chri-
„ stus vero est naturalis Dei filius, ut docet
„ S. Hilarius lib. 12. de Trinit. & Cyrillus
„ lib. 2. in Joannem c. 12. Tertium: Gratia
„ nostra est privata, & propria cujusque,
„ ac suum tantum hominem, in quo est,
„ justificat; at Christi gratia est communis;
„ est enim gratia capitis, quæ in omnia
„ membra, idest, in omnes fideles se dif-
„ fundit, eisque se communicat, itaque
„ eos sanctificat. Hinc disce quanta fue-
„ rit gratia Christi, utpote quæ instar solis,
„ & fontis in omnes fideles derivatur: nam
„ *de plenitudine ejus nos omnes accepimus, &*
„ *gratiam pro gratia*. Joannis 1. 16. Quar-
„ tum: Gratia in nobis (quin & in B. Vir-
„ gine) per bona opera crescit; in Christo
„ vero non crevit, quia cum ab unione
„ cum Verbo procederet, quæ ab initio
„ conceptionis suæ plena fuit, & perfecta,
„ hinc & eodem instanti hæc gratiæ ple-
„ nitudo, quæ augeri non posset, ipsi da-
„ ta est. „

II. Probatur. Quod prioribus verbis dixerat Lucas; nimirum: *Puer autem crescebat, & confortabatur, plenus sapientia, & gratia Dei erat in illo* cap. 2. n. 40., posterioribus deinde verbis cap. 2. nu. 52. his verbis dixit: *Et Jesus proficiebat sapientia, & ætate, & gratia, apud Deum, & apud homines*; cum hoc quidem discrimine, quod prioribus verbis nullam facit mentionem de profectu in sapientia, & gratia, sed solum dicit, quod illis erat plenus; in posterioribus vero facit mentionem profectus & ætatis, & sapientiæ, & gratiæ: ergo profectus, qui exprimitur in posterioribus verbis, intelligi debet, secundum plenitudinem, quæ exponitur in prioribus; sed plenitudo importat majorem ostensionem operum, non vero majorem illorum intentionem: ergo semper stat ut diximus, Christum re vera, & proprie non profecisse in sapientia, & gratia, sicut in ætate proficiebat. Hunc discursum extraximus ex verbis Suarez in 3. par. qu. 37. art. 4. disp. 17. sect. 3., quæ hæc sunt: „ Nec prætermittendum
„ existimo, quod cum Evangelista in eo
„ capite bis indicet hunc Christi profe-
„ ctum, diversis tamen verbis illum descri-
„ bit. Prius enim agens de ætate Christi
„ ante duodecimum annum, *Puer*, inquit,
„ *crescebat, & confortabatur, plenus sapien-*
„ *tia, & gratia Dei erat in illo*; ubi nullam
„ mentionem facit de profectu, nisi quoad
„ ætatem; de sapientia autem, & gratia
„ solum dicit fuisse illis plenum. Nam cum
„ in his nunquam creverit in se; sed solum
„ quoad ostensionem, & manifestationem
„ per operationes, quas in ea ætate coram
„ hominibus non ita demonstrabat, ideo
„ tunc non dicitur in his crevisse, sed his
„ fuisse plenus. At postea agens de illo in
„ grandiori ætate, *Proficiebat*, inquit, *sa-*
„ *pientia, ætate, & gratia apud Deum, &*
„ *homines*, quia toto eo tempore maxima
„ virtutis, ac sapientiæ opera perficiebat;
„ & in eis quodammodo augebatur, vel in
„ multitudine, & excellentia operum, vel
„ in demonstratione, ac ostensione suæ vir-
„ tutis. Scio priora verba a multis accipi
„ in eodem sensu, quo posteriora. Quia
„ in Græco dicitur, *& confortabatur spiri-*
„ *tu*, quam particulam, *spiritu*, fere om-
„ nia exemplaria Græca habent, licet in
„ Vulgata Latina desit: & ita legunt Theo-
„ phylactus, & Euthymius, qui interpre-

„ tantur de augmento in extensione spiritus, & virtutis, & in robore ad vincendam omnem malitiam. Illud autem verbum, *Plenus sapientia*, si ad verbum e Græco reddatur, idem significat, quod implebatur sapientia, participium enim πληρούμενον, de præsenti est, & prædictam propriam significationem habet, ut iidem Authores interpretantur, & Cyrillus, ac Origenes statim citandi: quæ lectio, & interpretatio probabilis quidem: prior tamen, quam adduximus, non est omnino rejicienda. Nam in primis illa particula *spiritu*, etiam ab antiquioribus Patribus Græcis videtur prætermissa, ut aperte colligitur ex Origene homil. 18., & 19. in Lucam, & clarius ex Cyrillo Alexandrino lib. 2. de fide ad Reginas, ante medium, ubi, illud verbum *& confortabatur*, ad corpus refert, his verbis: *exinanitioni quidem vere convenire asserimus, cum corporei incrementi susceptionem, tum corpulentarum quoque partium consolidationem, & confortationem*. Et eodem modo legit, & exponit hunc locum S. Vigilius lib. 4. contra Eutychem, circa finem, & Gaudentius Brixiensis in responsione ad Paulum Diaconum de his verbis: *Pater major me est*. Aliud autem verbum *plenus sapientia* licet juxta vim verbi Græci supradicto modo verti posset, tamen etiam admittit vulgatam lectionem, & significationem. Unde B. Vigilius lib. 3. contra Eutychem, versus finem, ita citat hunc locum: *Puer autem crescebat, & confortabatur repletus sapientia*. Denique (utcumque legatur) res, de qua agimus satis constat, voluisse scilicet Evangelistam docere Christum, in quo gratia, & sapientia Dei singulari modo semper habitavit, toto illo tempore eximia gratiæ, & sapientiæ opera exercuisse, & una cum corporis incremento (ut Cyrillus supra dixit) sapientiam illius, & gratiam quotidie magis, magisque foris sese prodidisse. „

III. Probatur ex Patribus Græcis. Athanasius orat. 4. contra Arianos: *Non igitur Verbum, qua Verbum erat id, quod proficiebat: utpote quod perfectum est e perfecto Patre, rei nullius indigens: sed & alios ad profectum deducens. Verum humano more dictum est hoc loco proficere: quandoquidem proprius est hominum profectus .... Corporis igitur proprius est ille profectus. Etenim proficiente ipso, proficiebat in eo divinitatis apud illos, qui intuebantur, ostensio. Quanto autem magis divinitas aperiebatur, tanto copiosius augebatur apud omnes homines; tanquam homini, gratia .... Quid est ille, qui dicitur profectus? Nempe, ut dixi, deificatio illa est, & gratia hominibus ab sapientia communicata, cum in ipsis peccatum, & insita corruptela deleretur: ad similitudinem, & cognationem carnis Verbi. Sic enim augescente secundum ætatem corpore, augebatur etiam in eo divinitatis ostensio: palamque monstrabatur omnibus, templum ipsum esse Dei, ac Deum in corpore*. Nazianzenus orat. 20. in funere S. Basilii: *Sapientia apud Deum, & homines proficiebat, non ut augmentum aliquod acciperet, cum ab initio gratia, sapientiaque absolutus esset, sed quod hac hominibus ignaris paulatim apparerent*. Cyrillus Alexandrinus lib. 3. contra Nestorium: *Quidquid abest a perfectione virtutis, vituperatione dignum est, neque per omnia laudandum: immo vero fortasse culpa tribuendum est. Atqui verum istud est, non enim fecisse peccatum, neque inventum esse dolum in ore ejus, uti scriptum est? Ejusmodi igitur omni ex parte perfectus est, nec illi quidquam deest ad absolutam numeris omnibus virtutem*. Theodoretus lib. 5. de hæreticis fabulis cap. 13. *Merito enim ætatis incremento conjunxit profectum sapientiæ. Nam pro mensura ætatis corporeæ divina natura propriam revelabat sapientiam*. Theophylactus apud Cornelium a Lapide: *Emicatio sapientiæ ejus profectus ipse est*. Damascenus lib. 3. cap. 12. *Quod videlicet sapientiam, quæ inerat ipsi, in apertum promeret*. Ex quibus Petavius infert Theologicorum dogmatum de Incarnatione cap. 2., solius demonstrationis, & significationis talem Christi profectum extitisse.

IV. Probatur ex Patribus Latinis. Hieronymus ad illa verba Jeremiæ cap. 31. *Femina circundabit virum*, hæc habet de Christo; *Juxta incrementa quidem ætatis, per vagitus, & infantiam proficere videbitur sapientia, & ætate, sed perfectus vir in ventre femineo solidis mensibus continebitur*. Augustinus lib. Octoginta trium quæstionum qu. 75. asserit, dici hæredem, & nos cohæredes ipsius, quia quemadmodum ipse profecit ætate, & sapientia, sic & ejus corpus, quod est Ecclesia. En sua verba: *Si enim potest hoc non admittit, ut primo ex parte videret homo dominicus; Deinde ex toto, quanquam in sapientia proficere dictus sit; in corpore suo intelligatur hæres, idest Ecclesia, cujus cohæredes sumus*. Gregorius Magnus, prout citatur a Glossa ordinaria, & a Magistro Sententiarum

In

in 3. dist. 3., sed potius Beda in homil. Dominicæ 1. post Epiphaniam: *Juxta hominis naturam proficiebat sapientia, non quod ipse sapientior tempore, qui a prima conceptionis hora spiritu sapientiæ plenus permanebat: sed eandem, qua plenus erat, sapientiam cæteris ex tempore paulatim demonstrabat. Juxta hominis naturam proficiebat gratia; non quod ipse non habebat, per accessum temporis accipiendo, sed pandendo donum gratiæ, quod habebat apud Deum, & homines. Quia quantum proficiente ætate patefaciebat dona gratiæ hominibus, quæ sibi inerant, & sapientiæ, tantum eos ad laudem Dei excitabat per considerationem ipsius sapientiæ, & gratiæ, quas Deus ipsi contulerat, Sic & Deo Patri ad laudem, & hominibus ad salutem proficiebat.* Idem Beda apud Cornelium a Lapide: *Proficiebat Christus, non per accessum temporis, accipiendo quod non habebat, sed pandendo donum gratiæ, quod habebat.* Bernardus homil. 2. super *Missus est: Neque enim minus habuit sapientiæ, vel potius non minor fuit sapientia Jesus conceptus, quam natus, parvus, quam magnus. Sive ergo latens in utero, sive vagiens in præsepio, sive jam grandiusculus interrogans Doctores in templo, sive jam perfectæ ætatis docens in populo, æque profecto plenus fuit Spiritu Sancto. Nec fuit hora in quacunque ætate sua, qua de plenitudine illa, quam in sui conceptione accepit in utero, vel aliquid minueretur, vel aliquid eidem adjiceretur. Sed a principio perfectus, a principio, inquam, plenus fuit spiritu sapientiæ, & intellectus, spiritu consilii, & fortitudinis, spiritu scentiæ, & pietatis, & spiritu timoris Domini.*

Objiciunt I. Sicut dicitur in Evangelio, Christum crevisse ætate, ita dicitur, Christum profecisse sapientia, & gratia; sed vere ætate crevit: ergo vere gratia, & sapientia profecit. II. Ambrosius in lib. de Incarnat. docet, Christum re ipsa profecisse, & incrementum cœpisse, sicut ætatis, ita sapientiæ, & gratiæ. Ait enim: *Quomodo proficiebat sapientia Dei? Doceat te ordo verborum. Profectus est ætatis, & profectus est sapientiæ, sed humanæ est. Ideo ætatem ante præmisit, ut secundum hominem crederes dictum: ætas enim non divinitatis, sed corporis est: Ergo si proficiebat ætate hominis, proficiebat sapientia hominis. Sapientia autem sensu proficit, quia a sensu sapientia.* III. Fulgentius lib. 1. ad Trasimundum cap. 7. agnoscit in Christo, sicut ætatis, ita sapientiæ profectum. Quod confirmat in 3. lib. cap. 16. & 18. IV. Vigilius lib. 5. contra Eutychen ejusdem videtur sententiæ.

Respondemus ad I. cum S. Thoma 3. par. q. 7. art. 12. quod Christus vere in se creverit gratia, non quoad habitum, sed quo ad actus, & effectus, ex habitu productos; nimirum, ut ait Cornelius ex Suarez: „ faciendo opera excellentiora, per quæ, „ licet ipse non fieret sanctior, nec plus „ aliquid mereretur propter infinitam di„ gnitatem personæ suæ, & quia a princi„ pio habuit gratiam consummatam, nihi„ lominus illa opera de se erant sufficientia „ ad augendam gratiam, quatenus novum „ meritum continebant.

Ad II. Ambrosius loquitur de scientia experimentali Christi, quæ usu quotidiano acquirebatur. Etenim in anima Christi triplex fuit scientia; beatifica nimirum, qua Deum videbat, & omnia in Deo; infusa a Deo; & experimentalis usu quotidiano acquisita. Duas primas fuisse Christo inditas a primo suæ conceptionis instanti, ita perfectas, ut augeri non potuerint, docent Patres, & præcipue Augustinus lib. 3. de peccatorum meritis, & remissione cap. 29. Hieronymus in illud Jeremiæ 32., Athanasius, Cyrillus, Nazianzenus, Beda, Damascenus, Euthymius, S. Thomas, quos citat Suarez 3. par. qu. 7. art. 12., & hoc ipsum dicendum est de gratia habituali, & gloria. Profectus ergo erat in scientia experimentali.

Ad III., & IV. dicitur, quod, quum loquantur Patres illi de sensu, nobis exhibent occasionem interpretandi illos de manifestatione sapientiæ Christi, quæ sensui exponitur, atque subjicitur. Et hoc ipsum pariter dixerat Ambrosius, cui Fulgentius, & Vigilius conformantur. Dixerat enim, ut visum est: *Sapientia autem sensu proficit, quia a sensu sapientia.*

DIS-

DISSERTATIO CCXXX.

De Christi Baptismo. Quas ob caussas Christus a Joanne baptizari voluit? Quo tempore, & loco, Christus baptismum suscepit? Et de prodigiis, quæ Christi baptismum comitata sunt.

QUOD nos quærimus de caussis, propter quas Christus baptizari voluit, S.Thomas quærit de convenientia, propter quam Christus fuit baptizatus. Unde 3. par. qu. 39. art. 1. præfixit titulum: *Utrum fuerit conveniens, Christum baptizari*; & art.2. *Utrum Christus baptismo Joannis debuerit baptizari*. Alii vero post Hieronymum, Nazianzenum, Bedam, & ipsummet Angelicum Doctorem, enumerant caussas, quæ Christum ad Joannis baptismum suscipiendum impulerunt. Has autem fere quinque fuisse, dicunt; Primam scilicet, quia ut homo legis obligationem omnem adimplere debebat; Secundam, ut Joannis baptismum comprobaret, eique authoritatem conciliaret; Tertiam, ut sanctificans aquas Jordanis suæ carnis contactu, aquis tribueret regenerandi virtutem; Quartam, ut in illo baptismo Pœnitentiæ immergeret peccata nostra, quæ in seipso susceperat, tanquam publicus Sponsor, Mediator, atque Redemptor; Quintam demum, ut concurrentibus multis ad Joannis baptismum suscipiendum, illis patefieret æterni Patris testimonium de Christi filiatione, & hoc pacto sacrum prædicationis officium integra authoritate susciperet. Nos autem S. Thomæ methodum sectantes, caussas hasce simul cum ipso explicabimus, ac defendemus.

Dicimus I. convenicns fuisse, Christum baptizari, & baptismo Joannis baptizari.

Prima Conclusionis pars probatur I. Ambrosius lib.2. in Lucam cap.ultimo apud Angelicum cit.loc, dicit, *quod baptizatus est Dominus, non mundari volens, sed mundare aquas, ut ablutæ per carnem Christi, quæ peccatum non cognovit, baptismatis vim haberent; & ut sanctificatas aquas relinqueret postmodum baptizandis*. Quod confirmat Author Operis imperfecti homil.4. in principio dicens: *Quamvis ipse non esset peccator, tamen naturam suscepit peccatricem, & similitudinem carnis peccati; propterea, etsi pro se baptismate non indigeret, tamen in aliis carnalis naturæ opus habebat*. II. Nazianzenus in orat. in sancta lumina circa medium, scribit: *Baptizatus est Christus, ut totum veterannm Adam immergat aquæ*. III. Augustinus serm. de Epiphania asserit, Christum baptizari voluisse, quia voluit facere, quod faciendum omnibus imperavit. IV. Ambrosius lib.2. in Lucam, quia Christus dixit: *decet nos implere omnem justitiam*. Ad quæ subdit S.Doctor: *Hæc est justitia, ut quod alterum facere velis, prior ipse incipias, & tuo alios horteris exemplo*.

Secunda Conclusionis pars probatur I. Augustinus tract.13. in Joannem circa principium, relatus quoque ab Angelico Doctore, dicit: *Baptizatus Dominus baptizabat, non eo baptismate, quo baptizatus est. Unde quum ipse baptizaret baptismo proprio, consequens est, quod non fuerit baptizatus suo baptismate, sed baptismate Joannis*. II. Quia ex Chrysostomo S.Thomas probat, hoc fuisse conveniens, *primo quidem propter conditionem baptismi Joannis, qui non baptizavit in spiritu, sed solum in aqua: Christus autem spirituali baptismate non indigebat, qui a principio suæ conceptionis gratia Spiritus Sancti repletus fuit, ut patet ex dictis, & hæc est ratio Chrysostomi. Secundo, ut Beda dicit, baptizatus est baptismo Joannis, ut baptismo suo baptismum Joannis comprobaret. Tertio sicut Gregorius Nazianzenus dicit: Accedit Christus ad baptismum Joannis, sanctificaturus baptismum*.

Obstant I. Baptismus importat ablutionem; sed Christo non conveniebat ablui: ergo non conveniebat baptizari. Probatur minor. Illi non convenit ablui, in quo nulla est impuritas; sed in Christo nulla fuit impuritas: ergo Christo non conveniebat ab-

abluí. II. Baptismus non pertinebat ad legem: ergo Christus non debebat baptizari, ut impleret legem. Probatur antecedens: Christus suscepit circumcisionem, ut impleret legem: ergo baptismus non pertinebat ad legem. III. Primum movens in quolibet genere est immobile secundum illum motum; sed Christus est primum baptizans: ergo ipsum non decuit baptizari. Major probatur similitudine cœli, quod est primum alterans, adeoque non est alterabile. Minor patet, quia Joannis 1. dicitur: *Super quem videris spiritum descendentem, & manentem, hic est, qui baptizat*. IV. Baptismus Joannis fuit baptismus pœnitentiæ; sed pœnitentia supponit peccatum, & Christus nullum habuit peccatum: ergo non debuit Christus baptismo Joannis baptizari. V. Chrysostomus homil. 12. in Matth. docet, quod baptismus Joannis fuit medium inter baptismum Judæorum, & baptismum Christi; sed medium participat de extremis, inter quæ est medium: ergo si Christus non fuit baptizatus baptismo legali, neque baptismo suo, nec etiam debuit Joannis baptismo baptizari. VI. Christo debemus tribuere omne, quod est optimum; sed baptismus Joannis inter baptismata non est optimum: ergo non debemus illud tribuere Christo.

Respondemus ad I. Christum non fuisse baptizatum baptismo Joannis, ut ablueretur, sed, ut ablueret aquas, easque sanctificaret; unde postmodum sic ablutæ, & sanctificatæ haberent vim sanctificandi, quando debebant assumi ut materia in baptismate, quod ipse erat instituturus.

Ad II. S. Thomas dicit, quod Christus non solum debebat implere ea, quæ erant veteris legis, sed etiam inchoare ea, quæ sunt novæ legis: & ideo non solum voluit circumcidi, sed etiam baptizari; Circumcidi quidem; ut impleret ea, quæ erant veteris legis; & baptizari, ut ea inchoaret, quæ sunt legis novæ.

Ad III. Verum est, quod primum movens non est mobile in illo genere, in quo est primum movens; at Christus fuit primum baptizans spiritualiter, & in hoc genere non fuit baptizatus; at fuit baptizatus in aqua, in quo genere non erat primum movens, neque primum baptizans. Ex diversitate ergo generis non verificatur philosophicum effatum, quod Adversarius assumit ad probandum, Christum non debuisse Joannis baptismo baptizari.

Ad IV. Dicit Angelicus, quod Christus voluit baptizari, ut induceret nos ad baptismum exemplo suo. Ad hoc autem, ut ejus inductio esset efficacior, voluit baptizari baptismo, quo manifeste non indigebat, ut homines ad baptismum accederent, quo indigebant. Et adducit authoritatem Ambrosii lib. 2. in Lucam cap. ultimo a medio dicentem: *Nemo refugiat lavacrum gratiæ, quando Christus lavacrum pœnitentiæ non refugit*.

Ad V. Idem Angelicus respondet verbis hisce: *Dicendum, quod baptismus Judæorum in lege præceptus erat solum figuralis: baptismus autem Joannis aliqualiter erat realis, in quantum inducebat homines ad abstinendum a peccatis; baptismus autem Christi habet efficaciam mundandi a peccato, & gratiam conferendi. Christus autem neque indigebat percipere remissionem peccatorum, quæ in eo non erant; neque recipere gratiam, quia plenus erat: similiter etiam cum ipse sit veritas, non competebat ei id, quod in sola figura gerebatur. Et ideo magis congruum fuit, quod baptizaretur baptismo medio, quam aliquo extremorum*.

Ad VI. Qui non est infirmus graviter, remedio efficaci non indiget; & qui bene valet, nullius remedii opus habet. Christus nullum habens peccatum, nullam habebat infirmitatem; adeoque nullo egebat remedio, quod ei in baptismate exhiberetur. Multo minus egebat optimo remedio, quod graviorem supponit infirmitatem. Si autem conveniens fuit, quod baptismo Joannis baptizaretur, non fuit quidem ob necessitatem, sed alias ob caussas, quas retulimus.

De Tempore, quo Christus Dominus a Joanne baptizari voluit, duplicem distinguunt annum, & annum seculi, & annum ætatis Christi; & pro utroque multæ sunt, ac inter se diversæ opiniones, quas omnes primitus recitabimus, & postmodum nostram aperiemus. Similiter de die, qua Christus baptismum suscepit, non una est Scriptorum sententia; illis autem primum relatis, nostram firmare conabimur.

Primo, Annum seculi, quo Christus baptizatus fuit, plerique assignant annum Julianum 73. æræ vulgaris 28. Et hi sunt Clemens Alexandrinus lib. 1. Stromatum, Tertullianus lib. 1. adversus Judæos cap. 8. Eusebius Cæsariensis in Chronico, Chrysostomus homil. in illud *Exiit edictum a Cæsare Augusto*, Lactantius lib. 4. Institut. cap. 10. Cassiodorus in fastis,

Se-

Secundo Hieronymus in cap. 9. Danielis annum Christi baptismo assignat Julianum 74. æræ vulgaris 29., & cum Hieronymo est Apollinerius Laodicænus.

Tertio, Alii ponunt annum Julianum 75. æræ vulgaris 30., & hi sunt Julius Africanus in fragmento, quod refert Georgius Syncellus in sua Chronographia. Natalis Alexander refert, quod has veterum opiniones fusius exponit, suisque Authoribus vendicat Senefchallus qu. 2. Triadis Evangelicæ cap. 2., & 3.

Quarto Annum, quo Christus baptizatus est, volunt plures, fuisse 29. vitæ ipsius expletum, & 30. a paucis diebus inchoatum; ut Origenes homil. 21. in Ezechielem, Hieronymus ad cap. 1. Ezechielis. Alii baptizatum volunt prope finem anni 30., & sunt Irenæus lib. 2. adversus hæreses cap. 39. Epiphanius hæresi 51. Alii baptizatum dicunt post trigesimum annum expletum; uti Ignatius Martyr Epist. ad Trallianos; Chrysostomus homil. 10. in Matth., Beda lib. de ratione temporum cap. 55., alii annum 31. per aliquot dies inchoatum; alii 32., & alii demum 33. completum. Pro anno 29. stant Cajetanus, & Petavius; Pro 30. Jansenius, Gandavensis Episcopus; Pro 31. Baronius; Pro 32. Deckerius, & Tirinus; Pro 33. multi Parisienses Theologi, quibus accedit Natalis Alexander, qui ponit pro anno seculi annum Julianum 75., æræ christianæ 30., Imperii Tiberii 16., ætatis Christi 34. ineuntem.

Quinto Alii afferunt, nihil certi statui posse, nec de anno seculi, nec de anno ætatis Christi; & pro hoc ad summum dicendum volunt, Christum anno plus minus vitæ suæ 30. a Joanne in Jordane fuisse tinctum.

Sexto Pro die, qua Christus baptismum suscepit Epiphanius hæresi 51. dixit, fuisse diem 6. Novembris; Universa tamen Ecclesia clamat, fuisse diem 6. Januarii.

Pro loco, ubi Christus baptizatus est, Joannes cap. 1. Evangelii sui asserit: *Hæc facta sunt in Bethania trans Jordanem, ubi Joannes erat baptizans*. Verum neque hoc absque difficultate est; quia Bethania, quæ ad Martham, & Magdalenam, pertinebat, non trans, sed cis Jordanem erat; & fere quindecim stadiis prope Jerosolymam, ut legitur Joann. 11. Et hinc est, quod Origenes, Chrysostomus, Hieronymus, Epiphanius, Euthymius, Theophylactus, omittunt Vulgatam versionem, quæ habet Bethania, & legunt Bethabare, quæ est Civitas trans Jordanem, ad quam Hebræi, quando ex Ægypto venerunt, Ductore Josue, Jordanem trajecerunt. Et ex his plures emergunt opiniones. Primo enim aliqui dicunt, hoc evenisse propter aliquod Scriberum mendum, qui Bethaniam pro Bathabare, posuerunt; & hoc recentiores quidem existimant: Secundo alii aliam Betheniam ponunt trans Jordanem, ultra illam Marthæ, & Magdalenæ, quæ erat cis Jordanem, & hujus opinionis est S. Thomas in commenteriis ad cap. 1. Joannis lect. 14. Alii volunt, quod utroque nomine fuerit appellata Civitas ille, Bethania, scilicet & Bathabare; Bethenie enim hebraicè idem est, ac locus navis; Bathabara idem est, ac locus transitus; & hoc, quia prope Civitatem hanc esset consuetus Jordanis trajectus, & illic semper essent paratæ naviculæ, quibus viatores flumen trajicerent.

Dicimus II. esse incertum tam annum seculi, quam annum vitæ Christi, quo Christus est baptizatus; diem vero fuisse sextam Januarii; & locum fuisse Bethaniam, vel Bathabarem, prope Jordanem.

Prima pars Conclusionis probatur I. Si non esset incertus annus Seculi, quo Christus est baptizatus, ideo esset, quia Lucæ 3. expresse dicitur, Christum fuisse baptizatum anno 15. imperii Tiberii Cæsaris; sed hoc non obstante, etiam remanet incertum quod intendimus: ergo &c. Probatur minor. Lucas cit. loc. asserit expresse, Joannem Baptistam suscepisse prædicationis officium anno 15. imperii Tiberii Cæsaris, Procurante Pontio Pilato Judæam, sed nec verbo innuit, quod hoc ipso anno 15. Tiberii, aut sequenti, Christus accesserit ad suscipiendum Joannis baptismum: ergo semper remanet incertum; quo seculi anno Christus baptizatus fuerit. Probatur consequentia. Christus non accessit ad suscipiendum baptismum Joannis, antequam Joannes præpararet illi plebem perfectam; sed incertum est, quot anni insumpti fuerint in præparatione ista, quie nullibi legitur scriptum: ergo &c.

II. Probatur. Imperium Tiberii duplex a Chronographis distinguitur; unum quod dicunt Augustale, & cujus exordium ducitur a morte Augusti, quando Tiberius solus imperare cœpit; alterum, quod dicunt Proconsulare, & hoc diu antea incepit, quando, scilicet propter legem, quam ediderunt Consules, Tiberius cœpit administrare imperium simul cum Au-

Augusto; quod scribit Suetonius in Tiberio cap. 28., sed incertum est hoc imperium Proconsulare Tiberii, quo præcise anno inceperit, quamvis certo sciatur incepisse ante mortem Augusti: ergo semper in eadem incertitudine sumus. Probatur minor. Initium Proconsularis imperii Tiberii Cæsaris alii assignant biennio ante Augusti mortem, alii triennio, alii quadriennio: ergo non est certum quo præcise seculi anno Proconsulare imperium Tiberii Cæsaris inceperit: ergo non est certum, quo anno imperii Tiberii Cæsaris Joannes Baptista prædicationis officium susceperit: ergo non est certum, quo anno imperii Tiberii Cæsaris Christus Joannis baptismum susceperit: ergo non est certum, quo seculi anno Christus baptizatus fuerit; ergo est incertum.

Secunda pars Conclusionis probatur I. Si esset certum, quo anno ætatis suæ Christus baptizatus fuisset, maxime esset, quia Lucas cap. 3. annum ipsum videtur determinare dicens: *Ipse Jesus erat incipiens quasi annorum triginta*; sed per hæc verba non determinatur annus, immo potius redditur magis dubius, & incertus: ergo &c. Probatur minor. Si in illis verbis esset tantum particula *quasi*, vel esset tantum particula *incipiens*, facile posset determinari, & dici, quod Jesus tunc inchoasset annum trigesimum, quod sonat participium *incipiens*; vel quod prope accessisset ad incipiendum annum trigesimum, quod particula *quasi*, quæ habet vim minuendi, sonare videtur; & per consequens Christus pervenisset ad finem anni vigesimi noni, quia tunc acceditur ad incipiendum annum 30., sed quia uniuntur illæ duæ particulæ, *incipiens*, & *quasi*, inde est, quod ex illis verbis Evangelii nihil certi deduci potest de anno ætatis Christi, quo ipsemet baptizatus est. Et hinc est, quod Origenes homil. 28. in Matthæum, Clemens Alexandrinus lib. 1. Stromatum, Justinus martyr in Dialogo cum Tryphone Judæo, Euthymius in Commentariis in Lucam, ut ait Serry, participium illud *incipiens* ab annis vitæ Christi omnino sejungunt, ac de publico prædicationis Evangelicæ ministerio, quod tunc Christus incepit, prorsus intelligunt: ut sit sensus, Christum incipientem publicum ministerium, fuisse quasi annorum 30. Idem Serry subdit, quod huic Patrum interpretationi nonnulla favent Scripturæ loca, in quibus per eandem loquendi formulam, Christus a baptismate Joannis nude, & simpliciter dicitur incepisse publicum scilicet prædicandi ministerium. Nempe Actorum 1. *Omni tempore, quo intravit, & exivit ad nos Dominus Jesus, incipiens a baptismate Joannis*. Et cap. 10. *Incipiens a Galilæa post baptisma, quod prædicavit Joannes*.

II. Probatur. Tota vis probationis in verbis Lucæ stat in particula illa *quasi*, sed particula hæc non est certum quando imminuat, & quando augeat numerum, quando determinet, & quando non determinet rem: ergo nihil certe ex verbis illis Lucæ deduci potest circa annum ætatis Christi, quo ipsemet baptizatus est. Probatur minor. Joannis 1. legimus: *Vidimus gloriam ejus, gloriam quasi Unigeniti a Patre*; In quibus verbis particula *quasi* non imminuit vim significati. Insuper Matthæi 15. Qui manducaverunt in deserto dicuntur *quatuor millia virorum*; & iidem dicuntur Marci 8. *quasi quatuor millia*. Ulterius eadem particula *quasi* si numero præponatur, non solum non importat diminutionem, sed etiam importat augmentum. Unde Exod. 12. Qui exierunt de Ægypto de populo Israel, sunt dicti quasi sexcenta millia virorum, & Numeror. 1. dicuntur sexcenta tria millia quingenti quinquaginta. Quum ergo in verbis illis dicatur, quod Jesus esset quasi 30. annorum, per verbum *quasi* redditur omnino incertum, an Jesus in rigore habuerit tunc temporis 30. annos, an plus, an minus.

Tertia pars Conclusionis, quæ est de die baptismi Christi, probatur I., tum quia Ecclesia Catholica ab initio, hac die celebravit Theophaniam, triplicem scilicet Christi manifestationem, factam Gentilibus per Magorum adorationem; factam Judæis per æterni Patris vocem, qua Christus post baptismi susceptionem declaratus est filius ejus; factam discipulis per miraculum, in nuptiis Canæ patratum. II. Probatur. Si aliquid obstaret, maxime esset rigor temporis, & asperitas mensis, quæ quidem difficilem reddidissent baptismum per immersionem, qualis tunc temporis in usu erat; sed hæc ratio non obstat: ergo &c. Probatur minor. Judæa est regio temperatissima, & hiems ibi semper clemens: ergo nullus ibi rigor temporis, & nulla asperitas mensis.

Quarta pars Conclusionis, quæ est de loco, probatur I. Salvare debemus, quod Betha-

nia fuerit prope locum, in quo baptizatus est Christus, & quidem trans Jordanem; hoc enim dicit Evangelium, quod omnino verificari oportet: num autem sit illa Bethania, quæ ad Martham, & Magdalenam pertinebat, an altera, nihil refert, quia Evangelium de hoc non loquitur. Insuper, quod illa, quam Evangelium dicit in Vulgata Editione Bethaniam, Patres legant Bathabara, quæ est trans Jordanem, salvari optime potest dicendo, quod idem Castellum duplex habuerit nomen, Bethaniam scilicet, & Bathabaram, ut dixit S. Thomas: ergo dicendo, quod locus, in quo Christus est baptizatus fuerit castellum, quod a Vulgata Editione dicitur Bethania, & a quibusdam Patribus dicitur Bathabara, nihil officit Evangelio, nihil officit Patribus. Audiatur S. Thomas comment. in cap. 1. Joannis lect. 14. *Cum Bethania sit in monte Oliveti, quod est juxta Hierusalem, quomodo dicit Evangelista, quod facta sunt trans Jordanem, qui multum distat ab Hierusalem? Sed dicendum secundum Origenem, & Chrysostomum, quod non debet dici Bethania, sed Bethabara, quæ est quædam villa ultra Jordanem, & hoc quod dicit Bethania, corruptum est. Sed quia tam libri Græci, quam Latini habent Bethania, ideo dicendum est aliter, quod est duplex Bethania: una, quæ est prope Hierusalem in Monte Oliveti; alia trans Jordanem, ubi erat Joannes baptizans.*

II. Probatur. Si non admittitur nostra explicatio, ideo est, quia Recentiores quidam salvare rem putant per oscitantiam, per incuriam, & per errorem, Scribarum, Amanuensium, & Librariorum; sed hoc dici non potest: ergo admitti debet nostra explicatio. Probatur minor. Oscitantia, incuria, & error, esset in re gravi, qualis est ponere nomen unius loci pro alio, & perturbare veritatem historiæ in mysterio baptizationis Christi; quod quidem ferri non potest in divinis libris, in quibus, Spiritu Sancto dictante, scribitur: ergo semper stat, quod verosimilior sit explicatio nostra; & per consequens præferenda alteri, quam Recentiores hujuscemodi in medium adduxerunt.

Objiciunt I. Omnes Historici, Græci, & Latini, annos Imperii Tiberii numerant ab obitu Augusti: ergo epocha illa imperii Proconsularis Tiberii est omnino commentitia. Probatur antecedens. Svetonius in Octavio, Cornelius Tacitus in Annalibus, Uterque Victor, Dio Cassius lib. 58. Josephus Judæus lib. 2. de bello Judaico cap. 8., & alii plures enumerant annos Tiberii Cæsaris ab obitu Augusti: ergo &c. II. Si Tiberius regnasset, vivente Augusto, Livia, mater Tiberii, non fuisset sollicita pro eodem postquam Augustus abscesserat, nec Historici post Augusti mortem imperium Tiberii dixissent novum, nec Consules, Augusto mortuo, primum in verba Tiberii jurassent: quæ omnia ostendunt, Tiberium, vivente Augusto, non imperasse. III. Si vivente Augusto Tiberius fuisset Imperator, fuissent duo Imperatores eodem tempore; sed, Authore Spartiano, hoc primum in imperio Romano visum est, quando Marcus Aurelius, & Lucius Verus, Rempublicam gubernarunt: ergo &c. IV. Ideo dicitur, vivente Augusto, Tiberium imperasse, quia viventi Augusto donatus est Tribunitia potestate, & Proconsulari imperio; sed etiam Germanicus, filius Drusi, habuit Proconsulare imperium, & Vipsanius Agrippa habuit Tribunitiam potestatem; & tamen Imperatores non fuerunt: ergo nec etiam Tiberius pro illo tempore dicendus est Imperator. V. Tempore illo, quo Joannes baptizabat, Pilatus administrabat Judæam; ut legitur Lucæ 3. *Anno quintodecimo Imperii Tiberii Cæsaris, Procurante Pontio Pilato Judæam ..... factum est verbum Domini super Joannem*; sed anno decimoquinto Imperii Proconsularis Tiberii Pilatus nondum Judæam administrabat: ergo S. Lucas epocham Imperii Proconsularis Tiberii non sequebatur. Probatur minor. Annus decimusquintus Imperii Proconsularis Tiberii est idem, ac annus vigesimusquintus æræ vulgaris; sed anno vigesimoquinto æræ vulgaris Pilatus non administrabat Judæam: ergo anno decimoquinto Imperii Proconsularis Tiberii Pilatus Judæam non administrabat. Probatur minor. Constat ex una parte, quod Pilatus decem annis Judæam administraverit; quod testatur Josephus lib. 18. Antiquit. cap. 5., Constat ex altera, quod Pilatus administrationem suam terminaverit anno trigesimosexto æræ vulgaris: ergo Pilatus anno 25. æræ vulgaris nondum Judæam administrabat. VI. Sententia S. Epiphanii circa diem baptismi Christi a quibusdam præfertur communi Ecclesiasticæ traditioni: ergo nutat ipsa communis Ecclesiastica traditio. Probatur antecedens. Bernardus Lamy in suo Apparatu Chronologico pag. 207. hæc de

de Epiphanii opinione, & de Ecclesiastica traditione scribit: *Igitur cum non omnino videatur repudianda opinio S. Epiphanii, & multa concurrant, quibus conjecturam facimus, non multo post dies Festos Expiationis, & Tabernaculorum, collatum baptismum Christo a Joanne in populi Judaici concursu; ultro statuerem pro die hujus baptismi diem octavam Novembris, quoniam dies aliqua statuenda est*. Hæc sex argumenta sibi objicit Graveson, & cum eodem ad ipsa nos quoque occurrimus. Igitur

Respondemus ad I., non esse novum duplici epocha Romanorum Imperatorum Regni annos numerare, & aliquando etiam triplici. Etenim in Augusto multi Imperium ejus ordiuntur ab illo anno, quo Julius Cæsar, ejus Avunculus, est in Senatu occisus; alii ab ejus primo Consulatu, quem sequenti anno inivit; & alii demum a victoria Actiaca, in qua vicit Antonium, & Cleopatram. Igitur quemadmodum Historici triplex Imperii initium Augusto tribuerunt, ita pariter duplex poterant Tiberio tribuere. Et re vera Tiberius fuit ab Augusto in Imperii consortium assumptus, & factus Imperii Consors, & Collega; & tunc primum, quando cum Augusto regnare cœpit: Postmodum, mortuo Augusto, ipsemet Tiberius cœpit regnare solus. Hæc igitur duo Imperii Tiberii initia. Quod autem veteribus Scriptoribus ignota non fuerit Imperii Proconsularis Tiberii epocha, ex Clemente Alexandrino colligimus, qui lib. 1. Stromatum tribuit Tiberio cum quibusdam Historicis annos Imperii 22. & menses aliquot, & deinde cum aliis Historicis eidem tribuit annos Imperii 26. & menses sex. Et hæc diversitas ex eo petenda est, quod primo loco numerabat annos Imperii Tiberii juxta epocham Proconsularem; secundo vero loco numerabat eosdem secundum epocham Augustalem.

Ad II. Sollicitudo Liviæ, & simulatio Tiberii, ex eo proveniebant, quod timerent post Augusti mortem Germanicum Tiberio præponendum, & hoc, vel ob amorem populi, qui maxime Germanicum diligebat, vel ob exercitus potentiam, qui totus in Germanici potestate erat. Rem hanc apertissime narrat Svetonius in Tiberio cap. 25.: *Causa erat metus undique imminentium discriminum: ut sæpe Lupum se auribus tenere diceret*, Tiberius, *nam & servus Agrippæ, Clemens nomine, non contemnendam manum in ultionem Domini comparat: & L. Scribonius Libo vir nobilis res novas clam moliebatur, & duplex seditio militum in Illyrico, & in Germania exorta est . . . . . Quidem etiam Principem detrectabant non a se datum, summaque vi Germanicum, qui tum iis præerat, ad capessendam Rempublicam perurgebant, quanquam obfirmate resistentem . . . . . Simulavit Tiberius valetudinem, quo æquiore animo Germanicus celerem successionem, vel certe societatem opperiretur*. Dictus est autem post Augusti mortem novus Imperii Tiberii annus, hoc est, novus solius Tiberii, quia antea non solus, sed cum Augusto regnaverat. Et Consules primo juraverunt in verba ipsius, scilicet, quando solus regnare cœpit; tunc enim, quum novum esset Imperium, novum scilicet, solius ipsius, novum quoque juramentum exigebatur.

Ad III. Quamvis Tiberius fuerit consors Imperii Augusti, quamvis quoque fuerit Princeps, quamvis fuerit etiam Imperator, nunquam tamen fuerunt in Urbe Roma duo Augusti; & ipse quoque Tiberius se Augusto minorem fatebatur, ac minori præditum authoritate intra Urbem, etsi extra eandem cum ipso Augusto, præter Augusti nomen, parem dignitatem haberet. Non sic autem Marcus Aurelius, & Lucius Verus, qui vere fuerunt duo Principes, duo Imperatores, & duo Augusti, juxta Spartiani testimonium; & ipsorum exemplum duorum Imperatorum, & duorum Augustorum, vere fuit in Romana Republica primum.

Ad IV. Ponunt maximum discrimen inter Imperium Proconsulare, quod a Senatu concessum est Germanico ad postulationem Tiberii, & Imperium Proconsulare, quod vivente, & jubente Augusto fuit Tiberio adjudicatum. Primum enim fuit limitatum ad certas quasdam Provincias, quod asserit Tacitus lib. 2. Annalium, ad Provincias scilicet, *quæ mari dividuntur*. At Imperium Proconsulare Tiberii fuit nullis limitibus coarctatum extra Romanam Urbem; unde Tiberius vere fuit consors Imperii, & Imperator, ut eum Paterculus lib. 2. nominat. Ulterius Vipsanius Agrippa habuit Tribunitiam potestatem tantum ad quinquennium, ut asserit Dio, at nunquam habuit Imperium Proconsulare, unde nunquam fuit appellatus Imperator, nec Augustus. Denique hæc erat differentia inter Imperatorem, qui dicebatur Augustus, & inter Imperatorem, qui Augustus non nominabatur; quod ille tam extra Urbem, quam in Urbe, supre-

ma potestate potiebatur. Hic vero extra Urbem eandem cum Augusto potestatem habebat, in Urbe vero inferiorem. Unde Tiberius, vivente Augusto, licet esset Augusto omnino æqualis extra Urbem, in Urbe vero erat inferior; & ideo quando cœpit regnare solus post Augusti obitum, novum imperium acquisivit.

Ad V. dicimus cum propriis Gravefon Verbis: „ Pilatum, Imperii Proconsularis „ Tiberii anno 15., qui concurrit cum anno 25. æræ vulgaris, Judæam administrare cœpisse, idque evinci posse ex Josepho, „ qui, postquam lib. 18. Antiquit. cap. 5. „ dixit, Pilatum, jubente Vitellio, Romam „ fuisse profectum, ut coram Tiberio ad „ objecta sibi per Judæos crimina responderet, confestim subdit cap. 6. Vitellium „ in Judæam profectum pervenisse Hierosolyma in ipsa Festivitate Paschali, ubi a „ Judæis honorificentissime exceptus, quo „ gratiam eis referret, ultro remisit totum „ vectigal fructuum venalium, & stolam „ cum ornatu Pontificio permisit in Templo asservari a Sacerdotibus, quæ prius a „ Romano, Turris Antoniæ Præfecto, custodiebatur. Ex quo Josephi testimonio „ colligitur, Vitellium postquam jussisset, „ Pilatum Romam proficisci, ejusque loco „ ad Judæam procurandam Marcellum „ misisset, Hierosolyma venisse in solemnitate Paschali. Porro Vitellius (ut probabilius censet Usserius in suis Annalibus) „ Hierosolyma venit anno 35. æræ Christianæ. Siquidem postquam anno 34. „ æræ vulgaris Consulatum gessisset, missus „ est a Tiberio anno sequenti, seu 35. æræ „ vulgaris Proconsul in Syriam, & eodem „ anno accessit Hierosolyma in Festivitate „ Paschali. Hoc igitur anno 35. æræ vulgaris, antequam Hierosolyma in Festivitate Paschali venisset Vitellius, jam Pilatus, juxta Josephum, Judæa excesserat, „ ac subinde cum in Judæa administranda, „ teste eodem Josepho, decem exegerit annos, necessum est, ut Pilatus Judæam „ administrare cœperit anno Imperii Proconsularis Tiberii decimo quinto, qui „ concurrit cum anno æræ vulgaris 25. „ Nulli autem mirum videri debet, quod „ Pilatus, qui ante Pascha anni trigesimi „ quinti æræ vulgaris jussus erat a Vitellio „ Romam proficisci, non huc tamen pervenerit, nisi post Pascha anni ejusdem „ æræ vulgaris 37. & post obitum Tiberii: „ nulli, inquam, id mirum videri debet; potuit enim Pilatus male sibi conscius moras „ consulto nectere, degens in aliqua Urbe „ Syriæ, in eam spem erectus fore ut cunctando res suas accisas in melius promoveret, vel forte adversis ventis impeditus „ est, ne navigationem susciperet, suamque maturaret profectionem. His de „ causis Pilatus tardius Romam advenavit „.

Ad VI. Ex eodem Gravefon dicitur, quod sicut Epiphanii sententia nunc penitus exolevit, ita rejicienda sit Lamy conjectura, quæ Ecclesiæ, & Sanctorum Patrum traditioni, adversatur; ac proinde dici omnino debere, quod Christus fuerit a Joanne in Jordane baptizatus die 6. Januarii, prout modo recolit, & celebrat mysterii memoriam Universa, quæ per totum Orbem dilatatur, Ecclesia.

Demum pro tertia Dissertationis parte, prodigia, quæ Christi baptismum comitata, vel consequuta sunt, tria fuere; scilicet Cœli apertio, Spiritus Sancti apparitio sub columbæ specie, & paterna vox audita, quæ Christum dilectum sibi filium denunciabat. De singulis hic dicemus; at primitus de omnibus illis aliqua sunt prænotanda. Primum, quod prodigia hæc non apparuerunt tempore illo, quo Christus baptizabatur, sed post baptismum susceptum, & Christum ex aquis emersum, quando ad Patrem orabat. Dicitur enim Matthæi 3. *Baptizatus autem Jesus, confestim ascendit de aqua, & ecce aperti sunt ei Cœli, & vidit Spiritum Dei descendentem sicut columbam, & venientem super se; & ecce vox de Cœlis dicens: Hic est filius meus dilectus, in quo mihi complacui.* Et Lucæ 3. habetur: *Jesu baptizato, & orante, apertum est Cœlum, & descendit Spiritus Sanctus corporali specie sicut columba super ipsum.* Quod observaverunt Patres, optima scilicet ratione fuisse factum, ut prodigia illa apparerent, non in ipso actu baptismi, ne applicarentur dignitati, & virtuti Joannis, sed postquam Christus fuerat baptizatus, & orabat, ut dignitati, & virtuti Christi tribuerentur. Quapropter Serry suo more Pictorum audaciam reprehendit, qui prodigia illa exprimunt in actu baptismi Christi; ac pariter Christum repræsentant baptizatum per infusionem a Joanne, non per immersionem, sicuti revera fuit. Secundum, quod prodigia illa non solum advertit Jesus, sed etiam Joannes, & cæteri omnes, qui aderant, quia propter illos fiebant. Unde Cornelius a Lapide ad cap. 3. Matthæi scribit: „ Matthæus ait: *Aperti sunt ei*, idest propter „ eum,

„ eum, *Cœli*, puta in ejus gratiam, & ho„ norem visi sunt aperiri; idque ad hoc; „ Primo, ut vox Patris e Cœlo labens: „ *Hic est filius meus dilectus*, Christi digni„ tatem Joannis dignitate majorem signi„ ficaret. Secundo, ut indicaret Deus, per „ Christum Cœlum omnibus aperiri. Ita „ S.Chrysostomus. Tertio, ut vis cœlestis „ baptismi innueretur, scilicet per eum „ homines carnales fieri spirituales, & cœ„ lestes, ac per eum ad Cœlum vocari, & „ quasi manu duci. Ita S. Thomas 3. par. „ q.39. art. 5. „ Verbum autem illud *confestim* non refertur ad verba antecedentia, *Baptizatus autem Jesus*; sed ad verba subsequentia *ascendit de aqua*; quia post Christum ex aquis egressum statim aperti sunt Cœli: Unde Marcus cap. 1. scribit: *Et statim ascendens de aqua, vidit Cœlos apertos*. Veniamus modo ad singula illa prodigia explicanda.

Primum prodigium est apertio cœli. Inquit enim Lucas cap. 3. *Jesu baptizato, & orante, apertum est cœlum*. In hoc duæ sunt opiniones oppositæ; prima, quod soliditas cœlorum fuerit disrupta, & discissa; secunda, quod sola imaginatione aperiri visi sunt Cœli; ut contigit Ezechieli, & refertur cap.1. ipsius. Prima impugnatur a Serry, dicente, quod illud erat naturaliter impossibile, & supernaturaliter superfluum: Secunda, quia non referenda sunt ad imaginationem, quæ Scriptura narrat realiter evenisse. Unde idem Serry dicit, „ quod cœli dicti sunt „ aperti, quia in suprema aeris regione „ sensibus ipsis perceptus sit quidam hiatus, „ ex quo columba in Christum dilabi cer„ neretur, voxque Patris e cœlo velut „ erumpens inaudiretur. „ Et sic explicat S.Thomas 3.p. q.39. art.5: Hæc eadem dixerat Cornelius a Lapide ad cap. 3. Matthæi, a quo exscripsit Serry. Hæc sunt verba Cornelii: „ Quæres quomo„ do Christo aperti sunt cœli? Responde„ tur, cœlorum soliditatem non fuisse „ realiter apertam, & discissam (hoc enim „ naturaliter est impossibile, supernatura„ liter est superfluum: non etiam cœli „ aperti fuere per solam visionem imagi„ nariam, uti aperti sunt Ezechieli cap.1. „ vers.1.) sed quod in suprema aeris regio„ ne sensibiliter visus fuerit quidam hia„ tus, seu species aperturæ sensibilis, ex „ quo columba æque ac vox Patris de Cœ„ lo in Christum labi videretur, ita scili„ cet, ut partes aeris extremæ densiores vi„ derentur, eo modo ut ad illas terminari „ posset visus; aer autem interjectus ma„ neret rarus, nec videretur, sed appareret „ quasi hiatus lucidus, sive vacuum quod„ dam, & apertura radios vibrans in Chri„ stum: ex qua columba cum voce descen„ dit in Christum. Hac enim arte pictores „ solent pingere, & repræsentare hiatum. „ Omnia enim hic sensibilia fuerunt. Ita „ Euthymius, Jansenius, & Suarez 3.par. „ qu.39. art.5. Tales hiatus sæpe apparent „ in aere, de quibus Aristoteles in metheo„ ris. „ Aliquas affert rationes S. Thomas partim morales, partim allegoricas, ob quas aperti sunt cœli; sed Suarez literalem scribit: „ Tamen ad literam dici „ potest, quia Spiritus Sanctus visibiliter „ descensurus erat in specie columbæ, „ oportuisse visibiliter demonstrari colum„ bam illam e cœlo descendere singulari, „ atque extraordinario modo. Ad hoc er„ go cœlum aperiri visum est, ac proptе„ rea, ut vox Patris inde proficisci videre„ tur. Addi etiam potest ex Chrysostomo „ supra oportuisse tunc majestatem Chri„ sti ostendi: nam multi existimare pote„ rant, Joannem esse majorem illo, tum „ propter admirandam vitæ rationem, & „ insignem Joannis famam, ac nomen; tum „ etiam quod Christum viderent ab ipso „ baptizatum. Ut ergo non deciperentur; „ sed intelligere possent, Christum esse „ majorem Joanne, & quodammodo cœ„ lestem hominem; imo, & plusquam ho„ minem, ideo illo baptizato, aperti sunt „ cœli, & reliqua signa facta. Hæc enim „ ratio æque de cunctis procedit, & effica„ cius de omnibus simul sumptis, quam de „ singulis. Unde Cyrillus Jerosolymitanus „ cathec. 17. *Spiritus Sanctus descendit, cum* „ *Dominus baptizaretur, ne baptizati digni*„ *tas lateret ..... Aperti sunt cœli propter* „ *dignitatem descendentis Verbi*. „

Secundum prodigium fuit Spiritus Sancti descensus in Christum sub corporali specie columbæ. Disputatur an fuerit vera Columba, an species, & similitudo illius. Nos dicimus, fuisse Angelum, agentem in sensum visus, sicut egisset vera columba, si fuisset; ac proinde fuisse speciem columbæ, non veram columbam. Hoc primo ostendunt omnes quatuor Evangelistæ; Matthæus cap.3. *Sicut columbam*; Marcus cap.1. *Tanquam columbam*; Lucas cap. 3. *Corporali specie, sicut columba*; Joannes cap.1. *Quasi columbam*. Particulæ autem *sicut, tanquam, & quasi*, potius significant speciem, & similitudinem, quam rem ipsam. Secundo comprobant Patres,

Patres, Tertullianus lib. de baptismo cap. 8. Justinus Martyr in Dialogo cum Triphone Judæo, Irenæus lib. 3. adversus hæreses cap. 62, Chrysostomus homil. 4. in Acta Apostol. Hilarius in cap. 2. Matthæi, Augustinus lib. 2. de Trinit. cap. 5., Ambrosius lib. 1. de Sacramentis cap. 5. Tertio rationem theologicam affert Serry, quæ hæc est: „ Nec enim vera columba opus hic erat, sed sola similitudine ad symbolicam significationem; ut, scilicet, per speciem, & symbolum columbæ designarentur Spiritus Sancti virtutes, & Christi dotes: Deus autem miracula absque necessitate non patrat, quemadmodum, & natura nihil frustra operatur. „ Quod & scripserat Cornelius a Lapide in cap. 3. Matthæi; „ Ergo erat species, & similitudo duntaxat, non veritas columbæ, nec enim vera columba opus hic erat, sed similitudine ad Symbolicam significationem, ut scilicet per speciem, & Symbolum columbæ designarentur dotes Christi, quas mox recensebo. „

Tertium prodigium fuit vox de cœlo facta: *Hic est filius meus dilectus, in quo mihi complacui*. Hæc vox dicitur a Patribus ministerio Angelorum in persona Patris efformata; ut docet Victor Antiochenus in cap. 1. Marci: *In persona Patris Angelorum ministerio efformata*. Hæc eadem vox symbolum columbæ explicavit; quod dixit Serry, & ante ipsum scripserat Cornelius a Lapide. Verba Serry sunt in Exercit. 45. „ Hæc columbæ symbolum explicavit; atque ad solum Jesum, cui soli columba insidebat, non ad Joannem, aut quemvis alium designandum directa est. Quod certe necessarium maxime fuit, ut solus Jesus, non itidem Joannes Christus esse crederetur. In hanc etenim falsam de Joanne opinionem Judæi facile propendebant, ut ait Lucas cap. 3. *Existimante populo, & cogitantibus omnibus in cordibus suis, ne forte ipse esset Christus*. Tantæ enim virtutis Joannes erat, ut plus illi laborandum fuerit, ut ne Christus crederetur, quam Jesu, ut crederetur. „ Verba autem Cornelii a Lapide in cap. 3. Matthæi sunt; „ Vox hæc symbolum columbæ explicabat; columba vero ad Christum, cui ipsa insidebat, vocem ferri, & terminari significabat, non ad Joannem, vel quem alium: utroque ergo signo opus fuit ad declarandum orbi Christum. Vox hæc *in persona Patris Angelorum ministerio efformata fuit*, ait Victor Antiochenus in cap. 1. S. Marci. Hic primum orbi revelatur mysterium S. Trinitatis, quod Judæis obscure fuerat insinuatum, dum Pater se ostendit in voce, Filius in carne, Spiritus Sanctus in specie columbæ, ut significaretur fides S. Trinitatis jam explicanda, adeoque ejus nomine conferendus Christi baptismus. Licet enim hæc omnia, puta cœlorum apertio, formatio vocis, descensus columbæ, utpote opera ad extra, uti loquuntur Theologi, fuerint toti S. Trinitati communia, uti docet S. Augustinus serm. 38. de Temp. tamen speciatim singulæ personæ symbolis jam dictis repræsentabantur. „

Arguunt I. Tertullianus lib. de Carne Christi cap. 4. docet, columbam fuisse veram, Angelorum ministerio scilicet productam, & eodem ministerio consumptam: ergo non fuit columbæ species, & similitudo. II. Augustinus lib. de Agone Christiano hæc habet. *Deo non fuisse difficile verum corpus columbæ sine aliarum columbarum ministerio figurare; sicut non fuit difficile verum corpus in utero Mariæ sine virili semine fabricare*: ergo ex ipso corpus columbæ fuit verum, sicut fuit verum corpus Christi. III. Deus illusisset hominibus illis, qui Christo adstabant, si columbæ speciem exhibuisset iisdem, non veritatem; sed hoc non est dicendum: ergo &c. IV. Augustinus epist. 102. docet, vocem illam de cœlo factam non fuisse vocem in ea veritate, ac proprietate, qua vox dicitur sonus formatus per organa vitæ informata anima: ergo non fuit vox vera. V. Hilarius lib. 9. de Trinit. ante medium asserit, quod vox illa non fuit audita nisi a Christo, & Joanne, & non ab aliis; quod & etiam suaderi potest, quia si omnis populus illam audisset de cœlo delatam, omnes credidissent Christo, nec Joannis testimonium fuisset necessarium. VI. Per vocem illam importabatur tantum *hic*; sed pronomen *hic* incertum erat, an referri deberet ad Christum, an vero ad Joannem; ergo &c. Probatur major. Non enim per vocem dicebatur, *hic, qui baptizatur*; sed simpliciter *hic*.

Respondemus ad I. Tertullianum esse cum moderatione intelligendum, aliter ex ejus verbis tribuenda esset Angelis vis creandi, & vis annihilandi: Quum enim dicat, corpus columbæ fuisse verum, illud etiam asserit, fuisse ab Angelis ex nihilo productum, & in nihilum redactum; quod dici omnino non potest: En sua

verba:

verba: *Sed quaeris corpus columbae ubi sit, resumpto Spiritu in Caelum? Æque & Angelorum, & eadem ratione interceptum est, qua & editum fuerat. Si vidisses, cum de nihilo proferebatur, scivisses cum in nihilum subducebatur. Si non fuit initium visibile, nec finis.*

Ad II. Augustinus dixit corpus columbae figuratum, corpus vero Christi fabricatum; unde pro columba solum intelligit figuram; pro corpore autem Christi veram, realemque entitatem. Igitur qui asserit corpus columbae verum fuisse a Deo figuratum, non formatum, non fabricatum, figuram tantum columbae asserit, non veritatem.

Ad III. Non illudit Deus quando exhibet nuda tantum simulacra ad symbolicam significationem, quae tamen non vult, ut ab hominibus uti vera, & naturalia habeantur. Hoc in plurimis aliis mysteriis cernimus, quae in divinis libris leguntur; & praecipue quando Angeli humana specie hominibus apparebant, & iisdem, vel proprio nomine, vel Dei nomine, loquebantur.

Ad IV. Suarez 3.p. q.39. ar.8. disp.27. sect. 3. dicit, aeque certum videri vocem illam fuisse verum sonum realem, ac sensibilem, qui non minus possit immutare sensum, & menti significare, quam si esset vox ab hominibus prolata. Addens quoque ex eodem Augustino, sonum illum fuisse talem, qualis edi potest ex corpore animato. Denique quum Evangelium dicat factam fuisse vocem, intelligere omnino debemus sonum articulatum ad modum vocis.

Ad V. Hilarius non docet, quae Adversarius opponit; sed tantum interpretatur verba illa Joannis 5. *Neque vocem ejus audistis, neque speciem ejus vidistis*; & asserit, quod qui Jerosolymis manebant, eam non audiverunt, sed forte in Jerosolymis manentes, non audierant, quia in desertis Joannes solus audierat. Caeterum Judaei non crediderunt, quia evidens illis non erat, vocem illam esse a Deo.

Ad VI. Dicitur, quod propterea descendit Spiritus Sanctus in columbae specie, & super Christum, & non super Joannem, mansit; ut ostenderetur, Christum venisse sub pronomine illo *hic*, non Joannem. Quod scripsit Optatus Milevitanus apud Suarez citatum, scilicet, quod columba *capiti ejus insedit, & vocem traxit ad filium, cunctisque fecit esse perspicuum, quod illa vox de baptizato deberet intelligi.* Quod etiam dixit Damascenus orat. de Transfigurat. *Paterna voce caelitus intonante, dilectus filius esse asserebatur is, qui baptizabatur, a columba autem tamquam spiritu veluti digito, indicabatur is, cui testimonium dicebatur.*

DISSERTATIO CCXXXI.

De Joanne Praecursore Christi. An Joannes fuerit Praecursor Messiae, in lege promissus? Quodnam fuerit Praecursoris munus? Quaenam fuerit Joannis sanctitas, gratia, & gloria?

QUanvis Deus per Prophetas plures Christi adventum prophetaverit, atque promiserit; ii tamen omnes de longa annuntiarunt, & solummodo venturum esse dixerunt. Per eosdem quoque Prophetas promisit Deus hominem, qui esset Messiae Praecursor, ejusque nomen, & munus, per Prophetas ipsos manifestavit. Et quidem Praecursoris Messiae duo legimus vaticinia; unum est Isaiae 40. *Vox clamantis in deserto, parate viam Domini, rectas facite in solitudine semitas Dei nostri*: Et Malachiae 3. *Ecce ego mittam Angelum meum, & praeparabit viam ante faciem meam.* Justinus Martyr in Dialogo cum Triphone Judaeo testatur quidem, haec duo vaticinia adeo esse obscura, & ambigua, ut ante rem impletam intelligi difficile possint: at postquam veritas manifestata est, & Joannes baptizavit Christum, & post praedicationem ejus Lex, & Prophetae, cessarunt, & aperte mon-

stra-

stratum est; in Christo impleta fuisse omnia, quæ olim de Messia prædicta fuerant; tunc quoque cognitum est, in locis illis Isaiæ, & Malachiæ, Præcursorem Christi prænuntiari. Quapropter Patres dixerunt, inter alia signa, quæ data sunt Judæis, ad cognoscendum Messiæ adventum, illud quoque fuisse præcipuum, quod ante Messiam Præcursor quidam, tanquam publicus Præco antecessurus esset, ut ait Suarez, qui & hominum reseraret aures, & oculos illuminaret, ut venientem Messiam, & audire possent, & cognoscere. Patres quidem qui hoc dixerunt, ab eodem Suarez citantur, Justinus dialogo cum Triphone, Eusebius lib.9. demonstrat. Evangel. cap. 5., & Prosper de prædictionibus, & promissionibus Dei part.3. cap.1. Fuit primo Præcursor appellatus nomine Vocis: *Vox clamantis in deserto*. Isaiæ 40.: quia, ut scribit Epiphanius hæresi 69. circa medium: *Vox est præparativa auditus hominum: primam enim inarticulatam vocem sonantem reddere solent clamantes, e longinquo vocantes eos, qui ab ipsis aliquid audire debent. Et ubi illi vocem solam audierint, & mentem ad audiendum converterint, auresque præparaverint, tunc is, qui sonantem vocem emisit, de cætero distinguit sermonem, quem dicere voluit. Sic etiam Joannes vox fuit, aures hominum præparans, non enim erat ipse Verbum, sed post ipsum venit Verbum*. Secundo fuit dictus Angelus a Malachia, non quidem natura, ut credidit Origenes tom. 5. in Joannem, & ejus tacito nomine Cyrillus refert lib. 1. in Joannem cap.7., & Beda in cap.1. Marci; sed munere, & officio, ut iidem Patres docent. Et quidem Præcursor Domini futurus erat Nuncius a Deo missus, qui clamaret, & Messiæ adventum hominibus nunciaret, & ita viam Domino præpararet; & per hoc dictus est Angelus, quia missus est; Angelus quidem ministerio, non natura; & quia natura erat homo, dictus etiam est homo, Joannis 1. *Fuit homo missus a Deo, cui nomen erat Joannes*; Homo quidem, quia propter naturam erat homo; Angelus autem, quia missus est, & ideo propter ministerium erat Angelus. Verum Author operis imperfecti homil.27. in Matthæum voluit Præcursorem Domini dictum esse Angelum, ut sanctitas ejus, ac vitæ puritas, quæ tanto muneri necessaria erant, indicarentur. *Puto, quod gloriosior est Joannes, quia homo fuit, & propter virtutis meritum Angelus est vocatus, quam si nomine Angelus, & natura fuisset. Angelus enim hoc ipso quod Angelus, non est virtutis præmium, sed naturæ proprietas. Iste autem mirabilis est, qui in humana natura Angelicam sanctitatem transgressus est, & obtinuit, quod non habuit natura, per gratiam*.

Dicimus I. Joannem fuisse Præcursorem Messiæ, in Lege promissum.

I. Probatur. Ille fuit Præcursor Messiæ, in Lege promissus, qui Messiam non de longe annunciavit, sed prope indicavit; qui non testatus est venturum, sed venisse demonstravit; qui adventum ejus non per prædicationem tantum promisit, sed præparavit quoque vias per humanæ correptionis opus, quibus ipse digne, & rite reciperetur; atqui hæc omnia conveniunt Joanni: ergo Joannes fuit Præcursor Messiæ, in lege promissus. Major patet ex Authore Operis imperfecti homil.27. in Matthæum, ubi dicit: *Omnes Prophetæ venturum testati sunt, ille solus jam venisse monstravit. Deinde alii Prophetæ missi sunt, ut adventum ejus annunciarent: iste autem, ut præpararet viam ipsius: aliud autem est adventum ejus annuciare, aliud est viam præparare. Nunciantibus adventum ejus prædicationis sermo commissus est; præparanti autem vias, humanæ correctionis opus injunctum est*. Minor probatur. Joannes fuit contemporaneus Christo, adeoque illum prope monstravit; Christum indicavit jam venisse, dicens: quando illum digito indicabat: *Ecce Agnus Dei, Ecce qui tollit peccata mundi*; Christum habuit præsentem, quando illum in Jordane baptizavit: ergo illa omnia conveniebant Joanni.

II. Probatur. Præcursor Messiæ dictus est Vox, & Angelus; sed Joannes fuit Vox, & Angelus; ergo Joannes fuit Messiæ Præcursor. Probatur minor. Joannis 1. Judæi interrogabant Joannem, quis esset? Joannes negavit se esse Christum, esse Eliam, esse Prophetam. At quum Judæi urgerent dicentes: *Quis es, ut responsum demus iis, qui miserunt nos? Quid dicis de te ipso?* Et tunc Joannes respondit: *Ego vox clamantis in Deserto, dirigite viam Domini, sicut dixit Isaias Propheta*. En igitur quomodo apud Joannem cap.1. Joannes fatetur se non esse Deum; hoc idem testatus est apud Matthæum, & Lucam cap.3., & apud Marcum cap.1. Insuper nomen Angeli convenire Joanni, dixit Christus apud Matthæum cap.11. *Hic est, de quo scriptum est: Ecce ego mittam Angelum*

lum meum ante faciem tuam: ergo Joannes fuit vox, & Angelus, quibus nominibus appellabatur Præcursor Messiæ, antequam mitteretur: ergo Joannes vere fuit Præcursor Messiæ in lege promisus.

III. Probatur. Joannes non solum fortitus est nomina Præcursoris, in Lege promissi, sed etiam implevit omnia, quæ sub illis nominibus continebantur; ergo fuit verus Præcursor, in lege promissus. Probatur antecedens. Joannes adimplevit quod continetur sub verbis istis: *Vox clamantis in deserto*; quia ut dicitur Lucæ 3. *Factum est verbum Domini super Joannem, Zachariæ filium in deserto, & venit in omnem regionem Jordanis prædicans baptismum pœnitentiæ*. Et re vera Joannes in infantia clamavis, quia statim natus cœpit per Patrem de Christo prophetare, ac prædicare. Post infantiam in deserto factis, & exemplo, viam Domino præparavit. Demum de deserto egressus prope Jordanem, ubi baptizabat, pœnitentiam prædicabat. Insuper missus fuit a Patre ante faciem suam, scilicet ante Verbum incarnatum, quod in psalm. 79. facies Patris dicitur: *Domine Deus virtutum converte nos; ostende faciem tuam, & salvi erimus*. Quod & Zacharias, Joannis pater Lucæ 1. in Cantico ipsimet Joanni dixit: *Tu puer Propheta Altissimi vocaberis, præibis enim ante faciem Domini parare vias ejus*. Denique paravit Joannes viam Domini, quod in utraque prophetia dicitur; quia prædicavit, Christum jam venisse, regnum cœlorum prope esse, & pœnitentiam omnes debere amplecti, ut se Christo præparent.

Pro secunda Differtationis parte ex Suarez prænotamus, Hæreticos posteriorum temporum multa mendacia confinxisse. Dicunt enim Præcursoris munus fuisse abrogare Mosaicam Legem, eamque de facto Joannem mutasse, & totum statum Religionis pervertisse. Adduot, Novum Testamentum fuisse a Joanne inchoatum, & baptismum suum instituisse in Novo Testamento permansurum; unde Gentes ad illum, & ad Ecclesiæ societatem recipiebat. Referuntur hæc omnia a Canisio lib. de S. Joanne cap. 6. Attamen Suarez aperte asserit, hoc Hæreticorum commentum esse Christo injuriosum, & nullo apparente fundamento inniti.

Dicimus II. Præcursoris munus non fuisse ferre Legem Gratiæ, & Novum Testamentum condere; Joannem neque immutasse, neque abrogasse legem veterem; sed tantum præstitisse, quæ in Prophetiis Isaiæ, & Malachiæ continentur, & quæ duntaxat constituunt Præcursoris munus.

Prima Conclusionis pars est de fide, & probatur I. Ferre Legem Gratiæ, & Novum Testamentum condere, non est præcurrere ante Christum, sed potius præripere Christo munus, & dignitatem suam: ergo non potuit esse Præcursoris munus. Probatur antecedens. Isaiæ 33. dicitur: *Dominus Rex noster, Dominus Legifer noster*; & Joelis 2. *Filii Sion exultate, & lætamini in Domino Deo vestro, quia dedit vobis Doctorem justitiæ*; sed hæc solum verificantur de Christo, non de Joanne: ergo &c. Probatur minor. Joannis 1. dicitur de Baptista: *Non erat ille lux, sed ut testimonium perhiberet de lumine*: Et deinde ejusdem Baptistæ testimonium referens, ait: *De plenitudine ejus nos omnes accepimus, & gratiam pro gratia; quia Lex per Moysen data est; gratia, & veritas per Jesum Christum facta est*; sed sub nomine gratiæ, prout distinguitur a Lege veteri venit novum testamentum, & Lex gratiæ: ergo &c.

II. Probatur. In tota Scriptura nec Æternus Pater præcepit Nobis servare Legem Joannis, sed Christi; nec Christus mandavit obedire præceptis Joannis, sed suis: ergo Joannes non fuit Author Novæ Legis, sed Christus: ergo ad Præcursoris munus non pertinebat Novum Testamentum, & novam Legem condere. Probatur antecedens. Matthæi 3. Lucæ 9., & 2. Petri 1. legitur, Æternum Patrem dixisse: *Hic est filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui, ipsum audite*. Joannis 13. Christus dicebat: *Mandatum novum do vobis*. Et cap. 14. *Mandata mea servate*; Et cap. 15. *Si præcepta mea servaveritis, manebitis in dilectione mea*; & Matthæi ultimo: *Docete omnes Gentes, docentes eos servare omnia, quæcunque mandavi vobis*.

Secunda Conclusionis pars pariter est de fide, & probatur I. Ad illum spectat veterem legem abrogare, ad quem pertinet novam legem condere; sed Præcursoris munus non erat novam Legem condere, ut in præcedenti conclusione probatum est, & Joannes novam Legem non condidit, sed tantum Christus: ergo neque Præcursoris munus erat veterem Legem abrogare. Hoc totum probatur authoritate Apostoli ad Galatas 3. scribentis: *Christus nos redemit de maledicto Legis fa-*

ctus pro nobis maledictus . . . . Quid igitur lex propter transgressionem posita est, donec veniret semen, cui promiserat . . . . Priusquam veniret fides, sub lege custodiebamur conclusi, in eam fidem, quæ revelanda erat. Itaque lex pedagogus noster fuit in Christo; at ubi venit fides, jam non sumus sub pedagogo. Quibus addit Suarez, quod per fidem intelligit Paulus vivam fidem Christi, & gratiam novi Testamenti, sicut aperte explicuit, subjungens: *Omnes enim filii Dei estis per fidem in Christo Jesu. Quicunque enim in Christo baptizati estis Christus induistis.* Et cap. 4. *Cum essemus parvuli sub elementis mundi eramus servientes; at ubi venit plenitudo temporis misit Deus filium suum factum ex muliere, factum sub lege, ut eos, qui sub lege erant, redimeret, ut adoptionem filiorum reciperemus*. Concludens deinde: *Itaque, fratres, non sumus ancillæ filii, sed liberæ, qua libertate Christus nos liberavit*: ergo non Joannes, sed Christus veterem legem abrogavit; & nos ab illius jugo, & servitute, liberavit; & per consequens non est Præcursoris munus veterem Legem abrogare.

II. Probatur. Si Joannes Veterem Legem, aut factis, aut dictis, abrogare tentasset, hoc ipsi facile objecissent Judæi; sed nunquam objecerunt: ergo non tentavit Joannes veterem Legem immutare, vel abrogare. Probatur major. Judæi frequenter objiciebant Christo, quod secundum majorum opinionem veterem Legem transgrederetur. Insuper Actorum 21. & 26. Judæi persequebantur Paulum, quod veterem Legem destruere conaretur: ergo objecissent pariter Joanni, si illam tentasset abrogare, vel immutare. Quæ omnia aperte confirmat Author operis imperfecti homil. 3. *Ideo ergo Joannes dictus est vox, non Verbum, quia per Joannem neque misericordias suas Deus, neque justitias, neque ante constitutionem mundi præparata consilia demonstravit; sed hoc tantummodo, quia aliquid magnifacere Deus in hominibus meditabatur; postea autem per filium suum plenissimum mysterium suæ voluntatis aperuit . . . . . Quod docebat, idem manducat, volatilia quidem erant, non autem magna, nec satis in altum volantia, quia Iudæi, quibus a Joanne pœnitentia sola injungebatur, secundum justitiam legis, metu pœnæ vivebant, non secundum spiritualia, & altissima Christi præcepta . . . . Ideo Ioannes mel agreste edebat, quoniam adhuc ante Christum, ante Spiritum Sanctum constitutus sub lege, legis utebatur eloquiis, insipidis, insuavibus, & agrestibus . . . . Filius Dei sub lege factus est, ut eos, qui sub lege erant, redimeret, & educeret. Ioannes autem sub lege natus est, non ut eos, qui sub lege erant, educeret, sed ut essent sub lege, & secundum legem, & viverent, & docerent: propterea nihil extra legem, aut fecit, aut docuit, sed tantum pœnitentiam prædicavit*.

Tertia Conclusionis pars probatur I. Primam Isaiæ prophetiam fuisse in Joanne adimpletam; dixit enim Zacharias, Pater ejus Lucæ 1. *Tu puer Propheta Altissimi vocaberis; praibis enim ante faciem Domini parare vias ejus, ad dandam scientiam salutis plebi ejus*. Quæ quidem verba apertius exprimuntur Joannis 1. *Fuit homo missus a Deo, cui nomen erat Ioannes: Hic venit in testimonium, ut testimonium perhiberet de lumine, ut omnes crederent per illum. Non erat ille lux; sed ut testimonium perhiberet de lumine*. Ex quibus verbis patet, quod præcipuum munus Præcursoris fuit testimonium de Christo ferre, prædicando, ipsum esse Messiam in lege promissum, & populum præparare, atque disponere, ad hoc testimonium de Christo suscipiendum; ut ait Suarez. Hoc autem Ioannem effecisse, docent Patres exponentes præfata verbi Joannis & Lucæ; & præcipue Augustinus serm. 20. de Sanctis: *Quod enim nondum natus de secreto materni uteri prophetavit, & expers lucis jam testis est veritatis, hoc est intelligendum, quod latens sub velamine, & carne litera, & Redemptorem mundi spiritu prædicavit, & nobis Dominum nostrum de quodam legis utero proclamavit . . . . Quod ajunt Joannes in carcere constitutus ad Christum discipulos suos ordinat, legem ad Evangelium transmittit . . . . Præmittitur ante Jesum Christum Joannes, quasi testamentum vetus ante novum*. Et Hilarius in cap. 14. Matthæi: *Joannes formam prætulit legis, quia lex Christum prædicavit, & Joannes profectus ex lege est, Christum ex lege prænuncians*.

II. Probatur. Ut verificaretur prophetia Malachiæ cap. 3. *Ecce ego mittam Angelum meum, & præparabit viam ante faciem meam*; Præcursoris munus esse debebat, præparare viam, ut Messias, qui jam advenerat, crederetur talis, & homines ad eum credendum, & recipiendum, disponerentur: ergo munus Præcursoris secundum alterius prophetiæ tenorem esse debebat viam Domino præparare. Probatur antecedens; tum quia adventus Christi esse debebat occultus, & in humili-

militate, ac paupertate; adeoque conveniebat, ut præcederet testis omni exceptione major, qui eum digito demonstraret; quod dixit Augustinus tract. 35. in Ioannem: tum etiam, quia homines ob innumera peccata, quibus tenebantur implicati, erant obcæcati ad lumen Dei videndum: unde expediebat, ut Ioannis vita, prædicatio, & exemplum, præcederent, quibus homines ad pœnitentiam provocarentur; quod pariter dixerunt Origenes tom. 5. apud Suarez, Chrysostomus homil. 5. in Ioannem, Augustinus homil. 20., & 21. de Sanctis; & quod magis est, Ioseph Iudæus lib. 18. Antiquit. judaicar. cap. 10. *Joannes præcipiebat Judæis, virtuti operam dare, justitiam colere, in Deum servare pietatem, & per baptismum in unum coire. Tum demum enim baptisma acceptabile fore, si non solum ad abluenda peccata sumatur, verum etiam ad castimoniam corporis, atque ad animæ justitiam, purificationemque servetur, omniumque pariter virtutum, velut signaculum, & custodia quadam fidelis habeatur*.

Tertia Dissertationis pars complectitur gratiam sanctificantem Joannis, quæ venit nomine Sanctitatis, gratias gratis datas, quæ præter gratiam sanctificantem plures enumerantur, & gloriam, quæ gratiæ, & operibus respondet. Et quidem sanctitas in Joanne fuit eximia; dicitur enim Lucæ 1. *Erit magnus coram Domino*; Et infra: *Ipse præcedet ante ipsum in spiritu, & virtute Eliæ*; ubi Ambrosius: *Non corporis, sed animi magnitudinem declaravit: Est coram Domino magnitudo animi, magnitudo virtutis. Ætatem enim animæ numeramus, non pro ratione temporis, sed pro qualitate virtutis, ... Ideo fortasse in spiritu, & virtute Eliæ, quia Sanctus Elias & virtutem habuit magnam, & gratiam*. Gratiæ etiam gratis datæ fuerunt in eo, & multæ, & magnæ; & excellentia gloriæ fuit admirabilis. Unde

Dicimus III. Joannem Baptistam habuisse sanctitatem eximiam tum absolute, tum comparative; habuisse pariter gratias gratis datas, quæ in probationibus enumerabuntur; habuisse demum gloriæ excellentiam, quæ ejus gratiæ respondebat.

Prima Conclusionis pars probatur I. Patres hanc eximiam Joannis sanctitatem communi voto prædicant: ergo ab omnibus est asserenda; Probatur antecedens. Author Operis imperfecti homil. 27. hæc habet: *Quanto vox proximior verbo, non tamen Verbum, tanto Joannes propinquior Christo, non tamen Christus .... Vide ergo, quia omnibus Sanctis est major, cui solus Christus est prior*. Ambrosius lib. 5. in Lucam: *Hunc* (Joannem intelligit) *omnibus dico esse majorem, sed inter mulieris, non virginis natos. Major enim fuit iis, quibus æqualis esse poterat sorte nascendi. Alia ista natura, nec cum humanis generationibus comparanda*. Et serm. 94. apud Suarez: *Præcellit cunctis, eminet Universis, antecellit Prophetas, supergreditur Patriarchas, & quisquis ex muliere est, inferior est Joanne*. Augustinus serm. 23. de Sanctis: *Si in natis mulierum, hoc est, in hominibus, nemo exurrexit major Joanne Baptista, quisquis Joanne plus est, non tantum homo, sed & Deus est*. Et præfatione in secundam enarrationem in psalm. 29. explicans verba illa psalm. 44. *Unxit te Deus, Deus tuus oleo exultationis præ participibus tuis*; colligit, Christum esse Joanne majorem: *Quandoquidem nihil majus extitit in genere humano, quam Joannes Baptista, nec in natis mulierum exurrexit. Si quæris excellentiam hominis, Joannes Baptista est. Cujus autem Joannes se dicit non esse dignum corrigiam calceamenti solvere, quid erat ille, nisi amplius, quam cæteri homines?* Cyrillus Jerosolymitanus cath. 3. ad Illuminatos: *Etiam si Eliam Tesbitem dixerit esse in cœlum assumptum; attamen non est hic major Joanne. Enoch translatus est; sed non est major Joanne. Moyses maximus Legislator, & omnes Prophetæ; sed non majores Joanne. Non ego Prophetas Prophetis adeo comparare, sed ipse Dominus noster, & illorum Dominus Jesus pronunciavit: Major inter natos mulierum Joanne non surrexit; Non inter natos Virginum, sed mulierum. Magna servi ad conservos comparatio: filii vero ad servos minime comparanda est gratia, & excellentia*. Quod autem per prædicta Sanctorum Patrum verba nihil derogatur Sanctissimæ Virginis Mariæ sanctitati, sequentibus verbis declarat Suarez 3. p. q. 39. ar. 1. disp. 24. sect. 3.: „ In primis enim certum est in „ hujusmodi Sanctorum comparationibus „ non posse B. Virginem comprehendi. „ Etenim in gratiæ, & sanctitatis perfe„ ctione B. Virginem superiorem Joanne „ extitisse, indubitatum est, atque etiam eo „ tempore, cum Christus prædicta verba „ protulit, ut ex tractatis in superioribus „ satis constat. Neque quo ad hoc verba „ Christi difficultatem habent, ut ex dicen„ dis facile constabit, præsertim cum dici „ possit non cum feminis, sed cum viris „ tan-

„ tantum illum contulisse. Nunnulla autem „ Patrum verba, præsertim Chrysostomi, „ Ambrosii, & Augustini, quæ veniunt universaliora, & veluti per quandam exaggerationem dicta, pie interpretanda sunt, & vel ad sensum verborum Christi accommodanda; vel saltem dicendum, B. Virginem esse cum Christo conjunctam, ut cum illo excipi intelligatur. Nam sicut Theologi dicunt, dictionem exclusivam non excludere concomitantia, ita dici potest, cum nonnulli Patres asserunt, solum Christum esse majorem Joanne, non excludi Virginem, sed potius cum Christo copulari, & comprehendi. Cujus manifestum argumentum est, quia aliis locis anteponunt Virginem, non modo omnibus sanctis hominibus: sed etiam omnibus Angelis, quorum testimonia superius attulimus. Joannem vero nunquam præferunt omnibus Angelis, ut videre licet citatis locis; & Petrus Chrysologus serm. 127. ad summum vocat illum *Angelis parem*; & eodem modo loquutus fuit Augustinus serm. 22. de Sanctis. Quin potius Augustinus lib. 2. contra Adver. Legis, & Prophet. cap. 5., & lib. quæstionum veteris Testamenti qu. 26. dicit, alios Prophetas esse æquales Joannis, licet non majores: quæ est etiam sententia Hieronymi Matthæi 12. „

II. Probatur. Joannes habuit perfectissimum gradum vitæ activæ, & vitæ contemplativæ: ergo habuit eximiam sanctitatem. Probatur antecedens. Ad perfectionem vitæ activæ duo concurrunt; unum præparans, atque disponens, & est corporis mortificatio, & carnis afflictio; alterum constituens, atque componens, & est unio mentis ad Deum, & perfectio charitatis, & contemplationis; sed Joannes hæc duo eximio modo habuit: ergo &c. Probatur minor. Abstinentiæ Joannis testimonium præbuit Christus omni exceptione majus Matthæi 11. *Venit Joannes, neque manducans, neque bibens*. Unde Basilius concione 1. de Jejunio: *Joannis Baptistæ vita quid aliud erat, quam unicum, ac perpetuum jejunium?* Et Ambrosius lib. de Elia, & jejunio cap. 3. *Quia vita humanæ possibilitatem continentia supergressus fuerat, non homo, sed Angelus appellatus est*. Unionis vero mentis apud Deum, & perfectionis charitatis, & contemplationis, testimonium exhibet Lucas cap. 1. *Puer autem crescebat, & confortabatur spiritu*. Unde Bernardus serm. de privilegiis Joannis Baptistæ: *Relinquit Joannes mundum, homines fugit, patriam nescit, parentes aspernatur, & in solius divinitatis apicem defigit obtutus. Mira rerum conversio, hominem vix mundum ingressum mundi fugere gloriam, & seculi cupiditates non solum oblivisci, sed nescire, perpetuumque cum divinitate habere consortium*. Et serm. de nativit. Baptistæ: *Joannes in spiritu tanquam Angelus eruditur, nimirum tanto propinquior verbo, quanto vox verbo vicina, cui nulla voce alia media, quod foris sonet, oportet intimari. Neque enim Joannem prædicatio, sed inspiratio docuit, quem replevit spiritus in utero matris suæ vere ardens, & vehementer accensus, quem sic præoccupavit flamma cœlestis . . . . Ardens erat in seipso vehementi austeritate conversationis erga Christum intimo quodam, & pleno fervore devotionis*. Insuper Joannes vitam activam eximie exercuit; quod patet Lucæ 3. ubi dicitur: *Factum est super eum verbum Domini, & venit in omnem regionem Jordanis, prædicans baptismum pœnitentiæ in remissionem peccatorum*. Ex quibus verbis deducunt Patres primo, quod Joannes ante omnes alios regnum cœlorum clare ac distincte hominibus annunciavit; Secundo, quod baptizavit Judæos, eosque ad recipiendum Christi baptisma præparavit; Tertio, quod baptizavit ipsumet Christum, de eoque dixit: *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi*. Ac demum & in vita, & in morte fortiter, constanterque, veritatem docuit, peccata reprehendit, & peccatores, etsi Regia dignitate ornatos, corrigere non omisit. Unde Ambrosius in præfatione in Lucam concludens, dicebat, Joannem Baptistam humilitate, abstinentia, fide, vestimento, cibo, nuncio, ad summum quendam sanctitatis gradum pervenisse.

III. Probatur de gratiis gratis datis. Et primo fuisse Prophetam Joannem Baptistam, nemo negare potest; legitur enim Lucæ 1. *Et tu Puer Propheta Altissimi vocaberis*; & Matthæi 11. *Quid existis videre? Prophetam? Amen dico vobis, & plusquam Prophetam*; Unde Hilarius in cap. 11. Matthæi: *Gloriam omnem Joannis Dominus ostendit, dicens, esse eum ultra Prophetam, quia soli ipsi licuerit, & prophetare Christum, & videre*; Secundo habuit interpretationem sermonum; tertio discretionem spirituum, quarto gratiam fidei, scientiæ, & sapientiæ; ut de omnibus probat Suarez.

IV. Probatur. Gloria debet respondere gra-

gratiæ, & meritis; sed gratia, & merita, quibus Joannes excelluit inter alios in hac vita, fuerunt digna singularis coronæ, & præmii apud Deum: ergo &c. Et quidem Joannes a Bernardo serm. de excellentia ejusdem his verbis fuit merito laudatus: *Considera mansionis regni, & universum ordinem humanæ generationis circumvola, solumque Joannem tam veteris, quam novi Testamenti Patribus videbis esse præpositum, vel æquatum*. Et inferius in Seraphinorum ordine illum constituit.

Objiciunt I. Lucæ 16. dicitur: *Lex, & Prophetæ usque ad Joannem*: ergo Joannes fuit Veteris Legis finis, & Novæ Legis principium. II. Cyrillus Hierosolymitanus cath. 3. hæc docet: *Veteris Testamenti finis, & novi principium est baptismus. Joannes erat dux ejus, quo major inter natos mulierum nullus, qui finis erat Prophetarum. Omnes enim Prophetæ, & lex usque ad Joannem, & idem erat rerum Evangelicarum principium; initium enim Evangelii Jesu Christi erat Joannes baptizans*. Ad quæ cohærenter scribebat Petrus Chrysologus serm. 91. de S. Joanne: *Christi præco, arcanum Patris, filii nuncius, signifer superni Regis, peccatorum venia, Judæorum correctio, vocatio gentium, & (ut proprie dicam) legis, & gratiæ fibula*. Ex quibus verbis constare videtur, quod Joannes Baptista aliquo modo vetus Testamentum abrogaverit, & novum inceperit. III. Joannis 1. Interrogatus Joannes, an esset Propheta? Respondit, se Prophetam non esse: *Propheta es tu? Respondit, Non sum*: ergo Joannes donum Prophetiæ non habuit. IV. Joannis 10. legitur; *Quia Joannes quidem signum fecit nullum*: ergo Joannes non habuit gratiam miraculorum. V. Joannes non novit Christum, antequam videret columbam super ipsum insidentem in Jordane: ergo non fuit Propheta. Probatur antecedens. Ex confessione ipsiusmet Joannis; dicit enim Joannis 1. *Et ego nesciebam eum: sed qui misit me baptizare in aqua, ille mihi dixit: Super quem videris Spiritum Sanctum descendentem, & manentem super eum, hic est qui baptizat Spiritu Sancto. Et ego vidi, & testimonium perhibui, quia hic est Filius Dei*. VI. Joannes non fuit baptizatus a Christo, ut vulgo creditur, quia Christus neminem propriis manibus baptizavit: ergo non recepit gratiam illam, quam Christi baptisma conferebat. VII. Non cognovit Joannes ex descensu columbæ, Christum esse verum Messiam: ergo non habuit donum, quo Christum cognosceret. Probatur antecedens. Post baptismum Christi, Joannes, quum esset in vinculis, misit duos discipulos suos, ut interrogarent eum, an esset Messias: ergo non cognovit Christum esse Messiam. Antecedens probatur Matthæi 11. *Cum audisset Joannes in vinculis opera Christi, mittens duos de discipulis suis, ait illi: Tu es, qui venturus est, an alium expectamus?* VIII. Unus erat apud Hebræos Princeps Sacerdotum; sed Lucas cap. 3. narrat, quod quando Joannes baptizabat, duo erant Principes Sacerdotum: ergo &c. Probatur minor verbis Lucæ cap. 3. quæ sunt. *Anno decimo quinto Imperii Tiberii Cæsaris .... sub Principibus Sacerdotum Anna, & Caipha, factum est verbum Domini super Joannem in deserto*.

Respondemus ad I. cum Suarez, Joannem fuisse dictum principium novæ Legis, sed extrinsecum, quatenus ab ipso cœpit prædicari, & promitti regnum cœlorum, de quo in novo Testamento, non in veteri fit sermo; & cœpit demonstrari Christus, qui novi Testamenti est conditor; unde fuit Joannes sicut Lucifer, initium scilicet diei, & finis noctis. Proinde Tertullianus lib. 4. in Marcionem cap. 33. scribebat: *Agnoscamus Joannem inter vetera, & nova, ad quem desineret Judaismus, & a quo inciperet Christianismus*. Et infra: *Joannes Antecursor, & Præparator ostenditur viarum Domini, Evangelium superducturi, & Regnum Dei promulgaturi*.

Ad II. Potius Joannes novum Testamentum cum veteri univit, quia fuit medium inter utrumque, non vero unum abrogavit, & alterum instituit. Et ita intelligenda sunt verba Cyrilli, & Chrysologi, quemadmodum expressius dixerunt Nazianzenus orat. 21. de laudibus Athanasii, ubi vocat Joannem *lucernam ante lucem, vocem ante sermonem, mediatorem ante mediatorem: & addit: Mediatorem, inquam, veteris, & novi Testamenti*; Et orat. 20. *Ipse quoque inter duo Testamenta medius, illius videlicet literam evertens, unus autem Spiritum in publicum efferens, ac per externa, & visibilis legis eversionem occultam legem implens*. Quæ verba explicans Suarez, dicit: „ Non sunt autem ita intelligenda, „ ac si Joannes directe evertisset legem veterem, aut contra illam prædicasset, sed „ quod regnum cœlorum, & spiritum legis „ novæ, & ejus Authorem paulatim ostendens, ac prædicans, quoddam fuerit legis veteris evertendæ principium. „ Post quæ affert Augustinum, quem putat esse

Au-

Authorem quæstionum veteris, & novi Testamenti, quum re vera alius illius libri sit author, qui qu. 69. dicit, prædicante Joanne cessasse legem veterem, & illam nihilominus durasse usque ad Christum, per quem abrogata est; & simul etiam dicit, legem, & Prophetas, fuisse usque ad Joannem, & fuisse usque ad Christum. Et concludit Suarez: Quia utrumque juxta distinctionem positam verum est.

Ad III. Non dicitur Propheta Joannes, quia fuit plusquam Propheta, quia fuit major Propheta; quod scribebat Augustinus tract. 4. in Joannem: *Et non erat Propheta Joannes, major erat quam Propheta.* Cæterum cum eodem Augustino, quem sequitur Gregorius magnus homil. 3. in Evangel., dicit Suarez: „ Judæos in communi interrogasse, an esset Propheta, eos „ tamen de Propheta aliquo ex iis, qui jam „ antea præcesserant, vel certe illis simili „ in gratia, & munere prædicendi futura „ intellexisse. Et in hoc sensu negavit Joannes, se esse Prophetam; non quia negaverit, se habere spiritum prædicendi futura, sed quia negaverit, hoc esse suum „ præcipuum munus, aut se esse ordinarium Prophetam, qui quasi in obscuro, & „ de longinquo futura tantum prædiceret, „ & non potius præsentem demonstraret „ eum, in quem prophetiæ tendebant universæ, quo sensu dictum est: *Lex & Propheta usque ad Joannem*. Et ad eundem „ modum intelligi recte potest, Christum „ negasse, Joannem esse Prophetam, quanquam juxta sensum magis literæ consonum re vera non neget, sed affirmet potius, cum subjungat: *Etiam dico vobis plus, quam Prophetam* „.

Ad IV. Primo Evangelista verba illa non dicit ex propria sententia, sed ex aliorum, & quidem infimæ plebis, dicto. Hæc sunt verba Evangelistæ: *Quærebant igitur eum apprehendere, & exivit de manibus eorum, & abiit iterum trans Jordanem, in eum locum, ubi erat Joannes baptizans primum, & mansit illic, & multi veniebant ad eum, & dicebant, quia Joannes quidem signum fecit nullum*.

Ad V. Spiritus Prophetiæ non est Spiritus permanens, sed transiens; adeoque ut aliquis dicatur Propheta non est necesse, ut semper prophetet, sed aliquando loquitur, videt, cognoscit, ut homo particularis, aliquando ut propheta. Cæterum ad propositam difficultatem, hæc reponit Serry exercit. 45. num. 11. „ Et quidem novissime illum antea, ac tunc fal„ tem, dum ad baptismum Christus accessit, „ illud videtur evincere, quod eum baptizari volentem Joannes ex humilitatis sensu repelleret, prohiberetque, inquiens: „ *Ego a te debeo baptizari, & tu venis ad me?* „ Matth. cap. 3. v. 13. Contra vero novisse „ postea tantum dum Spiritus Sanctus Columbæ specie capiti ejus incubuit, ac tum „ primum ex illo ipso signo eundem dignovisse, significare ipse visus est, dum ait: „ *Et ego nesciebam eum; sed qui misit me baptizare in aqua, ille mihi dixit: Super quem videris Spiritum Sanctum descendentem, & manentem super eum, hic est, qui baptizat in Spiritu Sancto. Et ego vidi, & testimonium perhibui, quia hic est filius Dei.* Joannis cap. 1. ver. 31. Dicam tamen ad implexæ difficultatis solutionem: Joannem „ Christum Dominum etiam de facie, divino quodam afflatu, novisse; dum is ad „ ipsum baptisma suscepturus accessit. Tunc „ enim illius etiam vultum, externaque „ oris lineamenta cognovit, quem diu antea natum fide noverat; quemque post se „ venturum, & in Spiritu Sancto, & igne „ baptizaturum prædicaverat: alias illum „ tanquam Baptismate non egentem non „ repulisset. Quod ergo ait laudato antea „ loco: *Ego nesciebam eum*, nimirum ex facie, ad præcedens tempus refertur, quo „ ipse in solitudine vitam degens, Christum „ Nazarethi privatam tunc vitam agentem „ de facie nondum nosceret. Quod etiam „ Joanni a Deo dictum erat: *Super quem videris Spiritum Sanctum descendentem, hic est, qui baptizat in Spiritu Sancto*; non „ propter Joannem ipsum fuerat dictum, „ ut Christum ex hoc ipso signo dignosceret; sed propter confluentem illuc populum Judæorum, ut non solius Baptistæ, „ sed & ipsius Dei testimonio Christus illis „ innotesceret. Nihil itaque novi ex prodigiis Christi baptismum secutis Joannes „ didicit; ex aperto tunc cœlo, ex columba capiti incumbente, ex audita Patris „ voce, Jesum dilectum sibi Filium denunciante: sed quæ illi de Christo notitia „ inerat, perfecta, confirmataque est visis „ signis illis, atque prodigiis „.

Ad VI. Quanquam Serry opinio hæc sit, quæ in objectione proponitur; longe tamen diversa res est ab eo, quod ipse credit, ut firmius, & exactius rem expendens Gravesonius exponit. Proinde operæ pretium ducimus utriusque verba recitare, ut utriusque momentorum firmitas, vel infirmitas deprehendatur. Serry ergo hæc habet: „ Joannes itaque baptismo aquæ „ a Chri-

„ a Christo Domino tingi minime postulabat, dum diceret: *Ego a te debeo baptizari*; sed rationem cur Christum baptizare renueret, proferebat: quod nempe sanctior ille cum esset, ac purior, imo totius puritatis, ac sanctitatis fons, illius se Spiritu purgari, ejusque gratia perfundi ab eo mallet, quam sterili illum aqua perfundere. Nec Christus, dato brevi illo responso, *sine modo*, id faciendum significavit, quod Joannes optaret, sed alium longe sensum his verbis expressit: nempe sine modo, ut ad baptismum suscipiendum me demittam, externamque peccatoris personam sustineam; tempus erit, cum qui, ac ipsa sim, palam faciam. Quanquam tamen si dato illo responso, id faciundum subinde, significasset Christus, quod Joannes optabat, nihil inde ad muniendam, quam refellimus opinionem, extundi posset: cum nec id Joannes optaret, ut externo aquæ baptismate tingeretur a Christo, sed ut interna spiritus ejus, & gratiæ effusione perfunderetur: quod utique factum. Sed nec aliud laudati Patres sibi volunt, dum Joannem inquiunt a Christo Domino baptizatum. Scripturarum enim loquendi formulam æmulati *baptismum* vocitant uberiorem illam divinæ gratiæ effusionem, qua Joannes ipse Christum tingendo, perfusus est. Maxime cum Christum a Joanne baptizatum aqua dicant; Joannem a Christo spiritu tantum. Et sane Joannis discipulos ægre tulisse legimus, palamque apud Magistrum obmurmurasse, quod Christus Dominus baptizaret: *Rabbi, qui erat tecum trans Jordanem, cui tu testimonium perhibuisti, ecce hic baptizat*. Joannis 4. v. 2. Ecquis vero illos id ægre laturos putet, si Magistrum suum novissent ab ipso baptizatum. Ferenda longe minus eorum sententia est, qui Deiparam, Apostolosque, aut saltem illorum Principem Petrum a Christo Domino baptizatos commenti sunt; Magni Evodii, Petri in Sede Antiochena successoris spuria Epistola delusi turpiter; ubi & illud inter alia multa narratur somnium. Christus siquidem neminem propriis manibus tinxit. Joannis 4. v. 2. *Jesus non baptizabat, sed discipuli ejus*. Nec, si ille id ministerii per se se exercuisset aliquando, verisimile est, Apostolos ita illud fuisse depressuros, ut etiam Paulus diceret: *Non misit me Christus baptizare, sed evangelizare* 1. ad Corinth. 1. v. 17. „ Verba vero Gravesonii sunt: „ Quæres ultimo: Utrum omnes Apostoli baptizati fuerint baptismo Christi? Respondeo cum S. Augustino epist. 265. alias 108. ad Seleucianam probabilius esse, omnes Apostolos baptismo Christi fuisse baptizatos; tum ut reciperent caracterem, quem baptismus Joannis imprimere non poterat, tum ut aliis præirent exemplo, essentque forma gregis. Quapropter, hæc verba Joannis cap. 4: *Quanquam Jesus non baptizaret, sed discipuli ejus*, non sunt tam stricte accipienda, ut prorsus neminem baptizaverit Christus, sed vel intelligi debent de ministro Ordinario, vel de publico baptismo, qualis erat ille Joannis Præcursoris Domini; quod certe non impedit, quominus extra ordinem Apostolos, & Discipulos suis manibus baptizaverit Christus Dominus. Scio, circumferri librum sub titulo *Luminis*, qui clarissimo nomine S. Evodii in Sede Antiochena S. Petri successoris immediate, insignitur, in quo traditur, quod *Christus manibus suis Petrum tantum baptizavit, Petrus vero Andream, & Filios Zebedæi, ii denique reliquos Apostolos. Septuaginta autem Discipulos Petrus, & Joannes, Theologus dictus, baptizarunt*. In quam sententiam ivit Eminentissimus Annalium parens Baronius. Sed neminem hic liber movere debet, quia optimo jure a peritis hujus temporis Criticis S. Evodio abjudicatur, quippe, qui fabulis, & ineptiis scatet. Certe ipsemet Baronius ad annum Christi 71. hunc librum, qui sub ementito S. Evodii nomine prostat, nulli antiquorum innotuisse fatetur „.

Ad VII. Postquam Joannes Christum baptizavit, semper firmiter credidit, Christum esse Messiam, & Filium Dei; & hoc propter multa; Primum, quia vidit Spiritum Sanctum descendentem in Christum, quando eum baptizabat; unde cap. 1. sui Evangelii dicebat: *Et ego nesciebam eum, sed qui me misit baptizare in aqua, ille mihi dixit: super quem videris Spiritum Sanctum descendentem, & manentem super eum, hic est qui baptizat in Spiritu Sancto. Et ego vidi, & testimonium perhibui, quia hic est Filius Dei*. Secundum, quia Joannes respondit Sacerdotibus missis a Synedrio, se non esse Messiam, sed alium, cujus non erat dignus corrigiam calceamentorum solvere. Tertium, quia Joannes Jesum præsentem digito demonstravit, denuncians, ipsum esse Messiam promissum, & Agnum Dei. Quartum, quia Discipuli Joannis ægre ferebant, & querebantur, quod ad Jesum plures fluerent; Unde Joannes commendabat Jesum apud disci-

Anthorem quæstionum veteris, & novi Testamenti, quum re vera alius illius libri sit author, qui qu. 69. dicit, prædicante Joanne cessasse legem veterem, & illam nihilominus durasse usque ad Christum, per quem abrogata est; & simul etiam dicit, legem, & Prophetas, fuisse usque ad Joannem, & fuisse usque ad Christum. Et concludit Suarez: Quia utrumque juxta distinctionem positam verum est.

Ad III. Non dicitur Propheta Joannes, quia fuit plusquam Propheta, quia fuit major Propheta; quod scribebat Augustinus tract. 4. in Joannem: *Et non erat Propheta Joannes, major erat quam Propheta*. Cæterum cum eodem Augustino, quem sequitur Gregorius magnus homil. 3. in Evangel., dicit Suarez: „ Judæos in communi interrogasse, an esset Propheta, eo tamen de Propheta aliquo ex iis, qui jam antea præcesserant, vel certe illis simili in gratia, & munere prædicendi futura intellexisse. Et in hoc sensu negavit Joannes, se esse Prophetam; non quia negaverit, se habere spiritum prædicendi futura, sed quia negaverit, hoc esse suum præcipuum munus, aut se esse ordinarium Prophetam, qui quasi in obscuro, & de longinquo futura tantum prædiceret, & non potius præsentem demonstraret eum, in quem prophetiæ tendebant universæ, quo sensu dictum est: *Lex & Propheta usque ad Ioannem*. Et ad eundem modum intelligi recte potest, Christum negasse, Joannem esse Prophetam, quanquam juxta sensum magis literæ consonum re vera non neget, sed affirmet potius, cum subjungat: *Etiam dico vobis plus, quam Prophetam* „.

Ad IV. Primo Evangelista verba illa non dicit ea propria sententia, sed ex aliorum, & quidem infimæ plebis, dicto. Hæc sunt verba Evangelistæ: *Quærebant igitur eum apprehendere, & exivit de manibus eorum, & abiit iterum trans Iordanem, in eum locum, ubi erat Ioannes baptizans primum, & mansit illic, & multi veniebant ad eum, & dicebant, quia Ioannes quidem signum fecit nullum*.

Ad V. Spiritus Prophetiæ non est Spiritus permanens, sed transiens; adeoque ut aliquis dicatur Propheta non est necesse, ut semper prophetet, sed aliquando loquitur, videt, cognoscit, ut homo particularis, aliquando ut propheta. Cæterum ad propositam difficultatem, hæc repono Serry exercit. 45. num. 11. „ Et quidem novissime illum antea, ac tunc fal„ tem, dum ad baptismum Christus accessit, illud videtur evincere, quod eum baptizari volentem Joannes ex humilitatis sensu repelleret, prohiberetque, inquiens: *Ego a te debeo baptizari, & tu venis ad me?* Matth. cap. 3. v. 13. Contra vero novisse postea tantum dum Spiritus Sanctus Columbæ specie capiti ejus incubuit, ac tum primum ex illo ipso signo eundem dignovisse, significare ipse visus est, dum ait: *Et ego nesciebam eum; sed qui misit me baptizare in aqua, ille mihi dixit: Super quem videris Spiritum Sanctum descendentem, & manentem super eum, hic est, qui baptizat in Spiritu Sancto. Et ego vidi, & testimonium perhibui, quia hic est filius Dei*. Joannis cap. 1. ver. 31. Dicam tamen ad implexæ difficultatis solutionem: Joannem Christum Dominum etiam de facie, divino quodam afflatu, novisse; dum is ad ipsum baptisma suscepturus accessit. Tunc enim illius etiam vultum, externaque oris lineamenta cognovit, quem diu antea natum fide noverat; quemque post se venturum, & in Spiritu Sancto, & igne baptizaturum prædicaverat: alias illum tanquam Baptismate non egentem non repulisset. Quod ergo ait laudato antea loco: *Ego nesciebam eum*, nimirum ea facie, ad præcedens tempus refertur, quo ipse in solitudine vitam degens, Christum Nazarethi privatam tunc vitam agentem de facie nondum nosceret. Quod etiam Joanni a Deo dictum erat: *Super quem videris Spiritum Sanctum descendentem, hic est, qui baptizat in Spiritu Sancto*; non propter Joannem ipsum fuerat dictum, ut Christum ea hoc ipso signo dignosceret; sed propter confluentem illuc populum Judæorum, ut non solius Baptistæ, sed & ipsius Dei testimonio Christus illis innotesceret. Nihil itaque novi ex prodigiis Christi baptismum secutis Joannes didicit; ex aperto tunc cœlo, ex columba capiti incumbente, ex audita Patris voce, Jesum dilectum sibi Filium denunciante: sed quæ illi de Christo notitia inerat, perfecta, confirmataque est visis signis illis, atque prodigiis „.

Ad VI. Quanquam Serry opinio hæc sit, quæ in objectione proponitur; longe tamen diversa res est ab eo, quod ipse credit, ut firmius, & exactius rem expendens Gravesonius exponit. Proinde operæ pretium ducimus utriusque verba recitare, ut utriusque momentorum firmitas, vel infirmitas deprehendatur. Serry ergo hæc habet: „ Joannes itaque baptismo aquæ

„ a Chri-

„ a Christo Domino tingi minime postulabat, dum diceret: *Ego a te debeo baptizari*; sed rationem cur Christum baptizare renueret, proferebat: quod nempe sanctior ille cum esset, ac purior, imo totius puritatis, ac sanctitatis fons, illius se Spiritu purgari, ejusque gratia perfundi ab eo mallet, quam sterili illum aqua perfundere. Nec Christus, dato brevi illo responso, *sine modo*, id faciendum significavit, quod Joannes optaret, sed alium longe sensum his verbis expressit: nempe sine modo, ut ad baptismum suscipiendum me demittam, externamque peccatoris personam sustineam; tempus erit, cum qui, ac ipse sint, palam faciam. Quanquam tamen si dato illo responso, id faciundum subinde, significasset Christus, quod Joannes optabat, nihil inde ad muniendam, quam refellimus opinionem, extundi posset: cum nec id Joannes optaret, ut externo aquæ baptismate tingeretur a Christo, sed ut interna spiritus ejus, & gratiæ effusione perfunderetur: quod utique factum. Sed nec aliud laudati Patres sibi volunt, dum Joannem inquiunt a Christo Domino baptizatum. Scripturarum enim loquendi formulam æmulati *baptismum* vocitant uberiorem illam divinæ gratiæ effusionem, qua Joannes ipse Christum tingendo, perfusus est. Maxime cum Christum a Joanne baptizatum aqua dicant; Joannem a Christo spiritu tantum. Et sane Joannis discipulos ægre tulisse legimus, palamque apud Magistrum obmurmurasse, quod Christus Dominus baptizaret: *Rabbi, qui erat tecum trans Jordanem, cui tu testimonium perhibuisti, ecce hic baptizat*. Joannis 4. v. 2. Ecquis vero illos id ægre laturos putet, si Magistrum suum novissent ab ipso baptizatum. Ferenda longe minus eorum sententia est, qui Deiparam, Apostolosque, aut saltem illorum Principem Petrum a Christo Domino baptizatos commenti sunt; Magni Evodii, Petri in Sede Antiochena successoris spuria Epistola delusi turpiter; ubi & illud inter alia multa narratur somnium. Christus siquidem neminem propriis manibus tinxit. Joannis 4. v. 2. *Jesus non baptizabat, sed discipuli ejus*. Nec, si ille id ministerii per se se exercuisset aliquando, verisimile est, Apostolos ita illud fuisse depressuros, ut etiam Paulus diceret: *Non misit me Christus baptizare, sed evangelizare* 1. ad Corinth. 1. v. 17. „ Verba vero Gravesonii sunt: „ Quæres ultimo: Utrum omnes Apostoli baptizati fuerint baptismo Christi? Respondeo cum S. Augustino epist. 265. alias 108. ad Seleuciam probabilius esse, omnes Apostolos baptismo Christi fuisse baptizatos; tum ut reciperent caracterem, quem baptismus Joannis imprimere non poterat, tum ut aliis præirent exemplo, essentque forma gregis. Quapropter, hæc verba Joannis cap. 4. *Quanquam Jesus non baptizaret, sed discipuli ejus*, non sunt tam stricte accipienda, ut prorsus neminem baptizaverit Christus, sed vel intelligi debent de ministro Ordinario, vel de publico baptismo, qualis erat ille Joannis Præcursoris Domini; quod certe non impedit, quominus extra ordinem Apostolos, & Discipulos suis manibus baptizaverit Christus Dominus. Scio, circumferri librum sub titulo *Luminis*, qui clarissimo nomine S. Evodii in Sede Antiochena S. Petri successoris immediate, insignitur, in quo traditur, quod *Christus manibus suis Petrum tantum baptizavit, Petrus vero Andream, & Filios Zebedæi, it denique reliquos Apostolos. Septuaginta autem Discipulos Petrus, & Joannes, Theologus dictus, baptizarunt*. In quam sententiam ivit Eminentissimus Annalium parens Baronius. Sed neminem hic liber movere debet, quia optimo jure a peritis hujus temporis Criticis S. Evodio abjudicatur, quippe, qui fabulis, & ineptiis scatet. Certe ipsemet Baronius ad annum Christi 71. hunc librum, qui sub ementito S. Evodii nomine prostat, nulli antiquorum innotuisse fatetur „.

Ad VII. Postquam Joannes Christum baptizavit, semper firmiter credidit, Christum esse Messiam, & Filium Dei; & hoc propter multa; Primum, quia vidit Spiritum Sanctum descendentem in Christum, quando eum baptizabat; unde cap. 1. sui Evangelii dicebat: *Et ego nesciebam eum, sed qui me misit baptizare in aqua, ille mihi dixit: super quem videris Spiritum Sanctum descendentem, & manentem super eum, hic est qui baptizat in Spiritu Sancto. Et ego vidi, & testimonium perhibui, quia hic est Filius Dei*. Secundum, quia Joannes respondit Sacerdotibus missis a Synedrio, se non esse Messiam, sed alium, cujus non erat dignus corrigiam calceamentorum solvere. Tertium, quia Joannes Jesum præsentem digito demonstravit, denuncians, ipsum esse Messiam promissum, & Agnum Dei. Quartum, quia Discipuli Joannis ægre ferebant, & querebantur, quod ad Jesum plures fluerent; Unde Joannes commendabat Jesum apud disci-

discipulos suos; & ut hi cognoscerent, quis Jesus esset, illos misit, ut eundem Jesum interrogarent. Scilicet, ut ait Graveson: „ Voluit dumtaxat hac instructa „ legatione Joannes, ut discipuli sui, qui „ ægre ab illo divelli poterant, quique flu„ ctuantes adduci, nec dum potuerant, ut „ crederent, Jesum esse verum Messiam, „ omne, ad Christi aspectum, deponerent „ dubium, & visis miraculis, quæ Christus „ operabatur, atque audita cœlesti, quam „ prædicabat doctrina, sensuum tandem „ suorum testimonio convicti agnoscerent, „ illum esse verum Messiam, quem toties il„ lis indigitaverat. Hæc itaque interroga„ tio nomine Joannis Baptistæ ab ipsius „ Discipulis Christo Domino facta: *Tu es,* „ *qui venturus es, an alium expectamus?* nul„ lam de Messiæ dignitate, Christique di„ vinitate ignorantiam, aut dubitationem „ arguit in Joanne, qui potius utramque in „ Christo probe perspectam habebat; sed „ solum contrariam ostendi discipulorum „ Joannis dubitantium dispositionem, quam „ ut facilius ex eorum animis evelleret „ Joannes, se ei hoc pacto accommodare „ voluit. Non secus ac, exempli gratia, „ quando Christus interrogavit discipulos, „ euntes in castellum Emmaus, dicendo: „ *Qui sunt hi sermones, quos confertis ad in*„ *vicem ambulantes, & estis tristes?* Lucæ „ cap.24. Et similiter quando Magdalenam „ interrogavit: *Mulier, quid ploras? quem* „ *quæris?* Joannis cap. 20. Hæ, inquam, & „ hujusmodi interrogationes, quæ passim „ in Scriptura Sacra occurrunt, a Christo „ Domino factæ, non arguunt in Christo „ ignorantiam rerum, quas percontabatur, „ (fides quippe docet, eum fuisse omni„ scium, nihilque illum latuisse) sed solum „ innuunt istiusmodi interrogationes, Chri„ stum identidem suum sermonem infle„ ctere voluisse ad captum eorum, quos al„ loquebatur, & qui infinita ipsum scien„ tia pollere, necdum satis exploratum ha„ bebant. „

Ad VIII. Respondet Graveson: „ Tres esse, „ circa hunc S.Lucæ locum, Theologorum, „ atque Scripturæ Sacræ Interpretum sen„ tentias. Prima est eorum, qui asserunt „ Annam, & Caipham eodem anno, quo „ Joannes suum orsus est ministerium, Pon„ tificali simul dignitate ornatos fuisse, ea„ que alternatim esse defunctos. Sed hæc „ sententia parum probabilitatis habet, quia „ apud Judæos unus tantum erat Summus „ Sacerdos, quo mortuo, vel amoto, alter „ in ejus locum sufficiebatur, a qua quidem „ patria, & avita consuetudine, verosimile „ non est Judæos unquam recessisse, duos„ que simul Summo Sacerdotio, inaugurare „ voluisse. Altera sententia eorum est, qui „ dicunt, Caipham, anno, quo Joannes „ suum iniit ministerium, fuisse summum „ Sacerdotem, Annam vero fuisse ejus Vi„ carium. Sed hæc sententia falsi convin„ citur. Primo, quia S. Lucas Annam præ„ ponit Caiphæ, tum cap. 3. sui Evangelii, „ ubi hæc habet: *Sub Principibus Sacerdo*„ *tum Anna, & Caipha.* Tum etiam cap. 4. „ Actuum Apostolorum: *Et Annas, Princeps* „ *Sacerdotum, & Caiphas, & Joannes, & Ale*„ *xander, & quotquot erant de genere Sacer*„ *dotali.* Porro si Annas fuisset dumtaxat „ Vicarius Caiphæ, proculdubio S. Lucas, „ qui in recensendis dignitatibus, ordinem „ accurate servat, nunquam Annam præ„ posuisset Caiphæ, fuisset enim præposte„ rus ille ordo. Secundo, Sanctus Lucas „ appellat Annam Principem Sacerdotum, „ quæ certe nuncupatio non indigitat Vi„ carium Sacerdotis, sed potius designat „ eum, qui totius ordinis, & Classis Sacer„ dotalis Princeps est, & caput. Denique „ ut optime ait doctissimus Valesius in „ suis Notis in lib.1. Histor. Eccles. Euse„ bii pag. 18. nunquam Josephus, qui in suis „ Antiquitatum libris universos Judæorum „ Pontifices summa diligentia percensuit, „ perpetuos illos Vicarios Summorum Sa„ cerdotum commemoravit, sed unius dun„ taxat meminit lib. 17. cap. 8., qui appel„ labatur Josephus, Ellemi filius, & qui in „ spatium unius tantum diei creatus est „ Pontifex, ut vice Mathiæ Pontificis, qui „ nocturnam pollutionem passus fuerat, sa„ cra faceret. Ex quo apparet, nullos tum „ temporis extitisse perpetuos Summi Sa„ cerdotis Vicarios, nam, si Mathias, qui „ erat Summus Sacerdos, Vicarium ejus„ modi habuisset, nihil opus fuisset, ob no„ cturnam illam pollutionem, subito illi „ Vicarium constituere. Missis itaque dua„ bus illis prioribus sententiis, tertia, quæ „ mihi magis probatur, eorum est, qui do„ cent, non eos solos dictos esse Principes „ Sacerdotum, qui Summo Sacerdotio apud „ Judæos fungebantur, sed etiam illos, qui „ olim Summo Sacerdotio defuncti, postea „ destituti erant, & exauctorati. Josephus „ autem lib. 18. Antiquit. cap. 3. recenset „ inter Summos Sacerdotes Judæorum Ana„ num, quem anno 38. postquam Antonius „ in pugna Actica fuit a Cæsare Augusto „ superatus, hoc est anno a condita Roma „ 760. Christi vero undecimo anno, & æræ

vulga-

„ vulgaris ſeptimo, A. Licio Nerva Sylano, „ & Q. Cæcilio Metello Conſulibus, Quiri- „ nus, poſt ſecundum populi cenſum, qui „ magnos in Judæa excitavit tumultus, re- „ moto Joazaro, Summum Sacerdotem „ conſtituit. Et hic Ananus non alter vide- „ tur ab eo, quem S. Lucas appellat Annam, „ qui per quindecim, aut ſexdecim annos „ Pontificatum geſsit, Secta Saducæus, So- „ cerque Caiphæ. Quamvis ergo anno, quo „ Joannes ſuum auſpicatus eſt miniſterium, „ Ananus, ſeu Anna, non eſſet amplius „ Summus Sacerdos, ſed ſolum Caiphas, ju- „ re tamen optimo S. Lucas Annam appel- „ lat Principem Sacerdotum, tum quia „ Anna titulum Summi Sacerdotis ſemper „ retinuit, tum quia etiam apud Judæos in „ maximo honore habebatur, non ſolum „ quia ipſe diu Pontificatum geſſerat, ſed „ etiam quia, ut reſtatur Joſephus, quioque „ ejus filii, videlicet, Eleazar, Jonathas, „ Theophilus, Matthias, & Ananus eadem „ Pontificali dignitate fuerunt ornati „.

DISSERTATIO CCXXXII.

De Baptiſmo Joannis. An baptiſmus Joannis habuerit aliquam materiam, vel formam? Cujus rei gratia fuerit inſtitutus? Quando fuit inſtitutus, & quantum duravit?

PRÆNOTAMUS hic cum Suarez 3. p. q. 38. ar. 6. diſp. 25. ſect. 1., eſſe de fide, quod Baptiſmus Joannis aliquam habuerit materiam, uti remotam, ita etiam proximam; non ſic vero conſtare de forma, quia multæ circa eam, & variæ ſunt opiniones, quas hic antecedenter referre, congruum ducimus.

Primo, Sunt qui aſſerunt, baptiſmum Joannis, & baptiſmum Chriſti fuiſſe ejuſdem omnino rationis; unde neceſſe eſt, ut hi vel aſſerant, baptiſmum Joannis habuiſſe eandem formam, quam habet baptiſmus Chriſti, vel quod forma in baptiſmo Chriſti non ſit eſſentialis. Tribuitur hic error poſteriorum temporum Hæreticis, ut teſtantur Caniſius lib. de S. Joanne cap. 9. & Cardinalis Bellarminus lib. 1. de Sacram. Baptiſmi cap. 19. Suarez aſſerit, quod Auguſtinus lib. 2. contra literas Petiliani cap. 32. hunc eundem errorem Donatiſtis tribuerit; ſubdit tamen hæc verba: „ Quamquam Donatiſtæ re „ vera non affirmarent, Joannem baptizaſ- „ ſe ſub forma Trinitatis, ut ex Auguſtino „ conſtat: Unde neceſſe eſt, eos negaſſe, „ hanc formam eſſe de eſſentia baptiſmi „ Chriſti, vel certe imperite ſecum pugnaſ- „ ſe „. Hæc Suarez

Secundo, Alii voluerunt, Ioannem baptizaſſe ſub aliqua forma, non quidem invocando Trinitatem, ſed Chriſtum venturum; dicendo nimirum: *Ego te baptizo in nomine Chriſti venturi*; vel alio ſimili modo. Tribuitur hæc ſententia a Suarez Angelico Doctori 3. part. qu. 38. art. 6. ad 5. Cajetano in eodem loco, Magiſtro Sententiarum in 4. diſt. 2. quemadmodum etiam Bonaventuræ, Paludano, Marſilio, Alexandro de Ales, Hugoni Victorino, &c. Denique aſſerit Suarez, quod huic ſententiæ favere videtur Hieronymus ad illa verba Ioelis 2. *Effundam de ſpiritu meo ſuper omnem carnem*; ubi hæc ſcribit: *Unde & in Actibus Apoſtolorum, qui baptizati erant baptiſmate Joannis, in eum, qui venturus erat, hoc eſt in nomine Domini Jeſu, quia reſponderunt Paulo interroganti: ſed nec ſi ſit Spiritus Sanctus novimus; iterum baptizantur, imo verum baptiſma accipiunt, quia ſine Spiritu Sancto, & myſterio Trinitatis, quidquid in una altera perſona accipitur, imperfectum eſt.* Affert etiam Ambroſium, & Auguſtinum, ſed in operibus, de quorum ſinceritate dubitatur, & denique adducit verba Actorum 19. *Joannes baptizavit baptiſmo pœnitentia populum, dicens, in eum, qui venturus eſſet poſt ipſum, ut crederent.* Et denique concludit, quod Beda in eadem eſt ſententia.

Tertio, alii negant, Ioannem baptizaſſe

sub aliqua forma verborum. Et hæc sententia ab eodem Suarez tribuitur Durando, Gabrieli, Soto. De Scoto dicit, quod utramque sententiam censuerit probabilem.

Dicimus I. Baptismum Joannis habuisse materiam remotam, & proximam; non habuisset tamen formam illam: *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*, & probabile esse, quod nullam habuerit formam.

Prima conclusionis pars probatur I. Matthæi 3. *Et baptizabantur ab eo in Jordane*. Marci 1. *Et baptizabantur ab illo in Jordanis flumine*. Joannis 3. *Erat autem & Joannes baptizans in Ænnon, juxta Salim: quia aquæ multæ erant illic, & veniebant, & baptizabantur*. Quibus verbis apparet, quod materia remota baptismi Joannis fuerit aqua naturalis; aquæ enim simpliciter dictæ, intelliguntur aquæ naturales. Quod confirmatur Actorum 1. ubi Christus dicebat: *Joannes quidem baptizavit aqua*; & Joannis 1. ubi Joannes ipse dixit: *Ego baptizo in aqua*. II. De materia proxima probatur quoque, quia aqua inserviit ad abluendum. Et in hoc sensu dixit Tertullianus lib. de baptismo cap. 4. *Nec quicquam refert inter eos, quos Joannes in Jordane, & Petrus in Tyberi tinxit*; scilicet, subdit Suarez, quoad similitudinem materiæ.

Secunda Conclusionis pars, hoc est, quod in baptismo Joannis nunquam fuerit adhibita forma illa *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*, probatur I. Actorum 19. Qui baptizati fuerant baptismo Joannis, negaverunt, se nomen Spiritus Sancti aliquando audivisse: ergo non fuerunt baptizati sub illa forma, in qua expresse continetur invocatio Spiritus Sancti. II. Formam illam, de qua loquimur, instituit Christus, quando Matthæi ultimo dixit: *Baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*: ergo non poterat adhiberi a Joanne, antequam a Christo institueretur. III. Baptismus Joannis non dabat Spiritum Sanctum: ergo in eo Spiritus Sanctus non invocabatur; quod & ipsemet Joannes fassus est, dicens: *Ego vos baptizo in aqua, alius veniet, qui fortior me est, ipse vos baptizabit in Spiritu Sancto*; quæ verba, ait Suarez, exponi possunt, tum dando, tum invocando Spiritum Sanctum. IV. Augustinus lib. 2. contra literas Petiliani cap. 32. *Joannes dedit aquam sine nomine Trinitatis; sicut ipse professus est, dicens: Ego baptizo vos in aqua &c.* Et quamvis hæc verba sint Petiliani, non Augustini, quia tamen Augustinus illa non reprobat, censendum est approbasse.

Tertia Conclusionis pars probatur I. Ex Scripturis non colligitur, Joannem baptizasse sub aliqua forma: ergo certo affirmari non potest, in baptismo Joannis certam formam fuisse. Probatur antecedens. Nec in Evangelio, ubi baptismi Joannis historia narratur; nec Actorum 19. ubi dicitur; *ut Crederent in eum, qui venturus esset post ipsum*; fit aliqua mentio formæ baptismi Joannis: ergo neque in Evangelio, neque in Actibus Apostolorum, fit aliqua mentio formæ baptismi Joannis. Probatur secunda pars antecedentis. In præfatis Actorum verbis non dicitur, Joannem baptizasse in nomine Christi venturi, sed dicitur; *ut crederent in eum, qui venturus esset post ipsum*; hoc est, quod Joannes docuerit, & monuerit illos, qui baptizabantur ab ipso, ut crederent in Christum. Ex quo fit, ait Suarez, ut non adhiberet formam illam suo baptismati, quia ibi non erat sermo de forma, sed de doctrina. II. Postquam Joannes baptizare cœpit, miserunt ad eum Pharisæi, interrogantes, an esset Christus? Ergo ipse non baptizabat in nomine Christi venturi. Probatur consequentia; quia aliter cognovissent Pharisæi Joannem non esse Christum, quia baptizabat in nomine Christi; non poterat autem baptizare in nomine proprio. III. Si Joannes baptizasset sub illa forma, sub eadem etiam forma baptizasset Christum; sed hoc dici non potest: ergo &c. Minor patet, quia baptizasset Christum in nomine Christi. Neque dicant cum Paludano, & Marsilio, quod in baptismo Christi non fuit servata illa forma; quia aliter Christus re vera non recepisset baptismum Joannis, sicut non recipit nunc Sacramentum baptismi, qui abluitur sine forma; quod docet Suarez.

Pro secunda Dissertationis parte, Hæretici posteriorum temporum dixerunt, quod baptismus Joannis non minus contulerit gratiam, quam noster. Et in hoc sibi videntur cohærenter loqui, quia de nostro volunt, non conferre gratiam, nisi excitando fidem; baptismum autem Joannis nemo negat potuisse excitare fidem. Attamen præter recentes Hæreticos, hæc quoque fuit hæresis veterum Donatistarum; quod docet Augustinus lib. 2. contra Petilianum cap. 32.

De

Dicimus II. Baptismum Joannis non habuisse virtutem conferendi gratiam; neque ad hunc finem institutum; sed solum eum institutum fuisse, ut Christi manifestationi, & ostensioni, deserviret, atque viam ad baptismum Christi pararet.

Prima Conclusionis pars probatur I. In Evangelio ponitur discrimen inter baptismum Christi, & baptismum Joannis; & dicitur fuisse in hoc, quod baptismus Joannis esset in aqua, baptismus vero Christi esset in spiritu; ut legitur Joannis 1. *Ego baptizo vos in aqua; qui autem post me venturus est, ipse vos baptizabit in Spiritu Sancto*; Sed discrimen hoc nequit intelligi, nisi dicatur, quod baptismus Joannis non contulerit gratiam, quam conferebat baptismus Christi: ergo, &c. Probatur minor. De utroque baptismo dicitur, quod conferebatur in aqua, de solo autem Christi, quod conferebatur in Spiritu: ergo signum est, quod baptismus Joannis in sola aqua conferebatur; & baptismus Christi habebat utrumque, aquam, scilicet, & Spiritum; ut dicitur Joannis 3. Hoc ipsum Sancti Patres docent, & præsertim Richardus a S. Victore tract. de baptismo Christi: *Joannes baptizat in aqua solum, sicut homo; Jesus in aqua, & Spiritu Sancto, sicut homo Deus: baptizare in aqua, & spiritu, est omni sorde peccati mundare, & insuper gratiam infundere*; & ante ipsum Origenes in Joannem, Cyrillus lib. 1. in Joannem cap. 26. Chrysostomus homil. 10., 11., & 12. in Matthæum, ubi expresse docet, sicut refert Suarez, in Christi baptismo dari Spiritus Sancti gratiam, Joannis autem baptismum hoc dono caruisse; & homil. 16. in Joannem hoc ipsum confirmat verbis illis, quæ Actorum 19. *Dixerunt quidam, qui fuerant a Joanne baptizati, sed neque si Spiritus Sanctus est audivimus*. Et idem habet in homil. 40. in Acta Apostolorum. III. Sic explicat Suarez sententiam Nazianzeni orat. 39. in sancta lumina, quæ multum conclusioni nostræ favet: „ Dicit baptismum Joannis non fuisse omnino similem
„ Judæorum baptismatibus, quia ad pœnitentiam dabatur, neque etiam fuisse
„ æqualem baptismo Christi, quia Spiritum
„ non dabat. Cujus sententiæ sensus esse
„ videtur, Joannis baptismum non fuisse,
„ vel solum signum, aut figuram futurorum, sicut fuit transitus maris rubri, vel
„ ad tollendos aliquos legales defectus, vel
„ immunditias, sicut erant Judæorum lavacra; sed fuisse ad excitandos homines ad
„ pœnitentiam, eosque ad Christi baptisma
„ disponendos, & in hoc legalia baptismata superasse, fuisse tamen inferiorem
„ baptismo Christi, quia gratiam ex opere
„ operato non conferebat.„

Secunda Conclusionis pars probatur I. Joannis 1. ipsemet Baptista dicebat: *Sed ut manifestetur in Israel, propterea veni ego in aqua baptizans*: ergo baptismus Joannis ostensioni, & manifestationi Christi deserviebat. II. Ezechielis 36. dicitur: *Et effundam super vos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus inquinamentis vestris*; quæ verba Cyprianus ep. 63. intelligit, quod sicut per Joannem Christus, ita per baptismum Joannis baptismus Christi manifestabatur; quod pariter docuit Gregorius Magnus hom. 7. in Evangel. III. Quando Joannes Christum baptizabat, Æternus Pater divinam Christi filiationem hominibus manifestavit: ergo Joannis baptismus ad manifestationem Christi inserviebat; quod expresserunt Chrysostomus hom. 16. in Joann. hom. 10. in Matth. Cyrillus in Joannem c. 26. Augustinus tract. 4. in Joannem.

Dicimus III. Baptismum Joannis fuisse a Deo institutum, & Joanni traditum, quando dixit S. Lucas c. 3. factum fuisse verbum Domini super Joannem, Zachariæ filium, in deserto; & durasse usque ad Joannis vincula.

Prima Conclusionis pars probatur I. ex eodem Luca c. 3., ubi dicitur: *Factum est verbum Domini super Joannem, Zachariæ filium, in deserto; & venit in omnem regionem Jordanis, prædicans baptismum pœnitentiæ*. Ad quæ addit Suarez: „ Quibus ver-
„ bis satis indicatur, hoc fuisse verbum
„ Domini factum super Joannem; scilicet,
„ ut ad baptizandum, & baptismum prædicandum, exiret.„ II. Joannis I. ipsemet Baptista dicebat: *Qui misit me baptizare, ille mihi dixit: super quem videris Spiritum descendentem, & manentem, hic est, qui baptizat in Spiritu Sancto*. III. Augustinus lib. 4. de baptismo cap. 22. docet, quod Deus dedit Joanni baptizandi munus, qui ab eodem baptizatus est. Hoc autem per communicationem idiomatum debere intelligi, scribit Suarez ex eodem Augustino tract. 5. in Joannem; quia baptizatus fuit Dominus in humanitate; non est autem verosimile, quod per humanitatem miserit Joannem ad baptizandum, sicut deinde misit Apostolos. IV. Matthæi 21. Christus Dominus interrogavit: *Baptismus Joannis unde erat, e cæ-*

lo, an ex hominibus? Hoc autem ideo interrogavit, quia sciebat, Pharisæos non potuisse negare, baptismum Joannis fuisse e cœlo, & a Deo originem duxisse. Unde ex hoc, tanquam ex vero principio eos convincere volebat, quod male agerent, non credentes Joanni, qui de ipso testimonium præbuerat; ut ex Chrysostomo deducit Suarez. V. Hoc idem Judæi ipsi intelligebant quando, dicente illis Joanne, se non esse Messiam, nec Eliam, nec Prophetam; eidem opponebant: *Quid ergo baptizas, si tu non es Christus, neque Elias, neque Propheta?* Quæ verba sic exponit Suarez: „ Ac si dicerent, si non es Propheta, ergo non habes divinam revelationem, & mandatum baptizandi, quomodo ergo audes propria authoritate baptizare? Ipse autem Ioannes respondit tacite, se non propria, sed divina authoritate baptizare, quia plus erat, quam propheta, scilicet, Præcursor Domini, unde inquit: *Ego vos baptizo in aqua; medius autem vestrum stetit, quem vos nescitis.* „

Ex his convincuntur posteriorum temporum Hæretici, qui ut baptismum Ioannis faciant baptismo Christi similiorem, dicunt, quod ille ita a Deo duxit originem, ut a Deo fuerit immediate institutus, non vero quia solum misit Ioannem ad baptizandum, illi committens, ut suo arbitrio baptismum institueret. Unde in hoc dividuntur Theologi; aliqui enim, ut omnino se opponant Hæreticis dicunt, proximum Institutorem baptismi Ioannis, Ioannem ipsum fuisse, cujus arbitrio, & voluntati ritum illius baptismi Deus commisit. Alii vero post S.Thomam, Suarez, Sotum, Canisium, volunt, ritum hujus baptismi immediate fuisse a Deo institutum, & Ioanni traditum; qua de re videatur Suarez.

Secunda Conclusionis pars probatur I. Ioannis 3., ubi dicitur: *Erat autem Joannes baptizans in Aenon juxta Salim, quia aquæ multæ erant illic, & veniebant, & baptizabantur: nondum enim missus fuerat Joannes in carcerem.* Ex quibus verbis apparet, quod quando Ioannes positus fuit in vinculis, ejus baptismus cessavit. Unde Chrysostomus homil. 28. præfata verba exponens, scribit: *In eum usque diem eum baptizasse.* II. Ex una parte constat, quod Ioannes semper per se ipsum baptizavit, & nunquam per discipulos suos; ex altera vero parte est certum, quod quando conjectus fuit in carcerem, non amplius per seipsum baptizavit: ergo eo tempore baptismus ejus cessavit. III. Baptismus Ioannis solo illius ministerio nitebatur; & sicut Ioannes nullum habuit in Præcursoris ministerio successorem, ita nec habere potuit Successorem in sui baptismi administratione. IV. Ioannes, verba sunt Suarez: „ideo baptizabat, ut occasionem haberet prædicandi Christum, & disponendi homines ad cognitionem illius; quod munus fuit proprium ejus, nec poterat per discipulos exerceri. Antequam vero conjectus esset in vincula, sicut non fuit expediens, ut a prædicando Christo cessaret; ita neque a collatione baptismi, quia nondum erat Christus perfecte manifestatus. „

Opponunt I. Si baptismus Joannis nullam habuit formam, sequitur, quod fuerit tantum ablutio quædam exterior: ergo nihil habuit sacri, & nihil a communi, & vulgari ablutione differebat. II. Matthæi 3. dicitur, quod Ioannes dederit *baptismum pœnitentiæ in remissionem peccatorum*; quæ verba sic explicant Patres; nimirum, Basilius lib. de baptismo: *Simul, atque accesserat quis, & peccata sua, quantacunque, & qualiacunque fuissent, confessus fuerat, in Jordanis flumine baptizabatur, & confestim remissionem peccatorum accipiebat.* Cyrillus Ierosolymitanus cath. 3. *Baptizabantur ab illo, confitentes peccata sua, primum ostendebant vulnera; deinde ille medicamenta ponebat, & credentes liberabat ab igne æterno*: Et Augustinus lib. 5. de baptismo cap. 9. dicit, baptizari in aqua pœnitentiæ in remissionem peccatorum nulli hominum, nisi Ioanni fuisse concessum. III. Ministrante Ioanne baptismum suum Christo, evenerunt prodigia, quæ nos superius diximus, & in Evangelio enarrantur; sed illa prodigia gratiam aliquam significabant, non quidem Christo dandam, qui illa non indigebat, sed aliis, qui eundem baptismum suscipiebant: ergo baptismus Ioannis gratiam aliquam conferebat. IV. Lucæ 3. dicitur: *Factum est verbum Domini super Joannem, Zachariæ filium*, & statim additur baptismus a Ioanne prædicatus, & ministratus, dicente Evangelio: *Et venit in omnem Regionem Jordanis, prædicans baptismum pœnitentiæ, &c.* Sed per hæc verba nequit intelligi Ioannis baptismi institutio a Deo facta: ergo intelligitur potius institutio facta a Ioanne. Probatur minor. Deus enim non dixerat Ioanni; ministra baptismum hunc, quem ego institui: ergo

per

per illa verba non intelligitur baptismi Ioannis institutio a Deo facta. V. Baptismus Ioannis non fuit Sacramentum: ergo non oportebat, a Deo institui: ergo poterat institui a Ioanne. Probatur antecedens. Si baptismus Ioannis fuit Sacramentum, vel fuit Sacramentum novæ Legis, vel fuit Sacramentum veteris Legis; neutrum dici potest: ergo non fuit Sacramentum. Probatur minor. Quod non fuerit Sacramentum novæ Legis, Suarez asserit esse de fide; quia de fide est, Sacramenta novæ Legis esse tantum septem, inter quæ baptismus Ioannis non enumeratur. Quod non fuerit Sacramentum veteris legis Suarez hac ratione probat: „ Ratio vero est, quia Sacramenta veteris Legis sunt illa, quæ in veteri lege continentur, & per Moysem a Deo data fuerunt. Unde etiam Circumcisio, quæ non est ex Moyse; sed ex Patribus a multis non censetur Sacramentum veteris Legis; quanquam de illa major quædam sit ratio. Quia licet non fuerit primum in illa lege data, fuit tamen veluti acceptata, & ejus præceptum in ea lege obligavit, & veluti janua, ac fundamentum illius extitit: baptismus autem Ioannis nullo modo contentus fuit sub lege veteri, nec per Moysem traditus, nec præceptus, aut observatus. Unde ipsimet Iudæi cum viderent, illum ritum esse præter legem Moysis, interrogabant: *Quid ergo baptizas, si tu non es Christus?* Corrigendus ergo est Origenes lib. 5. in ad Romanos c. 6. ubi dicit, Christum fuisse baptizatum *non eo baptismate, quod in Christo est, sed eo, quod in lege est*. Ubi baptismum Ioannis vocat baptismum in lege. Et infra subdit: *Baptismum Joannis expletio erat veterum, non inchoatio novorum*. Sed re vera ille baptismus non fuit proprie in lege veteri, (ut ostensum est) potuit tamen hoc modo appellari propter quandam similitudinem, quia erat baptismus inefficax, & in aqua solum. „ VI. Actorum 19. narratur, quod quando Paulus pervenit Ephesum, illuc quoque pervenerunt quidam, qui fuerant baptismate Joannis baptizati; sed illi non fuerunt baptizati a Joanne: ergo fuerunt baptizati a discipulis Ioannis: ergo discipuli Joannis etiam baptizaverunt baptismo, quo ipsorum Magister baptizabat. VII. Baptismus Joannis vocatur Ioannis, non nisi quia fuerat a Ioanne institutus: ergo Ioannes baptismi sui non solum fuit minister, sed etiam Institutor. Probatur consequentia. Baptismus Christi ideo dicitur Christi, quia fuit a Christo institutus: ergo si baptismus Ioannis dicitur Ioannis, ideo sic dicitur, quia fuit a Ioanne institutus. VIII. Quamvis Deus peculiariter revelaverit Ioanni, ut baptismum suum, sub hoc ritu ministraret; non tamen per hoc fit, Ioannem non fuisse illius Institutorem; quia bene potest Deus aliquod revelare alicui, ut efficiat, & efficiendo illud, bene potest dici illius Author, & Institutor, licet non ex propria voluntate, sed ex Dei revelatione faciat.

Respondemus ad I. negando consequentiam; & ratio est ex Suarez 3. par. qu. 38. art. 6. disp. 25. sect. 1. „ Quia illa cæremonia ex intentione, & speciali deputatione, seu impositione, & modo, quo fiebat, habebat rationem quandam signi, & cæremoniæ sacræ. Baptizabat enim Ioannes *baptismo pœnitentiæ in remissionem peccatorum*. Unde ille baptismus erat signum quoddam subjectionis, & humilitatis, quo homines se se peccatores profitebantur, & indigere interna ablutione, atque remissione peccatorum. Erat etiam ille baptismus ad significandum perfectiorem baptismum Christi futurum: & ita licet materialiter non esset nisi ablutio aquæ: tamen in ratione talis cæremoniæ, & signi, a communi ablutione differebat. „

Ad II. Baptismus Ioannis dictus est pœnitentiæ, quia institutus est ad excitandos homines ad pœnitentiam; & ideo Ioannes prædicationem suam inchoavit, dicens: *Pœnitentiam agite*. Et quia peccata remittuntur per pœnitentiam, ob hoc etiam dictus est in remissionem peccatorum; quam quidem remissionem non dabat ipse baptismus Ioannis, sed ad eam acquirendam per pœnitentiam, homines, quos baptizabat, excitabat. Audiatur Chrysologus serm. 137. *Erat penes Joannem venia, sed non sine pœnitentia: erat remissio, sed luctibus comparata .... Per baptismum Joannis purificabatur homo ad pœnitentiam, non promovebatur ad gratiam: at vera Christi baptisma sic regenerat, sic immutat, sic hominem reddit ex vetere novum, ut præterita nesciat, &c.* Audiatur Augustinus serm. 37. de tempore: *Prædicabat in deserto Joannes baptismum pœnitentiæ in remissionem peccatorum, non quo crimina commissa deleret; sed quo emendaret errantes. Nam remissio peccatorum Christi gratiæ servabatur*. His additur, quod ad Ephesios 5., & ad Titum 3. baptismus

Chri-

Christi dicitur mundare, regenerare, & salvare; quod nunquam dicitur de baptismo Ioannis; quod observavit Suarez; qui & ulterius docet, quod quanvis Actorum 2. ad baptismum Christi requiratur poenitentia, non tamen ipse appellatur baptismus poenitentiæ, sicut appellatur baptismus Ioannis; quia baptismus Christi non est solum ad excitandos homines ad poenitentiam, sicut erat ille, sed potius supponere debet poenitentiam. Denique idem Suarez concludit, quod baptismo Christi tribuitur remissio peccatorum tanquam caussæ proximæ, ut Actorum 2., at vero Ioannis baptisma solum media poenitentia dicitur fuisse propter remissionem peccatorum, & hunc asserit esse sine dubio sensum Cyrilli, & Basilii, locis in objectione citatis.

Ad III. Prodigia illa evenerunt post Christum baptizatum, & Christo orante. Dicitur enim Lucæ 3. *Jesu baptizato, & orante, apertum est cælum, & descendit Spiritus Sanctus corporali specie sicut columba super ipsum*. Ad quæ Cornelius a Lapide ad cap. 3. Matthæi hæc scribit: ,, Unde patet, non vi baptismi Ioannis, sed merito humilitatis, & orationis Christi apertum esse cœlum, & descendisse Spiritum Sanctum super eum, orationi enim, & orantibus insinuat se Spiritus Sanctus. ,,

Ad IV. Verba illa sic exponit idem Cornelius a Lapide ad cap. 3. Lucæ: ,, Quasi dicat, jussit Deus anno decimo quinto Tiberii, ut prædicaret, & baptizaret. Iussit, inquam, per inspirationem internam, forte etiam per vocem externam Angeli, hoc ei ex parte Dei ore suo denunciantis. ,, Unde patet, quod Deus præcepit Ioanni, ut prædicaret, & baptizaret; & hoc ei præcipiendo, Ioannis baptismum instituit.

Ad V. dicit Estius in 4.dist.2.§.1. quod non sit negandum, Ioannis baptismum, juxta generalem sacramenti rationem, quæ omne signum rei sacræ complectitur, præsertim si divinitus fuerit institutum, sacramentum fuisse; quo sensu omnes veteres cæremoniæ, quoniam ad sacrum aliquid significandum fuerunt institutæ, Sacramenta dicuntur. Et sic Augustinus lib.2.contra literas Petiliani cap.56.vocat baptismum Ioannis lavacri præcursorium sacramentum. Quid autem significaret baptismus Ioannis, sic prosequitur Estius citato loco explicare: ,, Significabat autem Ioannis baptismus manifesta quadam, & visibili cæremonia, primum quidem homines a peccatis ablui, & mundari oportere; deinde futuram eam purgationem per Christum, atque adeo per Christi baptismum, ad quem præparabat. Neque enim existimandum est, baptismum Ioannis duntaxat habuisse rationem simplicis adhortationis ad poenitentiam, verum etiam rationem sacramenti præfigurantis, & præparantis; præfigurantis inquam baptismum Christi, & ad eum præparantis. Ioannes enim sicut verbo, ita & facto, & toto suo ministerio Christum prænunciabat, simul & homines, ad eum recipiendum præparabat. Unde ipse de Christo, ait Ioannis 1. *Ut manifestetur in Israel, propterea veni ego in aqua baptizans*. Quod autem baptismus Ioannis baptismum Christi præfiguraverit, aperte testatur Chrysostomus homil. 12. in Matthæi 3. ad illud: *Et baptizatus Jesus ascendit protinus ex aqua*, ubi baptismum Ioannis umbram, baptismum Christi veritatem vocat. Quod autem etiam ad eum præparaverit, testatur Cyrillus lib. 2. in Ioannem cap. 57., ubi post alia, quibus ostendit baptismum Ioannis, cum imperfectus esset, introductorium ad perfectionem fuisse, ita subjicit. Nam veluti lex mosayca futurarum rerum, & spiritualis cultus præparatio quædam fuit, occultam veritatem parturiens: sic baptismus Ioannis ad baptismum Christi collatus, præparationis vim obtinebat. Similia sunt apud Augustinum lib. 5. contra Donatistas cap. 9., & apud Damascenum lib. 4. cap. 5. & rursus apud Augustinum de unico baptismo cap. 7. ,,

Deinde idem Estius asserit, Baptismum Ioannis neque veteris, neque novæ Legis Sacramentum fuisse, sed inter utranque medium, utpote habens cum utrisque aliquid commune, & aliquid ab utrisque diversum: ,, Nam cum illis commune ei erat, quod adhuc futurum prænunciaret; cum his vero communem habebat & externæ cæremoniæ ritum, & administrationis facilitatem, & significationis claritatem. Ab illis porro differebat iisdem conditionibus, quas cum Sacramentis novæ Legis habebat communes. Ab his nihilominus differebat non sola prænunciatione futuri; verum etiam quia nec gratiam conferebat, ut infra latius declarabitur, nec institutus erat, ut novo Testamento serviret, sed tantum, ut ipsum quodam præparandi ministerio præcurreret. Atque hoc modo de baptismo Ioannis sentiunt S. Thomas, & Bona-

,, ven-

„ ventura, eſtque illud Scripturæ magis „ conſentaneum, quæ Ioannem non Prophetam, ſed pluſquam Prophetam eſſe „ ipſius Chriſti teſtimonio confirmat; eo „ quod non more veterum Prophetarum, „ tanquam adhuc procul poſitum Chriſtum „ obſcure prænunciaret, ſed clariſſimo vocis, & cæremoniæ indicio mox adfuturum ſignificaret; adeoque & jam præſentem demonſtraret, ad eum ſuſcipiendum ex proximo præpararet.„

Ad VI. dicitur illos, qui Epheſi inventi fuerunt, & qui Ioannis baptiſmum receperant, ut habetur Actorum 19. fuiſſe Iudæos aliquos, qui tempore illo, quo Ioannes baptizabat, Ieroſolymis morabantur, & tunc fuiſſe a Ioanne baptizatos, credibile eſt, prout afferit Suarez citato loco ſect.3. circa finem; qui & inſuper dicit, hoc ipſum ab Apoſtolo ſequentibus verbis indicari: *Joannes baptizavit baptiſmo pœnitentiæ populum, dicens: In eum, qui venturus eſſet poſt ipſum, ut crederent, hoc eſt, in Jeſum*.

Ad VII. dicimus cum Eſtio laudato citato loco §.2. Ioannis baptiſmum vocari Ioannis, non quia a Ioanne fuerit inſtitutus, ſed quia a Ioanne fuit miniſtratus; baptiſmum autem Chriſti dictum eſſe Chriſti, quia a Chriſto fuit inſtitutus. Verba Eſtii ſunt: „ Vocatur autem ille baptiſmus „ Ioannis, non quod eum Ioannes privata „ auctoritate inſtituiſſet. Teſtatur enim „ ipſe, ſe miſſum baptizare in aqua, Ioannis 1. Quod & ſatis aperte ſignificat quæſtio illa a Domino propoſita Iudæis apud „ tres Evangeliſtas, utrum e cœlo eſſet baptiſma Ioannis, an ex hominibus. Ad „ quam utique quæſtionem non aliud recte, & veraciter ab illis reſponderi potuiſſet, quam ipſum eſſe e cœlo; nempe „ quæ ad hoc propoſita erat Scribis, ut fateri cogerentur etiam Ieſum, cui Ioannes „ teſtimonium perhibuerat cœlitus a Deo „ miſſum, & verum eſſe Chriſtum. Sed „ propterea baptiſmus Ioannis dictus eſt, „ & non baptiſmus Chriſti, quia quicquid „ in ejus miniſterio fiebat, ipſius Ioannis „ baptizantis vires non excedebat. A Chriſto autem inſtitutus baptiſmus non Petri, „ vel Pauli, vel cujuſquam alterius baptiſmus aliquando dictus eſt, ſed ſolius Chriſti, quia per ejus baptiſmi miniſterium, „ a quocunque adhibitum, quantum ex „ parte inſtitutionis eſt, ſemper aliquid fit, „ quod hominis baptizantis vires excedat, „ & non niſi a Chriſto fieri poſſet, quod „ eſt baptizare in Spiritu Sancto. Atque „ hanc diverſæ appellationis rationem „ reddit Auguſtinus Tract. 5. in Ioannem, „ & alibi ſæpe contra Donatiſtas de baptiſmo differens, ut lib.5. contra Donatiſtas „ cap.14.„

Ad VIII. Si ratio illa valeret, etiam Sacramenta veteris Legis poſſent dici inſtituta a Moyſe, quia licet Moyſes ea acceperit ex revelatione divina, ipſe tamen fuit primus illorum promulgator. Et hæc dicimus ex ſententia Suarez, qui & addit: „ Deinde quæro, quid ſit baptiſmum inſtitui a Deo, niſi quod Deus ipſe tradat, & „ præcipiat ritum talis baptiſmi? Quod „ enim tradat per hominem, non tollit „ quin inſtitutio divina ſit. Quocirca ſi aliquando vocatur Ioannes Inſtitutor illius „ baptiſmi, intelligendum eſt, quia fuit primus promulgator. Ita loquitur D. Thomas 4. d.2. q.2. ar. 1. Tandem conjectura „ alterius opinionis parum efficax eſt; eam „ enim diſſolvit D.Thomas hic art.2. ad 1. „ dicens, baptiſmum Ioannis denominatum „ fuiſſe ab ipſo Ioanne. Quia cum ſpiritualem non conferret effectum, nihil in eo „ agebatur, quod ipſe non faceret, & ideo „ quanvis ipſe non eſſet inſtitutor illius baptiſmi; tamen quia in exequutione non „ ſolum erat miniſter, ſed veluti cauſa principalis, ideo ab ipſo Ioanne denominabatur. Et nihil aliud ſignificavit Auguſtinus „ citato loco: cum enim dici Ioanni datam „ eſſe poteſtatem baptizandi, non eſt ſenſus, illi datam eſſe poteſtatem inſtituendi „ baptiſmum; ſed conferendi illum propria „ virtute, & per modum principalis cauſæ. „ Quo etiam ſenſu dixit Tertullianus lib. de „ baptiſmo cap. 10. *Joannis baptiſmum divinum fuiſſe; mandato tamen, non & poteſtate, quod & Joannem a Domino miſſum legimus in hoc munus; cæterum humana conditione*. Quibus verbis idem, quod D.Thomas hic docet, ſcilicet baptiſmum illum „ fuiſſe divinum, quo ad ritum, & inſtitutionem; non vero quo ad effectum, ideoque *humanum* denominari; quod idem eſt, „ ac denominari baptiſmum Ioannis. Addi „ etiam poteſt ſicut lex vetus dicta eſt *Lex Moyſis*, non quia ejus ille author fuerit, „ (hoc enim ſenſu lex illa divina fuit, quia „ ſolum Deum habuit authorem) ſed quia „ per Moyſem primum eſt promulgata, & „ quia ſpiritum non dabat, neque alium „ effectum ſupernaturalem ſecundum ſe „ habebat: ſic nimirum dici de baptiſmo „ Ioannis.„

Epist. ad Serapionem, explicans verba illa: *Jesus autem plenus Spiritu Sancto regressus est a Jordane, & agebatur in Spiritu*; hæc scribit: *Nam cum sermo est de illis, apud quos est Spiritus Sanctus, & aliquid dicitur de Spiritu in illis operante, sine additamento Dei, aut alterius vocis, ambiguum esse non potest, quin Spiritus Sanctus intelligendus sit, maxime si adjiciatur articulus τό*; subdit Suarez, quem hoc loco reperies in omnibus Evangelistis.

III. Probatur rationibus. I. Si Spiritus malus duxisset Christum in desertum, non dixisset Evangelista Matthæus: *Ductus est a Spiritu, ut tentaretur a Diabolo*; sed dixisset potius: *duxit eum Spiritus, ut tentaret eum*: ergo illa contrapositio Spiritus, & diaboli indicat, non fuisse ductum a diabolo, sed a Spiritu Sancto. II. Si Diabolus duxisset Christum in desertum, eum tentasset ab initio, & non post quadraginta dierum jejunium; quibus elapsis, dicit Scriptura, quod ad eum accessit Tentator. III. Si Spiritus malus duxisset Christum in desertum, non suasisset ei jejunium: ergo ab illo Spiritu ductus est, qui ei jejunium suasit; sed Spiritus Sanctus ei jejunium suasit: ergo a Spiritu Sancto ductus est in desertum. IV. Vox hæc *Spiritus* quando scribitur absolute significat Spiritum bonum, & non malum; sed in textu citatis Evangelii scribitur absolute: ergo significat Spiritum bonum, & non malum. Major non solum est doctrina Athanasii expressa in verbis, quæ nuper retulimus, sed etiam est Hieronymi, quam ipse dicit, a Magistro suo Didymo se didicisse; ut testatur Cornelius a Lapide in cap. 4. Matthæi.

Secunda Conclusionis pars probatur I. Si Christus ductus est a Spiritu Sancto in desertum, duci non potuit, nisi propter rectas, honestas, & sanctas caussas; sed rectæ, honestæ, & sanctæ sunt caussæ, quas in conclusione adduximus: ergo bene dicimus, quod propter illas Jesus ductus est in desertum.

II. Probatur. Spiritus Sanctus duxit Christum in desertum, non motu corporali externo, & quasi violento, sed interno instinctu, & spirituali ratione, cui Christus voluntarie consensiens, se ipsum agebat; ut scribit Suarez 3. part. qu. 41. ar. 4. disp. 29. sect. 1., qui & subdit ita intelligendum esse, Christum naturali motu, & progressu, ductum fuisse in desertum; & affert Cypriani verba: *Spiritu Sancto duce, & comite*; & alia Cyrilli lib. 2. ad Reginas: *Virtute Spiritus in desertum agi dicitur, non quod vi aliqua eo abreptus, adductusve sit; sed quod vitam ad tempus ibi traduxerit, moratusque sit Spiritus virtute armatus supra humanæ naturæ conditionem*; sed Christus Dominus non se movebat, nisi propter sanctissimas rationes: ergo sanctissimæ fuerunt caussæ illæ, quæ Christum Dominum moverunt, ut in desertum iret.

III. Probatur. Si vera est assertio illa, quod omnis Christi actio instructio nostra est; omnino dicere debemus, Christum secessisse in desertum, ut nos instrueret, & nobis exemplum daret; sed caussæ, quas exposuimus, sunt potissimæ in ratione exempli nobis præstiti: ergo propter illas dicendum est, Christum in desertum secessisse. Probatur Minor. Tria illa exempla continent maximam instructionem nostram, a qua totus vitæ nostræ spiritualis profectus dependet; continent enim pœnitentiam, quæ dirigit vitam illorum, qui in spirituali via incipientes dicuntur, & vocatur vita purgativa; continent pariter tentationum victoriam, quæ est exercitatio virtutum, & spectat ad illos, qui vocantur proficientes, & vita illorum dicitur illuminativa; continent demum vitam contemplativam in solitudine; & constituit perfectionem illorum, qui dicuntur perfecti, & eorundem vita unitiva nominatur: ergo caussæ illæ potissimæ sunt ad nostram vitam instruendam, & ad nobis dandum totius Christianæ perfectionis exemplum.

Objiciunt I. Per verba illa Evangelii: *Ductus est, ut tentaretur a diabolo*, significatur, ideo Christum ductum fuisse in desertum, ut diabolus eum aggrederetur: ergo hæc fuit caussa, & non alia, propter quam Christus in desertum secessit. II. Voluntarie se tentationibus exponere non est bonum; sed Christus secessit in desertum, ut se voluntarie tentationibus exponeret: ergo secessit in desertum, non propter caussam bonam. III. Christus secessit in desertum, ut ibi eremiticam vitam duceret; sed hoc esse non poterat ad nostrum exemplum: ergo in desertum non se recepit, ut nobis virtutis, & perfectionis, daret exemplum. Probatur minor. Non possunt omnes homines vitam eremiticam exercere, quia aliter mundus hominibus evacuaretur, & vita civilis, in qua humana societas consistit, destrueretur; sed Christus, conveniebat, ut omnibus hominibus virtutis, & perfectionis, exemplum daret:

daret: ergo &c. IV. Christus in desertum se recepit, & ibi mansit tantum quadraginta diebus; sed hoc poterat in ipso arguere inconstantiam, & volubilitatem: ergo vel non debebat in desertum secedere, vel si secessit, ibi debebat permanere semper. V. Non indigebat Christus solitudine, ut contemplationi vacaret; adhuc enim inter homines consistens, perfecta Dei visione fruebatur: ergo frustra in desertum secessit; solitudo enim iis tantum est necessaria, qui rebus exterioribus implicati, ad divina contemplanda animum erigere non possunt. VI. Christus debebat nobis exemplum dare, quod a nobis esset imitabile; sed jejunare in deserto quadraginta diebus, & quadraginta noctibus, nihil penitus manducando, nec bibendo, non est exemplum a nobis imitabile: ergo non debuit in desertum ire, ut nobis hoc exemplum daret. Minor patet, quia nemo potest naturaliter vivere per tam longum tempus non manducans, neque bibens.

Respondemus ad I. quod vox illa *ut* non significat, quod Spiritus Sanctus directe intenderit tentationem diaboli intentandam Christo; quia hoc esset malum; sed intenderit permittere hanc tentationem ob victoriam, quam ex illa Christus erat reportaturus; sciebat enim certo, Christum in tentationibus illis victorem futurum. Hanc caussam posuimus nos pariter in Conclusione, asserendo, Christum secessisse in desertum, ut nobis daret exemplum victoriæ in tentationibus; at diximus quoque non fuisse hanc caussam solam; posuimus enim alias in conclusione, & in rationibus probavimus. Cæterum Cornelius a Lapide, cujus est responsio, rationes reddit, quare Christus permiserit, ut esset tentatus, sed de his infra.

Ad II. Non est malum esse tentatum; malum quippe est in tentationibus superari; sicut non est malum certamen cum aliquo inire, sed est malum ab illo vinci. Christus permisit, ut tentaretur, ut de Dæmone tentante triumpharet; utque pariter ostenderet nobis quam vilis est diabolus, & quam tentationes ejus inanes, si nos ipsos cum Dei gratia opponimus illis. Unde dicebat Chrysologus serm. 11. *Jesus ductus est in desertum a Spiritu, non a diabolo, ut esset divinus cursus, non humanus incursus, ut esset spiritus præscientiæ, inscitia non esset humana.* Postque Suarez citato loco hæc subdit: „ Sic ergo Spiritus Sanctus hac intentione duxit Christum in „ desertum, ut eum a Dæmone tentari permitteret, propter effectum, & fructum „ tentationis, quem præsciebat. Quod non „ solum cum Christo, sed etiam cum aliis „ hominibus præstat Deus, interdum cum „ justis, propter majus illorum bonum, interdum cum peccatoribus in pœnam, & „ supplicium. Potest etiam hæc intentio humanæ Christi voluntati tribui, itaut non „ solum Spiritus Sanctus cum hac intentione duxerit, sed etiam ipse hac intentione „ incesserit; Et hoc etiam Christo Domino „ licuit; tum quia illi constabat, hanc esse „ divini Spiritus voluntatem, & intentionem; tum maxime quia præsciebat, nullum „ sibi ex ea tentatione periculum imminere, „ sed potius in magnam Dei gloriam, hominum humilitatem, ac Dæmonis confusionem redundaturam „.

Ad III. Non omnes homines eodem modo tenentur Christi exempla imitari, quia hæc non omnibus, & singulis, proposita eodem modo fuerunt. Quia enim homines non eodem modo, nec per eandem viam, debebant esse perfecti; inde est, quod quibusdam solitariæ vitæ, aliis vero socialis, & communis, reliquit exemplum. Quando Christus cum hominibus conversabatur, quando prædicabat, quando opem suam implorantibus subveniebat, tunc activæ vitæ exempla præbebat: quando vero in solitudine permanebat, & eremiticam vivendi rationem instituebat, tunc contemplativæ vitæ exemplum dabat: unde omnes homines, quique secundum proprium statum, potuissent illum ex æquo imitari.

Ad IV. Christus solitudinem petiit ad tempus, & non ad totam vitam; ut scilicet illo se disponeret ad prædicationem, quam per reliquum Vitæ tempus agere constituebat; Et hoc non ex necessitate, sed ut nobis quoque exemplum daret per secessum in solitarium locum, & per contemplationem inibi instituendam, præparandi ad exteriora, quæ Deus vult, ut nos propter proximi amorem, aggrediamur. Et hoc profecto non debet esse semper, quia aliter destrueretur contemplativæ, & activæ vitæ complexus, qui est cæteris perfectior; in quo scilicet a proximo ad Deum per contemplationem ascendimus, & a Deo ad proximum per operationem redimus.

Ad V. Hæc respondet Suarez: „ Quanvis „ per scientiam per se infusam potuerit „ Christus sine dependentia a sensibus contemplari divina, tamen per cognitionem

„ omni-

" omnino naturalem, non poterat sine speciali miraculo multa simul perfecte considerare, neque etiam per operationem phantasiæ simul comitari operationem intellectus, si circa res varias, omninoque diversas versaretur. Ut igitur Christus Dominus secundum omnes animi vires, tam naturales, quam supernaturales, tam intellectus, & voluntatis, quam phantasiæ, & appetitus totum se in res divinas immergeret, longe perfectiori modo, quam ex natura rei posset, dum alia sensibilia tractaret, & cum hominibus conversaretur, potuit illis diebus in desertum recedere. Quo etiam modo intelligi possunt Evangelistæ, cum aliis in locis dicant, solitum esse Christum in desertum secedere, ut oraret, ut Lucæ 5. *Ipse secedebat in desertum, & orabat*. Præterea quanvis recessus in eremum non esset Christo necessarius propter hunc finem; tamen oportuit, ut suo exemplo nobis ostenderet, solitariam vitam esse ad contemplationem aptissimam, & ad eam, ut ad finem potissimum ordinari, ut late differit Cassianus colla. 19.,,

Ad VI. Exempla, quæ nobis Christus reliquit, quædam fuerunt, ut nos illa admiraremur, quædam vero ut imitaremur. Non enim infirmitas humana potest sic se in altum elevare, ut imitando assequatur virtutes omnes, quas Christus operatus est, & illo prorsus perfectionis gradu, quo Christus eas operabatur. Et hoc vel eo magis, quia Christus jejunium illud perfecit non naturalibus, sed supernaturalibus viribus; quod observavit Cornelius a Lapide ad cap. 4. Matthæi:,, Jejunavit virtute non naturali, sed supernaturali, non extrinsecus accepta, uti Elias, & Moyses, sed sibi propria, & intrinseca, puta divina, uti passim docent Patres,,. Et antea ipsum observaverat Suarez loc. cit. sect. 2.,, Quapropter dicendum est, Christum Dominum supernaturali virtute, & miraculorum effectrice usum esse, qua hujusmodi actionem, & alterationem impedivit Iuquo Moysem, & Eliam superavit, qui simili quidem modo quadraginta diebus sine cibo, potuque manserunt. Exod. 44. & 3. Reg. c. 9. Sed illi extrinseca virtute divina; Christus vero propria, & intrinseca virtute, qua plenum dominium habebat supra corpus suum, ut ea tantum agere, & pati posset quæ vellet. Atque hæc est concors Patrum sententia præsertim Cyrilli, & Augustini locis statim citandis,,.

Pro Secunda Dissertationis parte; hoc est, pro Christi jejunio, & tentatione, primo opus est, ut statuamus, Christum vere jejunasse quadraginta diebus, & quadraginta noctibus, & vere post illos esurisse. De loco vero, & tempore tentationis, non eadem est Scriptorum sententia. Aliqui enim volunt, Christum jejunasse in deserto, in quo transeuntes steterunt Judæi; alii vero in deserto, in quo moratus est Joannes Baptista; alii autem in deserto, quod dicitur ab Adrichomio ex Bredembachio, Brocardo, & Saligniaco, *Quarantana*; eo quia ibi Christus quadraginta diebus, & quadraginta noctibus jejunavit. Verba Adrichomii in descriptione Terræ Sanctæ pag. 19. no. 97. hæc sunt: *Quarantana desertum inter Jerusalem, & Jericho incipit juxta Anathot, & extenditur supra Galgala usque ad desertum Thecua, & Engaddi, juxta mare mortuum. Hic commoratus est S. Joannes Baptista, inibique in ejus memoriam extructa fuit Ecclesia, & monasterium, quod Græci Monachi inhabitabant, sed temporibus Bredembachii erat desolatum. Ibi venientem ad se, ut baptizaretur, Christum digito demonstravit Joannes, dicens: Ecce Agnus Dei. In hoc Christus jejunavit quadraginta diebus, & quadraginta noctibus, agens, & habitans cum bestiis*. In hoc deserto juxta Jordanem ejusdem nominis est *Quarantana, mons altus, & ascensu difficilis, in quo tentatus est primum Dominus a Satana. In hujus montis cacumine sacellum est ruinasum, jejunio, & oratione Christi venerabile*. Similiter dubitator, an in eodem prorsus loco facta sit trina tentatio? Constat enim ex Evangelio, quod prima facta fuit in deserto, secunda super pinnaculum Templi, tertia super montem excelsum seorsum: Unde sunt qui putant, duas postremas tentationes, non importare translationem Christi realem, sed fantasticam, sive imaginariam; quod asserit Cyprianus, & negat Gregorius Magnus apud Cornelium a Lapide; Alii vero dicunt, Christum fuisse a Diabolo pedibus ductum in pinnaculum Templi, & hujus opinionis sunt Origenes, & Euthymius, quos sequuntur Anselmus, & Maldonatus; Alii vero opinantur, quod Christus ex deserto fuit a Diabolo assumptus, idest raptus per aera in pinnaculum Templi. Et ita asserunt Hieronymus, Gregorius Magnus, Author operis imperfecti; quos sequuntur Glossa, S. Thomas, præfatus Cornelius, aliique.

Dicimus II. Christum vere jejunasse per qua-

quadraginta dies, & quadraginta noctes in deserto, & deinde esuriisse; desertum fuisse illud, quod dicitur *Quarantana*; primam tentationem fuisse factam in eodem deserto, & in aliis fuisse Christum raptum per aera a Diabolo.

Prima Conclusionis pars probatur I. Matthæi 4. aperte dicitur: *Et cum jejunasset quadraginta diebus, & quadraginta noctibus, postea esuriit*: Lucæ pariter 4. manifeste narratur: *Et agebatur a Spiritu in desertum diebus quadraginta, & tentabatur a Diabolo. Et nihil manducavit in diebus illis; & consummatis illis, esuriit*. Dicitur autem; *quadraginta diebus, & quadraginta noctibus*; & dicitur pariter, nihil manducasse in diebus illis; propter duas rationes, quas explicat Hennus in tractatu brevi de præcipuis vitæ Christi mysteriis sect. 10.
„ Propter duas rationes; I. ut ostendatur,
„ differre ejus jejunium a jejunio Judæo-
„ rum, qui postquam toto die ab omni ci-
„ bo abstinuerunt, de nocte comedunt, ubi
„ nempe astra apparere incipiunt. II. ut
„ confunderetur opinio illorum, qui dictu-
„ ri erant, quod Christus nihil quidem co-
„ medisset ante Solis occasum; sed aliquid
„ sumpsisset postea, quia Lucæ 4. dicitur:
„ *Et nihil manducavit in diebus illis*, inde
„ inferentes manducasse de nocte. Ut au-
„ tem ostendatur nihil omnino illo tempo-
„ re sumpsisse, dicitur diebus, & noctibus
„ jejunasse. Ministrarunt quidem ipsi An-
„ geli, sed post jejunium, non ante. „

II. Probatur ex Patribus. Basilius homil. 1. de jejunio. *Et vide quam mirabiliter ille tentatori per esuritionem præbuit ansam: alioqui propter divinæ naturæ sublimitatem non patebat ad illum aditus diabolo, nisi se per esuritionem ad humanam imbecillitatem submisisset*. Gregorius Nyssenus lib. de Beatitudinib. *Cum quadraginta dies jejunus permansisset, postea esuriit. Dedit enim quando volebat occasionem naturæ officio suo fungendi; sed tentationum inventor, cum intellexit affectum famis etiam illum invasisse, consuluit, ut lapidibus exciperet appetitum*. Chrysostomus homil. 13. in Matthæum: *Propterea Dominus jejunavit, non quod indigeret, sed ut nos doceret, quibus peccata ante baptisma dominatio ventris intulerat. Ut enim aliquis ægrotum, quem ad sanitatem reduxit, jubet illa non facere, ex quibus ille morbus contigerat: ita etiam post baptisma jejunium contra edacitatis vitium induxit. Nam & Adam de Paradiso intemperantia ventris ejecit, & diluvium commeruit, & fulmina in Sodomitas ipsa traxit*. Cyrillus lib. 2. ad Reginas: *Cum quantum sat erat jam jejunasset, divinaque virtute absque cibo, & potu incorruptam carnem conservasset, vix tandem quæ propria illius sunt, pati eam sinit, esuriisse enim dicitur. Sed quam ob causam, quæso, esuriit? Ob eam nimirum, quo apte per utrumque Deum simul, & hominem se esse declararet*. A Suarez citatur pariter Augustinus lib. 3. de mirabilibus Scripturæ cap. 6. *Quare consummatis quadraginta diebus esurire Dominus Jesus describitur, cum Moyses, & Elias tanto temporis spatio per jejunium famem pati non memorentur? Famem vero, & laborem Redemptor noster consummato tanto dierum numero sustinet, quatenus & tentatori occasionem tentandi inferret, & nosceretur, quam veram humanæ carnis substantiam gestaret*. Sed hic liber legitimus Augustini foetus non est, ut docet Cardinalis Bellarminus lib. de Scriptoribus Ecclesiasticis in Augustino. Petrus Chrysologus serm. 11. *Postea esuriit. Hoc non est infirmitatis signum, sed insigne virtutis, quia cum dicit, postea esuriit, quadraginta diebus, & quadraginta noctibus, probat in illo esuriem non fuisse. Esuriem sentire, & vincere est laboris humani, divinæ virtutis est esuriem non habere*.

III. Probatur, quod post quadraginta dies, & noctes, quibus jejunavit, esurierit; contra Cajetanum putantem omnibus illis diebus famem sensisse; dicit enim Scriptura Matthæi 4. *Cum jejunasset quadraginta diebus, & quadraginta noctibus, postea esuriit*: ergo non in illis quadraginta diebus, & noctibus, sed post illos esuriit; quod clarius exprimit Lucas cap 4. *Et consummatis illis, esuriit*. Unde Suarez ex modo citatis Patribus hoc argumentum efformat: „Præterea dicunt Patres supra-
„ citati, non sine mysterio factum esse, ut
„ prius Christus tot diebus famis morsum
„ non sentiret, & postea esuriet, nimirum,
„ ut cum prius aliquod dedisset suæ divini-
„ tatis indicium, veram postea humanitatem
„ ostenderet, atque ita Dæmonem dubium,
„ ancipitemque relinqueret. „

Secunda Conclusionis pars probatur I. & quidem de loco deserti; quia desertum, per quod transierunt Hebræi, ex Ægypto redeuntes, a Civitate Jerusalem longe aberat: ergo in illud Christus non se recepit; quemadmodum nec se recepit in desertum Ioannis, quia illud erat in montanis Galilææ, Christus vero in Judæa inveniebatur; tum denique, quia ideo desertum illud dictum est *Quaranta-*

na,

na, ut significaret jejunium quadraginta dierum, & quadraginta noctium, quod in eo servavit Christus.

II. Probatur, quod assumptio illa a Diabolo facta non fuerit phantastica, vel imaginaria; quia ut ait Cornelius a Lapide in cap. 4. Matthæi: „ Tales sæpe sunt „ translationes sagarum, dum videntur sibi transferri a diabolo ad epulum, vel „ tripudium solemne, cum re vera non „ transferantur, sed diabolus imaginationi „ illarum illudat, (sicut illudit somnus somniantibus) ut tantum id imaginentur, & „ somnient. Verum indignum est credere, „ diabolum tam false illusisse phantasiæ „ Christi, præsertim cum in interiora Christi Diabolus nullam habuerit potestatem: „ Unde omnis hæc tentatio Christi facta „ est solum per vocem externam, non per „ suggestionem internam, ut ex S. Gregorio dixi ver. 3. „

III. Probatur a Suarez ratione S. Thomæ verbis hisce: „Nihilominus vera sententia est, Christum Dominum vere, & corporaliter ductum esse Ierosolymam, & „ super pinnaculum templi collocatum. Ita „ sentit D. Thomas hic, & Cajetanus contrariam sententiam *figmentum* vocat, quia „ verba Evangeliorum sunt satis expressa. „ Matthæus enim sic ait: *Tunc assumpsit eum* „ *Diabolus in S. Civitatem*, seu, in Ierusalem „ (ut ait Lucas) *& statuit eum supra pinnaculum templi*. Quæ verba sunt historica, „ & proprie possunt intelligi. Deinde subjungit Evangelista, dixisse Dæmonem: „ *Mitte te hinc deorsum*; Quæ verba necessario supponunt, Christum revera fuisse „ in loco illo eminenti positum, quia (nisi „ ita esset) non posset inde se præcipitem „ agere. Præterea, quia Dæmon non poterat interius immutare Christi phantasiam (hoc enim non decebat), sed externa solum objecta proponere; non poterat ergo efficere, ut Christus imaginaria apprehensione supra pinnaculum „ templi ferri videretur. Denique, in hoc „ nullum est incommodum, nulla indecentia, ut videbimus. Quapropter Patres omnes ita hunc locum ad literam „ intelligunt, ut verba sonant; ex omnibus supracitatis patet, & statim etiam „ nonnullos indicabimus. „

Dicimus III. Christum fuisse a Dæmone tentatum in gula, ambitione, & avaritia; Dæmonem illi apparuisse sub humana specie; ordinemque tentationum, a Matthæo potius, quam ab aliis Evangelistis, esse petendum.

I. Conclusionis pars probatur I. Et quidem in gula, ut habetur Matthæi 4. v. 3. *Si Filius Dei es, dic ut lapides isti panes fiant.* Et Lucæ 4. v. 3. *Dic lapidi huic, ut panis fiat*; deinde in ambitione: *Si Filius Dei es, mitte te deorsum*; & postremo in avaritia: *Hæc omnia tibi dabo, si cadens adoraveris me*; quæ omnia dicta sunt Matthæi 4., & Lucæ 4. *Tibi dabo potestatem hanc universam, & gloriam illorum, quia mihi tradita sunt, & cui volo, do illa*: Et deinde: *Si Filius Dei es, mitte te hinc deorsum*. Quæ omnia asserit Gregorius Magnus homil. 16. in Evangelia, contra Calvinum, negantem, Christum fuisse tentatum de gula, & asserens, quod Christus fuit tentatus de gula, ambitione, & avaritia, sicut fuit tentatus Adam: *Ex gula quippe tentavit, cum cibum ligni vetiti ostendit, atque ad comedendum suasit. Ex vana autem gloria tentavit, cum diceret: Eritis sicut Dii. Et ex provectu avaritiæ tentavit, cum diceret: Scientes bonum, & malum. Avaritia enim non solum pecuniæ est, sed etiam altitudinis. Recte enim avaritia dicitur, cum supra modum sublimitas ambigitur. Per gulam quippe tentat, cum dicit: Dic, ut lapides isti panes fiant. Per vanam gloriam tentat, cum dicit: Si Filius Dei es, mitte te deorsum. Per sublimitatis avaritiam tentat, cum regna omnia Mundi ostendit, dicens: Hæc omnia tibi dabo, si procidens adoraveris me; sed eisdem modis a secundo homine vincitur, quibus primum hominem se vicisse gloriatur.*

II. Probatur. Si Christus non fuit tentatus, ideo est, quia indignum videtur Christo tentari; sed hoc est falsum: ergo, &c. Probatur minor authoritate Gregorii Magni dicentis: *Non est indignum Redemptori nostro, quod tentari voluit, qui venerat occidi. Justum quippe erat, ut sic tentationes nostras suis tentationibus vinceret, sicut mortem nostram venerat sua morte superare*. Quod & docuit S. Leo Magnus serm. 3. de quadragesima cap. 2. *Nemo se fallat, nemo se decipiat, neque ita quisquam de cordis sui puritate confidat, ut putet, se nullis tentationum periculis subjacere; cum pervigil ille tentator eos acrioribus pulset insidiis, quos maxime viderit abstinere a peccato. Nam a quo dolos suos contineat, qui ipsum quoque Dominum majestatis ausus est calliditatis suæ fraude tentare? Viderat superbiam suam baptizati Domini Jesus humilitate calcatam; intellexerat quadraginta dierum jejunio omnem cupiditatem carnis exclusam; & tamen non desperavit de artibus*

tibus sua malitia spiritalis improbitas, tantumque sibi de natura nostra mutabilitate præmisit, ut quem verum experiebatur hominem, præsumeret posse fieri peccatorem. Si ergo ab ipso Domino, & Salvatore nostro, deceptionum suarum diabolus non revocavit insidias, quanto magis fragilitatem nostram impugnare præsumit, quos exinde vehementiori odio, & invidia sæviore persequitur, ex quo ei in baptismo renunciavimus, & ab illa, cui dominabatur origine, in novam creaturam divina regeneratione transivimus.

III. Probatur. Ideo negatur, Christum fuisse tentatum, quia ex tentatione ejus Ebionitæ, & cum illis Paulus Samosatenus, & Photinus, deducebant, Christum esse hominem; & non Deum; & Ariani ex eodem capite inferebant, nullam in Christo fuisse divinitatem; sed ex tentationibus Christi potius infertur ejus divinitas, quam hæc depellatur: ergo, &c. Probatur minor. Ex triumpho, quem Christus in tentationibus reportavit, ex libera voluntate, qua se Christus diabolo tentandum permisit, ex ministerio, quod post reportatam victoriam, ei Angeli exhibuerunt, inferri omnino debet, in Christo fuisse aliquid, præter hominem, & super hominem; & hoc ipsum esse Deum. Quæ omnia cooperatus est omnino ad instructionem nostram, ut scribebat Chrysostomus homil. 13. in cap. 4. Matthæi: *Certamen vult Christus suscipere contra Diabolum, in eum finem, ut qui baptismo regeneratur, si post baptismum susceptum majores sufferat tentationes, nequaquam attonitus perturbetur, si præter expectationem acciderent; sed duratus obsistat, & omnia viriliter sustineat, eo quod ita consequenter solet fieri. In eum finem accepisti arma, non ut otieris, sed ut pugnes. Quocirca, ingruentes non repellit tentationes Deus, idque in eum finem, ut in primis intelligas multo te factum, quam fueras, fortiorem. Tum, ut moderationem exerceas, neque efferaris magnitudine donorum: nam coarctant, & in gyrum tentationes redigunt. Tertio, ut malus ille Dæmon, qui hæsit in ambiguo, an defeceris ab ipsius imperio, tentationum explaratione edoctus, sciat, quod illum penitus dereliqueris. Quarto in eum finem, ut valentior reddaris, & ferro quocunque magis obduratus. Quinto, ut plena fide tibi constat, quam ingentes tibi thesauri concredantur.*

Secunda Conclusionis para probatur. Dæmon accessit ad Christum in specie visibili: ergo in specie humana. Antecedens probatur ex verbis Evangelii, ubi dicitur: *Accedens tentator*; quæ quidem motum corporalem important. Ulterius illa mutua colloquutio inter Christum, & tentatorem, quam Evangelium pariter exprimit, indicat, Dæmonem sub humana specie apparuisse. Quomodo autem sub humana specie apparuerit, recolenda sunt quæ diximus, quando de apparitione Angelorum loquuti fuimus. Ad quæ addit Suarez: „ In qua autem „ specie apparuerit Dæmon, non satis „ constat; omnes tamen existimant, in „ humana specie apparuisse, quia hæc ad „ loquendum, & audiendum est aptior. Et „ Carthusianus addit apparuisse sub specie „ viri Sancti. Denique credendum est, ap„ paruisse sub illa forma, quæ aptior ei ad „ persuadendum visa est: modus autem „ solum fuit per exteriorem sermonem, „ quia Dæmon non poterat Christi affe„ ctum, vel interiores sensus, aliter exci„ tare, ut in superioribus diximus, & no„ tavit Damascenus lib. 3. de fide c. 20. Ubi „ id confirmat, quia Dæmon non potuit „ alio modo Adamum tentare: ergo multo „ minus Christum. Unde bene conjectat „ Cajetanus hic, quanquam paucissimis „ verbis rei summa ab Evangelistis referatur; tamen verisimile esse, Dæmonem „ longa oratione fuisse usum, ut Christum „ flecteret, quanquam verisimilius sit a „ Christo solo uno, aut altero verbo, Dæ„ monem fuisse superatum, ac repulsum„.

Tertia Conclusionis para probatur. Matthæus hunc ordinem in tentationibus posuit; quod primo loco Christus fuerit tentatus de gula in deserto; secundo de ambitione in templo; tertio de avaritia in monte excelso: Lucas vero ponit primam tentationem gulæ in deserto; at secundam dicit fuisse de avaritia in monte excelso; & tertiam de ambitione in Templo. Augustinus lib. 2. de consensu Evangelistarum cap. 16. dubitat, quid illorum factum sit prius, & indecisum relinquit. At Cajetanus miratur, cur Augustinus hoc in dubium vocaverit; & certum existimat, eum ordinem servatum fuisse, quem præscribit Matthæus. Cajetanum sequitur Suarez ascribens: „ Quia in Luca nulla est vox, quæ ordinem „ indicet, sed simplex narratio unius rei „ post aliam, ex qua serie narrationis non „ satis colligitur ordo rerum; at vero apud „ Matthæum multa sunt quæ ordinem in„ dicant. Nam finita prima tentatione di„ citur: *Tunc assumpsit, &c.* quæ particula

„ coo-

„ consequutionem unius post aliud indi-
„ cat; & similiter post secundam subjun-
„ gitur: *Iterum assumpsit eum, &c.*; Quibus
„ verbis idem ordo indicatur; Et tandem
„ absoluta ultima tentatione, concluditur:
„ *Tunc reliquit eum diabolus*. Et hanc sen-
„ tentiam sequuntur communiter expósito-
„ res omnes, & veteres Patres, Hierony-
„ mus, Hilarius, Chrysostomus, & alii
„ supracitati, quibus addi potest Pacianus
„ in parenesi de pœnitentia, in ultima
„ parte, quæ est de baptismo, & expres-
„ sius Cassianus collat. 5. c. 6. Qui ordo ten-
„ tationum est etiam ipsis rebus magis ac-
„ commodatus, ut ex dictis, & ex iis, quæ
„ D. Thomas tradit, plane colligitur. „

Obstant I. Supposita perfectione animæ Christi, & ejus continua applicatione ad contemplandum, videtur naturaliter potuisse per quadraginta dies, & quadraginta noctes, in jejunio perseverare; eo quidem modo, quo Paulus in raptu non manducavit, neque bibit. II. Jejunium illud Christi videtur superfluum; nec enim erat Christo necessarium ad comprimendos motus ipsius, quia hi non erant in ipso inordinati; nec ad nostrum exemplum, quia nos abstinentiam tam rigidam, & tam longam, sustinere non poteramus. III. Diabolus non ignorabat, Christum esse Deum: ergo non debebat illum tentare. Probatur antecedens. In Ipsamet tentatione Diabolus vocavit Christum filium Dei, dicens Matthæi 4. *Si filius Dei es*: ergo non ignorabat, Christum esse Deum. IV. Tentatio est ad malum; sed convertere lapides in panes est opus bonum: ergo quando diabolus dixit ad Christum Matthæi 4. *Dic, ut lapides isti panes fiant*; non tentavit illum. V. Diabolus nulla ex ratione poterat Christum suadere, ut se in præcipitium daret: ergo non tentavit eum, quando ipsi dixit Matthæi 4. *Mitte te deorsum*. Probatur antecedens. Quando diabolus aliquem tentat, non intendit, ut tentatus vitam, sed ut animam perdat: ergo non poterat Christum suadere, ut se in præcipitium daret. VI. Nullus est locus, aut mons in Judæa, ut ex illo videantur omnia regna mundi: ergo falsum est quod dicitur in Evangelio, quod diabolus tentans Christum ostendit ei omnia regna mundi. VII. Non potuisset diabolus dicere Christo, ut se adoraret: ergo falsum quoque est, quod pariter dicitur in Evangelio: *Si cadens adoraveris me*. Probatur antecedens. Diabolus cognoscebat Christum esse Deum, vel saltem esse hominem probum, & sanctum; sed neque Christum, ut Deum, neque Christum, ut hominem probum, & sanctum, inducere poterat, ut se adoraret: ergo non potuisset diabolus Christum suadere, ut se adoraret. VIII. Tres illæ tentationes, vel factæ fuerunt medio aliquo temporis intervallo, vel statim una post aliam; si hoc secundum: ergo non fuerunt factæ in diversis locis; Si primum: ergo post primam tentationem superatam debebant ei Angeli cibos afferre, & ministrare, quia hoc ob primam superatam tentationem, quæ erat de jejunio, & non ob alias, quæ de aliis virtutibus erant, conveniens videbatur. IX. Prima tentatio facta fuit post jejunium quadraginta dierum, & quadraginta noctium: ergo si aliæ tentationes factæ fuerunt medio aliquo temporis intervallo, Christus mansit in deserto plusquam quadraginta diebus, & noctibus. X. Per verba illa, quæ dixit Diabolus Christo Matthæi 4. *Quia Angelis suis mandavit de te*; Lucas cap. 4. addit: *ut conservent te; Et in manibus tollant te, ne forte offendas ad lapidem tuum*; significavit, Christum habere Angelum suum custodem, qui ipsum conservaret, ac custodiret; sed hoc non conveniebat cum titulo Filii Dei, quem prius ei dederat, dicens: *Si filius Dei es, mitte te deorsum*: ergo incohærenter diabolus cum Christo loquebatur.

Respondemus ad I. hominem sanum, qui per septem dies ab omni alimento abstineat, si non supernaturaliter sustentatur, naturaliter mori; quod docent Medici peritissimi. Hennus adducit testimonium Hyppocratis dicentis, quod: „ Intestinum
„ humore chiloso vacuum concrescat, sic-
„ que homo paulatim extinguatur, & de-
„ ficiat, sicut deficiente oleo, deficit ignis
„ lampadis: unde dicendum est, Deum in
„ Christo, vel suspendisse actionem caloris
„ naturalis, aliarumque qualitatum contra-
„ riarum sese invicem per pugnam conti-
„ nuam debilitantium, vel cum interius re-
„ fecisse, vel aliter providisse: quod & fecit
„ respectu Eliæ, Moysis, & aliorum, per
„ quadraginta dies jejunantium „. Exemplum Pauli non est ad rem, quia hic per tres dies tantum, non per quadraginta, non manducavit, neque bibit.

Ad II. Quamvis Christus propter seipsum jejunio non indigeret, voluit nihilominus jejunare, ut nobis abstinentiæ præberet exemplum, si non æqualis abstinentiæ suæ, quod nos assequi non poteramus, saltem similis, quamvis longe inferioris.

rioris. Sic quando dixit Apostolis, ut essent perfecti, sicut Pater cœlestis perfectus est, non eis æqualitatem perfectionis præcepit, quæ erat impossibilis, sed similitudinem.

Ad III. Diabolus dubitabat, an Christus esset Deus; & ideo volens se de hoc certum reddere, petit ab eo miraculum, quod nonnisi virtute divina poterat fieri. Dixerat autem illi non absolute, quod filius Dei esset, sed conditionate: *Si filius Dei es, mitte te deorsum*; quod manifeste ostendit suam de Christi divinitate ignorantiam.

Ad IV. Tentatio ob duplicem finem fieri potest; primo, ut experimentum fiat de aliqua re, quæ nescitur; secundo, ut tentator inducat tentatum ad malum. Hunc utrumque finem habuit diabolus, quando Christum tentavit; habuit primum, quia volebat experimentum facere, an Christus esset Deus? Si enim Christus convertisset lapidem in panem, certus reddebatur, Christum esse Deum; si vero non convertisset, certum quoque se reddebat, quod Christus non esset Deus. Quamvis autem convertere lapides in panem sit opus bonum, quando tamen cum opere bono miscetur prava intentio, & ex illo provenit periculum peccandi, suam amittit bonitatem. Diabolus suadendo conversionem lapidum in panem pravam intentionem habebat inducendi Christum ad illius panis comestionem; Unde & ex illa conversione periculum hujuscemodi comestionis dependebat; ac proinde conversio lapidum in panem non erat amplius opus bonum.

Ad V. Suadens Diabolus vitæ perditionem temere, & irrationabiliter factam, hoc ipso quoque animæ jacturam suadet; non potest enim vita hoc pacto perdi sine animæ dispendio. Cæterum Diabolus præcipitium suadebat, ut si ab eo Christus servaretur illæsus, illico cognosceret, Christum esse filium Dei; si vero periret, hoc ipso induxisset Christum ad suicidium, quod est grave peccatum.

Ad VI. Ab illo monte, in quem Christus ductus est a diabolo, hic eidem designabat regiones fere omnes, & regna, quæ in mundo sunt; dicendo ei, ut ait Cornelius a Lapide, ibi est Africa, ibi est Europa, ibi Italia, hic Syria, illic Gallia, istic Hispania &c. Et ut ostenderet ei omnium Regnorum mundi gloriam, & ornatum, ut habetur in Evangelio per Solis refractiones in aere depictas, ostendit imagines pulcherrimas cujuslibet Regnorum, quæ mundum constituunt; & hoc momento ostendit, ut ait Lucas. Hoc autem facillime fieri a Dæmone potuisse, nemo est, qui ambigat, si sciat, caussarum secundarum effectus ita posse ab ipso temperari, vel impediri, ut modo videantur quæ non sunt, & modo quæ sunt, non videantur.

Ad VII. Hæc reponit Hennus loc. cit. sect. 11. „ Qui ab initio ex superbia potuit di-
„ vinitatem appetere, & Christo homini
„ unionem hypostaticam invidere, potuit
„ & divinitatis homagium exigere. Præte-
„ rea etsi in prima, & secunda tentatione,
„ suspicaretur Christum esse Dei filium, &
„ hujus rei quæreret experimentum; ut ta-
„ men vidit, permisisse Christum sine resi-
„ stentia, ut transferretur in templi pinna-
„ culum, & montem excelsum, quasi abso-
„ lute credidit esse purum hominem; &
„ ideo audacter, & superbe petivit adorari,
„ & quidem cum corporis prostratione „.

Ad VIII. Dicimus, tres illas tentationes pauco tempore durasse. Rationes idem Hennus affert, quibus argumenti vis eliditur. „ Primo, quia diabolus ab initio
„ tentationis ad finem non recessit a Chri-
„ sto, sicque fuit continua, seu primæ suc-
„ cessit immediate secunda, & secundæ ter-
„ tia: quod inde colligitur, quia initio di-
„ citur: *Accessit tentator*, & in fine: *Tunc re-*
„ *liquit eum Diabolus*, ubi insinuatur toto
„ tempore intermedio fuisse cum Christo.
„ Secundo quia brevitatem tentationis in-
„ culcat Lucas, dicens, quod in momento
„ temporis ostenderit ipsi omnia Regna
„ mundi: unde colligimus colloquium de
„ lapidibus in panes convertendis, & trans-
„ portationem de deserto in pinnaculum
„ templi, & de pinnaculo in montem ex-
„ cessum, brevi etiam peracta esse; cum, ut
„ testantur Sagæ pœnitentes, vix tempus
„ requiratur, ut de loco in locum, etiam
„ remotum transferantur. Tertio quia ini-
„ tio tentationis esuriebat Christus, nec toto
„ tentationis spatio, utpote continuæ,
„ manducavit: Si autem longo tempore,
„ verbi gratia, per diem integrum, durasset
„ tentatio, fuisset esuries illa Christo ma-
„ gnus cruciatus „.

Ad IX. respondet Suarez citato loco sect. 3. dicendo: „ Sed nihilominus omnes Pa-
„ tres, & Expositores intelligunt tentatio-
„ nes expressas ab Evangelistis continenter
„ esse factas; quia Matthæus, & Lucas nar-
„ ratione sua hoc magis judicant. Item
„ quia, & ex modo primæ tentationis, &
„ ex verbis Evangelistarum non obscure
„ col-

„ colligitur, illam tentationem factam esse, „ postquam Christus esurire cœpit. Hinc „ enim occasione sumpta instigabat illum „ Dæmon, ut lapides in panem converte- „ ret: ergo omnes illæ tentationes factæ „ sunt post quadraginta dies. Deinde finitis „ tentationibus, addit Lucas: *Et consumma-* „ *ta omni tentatione diabolus recessit ab illo* „ *usque ad tempus* ergo significat postquam „ illum tentare cœpit, non destitisse un- „ quam, donec omnes tentationes consum- „ maret. Sine dubio ergo asserendum est, „ sine dierum interpolatione factas fuisse, „ atque adeo post quadraginta dies jejunii, „ & inchoatas, & perfectas fuisse „.

Ad X. Quanvis Christus non haberet certum Angelum in sui custodiam, omnes tamen Angelos habebat in sui obsequium, ac ministerium; Verba illa, quæ citavit Diabolus, sunt ex psalmo 90., & illis abusus est, quia detorsit ad malum, scilicet ad præcipitium. Deus profecto promisit Angelorum tutelam, ac custodiam, illis hominibus, qui juste, prudenter, & pie agunt, non vero illis, qui temere Deum tentant. Audiatur Bernardus in psalmum: *Qui habitat* serm. 14. *Quid enim mandavit? Nempe quod in psalmo sequitur: Ut custodiant te in omnibus viis tuis. Nunquid in præcipitiis? Qualis via hæc de pinnaculo templi mittere se deorsum? Non est via hæc, sed ruina; & si via, tua est, non illius*.

DISSERTATIO CCXXXIV.

De Christi doctrina: An Christus venerit ad docendos homines? Et an munus suum perfecte impleverit? An decuerit illum Judæos docere, quanvis cum ipsorum offensione, ac scandalo? Quanto tempore Christus prædicaverit?

CHRISTUM Doctoris munus, sibi a Patre commissum, quando inter homines nasci dignatus est, & facto ipso, sive per ipsum, sive per alios, homines docuisse, nemo est, qui ambiget, ex iis omnibus, qui Christum norunt, ac confitentur. Judæis quippe per seipsum prædicavit, Gentibus vero per Apostolos, ac discipulos suos. Per hoc autem suspicetur nemo, Christo fuisse simpliciter prohibitum, ut Gentes doceret; quia legimus, aliquando id præstitisse; sed tantum dicimus, quod missus fuerat dumtaxat a Patre, ut publice, & ex instituto, Judæis prædicaret, non vero Gentibus; & ut hoc convenienti tempore exequendum Apostolis reservaret. Quod quidem Angelicus Doctor 3. p. q. 42. art. 1. in corpore, sic resolvit: *Respondeo dicendum, quod conveniens fuit, prædicationem Christi, tam per ipsum, quam per Apostolos, a principio, solis Judæis exhiberi. Primo quidem, ut ostenderet per suum adventum impleri promissiones antiquitus factas Judæis, non autem Gentilibus. Unde Apostolus dicit Roman. 15. Dico Christum Jesum ministrum fuisse circumcisionis (id est Apostolum, & prædicatorem Judæorum) propter veritatem Dei, ad confirmandas promissiones Patrum. Secundo, ut ejus adventus ostenderetur esse a Deo. Quæ enim a Deo sunt, ordinata sunt, ut dicitur Roman. 13. Hoc autem debitus ordo exigebat, ut Judæis, qui Deo erant propinquiores per fidem, & cultum unius Dei habebant, prius doctrina Christi proponeretur, & per eos transmitteretur ad Gentes. Sicut etiam in cœlesti hierarchia per superiores Angelos ad inferiores divinæ illuminationes deveniunt. Unde super illud Matthæi 15. Non sum missus nisi ad oves, quæ perierunt domus Israel, dicit Hieronymus: Non hoc dicit, quin & ad Gentes missus sit; sed quod primum ad Israel missus est. Unde & Isaiæ ultimo dicitur: Mittam ex eis, qui salvati fuerint (scilicet ex Judæis) ad Gentes, & annunciabunt gloriam meam Gentibus. Tertio,*

ut Judæis auferret calumniandi materiam; unde super illud Matthæi 10. In viam Gentium ne abieritis, dicit Hieronymus: Oportebat primum adventum Christi nunciari Judæis, ne justam haberent excusationem, dicentes, ideo se Dominum rejecisse, quia ad Gentes, & Samaritanos Apostolos miserit. Quarto quia Christus per crucis victoriam meruit potestatem, & dominium super Gentes? Unde dicitur Apocalypsis 2.: Qui vicerit, dabo illi potestatem super Gentes, sicut & ego accepi a Patre meo; & Philipp. 2. dicitur, quod, quia factus est obediens usque ad mortem, mortem autem crucis, Deus exaltavit illum, ut in nomine Jesu omne genu flectatur, & omnis lingua ei confiteatur. Et ideo ante passionem suam noluit Gentibus prædicari suam doctrinam, sed post passionem dixit Discipulis, Matthæi ultimo: Euntes docete omnes Gentes. Propter quod, ut legitur Joannis 12. Cum, imminente passione, quidam Gentiles vellent Jesum videre, respondit: Nisi granum frumenti cadens in terram, mortuum fuerit, ipsum solum manet; si autem mortuum fuerit, multum fructum affert. Et sicut Augustinus dicit ibidem, se dicebat granum mortificandum in infidelitate Judæorum, & multiplicandum in fide omnium populorum.

Dicimus I., Christum venisse ad docendos homines.

Conclusio, quæ est de fide, probatur I. ex Scripturis. Isaiæ 30. *Et erunt oculi tui videntes præceptorem tuum, & non faciet avolare a te ultra Doctorem tuum.* Et cap. 55. *Ecce testem populi dedi eum, ducem, ac præceptorem gentibus.* Et cap. 49. *Parum est, ut sis mihi servus ad suscitandas Tribus Israel, & fæces Jacob convertendas. Dedi te in lucem Gentium, ut sis salus mea usque ad extremum terræ.* Et cap. 61. *Spiritus Domini super me, ad annunciandum mansuetis misit me, ut mederer contritis corde, & prædicarem captivis indulgentiam, & clausis apertionem.* Joelis 2. *Filii Sion, exultate, & lætamini in Domino Deo vestro, quia dedit vobis Doctorem justitiæ.* Matthæi 13. *Nec vocemini Magistri, quia magister vester unus est Christus.* Joannis 13. *Vos vocatis me, Magister, & Domine, & bene dicitis, sum etenim.* Et cap. 18. *Ego in hoc natus sum, & ad hoc veni in mundum, ut testimonium perhibeam veritati.* Lucæ 4. *Ad Evangelizandum pauperibus misit me.*

II. Probatur ex Patribus. Ambrosius lib. 2. de fide cap. 4. ad verba illa Joannis 7. *Doctrina mea non est mea, sed ejus, qui misit me, Patris*; hæc scribit: *Judæi cum doctrinam ejus secundum hominem quærerent, & dicerent, quomodo hic literas scit, cum non didicerit? Respondit Jesus: Mea doctrina non est mea. Nam cum sine eruditione literarum doceat, non quasi homo; sed ut Deus videtur docere, qui doctrinam non didicerit, sed invenerit. Adinvenit enim omnem viam disciplinæ, & post hæc in terris visus est, & cum hominibus conversatus est.* Augustinus ad illa verba Matthæi 3., quibus Æternus Pater Jesum Christum, & filium suum, & Doctorem nostrum declaravit: *Hic est filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui, ipsum audite*; hæc habet in orat. de quinque hæresibus ad finem: *Gratias tibi, Deus Pater Omnipotens, qui & filium tuum ostendisti, & mihi in doctorem dedisti.* Gregorius Magnus prima parte Pastoralis cap. 3. *Ita Deus in carne apparuit, ut non solum nos per passionem redimeret, sed etiam conversatione doceret.*

III. Probatur rationibus theologicis. I. diximus, & probavimus in dissert. 166., quod si Adam non peccasset, Verbum adhuc venisset, & venisset præcipue ut Doctor; sed major est necessitas, ut Verbum Doctoris munus exerceat, Adamo peccante: ergo a fortiori in præsenti providentia Verbum venit, ut Doctor. Probatur minor. Post Adæ peccatum major est ignorantia in hominibus: ergo major est in iisdem Doctoris necessitas. II. Verbum de facto venit, ut Reparator, ut Mediator, ut Redemptor: ergo pariter venit ut Doctor. Probatur consequentia. Non potuisset perfectissime implere, uti de facto implevit, munus Reparatoris, Mediatoris, & Redemptoris, nisi fuisset Doctor: ergo si venit, ut Reparator, Mediator, & Redemptor, venit etiam ut Doctor. Probatur antecedens. Munus perfecti Reparatoris, Mediatoris, & Redemptoris est, non solum a servitute jam contracta liberare, sed etiam dare modum, quo iterum non contrahatur; sed hoc fieri non potest sine doctrina: ergo &c. III. Verbum de facto venit, ut Medicus; sed Medico magis habent opus infirmi, quam sani ex una parte, & ex alia in Medico præsertim spirituali, plusquam in aliis necessaria est doctrina: ergo si venit ut Medicus, venit etiam ut Doctor. IV. Verbum denique, ut alia mittamus, venit etiam ut Legifer; sed in Legislatore necessaria est doctrina: ergo si Verbum

venit

venit ut Legifer, venit etiam ut Doctor. Major patet, quia Christus novam legem dedit Mundo, hoc est legem gratiæ. Minor etiam est certa, quia imperitus Legislator non potest justa, honesta, ac recta præcipere; non enim præcipere potest quæ non cognoscit. Consequentia sequitur.

Dicimus II. Christum perfectissime Doctoris munus implevisse.

I. Probatur. Christus majorem habuit scientiam, & doctrinam, & perfectiori modo habuit, quam ulla unquam creatura pura habere potuerit: ergo perfectissime Doctoris munus implevit. Probatur antecedens; tum quia Christus nunquam fuit discipulus, & semper fuit magister; puræ vero creaturæ omnes docere non possunt, quæ non didicerunt; tum etiam, quia Christus scientiam omnem, quam habebat, a Deo habuit: ergo perfectiori modo habuit, quam ulla pura creatura habere possit. Et in hoc sensu ipse dicebat Joannis 7. *Doctrina mea non est mea, sed ejus, qui misit me*; prout eadem intelligunt Augustinus lib. 1. de Trinit. cap. 12., & Ambrosius lib. 2. de fide cap. 4. & lib. 5. cap. 2.

II. Probatur. Scientia, quam Christus habuit, ratione hypostaticæ unionis habuit: ergo perfectissimo modo habuit. Probatur consequentia. Per hoc, quod Christus habuit scientiam suam ratione unionis hypostaticæ, dici potest, quod hæc scientia fuerit illi connaturalis; sed per hoc, quod est connaturalis, est perfectissima: ergo &c. Argumentum est Suarez, qui eum sic prosequitur 3. p. q.42. art.4. disp.30. sect.1. „Quia unam „ & eandem personam cum Verbo com„ ponit, dicitur Christus hanc scientiam „ a se habere, ut sibi connaturalem, & „ ideo non tam didicisse, quam perfectam „ scientiam simul accepisse. Discere enim „ videtur quendam motum, seu progres„ sum ab imperfecto ad perfectum significare. Sicut etiam Christus, ut Deus per „ æternam generationem habet scientiam „ a Patre, de qua etiam intelligi possunt „ verba illa: *Doctrina mea non est mea, sed „ ejus, qui misit me*; ut exponunt Augu„ stinus lib. 2. de Trinit. cap.2., & tract. „ 27. in Joannem, & Cyrillus lib. 4. in „ Joannem cap.42., & Chrysostomus hom„ mil.48. in Joannem; & nihilominus non „ potest proprie, aut vere dici, Verbum „ discere a Patre, quia per naturalem ge„ nerationem ab illo habet scientiam per„ fectam. Ad hunc ergo modum loqui „ possumus de scientia humanitatis, quan„ vis nec tam perfecta illa sit, neque eo„ dem modo connaturalis. Intelligendum „ ergo hoc est secundum quandam imita„ tionem, non vero secundum æqualita„ tem. Et huic modo loquendi favet Am„ brosius priori loco supra citato.„

III. Probatur. Potestas docendi ratione unionis hypostaticæ per se convenit Christo, unde potest non solum homines, sed etiam Angelos docere, & illuminare: ergo Christus perfectissime Doctoris munus implevit. Probatur antecedens. Christus habet ratione unionis hypostaticæ, quod sit caput omnium, & consequenter ut possit influere in omnes, modo omnibus accommodato. Ulterius, ratione ejusdem unionis est Summus Sacerdos, ac supremus Ecclesiæ Pastor. Insuper, ratione ejusdem unionis habet Christus jus quoddam ad salvandos, & redimendos homines; atqui est de ratione Summi Pontificis, ut possit docere, & illuminare sibi subditos; & etiam, qui habet jus ad salvandos, & redimendos homines, habet pariter hoc titulo, ut possit eos docere, quatenus, ut ait Suarez, hoc medium est necessarium ad salutem hominum: ergo semper stat, quod Christus perfectissime plusquam alia pura creatura Doctoris munus impleverit. Unde idem Suarez infert, quod Christus potuerit obligare omnes homines ad suam doctrinam audiendam, quam ipse per se, vel per discipulos suos prædicabat, quod ad potestatem excellentiæ Christi pertinet.

Dicimus III. Christum maxime decuisse Judæos docere, quanvis cum ipsorum scandalo, & offensione.

I. Probatur. Salus multitudinis præferenda est bono privato cujuscunque personæ, vel cujuscunque generis personæ; sed prædicatio Christi continebat in se salutem multitudinis: ergo præferenda erat bono privato Judæorum. Major est certa; quia si doctrina sit per se bona, & ad salutem populi necessaria, aut valde utilis, vel ad bonum promovendum, vel ad vitanda mala, & peccata, non est omittenda, quanvis aliqui perturbandi sint, & pejores efficiendi: ergo salus multitudinis præferenda est bono privato cujuscunque personæ, vel cujuscunque generis personæ. Probatur antecedens. In illo casu scandalum illud non est datum, sed acceptum; nec factum,

sed natum; sed ordo charitatis non obligat ad vitandum hujusmodi scandalum cum aliorum incommodo, vel detrimento: ergo &c.

II. Probatur. Correctio si consideratur, ut dirigitur ad emendationem delinquentis, non est facienda, ubi desperatur fructus, & multo magis ubi timetur majus detrimentum; sed si reprehensio unius consideratur ut medium ad coercendos alios, vel saltem ad impediendum, ne scelera quorundam inducant alios ad similia peccata; tunc non est omittenda, etiamsi non speretur emendatio privatæ personæ, & quod plus est, etiamsi majora mala, & peccata privatæ personæ timeantur: ergo decuit Christum Judæos docere, etiam cum ipsorum scandalo, & offensione. Probatur antecedens. In casu proposito reprehensio non est inutilis, quia speratur communitati profutura; neque est injusta, quia est quædam defensio justa divini honoris, & hominum, qui sunt innocentes; & pariter est quædam pœna medicinalis peccatorum, quatenus habet vim ad impediendum peccata; ad hanc autem pœnam infligendam habet jus publicus Prædicator, ac Doctor: ergo &c.

III. Probatur. Reprehensio in casu proposito non est contra ordinem charitatis: ergo impediri non debet. Probatur antecedens. Minus malum permittitur propter majus bonum; & scandalum toleratur, quando non est activum, sed passivum: ergo reprehensio in casu proposito non est contra ordinem charitatis. Probatur antecedens. Divinæ Scripturæ, & Patres passim reprehendunt prophetas, & pastores, qui peccata populi non corrigunt, sed dissimulant. Unde dicitur Isaiæ 55. *Clama, ne cesses, quasi tuba exalta vocem tuam*; & cap. 56. *Canes muti non valent latrare*, ac Thren. 2. *Neque aperiebant iniquitatem tuam*. Quibus addendus est Ezechiel cap. 3., cap. 13., & cap. 33. Quæ loca, uti nos intelligimus, explicant Hieronymus in Commentar. ad eadem, & Gregorius Magnus part. 2. Pastoralis cap. 4. Sed præcipue Chrysostomus explicans illud Pauli ad Timoteum 5. *Peccantem coram omnibus argue*; hæc scribit: *Quid nonne majus scandalum facit coram omnibus arguere? Minime id quidem. Magis enim scandalizantur, si peccata non ignorantes, nullum inferri videant cruciatum: sicut enim si impune peccatur, plurimi delinquunt, ita si peccata puniantur, complures virtuti student*. Quæ omnia intelligenda sunt de peccatoribus publicis; nam de occultis servari debet Christi mandatum Matthæi 18. *Corripe illum inter te, & ipsum solum*. Unde scribebat Bernardus epist. 78. *Cum carpuntur vitia, & inde scandalum oritur, ipse sibi scandali causa est, qui fecit, quod argui debet; non ille, qui arguit. Denique nec cautior sum in verbo, nec circumspectior in sensu illo, qui ait: Melius est, ut scandalum oriatur, quam ut veritas relinquatur. Quanquam nescio quid prosit, si quod mundus clamat, ego tacuero, omniumque passim naribus injecto fœtore, solus dissimulo pestem*. Quod autem hæc perfectissime servata fuerint a Christo, quando suam doctrinam Judæis prædicando promulgabat, optime docet Suarez citato loco verbis hisce: „ Ex hac vero regula optime colligitur, prudentissime „ egisse Christum Dominum constanter „ docendo, & corripiendo Judæos, etiamsi „ multorum offensionem, & scandalum „ inde oriturum esse præsciret. Hoc con„ stat primo ex ipsius Christi authoritate, „ qui nihil potuit imprudenter, aut præ„ ter charitatis ordinem, operari; sed legi„ mus ita fecisse, & discipulis interdum „ ipsum monentibus, quod Judæi scanda„ lizentur, respondisse: *Sinite illos, cæci „ sunt, & duces cæcorum*. Secundo id patet „ ex re ipsa. Nam doctrina Christi erat „ universo mundo necessaria, minorisque „ momenti erat, quod vel pauci illam re„ ciperent, qui erant futuri, veluti semen „ disseminandum, & multiplicandum in „ universo Orbe, quam quod Judæi offen„ sionis, ac scandali occasionem accipe„ rent. Deinde Judæorum Principes, Scri„ bæ, & Pharisæi publice corrumpebant „ populum, ejusque salutem impediebant, „ tum pravis moribus, tum etiam resisten„ do veritati, & doctrinam Christi, quæ „ sufficienter illis proponebatur, repre„ hendendo, & ideo non obstante quali„ bet eorum offensione, publice a Christo „ objurgandi fuerunt. Denique quanvis „ ex doctrina, & reprehensione Christi „ Judæi sumpturi erant occasionem occi„ dendi ipsum, quod gravius peccatum „ fuit, quam cætera omnia, quæ antea ipsi „ commiserant; tamen hoc eorum malo „ bene usurus Deus ad maximum bono„ rum, quale est Redemptio, & totius „ mundi salus. Non ergo debuit Christus „ doctrinam suam celare, ne illum malum „ fieret, sed potius debuit neque a docen-

„ do,

do; neque ab increpando desistere, ne tantum bonum impediretur. „

IV. Probatur quatuor rationibus S. Thomæ 3. p. q. 42. art. 1., quas affert Graveson de Mysteriis, & annis Christi, Dissertat. 13. quæ sunt: „ Primo, quia Christus, per semetipsum docendo Judæos, luculenter ostendit, per suum adventum implesi omnes promissiones, antiquitus factas Judæis, non autem Gentibus; qua de causa dicit ipse Christus Matth. cap. 15. *Non sum missus nisi ad oves, quæ perierunt domus Israel*; quæ verba exponens S. Augustinus Tractatu 47. in Joannem, hæc habet: *Quid est: non sum missus nisi ad oves, quæ perierunt domus Israel, nisi quia præsentiam suam corporalem non exhibuit nisi populo Israel? Ad gentes non perrexit ipse, ut qui, seu Judæi, contemnebant, majus judicium sumerent, quia & præsentia illis est exhibita. Ipse Dominus ibi fuit, ibi matrem elegit, ibi concipi, nasci, ibi sanguinem fundere voluit, ibi sunt vestigia ejus, modo adorantur, ubi novissime stetit, unde ascendit in Cœlum: ad gentes autem misit.* Hinc Apostolus ad Romanos cap. 15. Christum appellat *ministrum Circumcisionis*; idest, Apostolum, & Prædicatorem Israelitarum, *propter veritatem Dei, ad confirmandas promissiones Patrum*. Ut ergo Christus probaret Judæis, se esse Messiam ipsis a Deo promissum, eos per semetipsum edocere, atque apud illos prædicare voluit. Secundo, Christus docendo, & prædicando solum apud Judæos servavit ordinem primogenito populo, seu Israelitico debitum, ut impleretur vaticinium Isaiæ cap. ultimo: *Mittam ex eis, qui salvati fuerint*, videlicet ex Judæis, *ad gentes, & annunciabunt gloriam meam gentibus*. Tertio Christus docendo per semetipsum Judæos, omnem illis præripuit calumniandi materiam, fecitque, ne nullam excusationem haberent, dicentes, se ideo rejecisse Dominum, quod Gentibus incircumcisis prædicaret. Apud solos itaque Judæos prædicavit Christus Dominus, districteque prohibuit Apostolis suis, ne abirent versus gentes prædicandi causa, *ut quantam Judæorum curam gereret, ipse demonstraret, & sic ora ipsorum obstrueret, & ad doctrinam Apostolorum præpararet*, inquit S. Chrysostomus homil. 33. in Matthæum. Denique Christus Gentes non per semetipsum docere, sed tantum post passionem suam Apostolorum ministerio luce Evangelica illustrare voluit, ut ostenderet se per crucis victoriam promeritum fuisse potestatem, & dominium in omnes Gentes, sicut ipsemet testatur Matthæi cap. ultimo: *Data est mibi omnis potestas in Cœlo, & in terra: Euntes ergo docete omnes Gentes &c.* quasi diceret: Ite nunc non in Judæam solum, sicut prius vobis præceperam, sed in mundum universum, docere omnes gentes, instituite in doctrina fidei, quam a me accepistis, non Judæos tantum, sed omnium gentium homines. Advertendum est tamen cum S. Thoma, quod sicut Christus non debuit a principio doctrinam suam promiscue gentibus communicare, ut nimirum Judæis, tanquam populo primogenito debitus ordo servaretur; ita etiam non debuit gentes omnino repellere, ne spes salutis eis præcluderetur. Quo circa Christus ad misericordiam semper propensus, & hominum salutis sitientissimus, inter Gentiles Samaritanam, & Chananæam, ut legitur Joannis cap. 4. & Matthæi cap. 15. & alios nonnullos propter excellentiam fidei, & devotionis eorum, admisit, suæque doctrinæ luce illustravit. „

Pro tertia Dissertationis parte: primo, putarunt aliqui Patres, & Scriptores, Christum per unum tantum annum prædicasse. Adscribitur hæc sententia Clementi Alexandrino lib. 1. Stromatum prope finem, ubi affert illud Isaiæ 61. *Spiritus Domini super me, eo quod unxit me Dominus.... ut prædicarem annum placabilem Domino*; eamque dicitur sectasse Lactantium, Julium Africanum, & alios, qui dixerunt, Christum trigesimo ætatis anno obiisse. Aliqui tribuunt eam quoque Tertulliano, scribenti lib. contra Judæos cap. 8. Christum anno decimoquinto imperii Tiberii fuisse mortuum; attamen Tertullianus ideo hoc scripsit, quia initium prædicationis Christi anno duodecimo imperii Tiberii posuerat. Secundo, Alii voluerunt, Christum duobus tantum annis prædicasse; & ita dixit Apollinaris Laodicenus apud Hieronymum in Danielis 9., & sentiit etiam Cyrillus Alexandrinus in cap. 29. Isaiæ, Tertio, Alii opinati sunt, quod Christus in prædicatione posuit annos quatuor, & menses aliquot. Denique alii scripserunt, Christum tribus annis, & nonnullis mensibus prædicasse. Verum & in hoc quoque divisi sunt Scriptores, volentibus quibusdam, initium prædicationis Christi

desu-

desumendum esse a baptismo, & aliis defendentibus a miraculo nuptiarum Canæ in Galilea esse deducendum. Et quod magis refert, est, quia quidam inter baptismum, & nuptias annum ponunt; Quidam vero sex annos.

Dicimus III. Christum trium annorum, & trium fere mensium tempore prædicasse.

I. Probatur. Christus tempore, quo prædicavit, quatuor Paschata celebravit; ergo tribus annis, & tribus fere mensibus prædicavit. Probatur antecedens. Primum Pascha describitur Joannis 2.; Secundum Joannis 6. Tertium Joannis 5. Ultimum, quando passus est Christus. Et quanvis Joannis 5. festi tantum mentio fiat, non declarando, an esset festum Paschæ, aut aliud; quia tamen apud Hebræos nomine festi absolute dicti festum Paschæ intelligebatur, quod erat festum antonomasticè; inde est, quod illud festum absolute dictum Joannis 5. pro festo Paschæ intelligendum.

II. Probatur. Joannes post enarratum miraculum nuptiarum commemorat unum festum Paschæ cap. 2., quod Christus Hierosolymis celebravit; postmodum cap. 6. aliud memorat a priori diversum, & sic habemus unum annum; postea cap. 11. & 13. memorat Pascha, in quo Christus est interfectus, & sic habemus duos prædicationis annos. Denique addendi sunt menses, qui fluxerunt a die miraculi nuptiarum usque ad primum Pascha; & sic fiunt tres anni non completi, quibus si addantur menses, qui intercesserunt inter baptisma, & Nuptias, fiunt tres anni, & fere tres menses; absque eo quod recurramus ad cap. 5. Joannis, in quo memoratur festum, sed non exprimitur festum Paschæ, ut diximus in prima probatione.

Arguunt I. Matthæi 7. Christus Dominus dicebat: *Nolite dare sanctum canibus, neque mittatis margaritas vestras ante porcos*: & Proverbiorum 9. dicebat Sapiens: *Noli arguere derisorem, ne oderit te*; & Eccl. 9. *Non incendas carbones peccatorum, arguens eos, & ne incendaris flamma ignis peccatorum illorum*: ergo si Christus sciebat doctrinam suam non profuturam Judæis, sed potius futuram eis occasionem, ut majora mala committerent, non debebat eos docere, aut corripere. II. Augustinus docet, quod propter legem charitatis, non debemus dare proximis occasionem peccandi; & quod ipsamet ratio doctrinæ postulat, ut non projiciatur otiose, & sine fructu, atque adeo contemnatur. Verba sunt Augustini homil. 41. libri 50. homiliarum, si ejus legitimus est fœtus: *Si fetrem non tibi prodesse, non te admonerem, non te terrerem*; Et serm. 36. de Sanctis: *Solent aliquoties Doctores Ecclesiæ non pro negligentia peccantium ab increpatione cessare, sed quia eos timent, ex ipsa castigatione ad pejora mala prorumpere.* Et lib. 1. de Civit. cap. 9. *Si propterea quisque objurgandis, & corrigendis male agentibus parcit, quia opportunius tempus inquirit, vel eisdem ipsis metuit, ne deteriores ex hoc efficiantur, vel ad bonam vitam, & piam erudiendos impediant infirmos alios, & premant, atque avertant a fide, non videtur esse cupiditatis occasio, sed consilium charitatis*: ergo suisset pariter charitatis consilium Judæos ita indispositos non docere; eadem enim est ratio de correctione, & de doctrina. III. Hieronymus super Amos 5. verba illa: *Ideo prudens in tempore illo tacebit, quia tempus malum est*; hoc pacto interpretatur: *Quando vir Ecclesiasticus, & prudens in domo Dei multas impietates esse cognoverit, & non solum multas; sed & fortes, qua opprimere possint justitiam, taceat in illo tempore, nec det sanctum canibus*: & Gregorius Magnus lib. 6. in 1. Regum cap. 2. prope finem: *Quandoque mala Regum, & terra Magnorum toleranda sunt, ne exasperati ad pejora dilabantur*: ergo Christus non debebat prædicare Judæis cum tanta Judæorum offensione. IV. Isaiæ 49. Messias, seu Christus, dicitur lux Gentium: *Parum est, ut sis mihi servus, ad suscitandas Tribus Jacob, & faces Israel convertendas. Ecce dedi te in lucem gentium, ut sis salus mea usque ad extremum terræ*: Et Lucæ 2. Simeon Christo dicebat: *Lumen ad revelationem Gentium*: ergo Christus prædicare debuit non solum Judæis, sed etiam Gentibus. V. Prædicatio Christi Scribis, & Pharisæis, qui inter Judæos in magno honore erant, scandalo erat, & offensioni: ergo non conveniebat ut Judæis Christus prædicaret. Antecedens habetur Matthæi 15., ubi Discipuli Christo dixerunt: *Scis, quia Pharisæi, audito hoc verbo, scandalizati sunt?* VI. Christus fuit baptizatus anno, quo Annas Pontificatum gerebat, & fuit mortuus anno, quo gerebat Caiphas; sed Pontificatus apud Judæos uno anno durabat, & inter Annam, & Caipham tres Pontifices intercesserunt, scilicet Ismael, Eleazar, & Simeon; ut testatur Josephus lib. 18. An-

18. Antiquit, cap. 3.: ergo quinque fuerunt anni, aut saltem quatuor, quibus Jesus Christus Judæis prædicavit. VII. Ignatius martyr in Epist. 5. ad Trallianos docet de Christo: *Triennium prædicavit Evangelium, signa, & prodigia patravit*; sed hoc est contrarium nostræ assertioni: ergo &c. VIII. Lucæ 15. habetur, Christum baptizatum fuisse anno decimo-quinto imperii Tiberii Cæsaris; sed gravissimi Scriptores asserunt, eodem anno decimo quinto imperii Tiberii Cæsaris Christum fuisse mortuum: ergo neque per annum integrum Christus Judæis prædicavit.

Respondemus ad I. doctrinam in verbis illis contentam habere locum in illis casibus, in quibus ex prædicatione, vel ex reprehensione, aut publica, aut privata, nullum speratur commodum, sed potius detrimentum timetur. Tunc enim nequit sanctum dari canibus, nec debent margaritæ ante porcos projici; quia idem esset ac illas contemptui exponere, & sanctum profanatione violare. Cæterum in casu nostro potiores habemus rationes, propter quas Christus debebat Judæis prædicare, quas in probationibus exposuimus.

Ad II. Ait Suarez, quod quando tantum est malum, quod timetur, tamque exiguum bonum, quod speratur, ut hoc potius prætermitti debere, quam illud permitti prudenter judicetur; tunc habent locum auctoritates allatæ; & hoc pacto qui illas scripserunt, intelligendi sunt.
„ Sæpe enim, subdit Suarez, hujusmodi casus morales evenire possunt, cumque hæc res, neque intrinsece mala sit, neque necessario bona, sed juxta diversas circumstantias interdum unum expediat, interdum aliud, ideo Scriptura, & Sancti, nunc uno modo loquuntur, nunc alio, ubique tamen intendunt, nimirum ut id semper fiat, quod ordini charitatis magis fuerit consentaneum „.

Ad III. eadem est responsio.

Ad IV. S. Thomas respondet, quod Christus fuit in lumen, & salutem Gentium, quando misit discipulos suos ad prædicandum Gentibus post passionem suam. Quia enim majoris est potestatis aliquid facere per alios, quam per se ipsum, ideo hinc inferenda est maxime divina Christi potestas, quod discipulis suis talem, ac tantam virtutem dedit, ut per illorum prædicationem barbara Regna, quæ nihil de Christo audierant, ipsius fidem, ac religionem amplecterentur.

Ad V. Idem Angelicus Doctor respondet, Christum, quando publice Scribas, & Pharisæos reprehendebat, non impedivisse, sed potius promovisse magis effectum doctrinæ suæ. Rationes assignat Gravesson, dicens: „ Primo, quia, ut ait S. Petrus 1. suæ Epistolæ cap. 2. prædixit Isaias, Christum fore lapidem offensionis, & petram scandali *his, qui offendunt verbo, nec credunt in quo positi sunt*, quales profecto fuerunt Scribæ, & Pharisæi, qui ira in Christum stimulati, & invidia depravati, quod, confluente ad eum populo contemni, ac deseri se videbant, Christi doctrinæ repugnabant, eum acriter insectabantur, conviciis proscindendo, incessendo dicteris, doctrinam cavillando, fodicando actiones, miracula eludendo. Quapropter non debuit Christus, propter illorum offensionem a suscepto docendi, & prædicandi munere abstinere. Secundo, per objurgationes Christi, hypocrysis, & vitia Pharisæorum, atque Scribarum populo innotescebant; sicque populus minus avertebatur a doctrina Christi, quam aperto marte oppugnabant Scribæ, & Pharisæi. Hinc Christus admonitus a suis discipulis, quod Pharisæi verbis ejus fuissent offensi, respondit: *Sinite illos, cæci sunt, & duces cæcorum: cæcus autem si cæco ducatum præstet, ambo in foveam cadent*. Qua responsione ostendit Christus, discipulos suos sollicitos esse non debuisse de offensione Scribarum, & Pharisæorum, quia veritate offendebantur, suisque superstitiosis traditionibus addicti, gratiæ mysteria pro nihilo habebant, & plebem a via salutis abducebant „.

Ad VI. dicitur, quod multa assumuntur in argumento, quæ non sunt omnino certa. Primum est, quod annus Pontificatus Summi Sacerdotis semper esset integer, & completus, quum plerumque eveniret, ut ad arbitrium Romanorum breviores essent; aliquando idem Pontifex confirmabatur; aliquando Pontifex dicebatur is, qui anno præcedenti fuerat, vel qui subsequenti anno esse debebat. Secundum quod tota rei summa esset apud unum; quum aliquando esset apud duos, quanvis unus fortassis esset de nomine, alter vero de re. Unde Lucæ 3. dicitur: *Sub Principibus Sacerdotum, Anna, & Caipha*. Tertium, plerique volunt, quod Annas & Caiphas alternis annis pontificalem dignitatem obtinuerint; & ideo uterque Pontifex dicebatur. Quartum, aliqui discrimen

scrimen ponunt inter Principem Sacerdotum, & Pontificem; & inter Præsidem Concilii Sanhedrin; quæ omnia fusius a Suarez tractantur.

Ad VII. Ignatius martyr numerat triennium completum, cui si addantur menses tres, parum, aut nihil variant numerum; & ideo potius nostræ sententiæ favet, quam obsit.

Ad VIII. Sententia illorum, qui dicunt, Christum fuisse mortuum anno decimoquinto imperii Tiberii Cæsaris, non est nostra; unde nequit contra nos adduci. Illam potius loco suo impugnabimus, & cohærenter ad doctrinam traditam de annis prædicationis Christi loquemur quoque de anno, quo Christus desiit esse inter mortales.

DISSERTATIO CCXXXV.

De Scriptis Christi Domini, aut veris, aut dubiis, aut suppositis. An conveniens fuerit, Christum doctrinam suam scripto tradere, vel aliquid aliud literis consignare? Quid dicendum de mutuis Abgari ad Christum, & Christi ad Abgarum, datis epistolis? Quid de libris scriptis ad Petrum, & Paulum? Quid de aliis monumentis, quæ Christo Affiguntur?

PRIMO dicitur in Evangelio Joannis cap. 8. Christum scripsisse, sed non dicitur scripsisse, aut stylo, vel calamo, aut atramento, aut tandem in carta, vel cera; sed scripsisse tantum digito, & in terra: *Jesus autem inclinans se deorsum digito scribebat in terra:* & hæc est sola scriptura Christi, quæ potest dici vera, quia de ea loquitur Evangelium. Attamen, quia nescimus quid scripserit, nequit de ea certo dici, qualis scriptura fuerit. Aliqui enim volunt, scripsisse hæc verba Jeremiæ 17. *Recedentes a te in terra scribentur*; Alii vero dicunt, scripsisse peccata illorum, qui Adulteram accusabant; Alii insuper tradunt, scripsisse verba illa, quæ dixit Accusantibus Adulteram eodem cap. 8. Joannis v. 7. *Qui sine peccato est vestrum, primus in illam lapidem mittat*. Unde semper remanet incertum, quid scripserit Christus digito in terra. Denique quod pluris est, scriptum illud non erat permanens, & durabile, sed transiens statim, quia erat in pulvere; & ut ait S. Thomas, non erat ad docendum, sed ad significandum iis, qui Adulteram accusabant, dignos esse, qui in terra scriberentur, juxta illud Jeremiæ 17. *Recedentes a te in terra scribentur*; ut asserit Suarez ex Hieronymo lib. 2. contra Pelagium, & Rabbano in Joannem, & ex Ambrosio epist. 76., in qua scribit: *Peccatores in terra scribuntur, justi in Cælo*.

Secundo, Gentiles affingebant Christo libros quosdam, qui Magiæ arcana continebant, quibus miracula fecisset, & illos dicebant scriptos ad Petrum, & Paulum. De his libris Augustinus lib. 1. de consensu Evangelistarum cap. 7. hæc dicit: *Aut si aliquos se habere dicunt, quos eum scripsisse asserunt, prodant eos nobis. Profecto enim utilissimi, & saluberrimi sunt, quos ut ipsi fatentur, Vir sapientissimus scripsit. Si autem timent eos proferre, utique mali sunt. Porro si mali sunt, non eos sapientissimus scripsit. Sapientissimum autem Christum fatentur; non ergo Christus tale aliquid scripsit. Ita vero isti desipiunt, ut in illis libris, quos eum scripsisse existimant, dicant contineri eas artes, quibus eum putant illa fecisse miracula, quorum fama ubique percrebuit.... Et certe qui tales Christi libros se legisse affirmant, cur ipsi nulla talia faciunt, qualia illum de libris talibus fecisse mirantur? Quid quod etiam divino judicio sic errant quidam eorum, qui talia*

Christum scripsisse vel credunt, vel credi volunt, ut eosdem libros ad Petrum, & Paulum dicant, tanquam Epistolari titulo prænotatos. Et fieri potest, ut sive inimici nominis Christi, sive qui ejusmodi execrabilibus artibus de tam glorioso nomine pondus authoritatis dare se posse putaverunt, talia sub Christi, & Apostolorum nomine scripserint. Et hoc scriptum ab Ethnicis Christo affictum, omnino falsum reputandum est.

Tertio, circumferuntur mutuæ Epistolæ Abgari ad Jesum, & Jesu ad Abgarum; & de his varium est Scriptorum judicium, aliis genuinas esse dicentibus, aliis vero asserentibus esse commentitias. Inter illos, qui commentitias volunt ex Heterodoxis ponuntur Casaubonus adversus Baronium, Bebelius in Antiquitatib. Evangelicis pag. 24. Harm historiæ Ecclesiast. cap.4. lib.2., Gerardus in harmonia cap. 143. Dorscheus Vindich. Exod. pag.65. Rivetus in Isagoge p.397. Otius in examine perpetuo Baronii ad annum 31.§.14. Cocus in censura pag.3. Forbesius instit. hist. lib.7. cap.8. §.1. Ex Catholicis vero scribuntur Bellarminus ad annum 34. Costerus in Enchiridio cap. 1. Melchior Canus lib. 11. cap.6. Erasmus epist. præfixa tom.4. Operum S.Hieronymi Editionis Parisiensis anni 1533. Natalis Alexander tom. 1. histor. Eccles. seculo 1. dissert. 3. Dupinus in dissertatione præliminari lib. 2. cap. 6. §.1. Inter illos vero, qui putant, epistolas hasce esse genuinas, adnumerantur Antonius a S.Maria, Sylveira, qui eum citat, & sequitur, Nierembergius de Orig. Scripturæ pag.403. Buitez Oeconomiæ tom. 2. Author Legendæ aureæ in Thoma Apostolo, Petrus de Natalibus in Catalogo Sanctorum lib.6. cap.43. Gulielmus Cave, Acatholicus Angliæ in histor. literaria par.2., qui pro hac sententia citat Casaubonum, & Montacutium; Cherubinus a S.Joseph, Carmelita discalceatus in Summa Criticæ Sacræ tom.1. disput.2. art.7., quamvis nova, ut sibi videtur, procedat via, & nos inferius expendemus. Denique hujus sententiæ acerrimus est defensor Cardinalis Baronius, quem sequitur Valesius; Serry etiam comitatur eum, a suo Natali Alexandro recedens, quem tamen fortiter sustinet, ac defendit Graveson. Tandem Conterraneus quidam noster, usque non vulgariter eruditus, easdem rejecit Epistolas, ex novo, ut sibi videtur, fundamento, quod scilicet Arianismum contineant; & de hoc etiam tractabimus infra. Antequam vero ad quæstionem hanc satis celebrem dirimendam, deveniamus; opus est, ut primo cum S.Thoma inquiramus, an conveniens fuerit, Christum doctrinam suam scripto tradere, vel aliquid literis consignare.

Dicimus I. conveniens fuisse, Christum doctrinam suam non scripsisse.

I. Probatur a S.Thoma ex dignitate ipsiusmet Christi. Excellentior Doctor exercere debet excellentiorem modum in docendo; sed excellentior modus est, ut doctrina Auditorum cordibus imprimatur: ergo Christus, qui erat Doctor excellentissimus hunc modum in docendo exercere debebat, ut doctrinam suam Auditorum cordibus imprimeret. Minorem probat S.Thomas primo, auctoritate Evangelii Matthæi cap.7. ubi dicitur, quod Christus erat docens eos, sicut potestatem habens; secundo, exemplo, quia etiam apud Gentiles Pithagoras, & Socrates, qui fuerunt excellentissimi Doctores, nihil scribere voluerunt; tertio ratione, quia scriptura ordinatur ad impressionem doctrinæ in cordibus Auditorum, sicut ad finem: ergo excellentior est modus, quo doctrina docentis Auditorum cordibus imprimitur sine scripto.

II. Probatur ab eodem ex excellentia doctrinæ Christi. Christi doctrina adeo est excellens, ut literis comprehendi non possit: ergo non conveniebat, ut eadem scripto traderetur. Antecedens probatur ex cap.ultimo Joannis, ubi dicitur: *Sunt, & alia multa, quæ fecit Jesus, quæ, si scribantur per singula, nec ipsum arbitror mundum capere posse eos, qui scribendi sunt, libros.* Quæ verba exponens Augustinus tract. ultimo in Joannem prope finem, hæc apud eundem Angelicum dicit: *Non spatio locorum credendum est mundum capere non posse; sed capacitate legentium comprehendi fortasse non posse*; Ex quibus Angelicus infert: *Si autem Christus scripto doctrinam suam mandasset, nihil altius de ejus doctrina homines æstimarent, quam quod Scriptura contineret.*

III. Probatur ab eodem ex ordine docendi. Rectus ordo docendi poscebat, ut doctrina Christi perveniret ad omnes, non quidem immediate, sed per discipulos suos, quos ipse immediate docuit. Si autem Christus scripsisset, ejus doctrina immediate ad omnes pervenisset: ergo

non pervenisset recto ordine. Hanc rationem verbis ipsiusmet S. Thomæ elucidamus: *Tertio, ut ordine quodam ab ipso, doctrina ad omnes perveniret, dum ipse scilicet, discipulos suos immediate docuit, qui postmodum alios verbo scripto docuerunt. Si autem ipsemet scripsisset, ejus doctrina ad omnes immediate pervenisset. Unde & de sapientia Dei dicitur Proverb. 9. quod misit ancillas suas vocare ad arcem.*

IV. Probatur authoritate Augustini lib. 1. de consensu Evangelist. cap. 7. *Sed illud prius discutiendum est, quod solet nonnullos movere, cur ipse Dominus nihil scripserit, ut aliis de ipso scribentibus necesse sit credere? hoc enim illi, & maxime Pagani, quærunt, qui Christum culpare, aut blasphemare non audent, eique tribuunt excellentissimam quandam sapientiam, sed tamen tanquam homini: discipulos vero ejus dicunt magistro suo amplius tribuisse, quam erat; ut eum Filium Dei dicerent, & Verbum Dei, per quod facta sunt omnia.*

Objiciunt I. Doctrina Christi durare debebat in æternum; juxta illud Lucæ 21. *Cœlum, & terra transibunt, verba autem mea non transibunt*; sed ad hoc inservit Scriptura, ut possit doctrina aliqua in æternum conservari: ergo debebat Christus doctrinam suam scripto tradere. II. Lex Moysis fuit figura Legis Christi; sed Lex Moysis fuit descripta a Deo: ergo debebat Christus etiam Legem suam scribere. Major patet ex illo ad Hebræos 10. *Umbram habens Lex futurorum bonorum*, Minor vero probatur ex illo Exod. 24. *Dabo tibi duas tabulas lapideas, & Legem, ac mandata, quæ scripsi*. III. Christus debebat illuminare illos, qui sedent in tenebris, & in umbra mortis, ac iisdem erroris occasiones excludere, & viam fidei aperire; sed hoc ex Augustino citato loco fecisset, si doctrinam suam scripsisset: ergo &c. IV. Gentiles doctrinæ Christi credidissent, si ipsemet Christus eam literis consignasset: ergo debebat Christus suam doctrinam scripto tradere, saltem ad facilius salutem Gentium promovendam. Probatur antecedens ex eodem Augustino citato loco: *Quærunt, quare ipse non scripserit; videntur parati fuisse hoc de illo credere, quod de se ipse scripsisset, non quod alii de illo pro suo arbitrio prædicavunt*. V. Certius, ac firmius doctrinæ Christi documentum haberemus, si ipsemet illam scripsisset, quam quod quatuor Evangelistæ scripserint: ergo semper conveniens erat, quod Christus doctrinam suam scriberet. Probatur antecedens. Certo nobis non constat, an Evangelia Matthæi, Marci, Lucæ, & Joannis, in quibus continetur vita Christi, & ejus doctrina, sint genuina, vel spuria, sint sincera, vel corrupta: Si Christus autem scripsisset, omnino Scriptura ejus ab omnibus crederetur: ergo &c. Probatur antecedens. Primis Ecclesiæ sæculis multa circumferebantur Evangelia, quæ postmodum spuria, & corrupta inventa sunt: ergo hoc ipsum fieri potest de his quatuor, quæ modo habemus. Probatur antecedens. Basilides Hæresiarcha suum habebat Evangelium, habebat pariter Apelles, habebat Tatianus, qui etiam Hæresiarchæ fuerunt: Insuper Gnostici legebant Evangelium secundum Philippum, Ebionitæ, & Encratitæ secundum Hebræos, Manichæi secundum Thomam, alii quoque probabant Evangelia Petri, Andreæ, Bartholomæi, Judæ, seu Taddæi, Jacobi Minoris, Mathiæ, Barnabæ, Nicodemi: Alii autem recipiebant Evangelia, quæ erant secundum Ægyptios, & secundum duodecim Apostolos. Igitur si Evangelia, quæ olim Apostolis tribuebantur, & pro legitimis habebantur, modo dicuntur spuria, falsa, & adulterina, cur non idem dici poterit de quatuor Evangeliis, quæ modo habemus? Ergo semper stat, quod major esset certitudo de doctrina Christi, si ejus scriptum haberemus, quam modo scriptum tantum Evangelistarum habentes. VI. Faustus Manichæus hæc nobis apud Augustinum opponebat, quasi scilicet Scriptores Sacri de suo arbitrio posuerint, quæ de Christo scripserunt. Dicebat enim: *Multa a Majoribus vestris eloquiis Domini inserta verba sunt, quæ nomine signata ipsius, cum ejus fide non congruunt: præsertim quia, ut jam sæpe probatum a nobis est, nec ab ipso hæc sunt, nec ab ejus Apostolis scripta: sed multa post eorum assumptionem a nescio quibus, & ipsis inter se non concordantibus, Semijudæis per famas, opinionesque comperta sunt: qui tamen omnia eadem in Apostolorum Domini conferentes nomina, vel eorum, qui secuti Apostolos viderentur, errores ac mendacia sua secundum eos se scripsisse mentiti sunt.*

Respondemus ad I. quod Christus quum sit caput suorum discipulorum, qui erant illius membra, omnia, quæ per ipsos scripsit, per seipsum scripsisse videtur. Illi enim scripserunt quæcunque illis Christus scribenda mandaverat: unde quæ il-

li

li scripto mandarunt, Christus per ipsos mandavit; qui enim per alios facit, per seipsum facere videtur; & hæc est responsio, quam S. Thomas dat ad hoc argumentum ex S. Augustino.

Ad II. Dicit idem Angelicus Doctor, quod Lex Moysis, quia dabatur in sensibilibus figuris, ideo sensibilibus signis scripta fuit. At Lex Christi, quæ est Lex Spiritus vitæ, scribi debuit, non atramento, sed spiritu Dei vivi; non in tabulis lapideis, sed in tabulis cordis carnalibus; ut docet Apostolus 2. ad Corinth. 3.

Ad III. Dicit idem S. Doctor, quod qui nolebant credere Apostolis, & Evangelistis, scribentibus de Christo, neque ipsimet Christo, de seipso scribenti, credidissent; semper enim in suspicione illa fuissent, quod Christus mirabilia illa, quæ operatus est, per magicas artes, & per Dæmonum invocationem, maxime fecisset.

Ad IV. Augustinus lib. 1. de consensu Evangelistarum cap. 35. ad objectionem illam respondet verbis hisce: *Christus enim omnibus discipulis suis tanquam membris corporis sui caput est: itaque cum illi scripserunt, quæ ille ostendit, & dixit, nequaquam dicendum est, quod ipse non scripserit; quandoquidem membra ejus id operata sunt, quod dictante capite cognoverunt: quid quid enim ille de suis factis, & dictis nos legere voluit, hoc scribendum illis, tanquam suis manibus, imperavit. Hoc unitatis consortium, & in diversis membris concordiam membrorum sub uno capite ministerium quisquis intellexerit, non aliter accipiet, quod narrantibus discipulis Christi in Evangelio legerit, quam si ipsam manum Domini, quam in proprio corpore gestabat, scribentem conspexerit.*

Ad V. Hæc est differentia inter Evangelia, quæ modo habemus, & credimus, ea esse genuina, non spuria, sincera, non corrupta; & inter illa alia, quæ prioribus seculis ab Hæreticis legebantur, ac proinde erant spuria, & corrupta; quod hæc quatuor nostra Ecclesiæ authoritate recepta sunt, illa vero rejecta; & quod hæc nostra consensu omnium seculorum, omnium Patrum, omnium Scriptorum, probata sint, illa vero per aliquod tempus, & quibusdam solum certis hominibus, male quidem feriatis, & pessime de Catholica Ecclesia merentibus, probata fuerunt. Certe in hoc, sicut & in aliis Ecclesiæ authoritas magni ponderis est; dicit enim Augustinus: *Evangelio non crederem, nisi Ecclesiæ me moveret Authoritas*; & afferente Domino Matthæi 18. *Qui Ecclesiam non audit, nobis esse debet sicut Ethnicus, & Publicanus*. Vim vero traditionis in hujuscemodi rebus magnam quoque esse, docet Augustinus lib. 33. contra Faustum cap. 6. *Platonis, Aristotelis, Ciceronis, Varronis, aliorumque ejusmodi Auctorum libros, unde noverunt homines, quod ipsorum sint, nisi eadem temporum sibimet succedentium contestatione continua? Multi multa de litteris Ecclesiasticis conscripserunt, non quidem auctoritate canonica, sed aliquo adjuvandi studio, sive discendi. Unde constat quid cujus sit, nisi quia his temporibus, quibus ea quisque scripsit, quibus potuit insinuavit, atque edidit, & inde ad alios, atque alios continuata notitia, latiusque firmata ad posteros, etiam usque ad nostra tempora pervenerunt, ita ut interrogati cujusque liber sit, non hæsitemus quid respondere debeamus? .... Quæ cum ita sint, quis tandem tanto furore cæcatur, nisi dæmoniorum mendaciloquorum malitia, atque fallacia, consentiendo subversus sit, qui dicat, hoc mereri non potuisse Apostolorum Ecclesiam, tam fidam, tam numerosam fratrum concordiam, ut eorum scripta fideliter ad posteros trajicerent, cum eorum Cathedras usque ad præsentes Episcopos certissima successione servarint, cum hoc qualiumcumque hominum scriptis, sive extra Ecclesiam, sive in ipsa Ecclesia, tanta facilitate proveniat.*

Ad VI. Gentiles multis ex capitibus dubitare non poterant de iis, quæ Evangelistæ scripserunt; primo quidem, quia Matthæus, Marcus, Lucas, & Joannes, fuerunt viri probi, veridici, & testes oculati, quorum nec fides, nec judicium, in suspicione esse poterant, secundo, quia nihil occultum, nihil subdolum narrabant, & vanam gloriam abhorrebant; tertio, quia ea referebant, quæ Judæi, ac Gentiles videre potuissent, ac proinde mendacii convinci facile poterant, si ea diversa narrassent; quarto, quia concordant cum iis, quæ narrant Josephus Judæus, & Scriptores Ethnici plures, nimirum Cornelius Tacitus, Svetonius, aliique apud Danielem Huetium, Episcopum Abrincensem, in sua Demonstrat. Evangelica; quinto, quia in testimonium illarum rerum, quas narrabant, Evangelistæ multa miracula patrarunt; Deus autem miracula non concedit in confirmationem mendacii; sexto, quod præmium Evangelistarum consistebat in durissimis passionibus, in Cru-

ciatibus, in flagellis, in cruce, in morte, quas omnes pœnas in veritatis odium patiebantur. Unde scribebat Chrysostomus homil. 4. in Acta Apostolorum: *Illud mirabilius, quod Apostoli nudo corpore consistebant adversus armatos, adversus Principes: qui publicum jus in ipsos habebant, imperiti, elingues, ac simplices idiotæ adversus impostores, & circumventores, adversus Sophistarum, Rhetorum, ac Philosophorum turbam, qui in Academia Platonis, & Aristotelis deambulationibus exercitati depugnarant, & in Stoicorum porticibus fuerant occupati. Hos ita superavit Petrus, quasi cum mutis piscibus certamen fuisset.*

Antequam de mutuis Epistolis Abgari ad Jesum, & Jesu ad Abgarum aliquid statuamus, opus est, ut eas ad literam hic transcribamus. Et quidem eas referimus, prout referuntur ab Eusebio lib. 1. hist. Ecclesiast. cap. 13., qui Eusebius ex lingua Syriaca in græcam transtulit, & postmodum ex Græca in Latinam plures apud Baronium transtulerunt. Primo igitur scripsit Abgarus ad Christum; & hæc est ipsius Epistola: *Abgarus, Princeps Edessæ, Jesu Servatori propitio, qui in confiniis Jerusalem in carne apparuit, salutem. Insignes illas virtutes, & curationes, quæ abs te sine medicamentis, & sine herbis facta sunt, auditione accepi. Cæcos enim, ut fama est, videre efficis, claudos ambulare, & Leprosos mundas; spiritus immundos, & Dæmones ejicis: eos etiam, qui diuturnis morbis pressi sunt, sanas: Mortuos denique ad vitam revocas. Quæ quidem cum de te audivissem, de duobus hisce alterum verum esse cogitabam: Te, aut Deum esse, & e Cæli fastigio delapsum; aut Dei filium saltem, qui ista, tam stupenda edas miracula. Quapropter hac ad te scripsi, magnopere precatus, ut laborem ad me accedendi suscipere, huncque, quo crucior, morbum curare non graveris. Etenim audio, Judæos tibi obstrepere malevole, & velle libenter te aliquo magno malo afficere. Est mihi Civitas perexigua quidem, sed ornata sane, & illustris, quæ utrique nostrum rerum necessariarum suppeditabit satis.* Modo transcribitur Epistola Jesu ad Abgarum: *Abgare, beatus es, qui cum non videris me, in me tamen credidisti; De me enim scriptis proditum est, eos, qui me viderunt, in me non credere; ut hi, qui me non viderunt, credant, & vitam consequantur. Quod scribis ad me, te velle, ut ad te veniam; eas res, quarum gratia sum missus, debeo hic necessario obire; quas cum plane perfecero, ad eum recipi, qui me misit. Quo simul, ac assumptus fuero, aliquem ex discipulis meis mittam ad te, qui morbo, quo tantopere torqueris, faciat medicinam, & vitam tibi, tuisque impertiat.*

Dicimus II. Factum, quod continent geminæ Epistolæ Christi Domini, & Abgari Regis, esse certum, ac Epistolas ipsas esse genuinas, non commentitias, & spurias.

I. Probatur. Et quidem sequentes opinionem Serry, ejusque quoque rationes amplectentes, ut videatur, nullam nos cum præfato Scriptore contentionem habere, sed tantum pro rei veritate certare; quam si apud illum invenimus, prompto animo amplectimur. Ex tribus autem capitibus Serry conclusionem probat, scilicet primo ex consensione temporum, & locorum; secundo ex disertissimis testimoniis veterum Scriptorum; tertio ex certa concinnitate rerum gestarum, atque Scriptorum. Et quidem pro ratione temporum, & locorum, hæc proponitur probatio. Pervenerat ad Christum Abgari supplicatio per epistolam pro salute corporis obtinenda tempore illo, quo fama miraculorum Christi delata fuerat ad Syriam, & per consequens ad Edessam: ergo rationabiliter potuit Abgarus Christum rogare, ut ab eo sanaretur. Antecedens patet ex cap. 4. Matthæi, ubi legitur: *Circuibat Jesus totam Galilæam, docens in Synagogis eorum, & prædicans Evangelium Regni, & sanans omnem languorem, & omnem infirmitatem in populo. Et abiit opinio ejus in totam Syriam, & obtulerunt ei omnes male habentes variis languoribus, & tormentis comprehensos, & qui dæmonia habebant, & lunaticos, & paralyticos, & curavit eos.* Consequentia sequitur. Si enim alii ad Christum accedebant, etiam ex finitimis locis, ut sanarentur, cur non poterat quoque Abgarus mittere, & scribere? Igitur in hoc nihil est, quod repugnet facto quo ad tempus, & locum primæ partis. Neque aliquid repugnat facti secundæ parti, quæ est sanitati redditæ Abgaro per Thadæum, fideique Edessenis prædicatæ anno quadragesimo tertio, ut ait Eusebius per eundem Thadæum Discipulum. Et quidem advertit Serry, notam hanc anni non esse notam anni nativitatis Christi, ut putarunt Christophorsonus, & Baronius, sed esse notam anni Regni Abgari; in textu enim Eusebii nulla fit mentio anni Nativitatis Christi, sed tantum leguntur hæc verba: *Ista* qua-

quadragesimo tertio anno post Christum natum gesta sunt; Unde potius qui Eusebium in latinum verterunt, notam illam de anno Christi intellexerunt, atque ita pariter scripserunt. Accedit, quod quum nota illa anni quadragesimi tertii inventa fuerit scripta in tabulario Edessæ, ut refert Eusebius; dicenda potius est nota anni Regnantis Principis, quam Christi nati, cujus Epochæ usus, vel Æræ Christianæ, nullus tunc erat, & præcipue apud Gentes. Igitur, quum conveniat annus quadragesimus tertius, quo Abgarus Edessæ regnabat, cum anno, quo Thadæus, unus ex Septuaginta Discipulis, Edessam ab Apostolis ad prædicandum missus fuerat; dicendum omnino est, quod in utraque parte facti ratio temporis, & loci, conveniat. Scimus Valesium ex manuscriptis Eusebii, notam illam anni, non quadragesimi tertii legisse, sed trecentesimi quadragesimi; quem quidem annum, non Regni Abgari asserit, sed Edessæ conditæ: attamen & hinc quoque ratio temporis stat, quia idem est annus datarum literarum, non vero sanitatis restitutæ Abgaro per Thadæum. Quod sic probat Serry: Annus Edessæ conditæ trecentesimus quadragesimus facile incidit in annum decimum sextum Tiberii Cæsaris; sed annus decimus sextus Tiberii Cæsaris ille annus erat, quo Christus jam baptizatus in Judæa prædicabat, & miracula patrabat: ergo erat ille idem annus, quo Abgarus Christo scripserat, ut sanaretur, & Christus Abgaro responderat, promittens ei sanitatem.

II. Probatur ex testimoniis veterum Scriptorum. Primo Eusebius Cæsariensis, qui fuit primus, & celebris historiæ Ecclesiasticæ scriptor, testimonium reddit lib. 1. histor. Eccles. cap. 13. verbis hisce: *Abgarus Rex, qui gentibus, prope Euphratem incolentibus, præstantissime, & magna cum laude præfuit; ubi esset gravi morbo, & insanabili quidem (quantum in hominum facultate, & curandi visitum erat) pene corpore labefactatus: celebreque nomen Jesu, & divinas ejus virtutes constanter ab omnibus testatas accepisset, Epistola ad eum per internuntium missa, supplex oravit, ut morbo, quo cruciabatur, penitus liberaretur. Jesus vero, licet illi ipsius auxilium tunc imploranti minime obsequeretur; litteras tamen separatim ad eum scriptas dare gravatus non est: quibus se unum ex Discipulis suis, qui morbo mederetur, eo missurum, ut saltem non ei solum, sed etiam suis omnibus præstiturum, benignus promisit. Neque certe longo temporis spatio interposito ista promissa cumulate illi perfecta sunt. Nam ubi Servator excitatus a mortuis in Cælum ascenderat, Thomas unus ex duodecim Apostolis, divino quodam impulsu commotus, Thadæum fratrem, qui erat in numerum Septuaginta Discipulorum Christi descriptus, prædicatorem, & Evangelistam doctrinæ Christi ad Edessam usque misit; ac per ipsum Servatoris nostri promissa exitum suum sunt plane consecuta. Quarum rerum insigne, & locuples testimonium ex Tabulario Edessæ Civitatis id temporis a Rege* (alius ille Abgarus est) *gubernatæ depromtum habes. Nam in Tabulis publicis, quæ nedum veteres, sed recentes etiam res nuper ab Abgaro gestas continebant, hæc eadem ad hanc nostram ætatem reservata reperiuntur. Quare nihil commodius esse putavi, quam ipsas Epistolas a veteribus illis Annalibus petitas, atque adeo ad verbum ex lingua Syriaca in Græcam conversas hoc loco citare, quæ ita se habent &c.* Ubi adnotare juvat, quod hoc nomen *Abgarus* omnibus Edessenorum Principibus commune erat, & Arabicâ lingua idem sonat, ac potentissimus. Secundo post Eusebium Cæsariensem ponitur S. Ephrem, Syrus, & Ecclesiæ Edessenæ Diaconus; qui in Opusculo novissimo ex omnibus ejus libris, & quod titulum habet, *Testamentum Ephrem*, hæc scribit: *Quando Rex Abgarus, qui hanc Civitatem extruxit, rogabat ut exciperet eum, qui peregrinus in terris apparuerat, Salvatorem, inquam, universorum, & Dominum omnium, Christum, dicebat: Omnia audivi, quæ a te facta sunt, & quæcunque a reprobis, & aspernantibus te Judæis passus es; veni igitur huc, & nobiscum habita. Habeo enim mihi Civitatem hanc exiguam, quæ tibi, & mihi sufficiet. Cujus etiam fidem admiratus Dominus, mittens eo per nuncios perpetuo Civitati illi benedixit, firmans ipsius fundamenta. Benedictioque illa inhabitans in ea permanebit, donec Sanctus e Cælo apparebit Jesus Christus, Filius Dei, & Deus ex eo.* Tertio, Darius Comes, in Epistola ad Augustinum, quæ inter Augustinianas secundum editionem Lovaniensem erat 203., modo autem est 230. scribit: *Fertur Satrapo, seu Regis potius cujusdam Epistolæ Deum Dominum Christum deprecantis, cum intra Judææ regiones adhuc versaretur, & necdum in Cælum suum remeaverat; (quoniam is ad eum ire, ac pergere per ægritudinem præpediretur, & sanari aliter se non posse crederet) ad*

se, si dignaretur, Mundi salus, ac medicina decurreret, & ne tanta majestati, quam ignarus Rex provida, sed non perfecta mente conceperat, injuria fieri videretur; laudasse insuper dicitur suam Civitatem, ut pulchritudine Urbis, & Regis hospitio Deus illectus preces supplicis non dedignaretur. Adfuit Deus Regi, sanatus est, & amplificato petitionis munere, per epistolam, non modo salutem, ut supplici, sed etiam securitatem ut Regi transmisit. Quarto, dictis adjunguntur Procopius lib. 2. de bello Persico cap. 12. Evagrius lib. 4. hist. cap. 26. Nicephorus Callixtus lib. 2. cap. 7. Theodorus Studita epistola ad Paschalem Romanum Pontificem, Cedrenus in suo Compendio, ubi testatur anno 1035., temporibus nimirum Michaelis Paphlagonis, epistolam Jesu ad Abgarum omnes in veneratione habuisse; Baronius in Annalibus ad annum 31. & 43. Ergo si epistolis illis Ecclesiæ Patres, & Historiæ Ecclesiasticæ Scriptores, suffragantur, non sunt a nobis eædem contemnendæ, nec historia sanitatis Abgaro restitutæ per Thadæum rejicienda.

III. Probatur. Nihil est in dictis Epistolis, quod repugnantiam contineat: ergo non sunt respuendæ. Probatur antecedens. Si quid esset, esset primo confessio Filii Dei facta ab homine Gentili, qui nullam de Filio Dei notitiam habere poterat; & continetur verbis illis Epistolæ Abgari: *Quæ quidem cum de te audissem, de duobus bisce alterum verum esse cogitabam: Te, aut Deum esse, & e Cæli fastigio delapsum, aut Dei Filium saltem, qui ista tam stupenda edas miracula?* Secundo, repetitio verborum, quæ Christus dixerat Apostolo Thomæ, & postea in sua epistola scripsit: *Beatus es, qui cum non videris me, in me tamen credidisti.* Tertio, quod non sanavit Abgarum illico per seipsum, sed post tempus voluit a suo discipulo sanandum. Quarto verba, quæ dicuntur dicta ab Abgaro ad Thadæum, qui eum ad sanandum venerat, & qui Regem interrogaverat de fide, quam in Christum haberet: *Usque adeo credidi ei, ut & Judæos, qui eum crucifixerunt, velim trucidare, si ulla mihi adesset tanta Exercitus copia, & si non Romani Regni authoritas impediret*; sed nullum ex dictis monumentum repugnantiam continet: ergo &c. Probatur minor. Non primum; quia Syrii, propter loci vicinitatem, Judæis commercio conjuncti, audiverant Messiam Dei Filium tunc temporis a Judæis expectari; immo poterant etiam cognoscere ex publica fama, quæ tunc per Syriam volitabat, ut Matthæus docet, Jesum pro Filio Dei communiter esse habitum, quod & ipsi Dæmones prædicabant, vel inviti. Cæterum, nec Abgarus, nec Judæi ad fidem vocati, qui Christum Dei Filium communiter vocabant, pro Dei Filio secundam Trinitatis personam intelligebant, sed virum excellenti virtute, ac sanctitate præditum, quem Deus ad homines miserat cum potestate magna, nondum enim tunc temporis expressa, & distincta Trinitatis revelatio Judæis facta fuerat. Neque secundum; nulla enim est implicantia, quod Christus eandem sententiam bis usurpaverit, & scripto, quando Abgaro Epistolam misit, & voce, quando Thomam increpavit. Neque tertium; tum quia Christus non debebat deserere Judæam, ut præsens Abgarum sanaret; tum etiam, quia Essenis, qui Gentiles erant, Evangelium prædicari non conveniebat, antequam Cornelius baptizaretur, & Christus in Cœlum reciperetur; tum denique, quia Christus Dominus erat & arbiter donorum suorum, & ea poterat hominibus pro suo libito, quando, & quomodocunque vellet, impartiri, differre, vel denegare. Nec denique quartum; nullam enim repugnantiam videmus in eo, quod homo nobilis, qui a Christo beneficium acceperat, illati eidem injurias ulcisci vellet. Simile fecit Petrus in horto, quando gladium exemit, & Pontificis servum percussit. Simile quoque præstiterunt Jacobus, & Joannes, quando ignem de Cœlo advocarunt, ut consumeret Samaritanos, qui Christum recipere detrectabant.

Obstant I. Si Epistola Christi ad Abgarum est genuina, hoc ipso erit pars Scripturæ Canonicæ, & quidem ipso Evangelio longe dignior; sed talis non est: ergo non est genuina. II. Epistolæ, de quibus loquimur, rejectæ fuerunt inter apocryphas a Concilio Romano sub Gelasio I. Romano Pontifice: ergo non sunt legitimæ, nec genuinæ. III. Augustinus lib. 1. de consensu Evangelist. cap. 7. & S. Thomas 3. p. q. 42. art. 5. docent, Christum nihil scripsisse, quod, & nos in hac præsenti Dissertatione præcedenti conclusione statuimus: ergo non scripsit Epistolam ad Abgarum, quæ vulgo sub ejus nomine circumfertur. IV. S. Hieronymus texuit librum de Scriptoribus

Eccle-

Ecclesiasticis, & in eo Abgarum non inseruit, quem profecto inseruisset, si ejus epistolam, ad Christum missam, uti sinceram, ac legitimam agnovisset. V. Si Antiqui Patres epistolam Abgari, Christo scriptam uti legitimam habuissent, eam certo objecissent Arianis, utpote continentem apertissimum divinitatis Christi testimonium; quod quum non fecerint, signum est, quod de ejus sinceritate dubitabant: ergo antiquorum Patrum testimonium genuinitati, & sinceritati harum Epistolarum non suffragatur. VI. Eusebius quum esset Edessenæ Civitati admodum addictus, facile deceptus est, ut crederet epistolas illas, quæ Edessenæ Ecclesiæ magnam afferebant honoris, & gloriæ laudem; adeoque absque criterio illas e Tabulario Edessenæ Ecclesiæ descripsit, & in sua historia consignavit; unde dicendum est, vel quod fuerit deceptus, vel quod decipere voluerit. VII. Ephrem Syrus plura dicit, quæ veritati historicæ non cohærent: ergo nec sinceritatis harum epistolarum irrefragabilis est assertor. Probatur antecedens. Dicit, quod Abgarus Edessam extruxerit, quam tamen condidit Seleucus Magnus, Rex Syriæ; dicit ulterius, quod Christus Dominus benedictionem suam dedit eidem Civitati, dum fundamenta ejus extruerentur; quod, quam alienum a veritate sit, nemo non videt. Dicit denique, quod Christus Dominus misit nuncios ad Abgarum, quod veritati non consonat, quia Thadæus non fuit a Christo Domino, sed ab Apostolis Edessam missus. VIII. Argumenta nostra solum probant possibilitatem facti, non existentiam; sed apud Logicos ineptum est argumentandi genus a potentia ad actum: ergo argumenta nostra, vel nihil, vel inepte probant. Et hæc est objectio, vel potius responsio, Anonymi Conterranei. IX. Potuit esse, quod fuerint aliquando veræ, legitimæ, ac genuinæ, epistolæ mutuæ Abgari ad Jesum, & Jesu ad Abgarum; & quod deinde tractu temporis fuerint deperditæ, & in illarum locum fuerint suppositæ illæ, quas ex Tabulario Edessenæ Ecclesiæ exscripsit Eusebius, & quas modo habemus: ergo semper stat, quod illæ, quas modo habemus, sunt suppositæ, & non genuinæ. X. Argumenta nostra probant sanitatem Abgari Regis ex genuinitate epistolarum, & probant similiter genuinitatem epistolarum ex sanitate Abgari Regis; sed hoc est insulsum, ac ridiculum argumentandi genus: ergo, &c. Et hæc est pariter Anonymi prædicti ad argumenta nostra responsio. XI. Idem dicit, quamvis alieno, non proprio nomine, dicere fateatur, quod Scriptores, quos nos proferimus in sententiæ nostræ tutelam, sint mediæ ætatis; eosque nominatim accusat; Procopium, scilicet, ex Christiano, & Gentili concretum; nec Deo, nec Diis sincerum, scriptorem aulicum potius, quam veridicum; Evagrium bonum dicit simplicianum; Nicephorum fabulatorem; Theodorum Studitam turbidum, ac impostorem; Cedrenum sublestæ fidei; Baronium cœcutientem, suisque plus nimio præjudiciis occupatum. XII. Et hoc est novum systema, quo ipse utitur, ad rejiciendas Epistolas, quas propugnamus; quod nimirum Arianismo scateant; & hoc probare nititur, quia Abgarus vocat Christum aut Deum, aut Filium Dei: ergo distinguit Filium Dei a Deo; sed hic erat modus loquendi Arianorum: ergo vere, ait ipse, epistolæ istæ Arianismo redolent. Affert postmodum ad hoc probandum multa Arii, & Eusebii Cæsariensis verba, quibus differentiam, quam faciebant Ariani inter Deum, & Dei Filium, modo ipsorum intellectum ad oculum usque se exponere jactat. Hanc quidem excogitationem novam venditat, & suam esse proclamat; quam nemo scilicet hucusque invenit, nemo aperuit, nemo publici juris fecit. An autem ita sint, ut ipse putat, ac jactat, in responsionibus videbimus.

Respondemus ad I. Epistolæ, de quibus loquimur, humana tantum traditione munitæ, illos præseferunt Authores, quorum gestant nomina, scilicet ex publico Edessæ Tabulario; igitur non Sacro Apostolicæ traditionis charactere insignitæ ad nos pervenerunt; & per consequens in Sacrum Divinarum Scripturarum Canonem referri non potuerunt. Non enim illico scriptio aliqua in Sacrarum Scripturarum Canonem referenda est, si a Christo dicatur, vel ab Apostolis scripta, si non sacræ traditionis adjutorio munita ad nos pervenerit. Et hinc Augustinus lib.28.contra Faustum cap.4. legem ponit pro Sacrarum Scripturarum Canone, quæ in sequentibus verbis continetur: *Ut ab Apostolis per succedentes sibimet Episcopos usque ad præsentia tempora dilatentur . . . . adeout, si aliqua Chri-*

sti

sti literæ proferrentur, considerandum esset, a quibus proferrentur. Hoc ipsum confirmat S. Doctor exemplo libri Enoch lib. 15. de Civit. Dei cap.23., quem, quanvis putet ob Sancti Judæ Apostoli testimonium non posse in dubium revocari; attamen dicit, quod ab Hebræis in Codicem Sacrorum librorum veteris Testamenti relatus non fuit, quia non pervenerat ad Synagogam divina, constanti, atque imperturbata Majorum traditione. Hoc ipsum de Epistola Jesu ad Abgarum dicere possumus; ac proinde veteres Scriptores, qui eam, ut certam receperunt, a Sacro tamen Canone procul esse dixerunt; quia fieri potest, ut scriptio aliqua constet esse Christi Jesu, & tamen in Canone non habeatur, quia veritas ejus, & authentica nititur tantum humana non divina, nec Apostolica authoritate. Et hæc est responsio Serry.

Ad II. Gelasius I. in Concilio Romano illam dixit apocrypham, scilicet, non agiographam, & Sacri Canonis partem; quod observavit Cardinalis Baronius ad annum Christi 31. non vero dixit illam falsam, spuriam, & Christo suppositam; quia veterum Patrum, & Scriptorum Ecclesiasticorum authoritas eam fecerat certam, & minime dubiam.

Ad III. Augustinus, & S.Thomas loquuti sunt de illis scriptis, quæ doctrinam Christi continere possunt, quam continent Evangelia, & illa negarunt, fuisse unquam a Christo exarata, quemadmodum, & nos quoque negavimus. Non autem loqui poterant de hac epistola, quæ & brevis admodum est, & nullam continet de lege Christi doctrinam, quam latissime comprehendunt Evangelia. Hoc autem patet apertissime ex instituto, quod sibi proposuerat Augustinus in illo loco: „ Eos enim exagitat Sanctissimus Doctor, inquit Serry, qui „ Evangeliorum Scriptoribus fidem adjungere detrectabant; Christo tamen se libentissime credituros, inquiebant, si de „ se ipse scripsisset„. Hæc autem verba nequeunt intelligi de brevissima Epistola, quæ nihil de miraculis Christi narrat, nihil de doctrina ejus exponit.

Ad IV. Hieronymus credi non debet in recensendis Scriptoribus Ecclesiasticis, adeo facilis, ut in eorum numerum referret Abgarum, qui brevem Epistolam exaravit. Posuisset potius, ait Serry, in illo numero Tiberium, Hadrianum, Marcum Aurelium, Gallienum, qui scripserunt Epistolas effusiores, & Ecclesiæ Catholicæ longe utiliores; quas ex integro exscripsit, aut saltem indicavit Eusebius lib.4. histor. Ecclesiast. cap.9. & 13., & lib. 5. cap. 5. Quos quum non posuerit, nec ponere debebat Abgarum, qui breviorem scripsit Epistolam, nihil de Christi miraculis narrantem, & nihil de doctrina ejus continentem.

Ad V. Hæc reponit Serry: „ Cur non objecerint, divinare nostra non interest: „ infinita quippe primis Ecclesiæ seculis, „ vel facta, vel omissa esse constat, quorum rationes rimari difficile foret. Id „ tamen omnino certum, non ideo a proferenda adversus Arianos Abgari Regis „ Epistola Patres veteres abstinuisse, quod „ eam supposititiam arbitrarentur: cum „ ad eam Arianis objiciendum satis superque fuisset, quod ab Eusebio viro medullitus Ariano, numerosissimæque factionis Antesignano agnosceretur. Sic enim „ ex ea momentum, quod ad hominem „ Schola vocitat, petere potuissent.„ Attamen Cherubinus a S.Joseph, Carmelita Discalceatus, a nobis supracitatus, hæc reponit: „ Nam primo quid *amabo* ex eo „ quod Patribus non admodum fuisse perspectam, Epistolam in Archivorum arcanis servatam dixerimus, sequetur absurdi? Unde ejus authoritatem adhibere „ non potuere, neque etiam solliciti fuere. Deinde apud *Arianos* quam multum „ valebat *Abgari* nomen, ut ex ejus testimonio convicti arma deponerent, ac „ subscriberent, palinodiam canerent? Frustra igitur ejus suffragium se prolaturos „ non dubitassent Patres, si qui eam nossent. Sed quomodo *Divinitatem Christi* „ *diserte* attestatur *Abgarus*, nobis non patere fatemur. An enim qui ita loquitur „ (*Te verum esse de duobus unum, te aut* „ *Deum esse, aut Dei filium*) diserte divinitatem *Christi* attestatur? Cum Deum a Dei „ filio expresse separet, ac distinguat, itaut „ de duobus unum Christo tribuat. Si dixisset, *Hoc unum verum esse cogitabam, te* „ *Deum esse, & Dei Filium, melius haberet*. „ Tandem nunquid *Ariani* hoc ipsum non „ lubenter admisere, *Christum* esse Dei Filium? Vides itaque hoc loco non satis „ attendisse *Alexandrum*.„ Videant, & observent Legentes in verbis hisce Anonymi opinionem præformatam, quam ipse tamen a nemine ante ipsum præfiguratam, immo nec excogitatam fuisse, jactitat.

Ad VI. Omnes facile poterant Edessenæ Ec-

Ecclesiæ Tabularium perlustrare; ideoque perquirere, an epistolæ istæ invenirentur, & an essent eo modo,quo ab Eusebio vulgabantur. Unde si Eusebius eas ex suo cerebro deduxisset, facile potuisset, ut fœdissimus impostor convinci, & publicari. Quod nunquam fuisse factum, omnes norunt, atque fatentur. Noluit ergo Eusebius suam Historiam Legentes decipere. Sed neque ipse deceptus est. Non enim privatum erat, sed publicum Edessenæ Ecclesiæ Tabularium, nec quis proinde in eo poterat inserere, quæ sibi pro arbitrio arridebant; falsitatis enim eum posset quilibet facile accusare. Addimus, quod Epistolas hasce non solus Eusebius legebat, sed quicunque Tabularium illud observasset; unde nemini locus erat scriptiones aliquas in eo de novo ponere, quæ primitus non fuerant.

Ad VII. Ephrem Syrus obiter dixit, Regem Abgarum Edessam Civitatem extruxisse, quam quidem extruxit Seleucus Magnus, Rex Syriæ. Attamen Serry dicit, non accipiendum esse de ipsamet Urbe, sed de Urbis operibus, a molitionibus, quas Rex Abgarus ædificavit. Et quod subditur de Urbi concessa benedictione, intelligendum vult de gratia fidei per Ministros Evangelicos universis Edessenis concessa, & quam illis ad extremum usque judicium adfuturam Sanctus Ephrem præcabatur, quanvis nolita postmodum fuerit. Non est autem sufficiens ratio, ut rei substantiæ fides denegetur, si quid obiter dictum, aut non vere, aut non bene dictum inveniatur. In his enim circumstantiis enarrandis non ita insudant Scriptores, uti in rei substantia, quam ubi pro laboris scopo præfigunt.

Ad VIII. Quando factum aliquod refellitur propter repugnantiam ejus, optimum est consilium, & recta ratio, illud ipsum defendere, solvendo repugnantias, quæ ad idem impugnandum, congeruntur. Quum ergo sanitatis Abgari, & utriusque Epistolæ factum, ab Adversariis respuantur propter repugnantias, quas ipsi comminiscuntur, iisdem repugnantiis occurrere, non est a potentia ad actum argumentari, sed est potius Adversariis ostendere, rem ita esse, quia repugnantiæ nullæ sunt.

Ad IX. Hoc systema in medium adduxit præfatus Cherubinus a S. Joseph, & ad illud propendere alii etiam videbantur. Sed re postea melius considerata ab illo discessit, & ipsum fortiter impugnavit; tum quia si veræ epistolæ fuissent in Tabulario scriptæ, deperdi non potuissent; tum etiam quia si deperditæ unquam fuerunt, hoc ipsum debuissent scrire omnes Edesseni; quando ergo novæ in Tabulario fuerunt positæ, nemo facti novitatem demiratus est? Nemo contra novitatem ipsam reclamavit? Nemo Eusebii, aut alterius, imposturam accusavit. Quæ omnia sine turpi falsitate, sine manifesta hallucinatione, facta esse, quis eredat?

Ad X. Dixisset potius, & vere dixisset Anonymus noster, si nobis objecisset, quod ex eodem capite deducimus utriusque facti veritatem, ex concordantia, scilicet temporum, ex veterum testimonio, & ex repugnantiarum solutione, quas Adversarii nobis opponunt: At dicere, quod unum ex altero facto probamus, verum, sua pace, non est; & de hoc Legentes omnes judices advocamus. Si autem apud ipsum duas Conclusiones, sibi cohærentes, iisdem rationibus probare, idem est, ac unam ex altera, & alteram ex una, probare, hoc novum est Logicæ genus, quod usquemodo nemo, præter ipsum, excogitavit.

Ad XI. Aliquis dixisset contra nostram sententiam Propugnantes, si dixisset, illos in confirmationem ejusdem solos Scriptores mediæ ætatis inducere, & quidem illos, quos ipse acuto calamo proscindit. At hoc falsum est; quia & veteres proferunt, ut antiquitatem sententiæ ostendant, & novos adducunt, ut perpetuitatem ejusdem confirment. Adducunt ex veteribus Eusebium, cujus quanta sit authoritas in Ecclesiastica historia, nemo nescit; adducunt Ephrem Syrum, cujus quanta esse debuit peritia in rebus Ecclesiæ suæ dignoscendis, nemo ignorat; adducunt Darium, Augustino scribentem, & Augustinum ipsi non contradicentem, quorum quanti fieri debeat testimonium omnes norunt. Deinde postmodum adducunt Procopium, Evagrium, Nicephorum Callixtum, Theodorum Studitam, Cedrenum, aliosque; qui an mereantur maledicta, quæ in ipsos Anonymus liberaliter immittit, viri docti æque, ac pii, facili negocio judicabunt.

Ad XII. Gentilis homo, vel qui sub Gentilis hominis larva scribebat, non poterat de Dei Filio scribere, quæ tunc temporis nec Judæi ipsi sciebant. Scribebat ergo, ut a Vulgi ore percipiebat, & ab hominibus illis didicerat, qui Christum modo Deum, modo Dei Filium, appellabant. Et quidem si Gen-

si Gentilium loquendi modus advertatur, nullus erit admirandi locus, si Abgarus Christum, modo Deum, modo Dei Filium vocitat. Illi enim solemne habebant, & Deos Patres, & Deos Filios nominare; ut de Saturno, & Jove omnes sciunt. Trinitatis autem notitia, quæ tunc temporis nondum ad Hebræos perfecte pervenerat, quomodo poterat ab homine Gentili adeo exacte comparari, ut bene distingueret inter Deum Patrem, & Filium, & Deum Spiritum Sanctum, & adeo de iisdem castigate loqui, uti Catholici omnes loquuntur? Nullum ergo mysterium in verbis illis agnoscimus, per quod judicare possimus, ab impostore aliquo sic fuisse composita, ut hæreseos suæ speciem præseferrent. Quod autem in iisdem nulla Arianismi suspicio contineatur, primo ex eo conjicimus, quod Ariani nunquam illa Cotholicis objecerunt. Et debuisset sane Eusebius, qui verborum illorum dicitur Inventor, & Author, Catholicis objicere, ut ex impostura sua fructum saltem aliquem sibi, suisque Sodalibus, compararet. Secundo, recte considerantibus Arii, & Eusebii verba, quæ ab Anonymo adducuntur, nulla apparet connexio inter verborum Abgari sensum, & sensum illorum, quæ ab Ario, & ab Eusebio scribuntur. Ariani enim, etsi Verbum dicerent esse Dei Filium, dicebant tamen esse creaturam; nihil tale Abgarus asserit. Sed dicit Dei Filium, qui non sit Deus; facit enim disjunctionem inter Deum, & Dei Filium: ergo dicit Dei Filium, qui sit creatura. Sed vanum est ab homine Ethnico distinctiones hasce exigere, quæ vix ab homine Catholico, sed imperito, exiguntur. Idem enim putabat Abgarus esse Deum Patrem, & esse Deum Filium, quatenus uterque esset Deus, ut de Saturno, & de Jove dictum est. Tertio, nulla in illis verbis Abgari agnoscitur differentia inter Dei, & Dei Filii potentiam, quam tamen Ariani maxime propugnabant, ut Deo, Dei Filium facerent inferiorem. Quod perspicuum est in verbis illis Epistolæ Abgari ad Jesum: *Quæ quidem cum de te audivissem, de duobus hisce alterum verum esse cogitabam: Te, aut Deum esse, & e Cœli fastigio delapsum; aut Dei filium saltem, qui ista tam stupenda edas miracula*. Quarto, Scriptores omnes, qui usquemodo de Abgari Epistola scripserunt, & ut eam rejicerent dixerunt, ab illius verbis Arianismum damnari, omnes quidem cæcutierunt, & solus nuperrimus Anonymus iste cæcitatem illorum illuminavit, afferendo, & tanquam ex tripode pronunciando, quod tantum abest, ut ab Abgari Epistola Arianismus damnetur, quod potius ab illa promulgetur, ac promoveatur. Judicent illi omnes, qui Scriptores illos, magni quidem nominis, & famæ norunt, & norunt pariter Anonymum, doctum fortassis hominem, sed novum, & nunc primum in Literatorum hominum cœtu apparentem. Quinto demum, quare novus hic Scriptor hanc imaginationem suam propriam jactat, quam nos nuper a Cherubino a S. Joseph factam vidimus; & cum hac quidem differentia, quod Cherubinus, inanitatem ejus agnoscens, eam floccipendet, iste vero adeo magnificat, ut se illius jactans Authorem, se ipsum magnis laudibus extollat, ac ab omnibus proinde laudandum esse, aut velint, aut nolint, manibus, pedibusque contendat. Postremo, Anonymus noster deridet Serry, qui in eadem Dissertatione impugnat, quæ ab aliis narrantur, tanquam ex præfatis epistolis consequentia. Hæc sunt verba, quæ ex Serry refert: „ Se, dum „ binas Christi, & Abgari literas, totamque restitutæ per Thadæum regulo sanitatis narrationem defendit, propugnat; „ non perinde reliquas narrationis hujus „ appendices tueri velle; quas Scriptores „ posterioris ævi addiderunt, nimiaque, „ quam par erat, crudelitate commenti „ sunt: ut, inter cætera, Christum expressam linteo imaginem suam ad Abgarum illius cupidissimum transmisisse. „ Quod quidem nulla veterum authoritate nititur, sed a Græcis fabularum avidissimis media ætate confictum est; *ab* „ *Evagrio*, scilicet, *lib. 4. hist. cap. 26. &* „ *Joanne Damasceno lib. 4. de fide cap. 17.* quibus, secutis inde temporibus adstipulatus „ est Nicephorus Callixtus, qui & fabellam „ novis pigmentis obduxit lib. 2. hist. cap. „ 7. „ Verum hæc distincta sunt, & cum Epistolarum sinceritate talem non habent connexionem, ut illa admissa, hæc etiam admitti debeant, atque defendi. Cæterum de Civitate Edessæ, quod non fuerit inexpugnabilis, idem cum Serry judicium habemus; de imagine vero Christi ad Abgarum per Thadæum lata, quando de Imaginum adoratione tractabimus, judicium nostrum proferemus.

Dicimus III. Libros, qui dicuntur Scripti a Christo Domino ad Petrum, & Paulum, esse suppositos, adulterinos, ac falsos

I. Pro-

I. Probatur. Tempore, quo Christus Dominus vivebat, Paulus in Apostolatu non erat: ergo non poterat et Christus scribere librum; & Petrus ex altera parte semper Christo præsens assistebat: ergo loqui cum eo poterat, sed non ad eum scribere: ergo fictitii sunt prorsus libri, qui dicuntur ad Petrum, & Paulum a Christo Domino scripti.

II. Probatur. Libri illi, ut ajebant Gentiles, continebant magiam, per quam Christus Dominus miracula operabatur; Lectores ergo Librorum illorum, qui eandem magiæ doctrinam ex libris illis percipiebant, quare per illam non eadem miracula operabantur? Et hæc est ratio, quam ex Augustino late prosequitur S. Thomas 3. p. q. 42. art. 4. in corpore: *Sciendum tamen est, sicut Augustinus dicit in prima de Consensu Evangelistarum, aliquot Gentiles existimasse, Christum quosdam libros scripsisse continentes quadam magica, quibus miracula faciebat, qua disciplina Christiana condemnat. Et illi tamen, qui Christi libros tales se legisse affirmant, nulla talia faciunt, qualia illum libris talibus fecisse mirantur. Divina enim judicia sic errant, ut easdem libras ad Petrum & Paulum dicant, tanquam epistolari titula pranotatos, eo quod in pluribus lacis simul eos cum Christo pictas viderunt. Nec mirum, si a pingentibus fingentes decepti sunt: tota enim tempore, Christus in carne mortali cum suis Discipulis vixit, nondum erat Paulus discipulus ejus.*

DISSERTAT. CCXXXVI.

De Transfiguratione Christi. Quomodo facta fuerit Christi Transfiguratio? Quibus circumstantiis, & quo ordine? Et an Moyses, & Elias, vere cum Christo in ejus Transfiguratione apparuerint?

NOMINE Transfigurationis venit transformatio, ut legit Syriaca versio; sed non illa, de qua loquebantur Poetæ, & per quam homines in bruta transformabantur; sed alia potius, quæ intelligitur, non per illusionem imaginariam, aut per quid phantasticum, sicut Dæmones transfigurant Magos, & Sagas, in feles, in canes, in porcos, &c., hæc enim Christo convenire non poterat. Neque Christus in sui Transfiguratione suam divinitatem Apostolis ostendit, sicut ostendit Sanctis in cœlo; neque mutavit vultus sui essentiam, aut formam, aut figuram, aut colorem; tota enim mutatio fuit extrinseca, ut communiter Interpretes intelligunt. S. Thomas probat, conveniens fuisse, Christum Dominum transfigurari. Et hoc probat 3. p. q. 45. ar. 1. in corpore verbis hisce: *Respondeo dicendum, quod Dominus discipulos suos, prænunciata sua passione, induxerat eos ad suæ passionis sequelam. Oportet autem ad hoc, quod aliquis directe procedat in via, quod finem aliqualiter præcognoscat: sicut sagittator non recte jaciet sagittam, nisi prius signum prospexerit, in quod jaciendum est. Unde Thomas dixit Joannis 14. Domine, nescimus quo vadis; & quomodo possumus viam scire? Et hoc præcipue necessarium est, quando via est difficilis, & aspera, & iter laboriosum, finis vero jucundus. Christus autem per suam passionem ad hoc pervenit, ut gloriam obtineret non solum animæ, quam habuit a principio suæ conceptionis, sed etiam corporis, secundum illud Lucæ ultimo: Hæc oportuit Christum pati, & ita intrare in gloriam suam. Ad quam etiam perducit eos, qui vestigia suæ passionis sequuntur, secundum illud Actor. 14. Per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum cœlorum. Et ideo conveniens fuit, ut discipulis suis gloriam suæ claritatis ostenderet, quid est ipsum transfigurari, cui suos configurabit, secundum illud Philippen. 3. Reformabit corpus humilitatis nostræ, configuratum corpori claritatis suæ. Unde Beda dicit super Matthæum: Pia provisione factum est, ut contemplatione semper manentis gaudii, ad breve tempus deli-*

delibata, fortius adversa tolerarent.

Dicimus I. Transformationem Christi fuisse positam in hoc, quod substantia vultus, & corporis ejus, retenta propria forma, atque figura, emiserit internum suum splendorem clariorem, ad Solis instar. Idem dicendum de vestibus, ad quas ex corporis, & animæ, claritate profluebat, ut essent albæ, candidæ, splendentes, & refulgentes.

I. Probatur. In Evangelio Lucæ dicitur, fuisse *speciem vultus ejus alteram*: in illo Matthæi, *resplenduisse faciem ejus sicut Sol*: iterum in illo Lucæ: vestimenta ejus facta *alba, & refulgentia*: in illo Matthæi, *facta alba sicut nix*: in illo Marci, *splendentia, & candida nimis velut nix, qualia fullo non potest super terram candida facere*. Ad quæ Evangelii verba Hieronymus ad cap. 17. Matthæi hæc habet: *Ubi splendor faciei ostenditur, & candor describitur vestium, non substantia tollitur, sed gloria commutatur; cum transformatus est Dominus in eam gloriam, qua venturus est in regno suo. Transformatio splendorem addidit, faciem non subtraxit*. Et ante ipsum dixerat Tertullianus lib. de Resurrect. carnis: *Dominus in secessu montis vestimenta luce mutaverat, sed lineamenta Petro agnoscibilia servaverat*. Victor autem Antiochenus in cap. 9. Marci hoc exemplo confirmat: *Beatos in resurrectione pristinam effigiem servaturos, novumque decorem, splendoremque habituros*. Et S. Thomas denique cit. loco art. 1. ad 1. hæc docet: *Ad primum ergo dicendum, quod sicut Hieronymus dicit super Matthæum: Nemo putet Christum per hoc, quod transfiguratus dicitur, pristinam formam, & faciem perdidisse, vel amisisse corporis veritatem, & assumpsisse corpus spirituale, vel aureum. Sed quomodo transformatus sit, Evangelista demonstrat, dicens: Resplenduit facies ejus sicut sol; vestimenta autem ejus facta sunt alba sicut nix. Ubi splendor speciei ostenditur, & candor describitur vestium, non substantia tollitur, sed gloria commutatur*.

II. Probatur a Gravesone lib. de mysteriis, & annis Christi Differt. 14. §. 2. verbis hisce: „ Sicut claritas corporis gloriosi „ manat ab anima donata visione beatifica, „ ita claritas corporis Christi in Transfigu- „ ratione proficiscebatur ab ipsius anima, „ & a supposito divino, ipsi hypostatice „ unito. Enim vero quanvis gloria animæ „ Christi a momento conceptionis beatitu- „ dine perfusæ non redundaverit in corpus, „ ita disponente Deo, ne impediretur Re- „ demptionis mysterium; nata tamen erat „ anima Christi ad effundendam gloriam „ in corpus; sicut re vera quantum ad glo- „ riæ claritatem accidit in Transfiguratio- „ ne, aliter tamen quam in corpore glorio- „ so, nam ad corpus gloriosum redundat „ claritas ab anima instar qualitatis perma- „ nentis corpus afficientis, at in Transfigu- „ ratione claritas gloriæ prorumpens e di- „ vinitate, & Anima Christi, effusa est in „ ipsius corpus, non per modum qualitatis „ immanentis, & afficientis ejus corpus, sed „ per modum passionis transeuntis, non „ secus ac contigit Apostolo Paulo, dum in „ suo raptu vidit essentiam Dei, ut explicat „ S. Thomas 2. 2. qu. 75. art. 2. ad 2. Cla- „ ritas ergo, quam Christus in sua Transfi- „ guratione ostendit, orta est ex ipsius ani- „ ma, quæ licet a momento Conceptionis „ semper beata, radios tamen suæ beatitu- „ dinis dispensatione divina in corpus suum „ non effundit, nisi in Transfiguratione, in „ qua animæ Christi claritas gloriæ ad bre- „ ve temporis intervallum in ejus corpus „ pro consolatione Apostolorum effluxit. „ Cæterum, an hic splendor Corporis Chri- „ sti in Transfiguratione fuerit miraculo- „ sus, nec ne? Difficultas est inter Theolo- „ gos. Ipse cum S. Thoma probabilius „ censeo, fulgorem, quo in Transfiguratio- „ ne resplenduit corpus Christi, fuisse pla- „ ne miraculosum; quia licet illa coruscan- „ tis gloriæ claritas relata ad Animam „ Christi non esset miraculosa, sed natura- „ lis, siquidem anima Christi a momento „ conceptionis potita est beatitudine, cujus „ appendix est claritas gloriæ, attamen re- „ lata illa gloriæ claritas ad Corpus Chri- „ sti, erat miraculosa, & minime naturalis. „ Nam cum in Transfiguratione, sicut mox „ diximus, claritas animæ Christi non fue- „ rit in corpus transfusa per modum dotis „ permanentis, sed per modum transeuntis, „ sequitur, Corpus Christi remansisse passi- „ bile, & mortale, perinde ac nostrum; quod „ autem corpus passibile, & mortale re- „ splendeat sicut Sol, ingens sane miracu- „ lum est. Utrumque ergo fuit miraculum, „ & Corpus Christi, stante ipsius animæ „ beatitudine, non fulgere ab instanti con- „ ceptionis, & idem corpus, non obstante „ illius passibilitate, fulgere in Transfigu- „ ratione. Immo in Transfiguratione du- „ plex fuit miraculum, primum, quia im- „ pediebatur gloriæ ab anima Christi in „ corpus effusio per modum dotis perma- „ nentis, sibi debitæ. Alterum, quia licet „ Deus totius naturæ Auctor constituisset,

„ ut gloria Animæ Christi toto illius vitæ
„ mortalis decursu non efflueret in corpus;
„ eo videlicet fine, ut per dolores, & Passionem suam, Servator noster Christus expleret Redemptionis nostræ mysterium,
„ contra tamen statutum illum ordinem
„ permisit Deus, ut in Transfiguratione
„ splendor gloriæ ex anima Christi scaturiens promicaret in corpore, hoc est, non
„ tantum faciem, sed etiam manus, & pedes,
„ cæteraque Corporis membra pervaderet, immo & ipsius vestimenta penetraret „.

Pro secunda Differtationis parte, de circumstantiis nimirum Transfigurationis Christi, intendimus, inter circumstantias hasce comprehendi tempus ipsius, & locum. Pro tempore, scilicet, quo mense, quo anno, quo die, Christus sit transfiguratus? Putant aliqui ex serie Evangelicæ historiæ Christum esse transfiguratum post Joannis mortem, quando scilicet trigesimum tertium ætatis annum agebat, & non multum a passione distabat, quam paulo ante Matthæi 16. ut jam imminentem discipulis prædixerat. In hac opinione sunt Ammonius Alexandrinus in harmonia Evangel., Jansenius in Concordia, Baronius in Annalibus. Et hoc erui putant est verbis Evangelii. Attamen in iisdem verbis hanc quoque diversitatem deprehendunt; Matthæus, Marcus, & Lucas, numerant diem Transfigurationis a die illa, in qua Christus sermonem habuit ad Discipulos suos, fuitque illos ad crucem ferendam hortatus, sermonem verbis hisce concludens: *Sunt de hic stantibus, qui non gustabunt mortem, donec videant Filium hominis in Regno suo.* Verum Matthæus, & Marcus dicunt, esse Christum transfiguratum *post dies sex*; Lucas vero *fere post dies octo*. Attamen conciliant Patres hanc varietatem, dicendo, Matthæum, & Marcum omisisse dies extremos, quos Lucas enumeravit; & ita sentiunt Augustinus de consensu Evangelist. cap.56., & Epiphanius lib. 2. hæref.66., post quos Expositores omnes se subscribunt. De loco, Matthæus cap. 17. dicit, Transfigurationem factam esse *supra montem excelsum*; at non aperit, quisnam hic mons fuerit. Unde aliqui putarunt, fuisse montem Oliveti, a quo Christus ascendit in Cœlum; & hæc opinio tribuitur Authori Itinerarii Jerosolymitani, quod & Burdigalense dicunt. Alii contendunt, fuisse montem Libanum; & hujus sententiæ est Franciscus Lucas, quem nonnulli Recentiores sequuntur: Alii demum existimant, fuisse montem Thabor; & in hac sententia fuerunt Hieronymus Epist. 27. ad Eustochium de Epitaphio Paulæ, Cyrillus Jerosolymitanus catechesi 12. Beda lib. de locis sanctis cap. 17. Damascenus serm. de Transfigurat. Nicephorus Callixtus lib. 8. hist. Eccles. cap. 30. Denique circa ordinem Transfigurationis, ait Suarez, ex Matthæo, & Marco, colligi, primo Christum fuisse transfiguratum; Secundo, apparuisse ei Moysem, & Eliam; Tertio, dixisse ei Petrum: *Bonum est, nos hic esse*; Et quarto, statim factam esse nubem, quæ illos omnes comprehendit, & tunc auditam fuisse vocem: *Hic est Filius meus dilectus*; qua territi discipuli ceciderunt in terram, & deinde a Christo confortati, levantes oculos neminem viderunt, nisi solum Jesum. Lucas vero addit, quod Christus oraverit antequam transfiguraretur, & interim discipuli dormitaverint, eisque dormitantibus Christus transfiguratus sit, eique Moyses, & Elias apparuerint. Et deinde, quod Apostoli excitati e somno, viderunt gloriam Christi, & illos, qui cum eo adstabant. Quando autem Petrus sit loquutus, Lucas indicare videtur, Petrum non esse loquutum, donec Elias, & Moyses, jam a Christo discederent. Alii vero Evangelistæ dicunt, multo antea Petrum loquutum, quam Moyses, & Elias, cum Christo loquerentur. Hanc difficultatem proposuit Augustinus lib. 2. de consensu Evangelist. cap.56.

Dicimus II., Transfigurationem Christi factam esse in monte Thabor, paulo ante passionem suam, & ordine illo, quo Petrus non dicatur loquutus, donec Moyses, & Elias, colloquium cum Christo finierint, & signum aliquod discedendi exhibuerint.

Prima Conclusionis pars probatur I. Mons ille non fuit mons Oliveti; tum quia mons Oliveti non est excelsus, sed humilis, distans ab ima parte Vallis Josaphat dumtaxat mille, & octoginta passibus; tum etiam, quia mons Oliveti situs est in Judæa, prope Jerosolymam, Christus autem, ut ex Evangelio colligitur, transfiguratus est in Galilæa: Neque fuit mons Libanus; quia quanvis is sit excelsus, & in Galilæa positus, conditiones tamen monti transfigurationis a Matthæo assignatæ longe melius conveniunt monti Thabor, quam monti Libano; Mons enim Thabor situs est in

media

media Galilææ; inter Tribus Zabulon, Ezachar, & Nephtali, & in altitudinem stadiorum triginta assurgit, & planitiem stadiorum viginti habet in vertice, ut testatur Flavius Josephus lib. 4. de bello Judaico cap. 2. ergo semper stat, quod mons Transfigurationis fuerit Thabor, non Libanus, nec Oliveti.

II. Probatur. Mons Thabor adeo in veneratione fuit apud primos Christianos, ut in eo fuerint ædificatæ tres Ecclesiæ in memoriam Transfigurationis Domini, & trium Tabernaculorum, quæ ibi volebat facere Petrus, ut testatur Beda de locis Sanctis cap. 17. S. Hieronymus quoque narrat in Epitaphio Paulæ, quod hæc Sancta mulier consueverat sæpe sæpius montem illum conscendere religionis caussa; & Damascenus in orat. de Transfigurat. Domini dicit, tunc adimpletum esse illud psalm. 88. *Thabor, & Hermon, in nomine tuo exultabunt*. Sua verba sunt: *Nam Hermon prius exultavit, quando paterno testimonio Christo ad baptismum profecto filii nomen tributum est, nunc vero exultat, ac lætitia perfunditur Thabor, divinus, ac Sanctus ille mons non minus gloria, quam altitudine sublimis*.

Secunda pars Conclusionis probatur I. Christus transfiguratus est ante Apostolos, ut eos in fide confirmaret, & ne in passione sua, quæ jam imminebat, scandalum paterentur: ergo paulo ante passionem suam est transfiguratus. Antecedens est doctrina S. Leonis Magni serm. 94., seu homiliæ de Transfiguratione, dicentis: *Ut de cordibus Apostolorum Crucis scandalum tolleretur, & ne conturbaret eorum fidem voluntariæ humilitas passionis, quibus revelata esset absconditæ excellentia dignitatis*.

II. Probatur. Christus transfiguratus est in Apostolorum præsentia, ut illos animaret ad pugnam: ergo transfiguratus est paulo ante quam pugnam inirent. Antecedens patet ex illo Apostoli ad Romanos 8. *Non sunt condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis*. Consequentia probatur. Pugna Apostolorum fuit passionis Christi tempus; tunc enim Diabolus eos aggressus est, ut Christum, aut proderent, aut negarent, aut saltem desererent; quod factum est, quando, ut ait Evangelista, *Omnes, relicto eo, fugerunt*. Conveniens ergo erat, ut ante tempus pugnæ, & prope illud, animarentur ad pugnam.

Tertia pars Conclusionis probatur I. Petrus motus est ad verba illa dicendum, quia quasi dolebat, quod gaudium illud tam brevi tempore duraret: ergo dixit verba illa, postquam gaudium illud expertus fuit; sed gaudium illud fuerat imperfectum antequam Elias, & Moyses, cum Christo colloquerentur: ergo fuit perfectum, postquam illi cum Christo colloquuti sunt: ergo postquam Elias, & Moyses, cum Christo colloquuti sunt, & dum ab eo discederent, Petrus dixit ad Jesum: *Domine, bonum est nos hic esse; si vis faciamus hic tria Tabernacula, tibi unum, Moysi unum, & Eliæ unum*.

II. Probatur. Postquam Petrus dixerat illa verba, Christus præcepit Apostolis, ne quidquam de iis, quæ viderant, loquerentur: ergo illa verba dixit Petrus post Eliæ, & Moysis, apparitionem. Probatur consequentia. Ex Damasceno loco citato Christus mandatum illud Apostolis fecit, ne corda Discipulorum, qui præsentes non fuerant, mæstitia perfunderentur, audientes totam illam narrationem, in qua Christi gloria, & Eliæ, & Moysis, apparitio continebantur: ergo post hujusmodi apparitiones fecit Christus mandatum illud Apostolis, & Petrus verba illa Christo dixit.

Dicimus III. Eliam, & Moysem in vera, & propria persona, corpore, & anima viventes, Christo apparuisse.

I. Probatur. Verba Scripturæ sunt proprie intelligenda, quando nullum inde resultat inconveniens, aut contra sanam doctrinam, aut contra rectam rationem; sed omnes tres Evangelistæ aperte dicunt, Eliam, & Moysem, Christo apparuisse: ergo de vera, & propria apparitione intelligendi sunt. Probatur minor. Marcus dicit: *Et apparuit illis Elias cum Moyse*; Matthæus scribit: *Et apparuerunt Moyses, & Elias, cum eo loquentes*; Lucas narrat: *Et ecce duo viri loquebantur cum eo, erant autem Moyses, & Elias*. Quibus addit Suarez 3. p. q. 45. art. 4. disp. 32. sect. 2. „ Quæ verba in sua proprietate, „ quam historia requirit, vera esse non „ possunt, nisi in prædicto sensu; & ideo „ omnes Patres ita illa intelligunt, & con- „ sentit Universa Ecclesia. „

II. Probatur in particulari de Elia, & deinde probabitur in particulari de Moyse. Et quidem de Elia Suarez testatur, S. Thomam art. 3. referre Glossam super Lucam 9. dicentem, Eliam vere non apparuisse, sed Angelico ministerio simulacrum

Eliæ

Eliæ demonstratum esse; & in solutione ad secundum, dicit, illam Glossam sumptam fuisse ex lib. de mirabilibus Sacræ Scripturæ, Augustino falso adscripto, ac propterea nullius esse authoritatis. Attamen Suarez, qui hæc narrat, sequentia quoque subdit: „ Sed in illis „ libris de mirabilibus Sacræ Scripturæ „ eam invenire non potui. Nam licet re- „ ferri soleat ex lib. 3. cap. 13. tamen ibi „ nulla omnino fit mentio Eliæ; in cap. „ autem 10. expresse contrarium docetur, „ nimirum vere ibi Eliam apparuisse. In „ Glossa vero ordinaria,& apud Hugonem „ Lucæ 9. indicatur hæc sententia, & ut „ probabilis relinquitur, eamque tribuit „ Ambrosio Hugo Cardinalis, quam apud „ illum non reperio; neque alium invenio „ hujus sententiæ defensorem, neque ra- „ tionem, qua nitatur; quapropter ut er- „ ronea rejicienda est. „ Hoc posito, modo probatur conclusio. Elias non est mortuus: ergo potuit de uno luco in alium transferri, & per consequens in montem Thabor. Antecedens probatur authoritate Tertulliani, & Augustini. Tertullianus lib. de anima cap. 35. *Elias non ex decessione vitæ, sed ex translatione venturus est, neque corpori restituendus, de quo non est exemptus,sed mundo reddendus, de quo est translatus, non ex postliminio vitæ, sed ex supplemento prophetiæ.* Et Augustinus lib. 1. de peccator. meritis cap. 3. *Neque enim Enoch, & Elias per tam longam ætatem senectute marcuerunt, neque tamen credo, eos jam in illam spiritualem qualitatem corporum commutatos, qualis in resurrectione promittitur, quæ in Domino prima præcessit, nisi quia isti fortasse neque iis cibis egent, qui sui consumptione reficiunt.*

III. Probatur in particulari de Moyse. Circa quem, primo, aliqui dixerunt, Moysem nondum fuisse mortuum, sed cum Elia, usque ad Judicii diem reservari, ut sint testes Judicii, sicut fuerunt Transfigurationis testes. Tribuitur hæc opinio Hilario in cap. 20. Matthæi, Ambrosio lib. 1. de Cain, & Abel cap. 2., Hieronymo in cap. 9. Amos, Nysseno lib. de Vita Moysis. Et ex Recentioribus Catherino Genes. 1., & 2. Joanni Arboreo lib. 11. Theosophiæ cap. 11., quam opinionem Suarez vocat falsam; quia repugnat verbis Deuteronomii 34., ubi expresse dicitur, Moysem fuisse mortuum: *Ascendit Moyses super montem Nebo, mortuusque est ibi Moyses servus Domini in terra Moab, jubente Domino*: Altera sententia est, Moysem fuisse quidem mortuum, at statim resurrexisse, & ideo sepulchrum ejus nesciri. Suarez hanc sententiam, quam vocat erroneam, & sine ullo fundamento, tribuit Rabbi Samuel lib. de Adventu Messiæ cap. 13. Vera igitur sententia est, animam Moysis fuisse a corpore separatam, & in sinu Abrahæ cum aliis Patribus mansisse, & quievisse. Attamen, adhuc hac supposita opinione, duplex est sententia de corpore, in quo in Transfiguratione apparuit. Prima est S.Thomæ 3.p. q.45. art.3. ad 2. docentis, apparuisse Moysem in corpore aereo, quod non informabat, sed solum, ut motor illi conjungebatur, ad eum modum, quo Angeli solent corpora assumere. Sequitur hanc sententiam Lyranus in cap. 17. Matthæi, & cum eo Abulensis q. 54., & 55. Altera sententia est, quod Moyses apparuerit in suo vero corpore per veram resurrectionem, & propriam animæ informationem. Et hæc est sententia Hieronymi cap. 17. Matthæi dicentis: *Moyse ab inferis resurgente.* Tribuitur etiam Augustino lib. 3. de mirabilibus Sacræ Scripturæ cap. 10. Sed hunc librum jam diximus genuinum Augustini fœtum non esse. Eum sequitur Damascenus orat. de Transfigur. Domini, dicens: *In hoc monte mortuorum resurrectionis fides astruitur, & mortuorum, ac vivorum Dominus esse declaratur, ut qui scilicet ex mortuis Moysem assumpserit, vivum autem Eliam testem adhibuerit.* Et eam tandem amplexus est Sotus in 4. dist. 43. qu. 2. ar. 1. ad 2. Hac igitur admissa sententia, sic argumentamur. Evangelium dicit apparuisse Moysem; sed non esset Moyses, nisi proprio corpore constaret: ergo Moyses in suo vero corpore resurrexit, & Christo apparuit. Ulterius, Evangelium dicit, quod apparuerint Moyses, & Elias, ut essent testes gloriæ Christi; sed si apparuissent ficte, & non vere, non fuissent veri testes gloriæ Christi: ergo &c. Probatur minor. Ut quis sit testis oculatus, debet rem, de qua testatur, propriis oculis conspicere; Sed non potest propriis oculis conspicere, nisi in proprio corpore: ergo si apparuissent ficte, & non vere, non fuissent veri testes gloriæ Christi. Proinde, Epiphanius hæres. 64. ex Proclo, & Methodio hæc verba refert, & approbat: *Nihil Dominus mentitus est, quare non spectrum, aut visum ostendit discipulis in monte,*

Eliam,

Eliam, & Moysem, quo ipsos deciperet, sed id, quod erat extra falsitatem.

Arguunt I. Si Corpus Christi fuisset transfiguratum, fuisset corpus phantasticum, non verum, & reale; sed fides docet, fuisse verum, & reale, & non phantasticum: ergo non fuit transfiguratum. Probatur major. Convenire non potest corpori vero, ut in diversas figuras mutetur, sed tantum convenit corpori phantastico: ergo si corpus Christi fuisset transfiguratum, fuisset corpus phantasticum, & non verum, & reale. II. Corpus Christi si fuisset corpus transfiguratum, fuisset quoque corpus gloriosum; sed non fuit corpus gloriosum: ergo neque fuit corpus transfiguratum. Probatur minor. Corpori glorioso quatuor conveniunt dotes, nimirum, impassibilitas, agilitas, subtilitas, & claritas; sed corpus Christi habuit tantum dotem claritatis, non vero alias tres: ergo non fuit gloriosum: ergo non fuit transfiguratum. III. Beda, aliique docent, Transfigurationem Christi non fuisse factam per novam aliquam mutationem in objecto, sed solum per mutationem sensuum Apostolorum: ergo non fuit nova claritas, quæ in Christo apparuit in ejus transfiguratione. IV. Damascenus in sæpius citata oratione de Transfiguratione docet, quod facies Christi affulserit oculis discipulorum, non quia novum lumen acquisierit, sed quia tunc datum est discipulis, ut videre possent lumen, quo caro Christi in se semper fulgebat. Verba Damasceni sunt: *Caram discipulis transfiguratur, qui semper eodem modo glorificatus est, ac divinitatis fulgore collucet . . . Ac gloriam quidem caro, simul atque ex nihilo in ortum producta est, obtinuit, divinitatisque gloria corpori quoque gloriam conciliavit . . . . . Quanquam igitur nunquam sanctum illud corpus divinæ gloriæ expers fuerit: at cum ea gloria in corpore, sub aspectum cadente, obscura esset, ab iis, qui carnis vinculo constringebantur, cerni non poterat. Transfiguratur itaque, non quod non erat assumens, neque in id, quod non erat, migrans, verum id, quod erat, discipulis suis declarans, eorum nimirum oculos aperiens. Atque hæc sententia est horum verborum. Transfiguratus est ante eos. Idem enim ipse manens, præter id, quod prius cernebatur, aliud nunc discipulis apparere videbatur:* & tribuitur etiam Epiphanio lib. 2. hæres. 69. in fine; immo & Augustino, lib. 22. de Civitate Dei cap. 19., dicenti apud Suarez, in corpore Christi post resurrectionem claritatem non defuisse, sed oculis fuisse discipulorum absconditam, quia eam ferre non poterat humanus, atque infirmus aspectus. Unde hoc pacto etiam dici potest, claritatem hanc nunquam corpori Christi defuisse, oculis tamen hominum fuisse occultam, quia illam intueri non poterant; atque ita in Transfiguratione solum fuisse confortatos oculos Discipulorum, ut illam possent aspicere. V. Augustinus lib. 3. de mirabilibus Sacræ Scripturæ cap. 10. docet, quod re vera nova claritas circa Christum sit effecta, ratione cujus facies ejus splendescere visa est; ipsa vero claritas re vera non adhæsit corpori, seu faciei Christi, sed solum aeri; & quod ad faciem Christi terminata fuit extrinsece, seu per solam contiguitatem, sicut multi censent, lucem solis terminari ad speculum, seu ad corporis opaci superficiem; & ita explicat Augustinum Suarez. Verba autem Augustini sunt: *Licet in hac ostensione Domini facies solari splendidior fulserit, non ipsa caro splenduit, sed divinitas, latens in corpore luminis sui, portiunculam conficiendam satis videntibus, quantum poterat, concessit.* VI. Claritas illa, vel fuit ejusdem naturæ cum lumine, & claritate Solis, & sic non fuit supernaturalis: vel fuit superioris ordinis; & sic non fit bene comparatio per verbum *sicut*, vel per verbum *ad instar*. VII. S. Thomas 3. p. q. 45. ar. 1. ad 2., & in 3. dist. 16. q. 2. art. 1. ad 3. docet, claritatem illam fuisse tantum in superficie externa corporis Christi; atqui hoc non cohæret cum illo, quod diximus, claritatem hanc manasse ab anima beata, quia tunc debuisset esse in toto corpore, & intrinsecus, & extrinsecus: ergo &c. VIII. Matthæus, & Lucas æque dicunt, claritatem illam fuisse tantum in facie, & in vultu Christi: ergo non fuit in toto corpore. IX. Corpora Moysis, & Eliæ non erant gloriosa; sed Evangelium dicit, quod apparuerint cum gloria: ergo &c. Major patet, quia corpus Moysis erat mortuum; corpus Eliæ erat adhuc vivum: ergo non poterant esse gloriosa. Minor probatur. Lucas inquit: *Erant autem Moyses, & Elias visi in majestate*; Alii legunt: *Visi in gloria*; & hoc juxta proprietatem vocis Græcæ δόξα, quæ significat latine gloriam: Unde Origenes homil. 12. in Exodum: *Apparuerunt Moyses, & Elias in gloria, hic non refertur, quia glorificatus*

est

est vultus ejus (scilicet Moysis) *sed quia totus apparuerit in gloria ..... necessario gavisus est, quia jam non solum vultu glorificatus descendit de monte, sed totus glorificatus ascendit in montem.* Et Tertullianus lib. contra Marcionem cap. 22. *In consortio claritatis, quod dignationis, & gratiæ exemplum est*. X. Origenes tract. 35. in Matthæum ex prisca traditione asserit, quod in Christo fuerint duæ formæ; una, secundum quam, omnes eum videbant; altera, secundum quam, transformatus, discipulis apparebat; & quod secundum illam duplicem formam ab unoquoque juxta proprium meritum videbatur. XI. Non est ratio, cur Christus voluerit ex tam multis Patriarchis, & Prophetis veteris Testamenti, gloriæ suæ consortes, & testes, Moysen, & Eliam: nec pariter est ratio, cur ex duodecim Apostolis voluerit tantum tres, Petrum, Joannem, & Jacobum, gloriæ suæ spectatores. XII. Superfluum fuisse videtur in Transfiguratione Æterni Patris testimonium de divina, & æterna Christi filiatione; jam enim in Jordane eadem Patris vox audita fuerat: *Hic est filius meus dilectus &c.*; ad quid ergo eadem verba in Transfiguratione, facta in Monte Thabor, replicare?

Respondemus ad I. Non per hoc, quod Christus dicitur transfiguratus, putare debemus, quod perdiderit pristinam formam, & faciem, quam prius habebat, vel quod amiserit corporis veritatem, & assumpserit corpus spirituale, vel aureum. Satis enim Evangelista demonstrat, in quo consistat, Christum fuisse transformatum. Dicit namque: *Resplenduit facies ejus sicut Sol: vestimenta autem ejus facta sunt alba sicut nix*. Quibus verbis splendor faciei ostenditur, & candor vestium describitur; hoc est, non substantia tollitur, sed gloria commutatur. Hanc responsionem adhibet S.Thomas 3.p.q.45. art.1. ad 1. Eamque dicit, se desumpsisse ex Hieronymo super illud Matthæi 17. *Transfiguratus est ante eos &c.*

Ad II. Dicit pariter S.Thomas, quod inter prædictas quatuor dotes sola claritas est qualitas ipsius personæ in se ipsa; aliæ vero tres dotes non percipiuntur, nisi in aliquo actu, vel motu, seu passione. Has tres alias dotes Christus habuit in aliis temporum circumstantiis; sed non ideo propter illas, vel propter unam ex ipsis, dictus est transfiguratus. Habuit enim agilitatem, quando supra maris undas ambulavit; habuit subtilitatem, quando de clauso Virginis utero exivit; habuit impassibilitatem, quando de manibus Judæorum, vel præcipitare, vel lapidare eum volentium, illæsus exivit. Non tamen propter illa dictus est transfiguratus, sicut dicitur propter solam claritatem, quæ pertinet ad aspectum personæ ipsius. Ita S.Thomas citato loco ad 3.

Ad III. Suarez testatur, se nunquam verba illa, quæ citantur ex Beda, apud Bedam reperisse. Verum est, quod S.Thomas citato loco affert verba Bedæ, explicantis illud Lucæ 9. *Non gustabunt mortem, donec videant regnum Dei*; ubi Glossa Bedæ dicit; idest *glorificationem corporis in imaginaria repræsentatione futuræ beatitudinis*: ad quæ S.Thomas respondit, *quod illa claritas dicitur imaginaria fuisse, non quia esset vera claritas gloriæ, sed quia erat quædam imago, repræsentans illam gloriæ perfectionem, secundum quam corpus erit gloriosum*. Post quæ Suarez concludit: „ Igitur cujuscunque sit illa opinio, erronea est, & contra veritatem, expressamque historiam Evangelii, quam ipse Beda satis apte, & convenienter exponit lib.3. in Lucam cap.38., Itaque certum sit, proprietatem verborum esse retinendam, prout fides historiæ requirit; atque ita vere, & sensibiliter faciem Christi splenduisse; & idem judicium est de reliquis, quæ narrantur. „

Ad IV. Damascenus citato loco vocat gloriam corporis Christi non claritatem corpoream, sed ipsammet hypostaticam unionem, seu divinitatem, ipsi carni Christi substantialiter unitam: & in hoc sensu dicit, corpus illud fuisse glorificatum statim ac formatum est; hanc vero ejus gloriam propter carnis passibilitatem fuisse occultam; in Transfiguratione autem fuisse manifestatam, non in se, sed per radios gloriosæ claritatis, ab illa manantes; nec quia ipsa tunc de novo facta fuerit, sed quia tunc quodammodo sit facta visibilis oculis discipulorum, qui hoc sensu dicuntur fuisse tunc aperti; non quia immutatio in solis illis facta sit, sed quia latens divinitas tunc quodammodo illis manifestata est. Et ita explicat Suarez mentem, & verba Damasceni. Et quod hic fuerit verborum Damasceni sensus sequentibus verbis probare pergit: „ Hunc autem esse sensum Damasceni, constat, tum ex ejus doctrina lib. 3. de fide cap. 17., & in aliis locis frequenter, ubi hoc modo ex- „ plicat

plicat hanc carnis glorificationem, quam *Deificationem* etiam appellat. Tum etiam ex illamet oratione, ubi sæpe dicit, claritatem Transfigurationis manasse ex ipsa Deitate, & discrimen constituit inter claritatem, qua facies Moysis splenduit, a Christi claritate, quod illa fuit ab extrinseco: hæc vero, inquit: *Ex insita divina gloriæ claritate manebat*. Sentit ergo, fuisse hanc claritatem novam, quamvis a Divinitate manantem; & eodem modo exponendus est Epiphanius. Cum hac vero interpretatione optime consentit alter locus Gregor. Nazianz. orat. 49. de fide, ubi de hoc mysterio sic loquitur: *Ut Sol cum in nube tegitur, claritas ejus comprimitur, non cæcatur, & lumen illud, quod toto Orbe diffusum caro splendore cuncta perfundit, parvo admodum obstaculo nubis includitur, non aufertur: sic, & homo ille, quem Dei filius induit, Deitatem in illo non intercepit, sed abscondit. Denique cum se in monte paululum extra ipsum hominem extulisset, fulgore luminis ejus pene obcæcati Apostoli sunt*. Et infra: *Ut claritas Solis non usque ad nostros emicat visus, sed sibi salva est; quia, quod non videtur, infirmitatis est nostræ, quorum oculos nubium texit obscuritas, ita & majestas illa divina, quæ, ut dixi, corpus induerat, probat se non suo detrimento proprio latuisse fulgore, sed carnis* (ut dixi) *beneficio, cujus causa filius Dei filius hominis esse sustinuit*. „ Denique sententiam, quæ tribuitur Damasceno, idem Suarez ait, nullo modo sustineri posse, quia est erronea, & contra veram corporis Christi passibilitatem.

Ad V. Idem Suarez respondet, quod præfatus explicandi modus, quamvis non sit tam aperte erroneus, est tamen sine dubio falsus. Primo, quia Matthæus cap. 17. dicit, resplenduisse faciem ejus sicut Sol, & esse transfiguratum, seu transformatum; & Lucas dicit cap. 9. *Et facta est species vultus ejus altera*: hæc autem omnia non possunt vera esse in proprietate sermonis propter solum extrinsecum corpus, Christo adjacens, de novo immutatum: ergo necesse est, ut in ipsa facie, & carne Christi facta fuerit immutatio. Secundo, quia mens Augustini in verbis dictis non fuit negare, carnem Christi vere splenduisse, sed fuit asserere, non splenduisse proprio lumine, seu quod a se haberet, sed lumine a divinitate manante. Quod patet ex verbis, quæ subjungit, & sunt: *Unde vestimenta candorem nivis habuerunt, dum neque de carne, neque de divinitate erant? Nisi forte, ut per carnem divinitas foris illuxit, sic & caro illuminata de divinitate per vestimenta radiabat*.

Ad VI. Claritas corporis Christi fuit claritas supernaturalis, adeoque fuit claritas gloriæ, quantum ad essentiam, sed non quantum ad modum. Docet hoc S. Hieronymus in cap. 17. Matthæi: *Certe transformatus est Dominus in eam gloriam, qua venturus est postea in regno suo*. Quod hæc etiam fuerit sententia Richardi, S. Thomæ, Scoti, Soti, testatur pariter Suarez. Et quamvis comparetur cum lumine Solis, attamen, ut idem Suarez subdit: „ Hæ comparationes fiunt, ut Patres notant, quia non est in sensibilibus aliud exemplum, quo intellectus noster possit manuduci ad concipiendam illam admirandam claritatem corporum gloriosorum. „

Ad VII. Quamvis claritas corporis Christi manaverit ex hypostatica unione, seu ex divinitate carni humanæ Christi hypostatice unita, non erat tamen necessarium, ut totum Christi corpus, interius scilicet, & exterius, redderet splendidum, & diaphanum, qualia sunt corpora gloriosa; tum quia ad finem transfigurationis sola claritas superficiei corporis satis erat; tum etiam, quia corpora gloriosa claritatem illam habent, vel habebunt permanenter, Christus vero habuit transeunter; tum denique, quia licet Christus tunc assumpserit claritatem gloriæ, non tamen perfecto, & stabili modo assumpsit; & ideo, concludit Suarez, satis fuit, quod superficietenus assumpserit. Et in hoc sensu intelligendus est Angelicus, ut eum pariter Suarez intelligit.

Ad VIII. Quando Evangelistæ dicunt, resplenduisse faciem, seu vultum Christi, non ponunt particulam taxativam *tantum*, vel *solum*, vel *dumtaxat*; ita ut sit sensus, quod reliquum Christi corpus non splenduerit, sicut splenduit facies ejus, vel vultus. Cæterum dicendum est, totum Christi corpus fuisse claritate perfusum; tum quia totum dicitur transfiguratum, seu transformatum; tum etiam, quia totum informabatur anima beata, & divinitati erat unitum, a qua claritas illa proveniebat; tum denique, quia totius corporis illustratio poterat miraculo deservire. Sane Marcus nullam faciei mentionem facit, sed de toto Chri-

sto dicit: *Transfiguratus est; & vestimenta ejus facta sunt splendentia*; ita ut sit sensus, quod adeo per transfigurationem totus factus est splendens, ut vestimenta etiam ejus splendentia fuerint. Quod denique asseruit, & explicavit Hieronymus in epist. 62. ad Pammachium adversus Joannis Jerosolymitani errores: *Sic & Dominus noster in mente transfiguratus est in gloria, non ut manus, ac pedes, cæteraque membra perderet, & subito in rotunditate, vel Solis, vel sphera volveretur; sed eadem membra Solis fulgore rutilantia Apostolorum oculos præstringerent. Unde & vestimenta ejus mutata sunt in candorem, non in aerem, ne forte, & vestes ejus asseras spirituales. Et facies ejus, inquit, fulgebat sicut sol. Ubi autem facies nominatur, existimo, quod & cætera membra conspecta sint.*

Ad IX. Evangelium de solo corpore Christi dicit, resplenduisse, & fuisse transfiguratum; hoc ipsum autem dixisset de Moyse, & de Elia, si claritatem gloriæ habuissent. Ulterius Moyses, & Elias, secundum animam non erant beati: ergo non conveniebat, ut haberent corpora glorificata. Potest autem dici, quod aliquo modo fuerint facti participes gloriæ, & claritatis corporis Christi, quatenus habuerint claritatem ex consortio, & ex redundantia corporis Christi; quod videtur dixisse Lucam, & significasse Tertullianum loco in objectione citato, ubi hæc de Moyse dicit: *Stetisse cum Christo os ad os, & facie ad faciem, & in gloria ipsius, nedum in conspectu. De qua gloria non aliter illustratus discessit a Christo, quam solebat a Creatore.*

Ad X. Respondet Graveson verbis hisce: „ Fallitur ergo Origenes, qui in tract. 35. in Matthæum ex prisca traditione asserit, in Christo duas fuisse formas, unam quidem secundam quam omnes eum videbant; alteram autem, secundum quam transfiguratus est coram Discipulis suis in monte, cumque juxta geminam illam formam unicuique apparuisse, secundum quod erat dignus. Fallitur, inquam, Origenes, primo, quia si Christus duas habuisset formas, secundum quas unicuique, prout dignus erat, apparuisset, procul omni dubio Judæi, qui Christum calumniandi, omnem occasionem captabant, eum traduxissent tanquam alterum Proteum, qui, ut fabulantur Poetæ, se se in varias formas, ac species, pro suo nutu, & arbitrio, transformabat. Secundo, si Christus præter corporis formam, quæ omnium oculis patebat, aliam habuisset formam gloriosa claritate fulgentem, & hominum oculis imperviam, corpus ipsius nunquam caruisset dotibus, corpori glorioso debitis; quod tamen adversatur perpetuæ traditioni Ecclesiæ, quæ docet, Christi corpus caruisse usque ad Resurrectionem dotibus, corpori glorioso debitis, quo impleretur per passionem Christi mysterium Redemptionis. Denique, Christum citra ullam vel substantiæ, vel corporis mutationem fuisse transfiguratum, docent S. Patres, & præcipue S. Hieronymus in cap. 17. Matthæi, ubi hæc habet: *Nemo putet, Christum per hoc, quod transfiguratus dicitur, pristinam formam, & faciem perdidisse, vel amisisse corporis veritatem, vel assumpsisse corpus spirituale, vel aereum: sed quomodo transfiguratus sit Evangelista demonstrat, dicens: Resplenduit facies ejus sicut Sol; vestimenta autem ejus facta sunt alba sicut nix: ubi splendor faciei ostenditur, & candor describitur vestium, non substantia tollitur, sed gloria demonstratur.*

Ad XI. Multas ob caussas, Moysem, & Eliam, consortes, ac testes suæ Transfigurationis, voluit Christus; & omnes quidem assignat, S. Thomas 3. p. q. 45. art. 3. ad 3. *Prima est hæc, quia enim Turbæ dicebant, eum esse Eliam, vel Jeremiam, aut unum ex Prophetis; capita Prophetarum secum duxit, ut saltem hinc appareat differentia servorum, & Domini. Secunda ratio est, quia Moyses Legem dedit, Elias pro gloria Domini æmulator fuit; unde per hoc, quod simul cum Christo apparent, excluditur calumnia Judæorum, accusantium Christum, tanquam transgressorem Legis, & blasphemum, Dei sibi gloriam usurpantem; Tertia ratio est, ut ostendat se habere potestatem mortis, & vitæ, & esse Judicem mortuorum, & vivorum per hoc, quod Moysem jam mortuum, & Eliam adhuc viventem secum duxit. Quarta ratio est, quia, sicut Lucas dicit, loquebantur cum eo de excessu, quem completurus erat in Jerusalem; idest, de passione, & morte sua. Et ideo, ut super hoc discipulorum animos confirmaret, inducit eos in medium, qui se morti exposuerunt pro Deo. Nam Moyses cum periculo mortis se obtulit Pharaoni, Elias vero Regi Achab. Quinta ratio erat, quia volebat, ut discipuli sui æmularentur Moysis mansuetudinem, & zelum Eliæ.* Sextam rationem addit Hilarius can. 17. in Matthæum; *ut ostenderet se per Legem, quam dedit Moyses; & per Prophetas, inter quos fuit*

Elias præcipuus ; esse prædicatum . Et his subjungit Serry : „ Ex Apostolis vero , „ Petrum, Joannem , & Jacobum , gloriæ „ suæ Spectatores in monte Sancto habere „ voluit ; seu quod illos solos infirmitatis „ suæ, & agoniæ spectatores , ac testes habiturus esset in horto : seu quod illi cæteris Apostolis eminerent; Petrus quidem „ excellenti in Christum dilectione, futuræque potestatis prærogativa ; Joannes „ privilegio amoris , quod a Christo diligebatur propter virginitatem suam , & „ prærogativam Evangelicæ doctrinæ; Jacobus martyrii inter Apostolos principatu . Quibus tamen interim vetitum fuit , ne quod viderant , ante Christi resurrectionem propalarent ; quia fidem vix , ac ne vix quidem in audientium animis invenissent;aut certe Christi Domini passio ab ipsomet judaico populo „ impedita fuisset . „

Ad XII. Non est superfluum, quod dicitur diversis temporibus , locis , personis , ac coram aliis testibus , & ob alios fines . Declaratio illa , in Jordane facta , facta tantum fuit coram Joanne , qui baptizabat , & præsentibus quibusdam Judæis , qui baptizabantur ; at hæc nova , facta in Monte Thabor,fuit facta coram testibus ex naturæ Lege,& ex Lege Mosaica, petitis , & coram tribus Apostolis , qui Christi nativitatem prædicaturi erant per universum mundum . Audiatur de hoc S.Thomas 3.p. q.45. art.4. ad 2. *Dicendum, quod sicut in baptismo , ubi declaratum fuit mysterium primæ regenerationis, ostensa est operatio totius Trinitatis per hoc, quod fuit ibi Filius incarnatus , apparuit Spiritus Sanctus in specie columbæ , & Pater fuit ibi declaratus in voce, ita etiam in Transfiguratione , quæ est Sacramentum secundæ regenerationis, tota Trinitas apparuit, Pater in voce , Filius in homine, Spiritus Sanctus in nube clara . Quia sicut in baptismo dat innocentiam , quæ per simplicitatem columbæ designatur , ita in resurrectione dabit Electis suis claritatem gloriæ , & refrigerium ab omni malo, quæ designantur in nube lucida* .

DISSERTAT. CCXXXVII.

De Fama virtutum, ac miraculorum Christi, quæ per finitimas Judææ Regiones pervagabatur. Utrum miracula Christi Domini fuerint necessaria, ad persuadendam ejus doctrinam, & confirmandam? An per eadem sufficienter suam Divinitatem comprobaverit? An ex iisdem cognoverint Angeli mali, ac Judæi, Christum fuisse verum Messiam, ac Deum?

DE Fama virtutum , ac miraculorum Christi , quæ per finitimas Judææ Regiones pervagabatur, luculentum exhibet testimonium Matthæus cap.4. v.23. *Circuibat Jesus totam Galilæam , docens in Synagogis eorum , & prædicans Evangelium regni, & sanans omnem languorem , & omnem infirmitatem in populo . Et abiit opinio ejus in totam Syriam , & obtulerunt ei omnes male habentes variis languoribus , & tormentis comprehensos, & qui dæmonia habebant, & lunaticos , & paralyticos , & curavit eos* . Ex his autem emergunt dubia , quæ in Dissertationis titulo posuimus,& ad quæ per sequentes Conclusiones respondemus .

Dicimus I. Miracula Christi Domini fuisse aptissima media ad suadendam Christi doctrinam, & confirmandam ; non fuisse autem simpliciter necessaria ad creden-

dendum illam.

Prima Conclusionis pars probatur I. Joannis 5. Dicebat Christus Judæis: *Vos misistis ad Joannem, & testimonium perhibuit veritati.... Ego autem habeo testimonium majus Joanne: Opera enim, quæ dedit Pater, ut perficiam ea, illa testimonium perhibent de me*. Et cap. 10. *Opera, quæ facio in nomine Patris mei, hæc testimonium perhibent de me.... Si mihi non vultis credere operibus credite*. Et cap. 14. *Alioquin propter opera ipsa credite*. Quibus additur, quod Christus dedit etiam Apostolis potestatem ad facienda miracula, quia Apostoli futuri erant post Christum primi doctrinæ ejus Promulgatores. Unde Paulus scribebat ad Hebræos 2. *Quomodo nos effugiemus, si tantam neglexerimus salutem, quæ cum initium accepisset enarrari per Dominum ab eis, qui audierunt, in nos confirmata est, contestante Deo signis, & portentis*.

II. Probatur. Moyses, quia futurus erat primus Legis veteris promulgator, accepit a Deo virtutem patrandi miracula: ergo signum est, quod miracula conferunt ad suadendam, & confirmandam doctrinam, quæ prædicatur: ergo ad suadendam, & confirmandam doctrinam Christi ejus miracula necessaria fuerunt. Et quod miracula habuerint semper magnam vim ad cœlestem doctrinam agnoscendam, dicebat Christo Nicodemus Joannis 3. *Scimus, quia a Deo venisti magister. Nemo enim potest hæc signa facere, quæ tu facis, nisi fuerit Deus cum eo*. Insuper, mulier habens filium suum resuscitatum ab Elia 3. Regum 17., hæc ad Eliam dicebat: *In isto cognovi, quod vir Dei es tu, & quod verbum Dei manet in ore tuo*.

III. Probatur. Ad suadendam, & confirmandam doctrinam supernaturalem, atque cœlestem, necessaria sunt opera, quæ sint propria ipsius Dei, qui est illius doctrinæ principalis author, & assertor; sed miracula sunt opera, adeo propria ipsius Dei, quæ non possunt, nisi a Deo fieri, & quæ Deus non facit, nisi in veritatis confirmationem: ergo miracula, quæ fecit Christus Dominus, fuerunt necessaria ad suadendam ejus doctrinam, & confirmandam, quæ erat doctrina supernaturalis, & cœlestis, & cujus author, & assertor esse non poterat nisi solus Deus. Unde scribebat S. Hieronymus in cap. 21. Matthæi: *Plerique arbitrantur, maximum esse signorum, quod Lazarus suscitatus est, quod cœcus ex utero lumen accepit, quod ad Jordanem vox audita sit Patris, quod transfiguratus in monte gloriam ostenderit triumphantis, mihi inter omnia signa, quæ fecit, hoc videtur mirabilius esse, quod unus homo, & eo tempore contemptibilis, & intantum vilis, ut postea crucifigeretur, Scribis, & Pharisæis contra se sævientibus, & videntibus lucra sua destrui, potuerit ad unius flagelli verbera tantam ejicere multitudinem, mensasque subvertere, & cathedras confringere, & alia facere, quæ infinitus non fecisset exercitus. Igneum quiddam, ac sydereum radiabat ex oculis ejus, & divinitatis majestas lucebat in facie*.

Secunda pars Conclusionis probatur I. Joannes Baptista tale dedit testimonium de Christo, ut omnes tenerentur illud recipere, & ei credere; sed Joannes nullum fecit miraculum: ergo miracula non fuerunt simpliciter necessaria ad credendum doctrinam Christi. Probatur major, Testimonium Joannis ita erat fide dignum, ut qui illud sufficienter agnosceret, graviter peccaret, si illi non assentiebatur: ergo tale testimonium dedit de Christo, ut omnes tenerentur illud recipere, & ei credere. Antecedens est doctrina Suarez, qui asserit de Joanne Baptista, quod ejus testimonium de Christo tale erat, ut qui sufficientem illius cognitionem haberet, graviter peccaret illi non assentiendo.

II. Probatur. Joannis 5. dicitur de Baptista: Hic venit in testimonium, ut testimonium perhiberet de Lumine; sed opera Dei adeo sunt perfecta, ut quando ad munus aliquod, vel ministerium destinat aliquam personam, det ei omnia necessaria ad tale munus, vel ministerium obeundum: ergo Joanni dedit Deus omnia necessaria, ut sufficiens testimonium redderet de Christo; sed non dedit potestatem faciendi miracula: ergo potestatem illam simpliciter necessariam non judicavit: ergo neque in Christo fuerunt miracula simpliciter necessaria ad doctrinam ejus credendam.

III. Probatur. Joannis 5. Christus reprehendit Judæos, quod testimonio Joannis, quod de se ipso fecerit, non credidissent; ut explicant Chrysostomus homil. 39., & Cyrillus lib. 2. cap. 149. ergo reprehensibiles erant Judæi, non recipiendo Joannis testimonium, & illi non credendo; sed reprehensibiles non fuissent, si miracula fuissent simpliciter necessaria ad credendum; quia, quum Joannes nullum fecisset

cisset miraculum, non tenebantur testimonium ejus recipere, & illi credere: ergo miracula non sunt simpliciter necessaria ad credendum.

Obstant I. Christus Joannis 15. dicebat: *Si opera non fecissem in eis, quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent*; Sed Christus hic loquitur de operibus miraculosis; & peccatum, quod dicit, est peccatum infidelitatis: ergo opera miraculosa Christi fuerunt simpliciter necessaria ad doctrinam ejus credendam. II. Joanni non fuerunt necessaria miracula, quia non erat author novæ Legis, & novæ doctrinæ supernaturalis: ergo in doctrina Christi, quæ erat nova, & supernaturalis, necessaria erant simpliciter miracula, ut crederetur. III. In Joanne miraculorum vices supplere poterat asperitas vitæ ipsius, & authoritas magna, quam in populo Judaico habebat; In Christo autem fuit vivendi genus plane commune, & vitæ, quam ducebant cæteri, accomodatum, & nullam authoritatem in populo habebat, immo omnes eum despiciebant, & aspernabantur, tum ob natalium paupertatem, & professionis vilitatem, tum ob conversationem cum publicanis, & peccatoribus: ergo necessaria simpliciter miracula habebat, ut ejus doctrina crederetur. IV. S. Gregorius lib. 27. moralium cap. 6. scribit: *Sanctis Prædicatoribus nequaquam ad persuadendum verba sufficiant, nisi etiam miracula addantur*; Sed Christus prædicabat suam doctrinam: ergo, ut illa crederetur, prædicationem debebat miraculis confirmare: ergo miracula erant simpliciter necessaria ad ejus doctrinam credendam. V. De Christo prædixerant Prophetæ, quod patrare debebat magna miracula: ergo ut prophetiæ illorum censerentur in Christo adimpletæ, & per adimpletionem ipsarum Judæi crederent doctrinam ejus, debebat ipse magna miracula patrare. VI. Christo, miracula patranti, pauci crediderunt: ergo si nullum miraculum patrasset, nullus ei credidisset; ergo vere miracula fuerunt necessaria simpliciter ad Christi doctrinam credendam.

Respondemus ad I. cum Toleto apud Suarez primo, quod si Christus non fecisset miracula, Judæi non peccassent, scilicet peccato infidelitatis non peccassent, sed peccassent alio peccato. Non credere enim sine tot miraculis, fuisset ignorantia crassa, & culpabilis; at non credere cum tot miraculis, non solum fuit ignorantia, sed etiam malitia, & blasphemia in Spiritum Sanctum. Et ab hoc peccato excusari potuissent, si non fuissent miracula, non tamen simpliciter ab omni peccato. Secundo respondet cum eodem Toleto idem Suarez, quod si Jesus non fecisset miracula, essent excusabiles plebei, qui Scripturas non intelligebant; non vero fuissent excusabiles Doctores, qui Scripturas præ manibus habebant, easque intelligebant. Tertio respondet idem Suarez, quod Christus loquatur de necessitate ex suppositione; Christus enim dixerat, se esse Messiam; si ergo non fecisset opera, quæ erant propria Messiæ, quæ utique erant miracula, non fuisset fide dignus, adeoque non fuisset habitus, & creditus, ut Messias. Has tres responsiones refert Suarez, qui pariter adducit responsiones ad illas, & impugnationes, pro una, quam eligit.

Ad II. Idem erat mysterium doctrinæ, quod prædicavit Christus, & prædicavit Joannes, ex quo mysterio pendebat veritas doctrinæ utriusque. Doctrina erat, quod Jesus Christus esset verus Dei filius, & Messias in Lege promissus, qui peccata mundi tolleret, & spiritum vitæ conferret. Hanc doctrinam prædicavit Joannes sine ullo miraculo, & ideo Sectatores fere nullos habuit; Christus prædicavit, & per crebra miracula, eaque stupenda, illam confirmavit: ergo per hoc ipsum Christus habuit suæ Doctrinæ Sectatores plurimos.

Ad III. Nemo negare potest, majorem fuisse Christi innocentiam, ac vitæ sanctitatem, quam Joannis; & quanvis in Joanne fuerit major vitæ asperitas, & in Christo ratio vivendi communis, attamen omnes Christum potius quam Joannem ob morum integritatem, & innocentiæ præconium venerabantur. Et revera Christus dicere potuit Joannis 8. *Quis ex vobis arguet me de peccato?* Quibus verbis criminis non solum probationem, sed etiam suspicionem, a se repellebat. Denique subdit Suarez, quod Christus superabat Joannem in virtute, in sapientia verborum, & in authoritate, qua loquebatur *tanquam potestatem habens*. Ex quibus idem Suarez concludit: „ Unde non dubito,
„ quin seclusis miraculis, sola Christi præ-
„ dicatio, prout ab illo fiebat, esset suffi-
„ ciens ad doctrinam, ita suadendam, ut
„ adhibendam sibi fidem prorsus obliga-
„ ret „.

Ad IV. S. Gregorius asserit, miracula esse

Præ-

Prædicatoribus necessaria, sed non dicit, esse simpliciter necessaria, itaut sine illis nullus prædicationis fructus percipiatur, nullum animarum lucrum reportetur. Concedimus ergo, esse miracula moraliter necessaria; hoc est, utilia, ad prædicationem; sed negamus, esse simpliciter necessaria; ita ut sine miraculis prædicatio fieri non possit. Hoc idem dicimus de Christo; cujus quidem miracula fuerunt utilia, & moraliter necessaria, sed non simpliciter, ut doctrina ejus ab audientibus crederetur.

Ad V. hæc si esset necessitas miraculorum in Christo, esset necessitas, quæ dicitur ex suppositione; esset autem potius necessitas credendi Christum patratorem miraculorum, quam credendi Christum Legislatorem, & promulgatorem novæ supernaturalis doctrinæ, quam ipse prædicabat. Vel denique esset necessitas credendi miracula Christi, quæ a Prophetis supponuntur prædicta, non vero Legem Christi, quæ sine miraculis absolute stare poterat.

Ad VI. Falsum est, paucos credidisse Christo, miracula patranti; ut ex Evangelio apertissime constat. Cum è contra per miracula Christi, & miracula discipulorum Christi totus mundus conversus fuerit ad illum. At dato antecedente, nil sequitur, nisi quod miracula fuerint necessaria ad suadendam, & confirmandam doctrinam Christi; quod nos utique in prima Conclusionis parte diximus; non vero, quod fuerint simpliciter necessaria ad credendum illam, quod in secunda parte negavimus.

Dicimus II. Christum sufficienter suam Divinitatem probasse per miracula, quæ fecit.

I. Probatur. Propria virtute solus Deus potest miracula facere; sed Christus propria virtute miracula fecit: ergo Christus per miracula, quæ fecit, suam divinitatem probavit. Probatur minor ex excellentia miraculorum, quæ Christus fecit, & quæ omnem naturalem virtutem excedebant; unde cœcus natus, & illuminatus Joannis 9. dicebat: *A seculo non est auditum, quia aperuit quis oculos Cœci nati; nisi hic esset a Deo, non poterat facere quidquam:* Ulterius ex modo faciendi, quia solo nutu, & imperio, Christus sæpissime miracula fecit; unde dicitur Lucæ 6. *Virtus de illo exibat, & sanabat omnes:* Insuper ex ipsa doctrina, qua Christus dicebat, se esse Deum, & se esse Deum per miracula comprobabat, quod fuit solius Christi proprium; quia licet Apostoli, aliique Sancti, ediderint miracula, tamen illa non fecerunt, ut se probarent Deo æquales, sed ut ostenderent, se esse servos Christi, in cujus virtute miracula operabantur. Denique Christus per se ipsum miracula faciebat, cæteri tamen per Christum; unde dicebat illis Joannis 14. *Sine me nihil potestis facere*; & S.Ambrosius lib.3. de fide cap. 4. *Licet homines quoque suscitarint mortuos; non in sua tamen virtute fecerunt, sed in Christi nomine. Aliud est rogare, aliud imperare, aliud mereri, aliud donare.*

II. Probatur. In veteri Testamento revelatum fuerat, Messiam futurum esse verum Deum; sed miracula Christi probabant, Christum esse Messiam: ergo miracula Christi probabant, Christum esse verum Deum. Hoc argumentum tacite adhibuit Christus ipse, quando Matthæi 11. Joanni interroganti per Discipulos, an ipse esset Messias? Respondit, quod miracula, quæ faciebat, id ostendebant; & per hanc responsionem indicare voluit, quod prædixerat Isaias cap. 35. de Messia, & de miraculis ejus; ut explicant Chrysostomus homil. 37. Lactantius lib. 4. de vera sapientia cap. 15. & Athanasius lib. de Incarnat. Verbi, ubi ait: *Evidentia documenta intueantur. Ait enim Scriptura: Tunc aperientur oculi Cœcorum, &c. Quomodo audent, vel contra ista oculos attollere, siquidem Prophetia Deum Deum adventurum significat, & signa ejus præsentiæ tempus ostendunt.*

III. Probatur. Est doctrina Suarez, quod miracula Christi, evidenter cognita, & conjuncta testimonio ipsius Christi, qui asserebat, se esse Messiam, & verum Deum, & in ejus confirmationem talia miracula faciebat, convincere poterant, Christum esse verum Deum evidentia morali in testificante; & hanc sententiam, dicit idem Suarez, esse S.Thomæ 3.p. q.45. art. 4. ut eum exponit Cajetanus, & 3.p. q.47. art.5. & in 3. dist. 16. q.1. art.3., & 1.contra Gentes cap.6., esse pariter Scoti in prolegomenis sententiarum qu 4., Insuper asserit, esse Athanasii lib.de Incarnat.Verbi, & Origenis lib.8. contra Celsum; Denique hac ratione confirmat, quam propriis suis verbis proponimus. „ Quidquid Deus sua au-
„ thoritate confirmat, est verum, sed id,
„ quod Christus affirmabat, Deus sua au-
„ thoritate confirmabat: ergo erat verum;
„ at-

„ atqui affirmabat se esse Messiam, & „ Deum: ergo vere ita erat. Omnes præmissæ sunt evidentes. Major primi syllogismi, quia evidens est, Deum non posse mentiri, ut nunc suppono. Minor, quia evidens est, vera miracula non posse fieri nisi virtute divina: Suppono autem evidenter cognosci, illa miracula esse vera, & in confirmationem eorum, quæ a Christo dicebantur facta. Denique quod Christus hæc doceret, evidens erat audientibus.„

Dicimus III. Malos Angelos, hoc est, Dæmones, non impeditos speciali Dei providentia, ne Christum agnoscerent, convictos fuisse ad credendum, & ad sentiendum, illum esse verum Messiam, a Deo promissum.

I. Probatur: Dæmones multa viderunt, audiverunt, & cognoverunt, quibus judicare facile poterant, Christum esse verum Messiam, ac Deum: ergo vel non impediti a speciali Dei providentia, talem eum judicare poterant, vel impediti, talem eum non judicarunt. Probatur antecedens. Dæmones evidenter cognoscebant veritatem miraculorum Christi, cognoscebant fuisse conceptum sine opera viri, & natum ex Virgine, Matris integritate illæsa; Insuper audire poterant Angelos annunciantes, natum esse Salvatorem, Christi innocentiam, & puritatem, Christum ipsum exprese dicentem, se esse Messiam promissum, Joannis 4. *Ego sum, qui loquor tecum*; & Matthæi 15. *Tu es Christus, filius Dei vivi*. Joannis 11. *Ego credidi, quia tu es Christus.* Joannis 17. *Ut cognoscant te solum verum Deum, & quem misisti Jesum Christum*: ergo Dæmones multa viderunt, audiverunt, & cognoverunt, quibus judicare facile poterant, Christum esse verum Messiam, ac Deum.

II. Probatur. Dæmones clare cognoscebant, Christum facere miracula in confirmationem suæ divinitatis: ergo, si non fuerunt impediti, cognoscere poterant, Christum esse verum Messiam, ac Deum. Ulterius cognoscebant, prædictiones Prophetarum in Christo fuisse adimpletas; sciebant enim Scripturas, Signa, ac Miracula, quæ de Messia prædicta fuerant, & evidenter videbant, ea omnia compleri in Christo. Nec dici potest, quod Dæmones illa non adverterint; satis enim constat ex tentationibus, quibus aggressus est eum in Deserto, Tentatorem fuisse curiosum agnoscendi Christum, an esset Messias, an esset Deus; ut communiter exponunt Patres: ergo attentissime advertebant Dæmones, & observabant opera Christi, ut ex illis cognoscerent, an Christus esset verus Messias, & Deus.

III. Probatur, quod Dæmones speciali Dei providentia fuerint impediti, ne Christum agnoscerent. Et licet quæstio sit inter Doctores, quandiu hoc impedimentum duraverit; nihilominus sententia est S. Thomæ pluribus in locis, ut testatur Suarez, quod quanvis Dæmon in principio de Christi divinitate dubitaverit, antequam tamen mortem ejus machinaretur, existimasse, ac judicasse, illum esse filium Dei naturalem; subdit tamen Angelicus, Dæmonem non habuisse firmum hac de re judicium, sed potius suspicionem, ac formidolosum assensum. Hoc ipsum probant per Sanctorum Patrum authoritatem; & sunt Beda lib. 2. in Lucam cap. 14. *Per signorum potentiam, vel intellexit, vel potius suspicatus, esse filium Dei*; Gregorius Magnus lib. 33. Moralium; *Et quidem Behemoth iste Filium Dei incarnatum noverat, sed Redemptionis nostræ ordinem nesciebat*: Et infra: *Unde bene dicitur: In oculis ejus quasi hamo capiet eum; in oculis quippe habere dicimus, quod coram nobis positum videmus. Antiquus vero hostis humani generis Redemptorem ante se positum vidit, quem cognoscendo confessus, confitendo pertimuit, dicens: Quid nobis, & tibi Fili Dei? In oculis itaque suis hamo captus est, quia & novit, & momordit.* Athanasius lib. de Incarnat. Verbi: *Quod non est persuasum hominibus impiis, id Dæmones suis oculis contuentur, Deumque illum esse, & sentiunt, & credunt, ideoque fugitivi, & adorabundi, in has voces erumpunt, quæ tunc loquebantur, cum ille adhuc in carne versaretur: Novimus qui sis, tu es ille Sanctus Dei. Rursumque clamabant: Quid tibi nobiscum, Filii Dei?* Nazianzenus orat. 42. *Deitati fidem abrogas? Hoc ne Dæmones quidem ipsi fecerunt; Ita & Judicii perversitate Judæos, & incredulitate Dæmones superas; illi enim Filii vocabulum æqualitatis, vocem esse censuerunt, hi autem eum, a quo fugabantur, Deum agnoverunt, doloribus nimirum, quos sentiebant, fidem ipsis facientibus.*

Pro quarta Dissertationis parte, prima opinio est quorundam Patrum, dicentium, Judæos cognovisse Jesum esse Messiam, & verum Deum, & nihilominus ex ira, at-

atque odio, quod contra eum animo conceperant, illum occidisse. Citatur Origenes tract. 19. in Matthæum, & cum eo Author Operis imperfecti homil.40., ubi super illud Matthæi 1: *Agricolæ autem videntes filium, dixerunt intra se: Hic est hæres, venite occidamus eum*: ubi habet: *Ex omnibus operibus ejus cognoverunt Filium Dei esse; & hoc significant, dicentes: hic est hæres*. Beda pariter lib.3. in Matthæum scribit: *Manifestissime probat Dominus, non per ignorantiam, sed per invidiam Principes Judæorum crucifixisse Filium Dei. Intellexerunt hunc esse, de quo dictum est: Postula a me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam*; quæ verba Anselmus citato loco usurpavit. Secunda sententia est aliorum Patrum, & Expositorum, qui putarunt, Judæos cognovisse Jesum esse Messiam, non tamen esse verum Deum. Tribuitur Euthymio in Matthæum, ubi dicit, quod Judæi cognoverunt Christum, ut Regem Israel, quem prædixerunt Prophetæ, non tamen, ut filium Dei. Ejusdem opinionis sunt Theophylactus, Burgensis, Lyranus, aliique apud Suarez. Tertia sententia est illorum, qui dicunt, Judæos neutrum cognovisse, nimirum neque esse Messiam, neque verum Deum. Et isti sunt Abulensis in cap.21. Matthæi quæst.ultima, Cajetanus in cap.23. Lucæ, & 3.part. qu. 47. art. 5. Quarta opinio est, quod Judæi, qui in Christum crediderunt; cognoverunt, illum esse Messiam, ac verum Deum. Judæos vero, qui in Christum non crediderunt, & qui fuerunt de plebe, a Pharisæis, & Judæorum Principibus deceptos, non agnovisse, Jesum esse Messiam, neque Deum, cognovisse tamen, esse Filium Dei; Pharisæos autem, & Principes Judæorum, qui Christum sunt persequuti, neque cognovisse, Christum esse Filium Dei naturalem. Et tribuitur hæc opinio Hilario lib.6. de Trinit., Augustino tract.49 in Joannem, aliisque apud Suarez.

Dicimus IV. Ex Christi miraculis Judæos omnes potuisse quidem agnoscere, Christum fuisse verum Messiam, ac Deum; re vera autem cognovisse illos omnes, qui in ipsum crediderunt: qui vero non crediderunt, ex parte non cognovisse, ex parte autem cognoscere noluisse.

Prima Conclusionis pars probatur I., quia Judæi ex una parte sciebant oracula de Messia; supponimus enim eos in Lege peritos; & ex altera videbant miracula, quæ Christus operabatur, & quæ a nemine rationabiliter judicante, poterant negari: ergo rationabiliter pariter poterant cognoscere ex miraculis Christi, Christum esse Messiam, & verum Deum. II. Sæpe Christus Judæos ad Scripturas amandabat, ut Seipsum cognoscerent; dicens: *Scrutamini Scripturas, quia illæ testimonium perhibent de me. Si Moysi crederetis, crederetis & mihi*: ergo signum est, quod ex Scripturis poterant Judæi cognoscere, Christum esse Messiam, & Deum; sed in Scripturis continebantur miracula, quæ operari debebat Messias, ut pro Messia dignosceretur: ergo ex miraculis poterant Judæi cognoscere, Christum esse Messiam, & Deum.

Secunda Conclusionis pars probatur, quia Judæi illi, qui crediderunt in Christum, ideo crediderunt, quia ex miraculis ipsius cognoverunt, Christum esse Messiam, & verum Deum; aliter enim non credidissent: ergo credentes in eum, vere cognoverunt illum, & utique cognoverunt illum ex miraculis, quæ operabatur. Et de facto, Petro, qui credidit, & dixit Matthæi 16. *Tu es Christus, filius Dei vivi*, Christus respondit: *Caro, & sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus*: Et Marthæ, quæ dixit: *Ego credidi, quia tu es Christus, Filius Dei, qui in hunc Mundum venisti*; Christus pariter respondit, eam laudans, non reprehendens; ut asserunt Hilarius lib.6. de Trinitate, & Augustinus tract. 49. in Joannem.

Tertia Conclusionis pars probatur de iis, qui Christum non agnoverunt, vel quia cognoscere non voluerunt, vel quia ob imperitiam Scripturarum cognoscere non potuerunt, vel quia ob timorem Pharisæorum credere, & confiteri formidabant. Joannis 12. dicitur: *Cum tanta signa fecisset coram eis, non credebant in eum, ut sermo Isaiæ Prophetæ impleretur; Excæcavit oculos eorum, &c.*, quibus verbis ostenditur, aliquos non credidisse ob humanum timorem: ex sequentibus vero patet, alios non confessos fuisse ob violentiam, quam iisdem Pharisæi incutiebant: Unde citato loco dicitur apud Joannem: *Veruntamen ex Principibus multi crediderunt in eum, sed propter Pharisæos non confitebantur, ut e Synagoga non ejicerentur; dilexerunt enim magis gloriam hominum, quam Dei*. Insuper quando Principes Sacerdotum, & Pharisæi interrogabant Christum, an esset Messias

Lucæ 22. Ipse respondit eis: *Si dixero vobis, non creditis mihi*. Et quando Joannis 10. Judæi dicebant: *Quousque animam nostram tollis?* Respondit pariter: *Loquor vobis & non creditis mihi*. Petrus Actorum 3. dicebat Judæis: *scio quod per ignorantiam fecistis, sicut & Principes vestri*. Et Paulus 1. ad Corinth. 2. *Si cognovissent, nunquam Dominum gloriæ crucifixissent*: Et Christus Dominus, de cruce pendens sic Matthæi 23. pro crucifigentibus Patrem orabat: *Ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt*.

Objiciunt I. Si Dæmon scivisset, Christum esse Messiam, & Deum, scivisset quoque, per mortem ejus genus humanum fore reparandum; sed per reparationem generis humani destruebatur imperium Diaboli: ergo non debebat Dæmon mortem Christi procurare. Major est certa, quia in iisdem Scripturis, in quibus inveniebatur, Christum esse Messiam, ac filium Dei, & Deum, legebatur quoque, Christum futurum esse Redemptorem. II. Dæmon incitabat Judæos ad necem Christi ex odio Dei: ergo jam sciebat, Christum esse Deum. Probatur antecedens; quia aliter non incitasset Judæos ad inferendam Christo necem, sciens, quod ex morte Christi dependebat præcipitium Regni ipsius; at quia majus erat odium, quo Deum prosequebatur, amore, quo seipsum amabat; inde erat, quod ut perderet Christum Deum, non curabat perdere seipsum, & regnum suum. III. Judæi volebant Christum interficere, quia se Deo faciebat æqualem; quod patet Joannis 9. & 10. *De bono opere non lapidamus te, sed de blasphemia, quia tu, homo cum sis, facis te ipsum Deum*: ergo Judæi potius cognoscebant, Christum non esse Deum. IV. Pharisæi etiam si essent in Lege periti, non intelligebant tamen, Messiam futurum verum Dei filium naturalem: ergo licet cognoverint esse Messiam, non tamen cognoverunt, esse filium Dei, & Deum. Probatur antecedens Matthæi 22.Christus interrogabat Pharisæos: *Quid vobis videtur de Christo? Cujus filius est?* Pharisæi respondebant, esse filium David: ergo re vera sentiebant, Messiam futurum purum hominem. V. Apostoli regnum Christi credebant terrenum, & temporale; unde dicitur Actorum 1. *Domine, si in tempore hoc restitues regnum Israel*; & Lucæ 24. *Nos sperabamus, quod ipse esset redempturus Israel*; hoc est, ut explicant Expositores, a Romanorum dominatione. VI. Mater filiorum Zebedæi pro filiis suis a Christo petebat regnum temporale, petendo pro illis præcipuas in Regno suo sedes: unde dicebat Matthæi 20. *Dic, ut sedeant hi duo filii mei, unus ad dexteram, alius ad sinistram in Regno tuo*: ergo etiam Judæi, qui Christum adorabant, nesciebant, ipsum esse Deum. VII. Si vera esset postrema nostra Conclusio, sequeretur, quod non fuisset in tota Synagoga Judæorum qui haberet veram de Messia existimationem; sed hoc dici non potest: ergo, &c. VIII. Matthæi 21. Dicebant Judæi: *Hic est hæres, &c.* ergo cognoscebant, Christum esse Messiam, & Christum esse Deum.

Respondemus ad I. cum Suarez, qui scribit pro responsione, quæ sequuntur verba: „ Ad priorem difficultatem respondetur, eas prophetias non fuisse adeo claras, ut necessarium fuerit Dæmoni, omnes intelligere, antequam implerentur; & ideo facile potuit vel ignorare illas, vel certe non animadvertere, præsertim cum ob nimiam superbiam, & invidiam, totus esset positus in Christo expugnando, & superando. Considerandum est enim, sicut, cum homo vehementi passione ducitur adversus inimicum, non semper considerat incommoda, sibi imminentia, & licet interdum aliquo modo repræsentantur, fidem non adhibet, sed seipsum excæcat: ita accidisse Dæmoni ob pravum affectum, quem in Christum habebat. Multi vero existimant in ipsamet nocte passionis Christi, quando jam antiquæ prophetiæ ad exitum perducebantur, cœpisse Dæmonem aliquid suspicari, & per uxorem Pilati voluisse Christi mortem impedire. Ita sentit Anselmus, Lyranus, & Cajetanus Matthæi 27. & Petrus Comestor in historia Evangelica cap. 166. & optime Bernardus serm. 1. de Resurrect. Sed hoc valde incertum est, nam multi antiqui Patres existimant, non Dæmonem, sed bonum aliquem Angelum immisisse somnum illum uxori Pilati, non ut impediretur mors Christi, (sciebat enim Deus non fuisse impediendam) sed ut causam suam magis justificaret, & nullam excusationem peccati Pilato relinqueret, & fidem nostram magis confirmaret. Nam si Dæmon voluisset impedire mortem Christi, potius per Judæos, quam per uxorem Pilati id facere aggrederetur.

„ tur. Ita sentiunt super Matthæum cap. „ 27. Origenes, Hilarius, Hieronymus, „ Chrysostomus, Theophylactus, & Euthymius, Ambrosius Lucæ 23. Augustinus serm. 121. de tempore, & Athanasius serm. de passione, & Cruce Domini, „ qui tamen fatetur, Dæmonem in morte „ Christi fuisse sollicitum de perditione „ sua, & ideo incitasse Judæos, ut dicerent „ verba illa: *Si Filius Dei est, descendat de Cruce, & credimus ei. Quia Domini mortem*, inquit, *evitare cupiebat, ne aliis salus efficeretur*. „

Ad II. respondet pariter Suarez verbis hisce: „ Quanquam peccatum interficientium „ Christum fuerit maximum: tamen multo „ majorem esse divinam gloriam, quæ ex „ Christi morte, & hominum reparatione „ resultat. Item, multo majus malum esse, „ quod consurgit ex infidelitate, & idololatria fere totius Orbis. Denique cum Dæmon sit superbissimus, nunquam committeret aliquid, ex quo futurum sciret, ut „ imperium in homines amitteret, & cultu, „ ac adoratione privaretur „.

Ad III. dicitur Judæos illos fuisse, vel de vulgo hominibus, qui Scripturas non intelligebant, immo qui neque legebant, unde potuissent cognoscere Messiam in Lege promissum futurum esse Deum; vel fuisse Judæos, qui Pharisæorum, & Sacerdotum invidia præventos, Christum fateri nolebant Deum, ne illorum indignationem incurrerent; ut in Conclusionibus suprapositis satis explicavimus.

Ad IV. Quanvis Pharisæi respondissent, Messiam esse Filium David, hoc tamen secundum humanam naturam dicebant, quia vere secundum hanc erat ex progenie David. Attamen quando Christus objecit verba Davidis, qui Messiam Dominum vocabat: *Dixit Dominus Domino meo*; nihil Christo responderunt, & quasi se convictos dederunt, quanvis in intellectu tantum, non autem in voluntate. Ex quo fit, quod Pharisæi, qui erant in Lege periti, poterant ex Scripturis cognoscere, Messiam esse Deum, licet ex voluntatis pravitate non cognoverint. Unde Beda lib. 3. in Matthæum scribebat: *Manifestissime probat Dominus, non per ignorantiam, sed per invidiam Principes Judæorum crucifixisse Filium Dei. Intellexerunt hunc esse, de quo dictum est: Postula a me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam*, quæ verba retulimus nuper.

Ad V. dicitur, quod illi, qui in Christum credebant facilius, & prius crediderunt, esse Messiam, quam Deum. Rationem assignat Suarez, dicens: „ Quia hoc posterius continebat mysterium altius, & „ obscurius, quod (ut verisimile est) pauci distincte intellexerunt usque ad Christi resurrectionem, & Apostolorum prædicationem, sed involute credebant „ Christum esse Filium Dei cum insigni „ quadam sanctitate, & excellentia. Quia „ vulgus non erat tunc capax majoris cognitionis, ut patet ex toto discursu Evangelii; & ex ignorantia, quæ in aliquibus Apostolis erat nocte cœnæ, ut merito Christus eis diceret: *Tanto tempore vobiscum sum, & non cognovistis me?* Joannis 14. Unde Petro dictum est ex singulari Patris dono tantam, tamque distincte de Christo cognitionem ei fuisse datam; „ & de Martha Chrysostomus, & alii probabilius existimant, non cognovisse distincte, Christum esse Filium Dei naturalem. Ex his consequenter colligitur, „ hoc, qui in Christum crediderunt, non „ omnes habuisse evidentiam veritatis doctrinæ ejus, neque quod ipse esset Messias, aut Deus. Fuit quidem ipsis evidens, „ ipsum esse dignum fide, & prudenter fieri, credendo illi (ut satis ex superioribus „ constat) non tamen fuit evidens, vera esse, quæ diceret; tum quia fere omnes „ erant simplices, ac illiterati homines, qui „ non sciebant Scripturas; tum etiam quia „ non omnes videbant cuncta miracula, „ & multo minus eorum veritatem evidenter cernebant. Præterea, quia non omnes „ sciebant evidenter miracula illa fieri in „ confirmationem doctrinæ, aut non posse „ permittere Deum, ut falsitatis prædicator talia signa faceret „.

Ad VI. Non statim Apostoli cognoverunt Christi divinitatem, sed tractu temporis; non poterant enim illam cognoscere antequam illis fieret a Christo expressa Trinitatis revelatio, in qua Christi divinitas continebatur. Unde non mirum, si a principio de Christo carnalia, & temporalia, non spiritualia, & divina credebant, atque quærebant.

Ad VII. Citatus Suarez respondet: „ Quod „ veram existimationem habebant, qui sperabant illum verum hominem prophetam, sanctum, ac Deo conjunctissimum, „ in qua vera cognitione implicite credebant reliqua, quæ ad Christum pertinent, „ quod illis tunc ad salutem sufficiebat; „ pauci vero erant qui distincte altiora mysteria de Messia cognoscerent, & si qui erant, „ fuerant a Deo singulariter illuminati, ut

„ Simon, Anna, Zacharias, Elizabeth, & „ alii, qui sine dubio Christo non repugna- „ runt, sed facile obtemperarunt. Fortasse „ etiam aliquis erat tam versatus in Scriptu- „ ris, tamque sincere, ac proprie eas intel- „ ligens, ut aliquid de divinitate Messiæ, „ vel suspicaretur, vel opinaretur: sed in „ hoc nihil certe affirmari potest. Quia illi „ Judæi nullum signum, aut vestigium de- „ derunt talis cognitionis, neque tempore, „ quo Christus prædicavit, neque postea, „ semper enim conati sunt Scripturas „ evertere, & ad falsos sensus detorque- „ re „.

Ad VIII. Illa fuit parabola, quam Christus Dominus proposuit Matthæi 21. Ex parabolis autem colligi non potest firmum argumentum ad aliquid probandum; & hoc ex pluribus rationibus; Primo quidem, quia non est necessarium omnia verba parabolarum exponere, applicare, & ad rem inducere; Secundo, quia in parabolis non omnia in proprietate, & in rigore dicuntur: unde exponi possunt illa verba, quæ dixerunt Judæi: *Hic est hæres &c.* Hic est ille, qui se facit hæredem, & Dei filium; sicut Sapientiæ 2. prædictum fuerat, quod Judæi de Christo dicere debebant: Filium Dei, se nominat; morte turpissima condemnemus eum; Tertio, illa eadem verba: *Hic est hæres &c.* possunt hoc alio modo explicari; Hic est ille, qui primum locum tenet in populo, & quem omnes sequuntur, & colunt; Unde Cajetanus scribit, quod illo verbo Christus sub parabola prædixerit quod postmodum dixerunt Judæi in Concilio: Omnes credent in eum; & propterea ait Suarez, quod dicere, hic est hæres, non fuit dicere, hic est Messias, sed hic est, in quem omnes credent, & ita fiet Dominus, ac hæres populi Israel; Quarto, Jansenius putat, quod illo verbo significatum sit, vel quod multi ex Populo credebant, vel quod ipsi Principes facile poterant cognoscere, & credere, uti debebant; Quinto demum dicitur, quod aliquando argumentis convincebantur Judæi ad id credendum, sed deinde propter humanum timorem, vel propter avaritiam, vel propter alios affectus carnales, & culpabiles, in sua cæcitate permanebant.

DISSERTAT. CCXXXVIII.

De Christo triumphante, & Jerosolymam ingrediente. Quando misit Christus Apostolos, ut asinam & pullum quærerent, & adducerent? Unde misit? Quo misit? Et quos Apostolos misit?

CHRISTI Triumphum, quando Jerusalem est ingressus, verbis hisce describit Evangelista Matthæus sui Evangelii cap. 21. *Et cum appropinquassent Jerosolymis, & venissent Bethphage ad montem Oliveti: tunc Jesus misit duos discipulos, dicens eis: Ite in Castellum, quod contra vos est, & statim invenientis asinam alligatam, & pullum cum ea: solvite, & adducite mihi; & si quis vobis aliquid dixerit, dicite, quia Dominus his opus habet, & confestim dimittet eos. Hoc autem totum factum est, ut adimpleretur, quod dictum est per Prophetam, dicentem: Dicite Filiæ Sion: Ecce Rex tuus venit tibi mansuetus, sedens super asinam, & pullum filium subjugalis. Euntes autem discipuli fecerunt sicut præcepit illis Jesus. Et adduxerunt asinam, & pullum, & imposuerunt super eos vestimenta sua, & eum desuper sedere fecerunt. Plurima autem turba straverunt vestimenta sua in via: alii autem cedebant ramos de arboribus, & sternebant in via; Turbæ autem, quæ præcedebant, & sequebantur, clamabant, dicentes: Hosanna filio David, benedictus qui venit in nomine Domini: Hosanna in altissimis. Et cum intrasset Jerosolymam, commota est universa Civitas, dicens: Quis est hic? Populi autem dicebant: Hic est Jesus Propheta a Nazareth Galilææ.* Lucas vero sui Evangelii cap. 19. hoc pacto narrat: *Et his dictis, præcedebat, ascendens Jerosolymam. Et factum est, cum appropinquasset ad Bethphage, & Bethaniam, ad montem, qui vocatur Oliveti, misit duos*

Di-

Discipulos suos, dicens; Ite in Castellum, quod contea est, in quod introeuntes, invenientis pullum asinæ alligatum, cui nemo unquam hominum sedit; solvite illum, & adducite. Et si quis vos interrogaverit: Quare solvitis? Sic dicetis ei; quia Dominus operam ejus desiderat. Abierunt autem qui missi erant, & invenerunt, sicut dixis illis, stantem pullum. Salveatibus autem illis pullum, dixerunc Domini ejus ad illos: Qaid solvitis pullum? At illi dixerunt: quia Dominus cum necessarium habet. Et duxerunt illum ad Jesum, & jactantes vestimenta sua supca pullum, imposuecunt Jesum. Eunte autem illo, substernebant vestimenta sua in via. Et cum appropinquaret jam ad descensum montis Oliveti, cœperunt omnes turba discipulorum gaudentes laudace Deum voce magna super omnibus, quas viderant, virtutibus, dicentes: Benedictus, qui venit cex in nomine Domini, pax in cœlo, & glocia in excelsis. Et quidam Pharisaorum de turbis, dixerunt ad illum: Magister, increpa discipulos tuos. Quibus ipse ait: Dico vobis, quia si hi tacuecint, lapides clamabant. Et Joannes quoque cap. 2. sui etiam Evangelii sequentia de eodem triumpho refert: *Jesus autem ante sex dies Paschæ venit Bethaniam, ubi Lazarus fuerat mortuus, quem suscitavit Jesus. Fecerunt autem ei cœnam ibi, & Martha ministcabat; Lazarus veco unus ecat ex discumbentibus cum eo. Maria ergo accepit libcam unguenti nardi pistici, pretiosi, & unxit pedes Jesu, & extersit pedes ejus capillis suis: & domus impleta est ex odoce unguenti. Dixit ecgo unus ex Discipulis ejus, Judas Iscariotes, qui erat eum tcaditurus: Quare hoc unguentum non veniit trecentis denariis, & datum est egenis? Dixit autem hoc, non quia de egenis pertinebat ad eum, sed quia fur erat, & loculos habens, ea, quæ mittebantur, portobat. Dixit ecgo Jesus: Sinite illam, ut in diem sepulturæ meæ servet illud; Pauperes enim sempec habetis vobiscum: me autem non semper habetis. Cognovit ergo turba multa ex Judæis, quia illic est, & venerunt, non proptec Jesum tantum, sed ut Lazarum viderent, quem suscitavit a mortuis. Cogitavecunt autem Principes Sacecdotum, ut & Lazarum Interficerent, quia multi proptec illum abibant ex Judæis, & ccedebant in Jesum. In crastinam autem turba multa, quæ venerat ad diem festum, cum audissent, quia venit Jesus Jerosolymam, acceperant ramos palmacum, & pcocesserunt obviam ei, & clamabant: Hosanna, benedictus, qui venit in nomine Domini, Rex Israel. Et invenit Jesus asellum, & sedit supec eum, sicut scriptum est: Noli timece, Filia Sion; Ecce Rex tuus venit, sedens super pullum asinæ. Hæc non cognoverunt discipuli ejus primum, sed quando glorificatus est Jesus, tunc recordati sunt, quia hæc erant scripta de eo, & hæc fecerunt ei. Testimonium erga perhibebat turba, quæ erat cum eo, quando Lazarum vocavit de monumento, & suscitavit eum a mortuis. Propterea & obviam venit ei turba; quia audierunt, eum fecisse hoc signum.* Marcus denique sui etiam Evangelii cap. 11. hæc scribit: *Et cum appropinquarent Jerosolymæ, & Bethaniæ ad montem Olivarum, mittit duos ex discipulis suis, & ait illis: Ite in Castellum, quod contca vos est, & statim introeuntes illuc, invenietis pullum ligatum, super quem nemo adhuc hominum sedit: solvite illum, & adducite. Et si quis vobis dixerit: Quid facitis? Dicite, quia Domino necessarius est: & continuo illum dimittet huc. Et abeuntes invenerunt pullum ligatum ante januam foris in bivio, & solvunt eum. Et quidam de illic stantibus dicebant illis: Quid facitis solventes pullum? Qui dixerunt eis, sicut præceperat illis Jesus, & dimiserunt eis; Et duxerunt pullum ad Jesum: & imponunt illi vestimenta sua, & sedit super eum. Multi autem vestimenta sua straverunt in via: alii autem frondes cædebant de arboribus, & sternebant in via. Et qui præibant, & qui sequebantur clamabant, dicentes: Hosanna: Benedictus, qui venit in nomine Domini; Benedictum, quod venit regnum patris nostri David: Hosanna in excelsis. Et introivit Jerosolymam in Templum, & circumspectis omnibus, cum jam vespera esset hora, exiit in Bethaniam cum duodecim.*

Quibus verbis, & præcipue illis, quæ a Juanne scribuntur; Marcus enim, & Lucas in genere, & in confuso scribunt, quia Bethphage, Jerusalem, & Bethania, sibi mutuo vicina erant, ut ait Cornelius a Lapide, liquet; verba sunt ejusdem Cornelii: ,, Christum præcedenti Sabatho cœnasse, & pernoctasse in Bethania, ac sequenti die (quæ erat *Dominica palmarum*) vicinius accessisse ad Jerusalem; scilicet ad Bethphage, & inde misisse Discipulos ad adducendum asinam cum pullo: Bethphage enim erat vicinior Jerusalem ,,. Post quæ Cornelius descriptionem illorum locorum, subdens, ait: ,, Unde ex Bethania per Bethphage, montem Oliveti, & vallem Josaphat, ibatur Jerusalem; nam urbi Jerusalem immediate adjacet Vallis Josaphat, quam interruit torrens Cedron; post vallem sequitur mons Oliveti, post montem vicus Bethphage, & inde Be-

,, tha-

„ thania „. Hæc Cornelius.

Dicimus I. Christum misisse Discipulos quinta die ante festum Paschatis, quæ erat dies decima mensis Nisan, & quæ illo anno inciderat in primam diem hebdomadæ, quæ nobis est Dominica

I. Probatur. Joannis 12. legitur: *Ante sex dies Paschæ venit Bethaniam, ubi Lazarus fuerat mortuus, quem suscitaverat: fecerunt autem ei cœnam ibi.... In crastinum autem turba multa, quæ venerat ad diem festum* (Paschatis imminentem) *cum audisset, quia venit Jesus Jerosolymam, acceperunt ramos palmarum, & processerunt obviam ei &c.*: ergo illa crastina dies, qua Christus jussit sibi pullum adduci, & qua triumphator Jerosolymam est ingressus, fuit dies quinta ante Paschatis festum.

II. Probatur. Die quinta ante Paschatis festum Agnus mactandus in Paschate inducebatur in domum: ergo sicut voluit Christus mactari in cruce, dum mactabatur ex Mosaica Lege paschalis Agnus; ita voluit Jerosolymam ingredi solemni pompa, quando Agnus mactandus, in Jerosolymæ domos inducebatur. Antecedens probatur ex illo Exodi 12., ubi legitur: *Decima die mensis hujus tollat unusquisque Agnum per familias, & domos suas.... Et servabitis eum usque ad quartamdecimam diem mensis hujus; immolabitque eum universa multitudo filiorum Israel ad vesperam.*

III. Probatur. Die decima mensis Nisan Josue, trajecto Jordane, cum Universo populo Israelitico ingressus est terram promissam: ergo pariter Jesus die decima mensis Nisan ingressus est Jerosolymam, ut morte sua cœlestem promissionis terram Nobis pararet. Probatur antecedens. Josue 4. v. 19 legitur: *Populus autem ascendit de Jordane decimo die mensis primi, & castramentati sunt in Galgalis contra Orientalem plagam Urbis Jericho.* Unde laudatus Cornelius a Lapide in cap. 12. Joannis hæc scribebat: „
„ (*Ante sex dies Paschæ*) Idest, ante sex dies,
„ qui præcedunt Pascha, puta feria sexta,
„ sive die Veneris vespere, Jesus ex
„ Ephrem venit Bethaniam, inde sequenti
„ Sabbatho fecerunt ei Convivium, ac
„ postero die, puta Dominica palmarum:
„ Pascha enim eo anno incidebat in feriam
„ quintam, sive in diem Jovis proximæ
„ hebdomadæ: quare sex dies diem Paschæ
„ præcedentes, ante quos Jesus venit Be-
„ thaniam, hi sunt, Sabbathum, Domini-
„ ca, feria prima, secunda, tertia, quarta.
„ Venit ergo feria sexta, cum sequenti
„ hebdomadæ feria sexta esset crucifigen-
„ dus. Non venit Sabbatho, quia eo jux-
„ tam legem non licebat iter agere, sed
„ quiescendum erat. „

Dicimus II. Christum misisse Discipulos Bethphage ex viciniis Bethphage, ad quærendum asinam, & pullum.

I. Probatur. Lucæ 19. legitur: *Et factum est, cum appropinquasset Bethphage, misit duos discipulos suos, dicens: Ite in Castellum, quod contra vos est*: ergo Christus non pervenerat Bethphage, sed appropinquaverat; sed loca propinqua sunt loca vicinia: ergo Christus ex viciniis Bethphage misit duos discipulos suos, ad quærendum asinam, & pullum. Unde Cornelius a Lapide juxta explicationem nostram in caput 21. Matthæi ver. 1. scribebat: „ Idest, in vicum, qui ex
„ opposito, vel e regione vestri est: unde
„ patet, non significari hic Jerusalem, ut
„ vult Lyranus, sed vel Bethphage, ut
„ vult Jansenius; vel certe vicum aliquem,
„ oppositum Bethphage, ut vult Adricho-
„ mius: nam Christus jam venerat Beth-
„ phage, ut dixi v. 1. nisi *To cum venis-*
„ *set* ibidem exponas, quasi dicat: Cum
„ appropinquasset Bethphage. „

II. Probatur. Qui dicunt, Christum misisse Discipulos ex Bethphage, quo pervenerat in castellum, seu vicum alterum, positum e regione Bethphage, ideo dicunt, quia legunt Matthæi 21. verba hæc: *Cum appropinquasset Jerosolymis, & venisset Bethphage, tunc Jesus misit duos discipulos &c.* sed verba hæc nihil probant pro illis, & contra nos: ergo &c. Probatur minor. Verba illa explicanda sunt per contextum Lucæ; sed per contextum Lucæ venire idem est, ac appropinquare: ergo verba illa Matthæi: *Et venisset Bethphage* juxta contextum Lucæ idem sonant, ac cum appropinquasset Bethphage; hoc est, cum venisset prope Bethphage, vel ad vicinia Bethphage. Ut enim ait Serry exercitat. 49. „ Ex
„ Bethania per Bethphage iter erat in Je-
„ rusalem, distabatque Bethania stadiis
„ quindecim, sive duobus prope milliariis
„ ab Urbe; Bethphage uno duntaxat mil-
„ liario, situmque erat ad Orientem ad ra-
„ dices Montis Oliveti, ut in descriptione
„ Terræ sanctæ videre est. „

Pro ultima Dissertationis parte, quinam scilicet fuerint Discipuli, quos Christus Dominus misit; scire oportet, Hila-

rium,

rium, Auctorem Operis imperfecti, Bedam, & Glossam, putasse, hos duos fuisse Petrum, & Philippum: Origenem vero, & Theophylactum scripsisse, quod fuerint Petrus, & Paulus, quod volunt typice intelligendum; hoc est, ut ait Cornelius a Lapide, hos duos a Christo missos significasse, & repræsentasse Petrum, qui futurus erat Apostolus Judæorum, & Paulum, qui futurus erat Apostolus Gentium: Nec dum enim Paulus conversus erat ad Christum, sed post ascensum Christi in Cœlum conversus est Actor. 9. Denique Jansenium existimasse, hos duos fuisse Petrum, & Joannem; quia paulo post hos præmisit Christus ad parandum Agnum paschalem. Cæterum Cornelius a Lapide concludit, quod propter Authorum varietatem, & quia Evangelium illos duos discipulos expresse non nominat, nihil certi definiri potest. Eandem ob caussam quæstionem hanc Serry insolutam relinquit, dicens: „ Quarta, quæ superest, „ quæstio: Quinam a Christo discipuli „ missi sint, insoluta relinquitur, nullo ad „ ejus solutionem suffragante Canone. Pe„ trum quidem, & Joannem opinantur „ aliqui, quod iis quinto post die ad Pa„ scha parandum, missi legantur, Lucæ „ cap.22. v.8. At quæ consecutio illa est, „ ut ii quoque ad quærendum asellum „ missi sint, qui ad parandum Pascha fue„ runt postmodum delegati? Petrum, & „ Philippum alii malunt, non omni qui„ dem auctoritate destituti: quippe qui „ D. Hilarium, Venerabilem Bedam, Au„ ctorem Operis imperfecti in Matthæum „ inter Chrysostomi Opera prævios duces „ habent. Sed nec tanta illorum auctori„ tas est, ut rem per se se dubiam, certam „ faciat. „

Pro Dissertationis Coronide, quædam subnectimus quæsita, & responsiones ad illa, ut completa triumphi Christi narratio exhibeatur.

Primo igitur quæritur, an pullus, & asina, sub alicujus dominio fuerint, & quo pacto discipuli eos quæsiverunt, & acceperunt? Secundo, an Christus insederit soli pullo, an vero per vices, pullo simul, & asinæ? Tertio, an vestimenta, & arborum rami strati fuerint humi, & in terram projecti? an vero fuerint illi in Tabernaculorum forma aptati, ad festi Scenopegiæ morem? Quarto, quarum arborum rami illi fuerint? Quinto, quinam fuerit simplex, & Germanus sensus verborum Hebraicorum, quibus composita erat acclamatio, quam turbæ Christo faciebant? Sexto, post Christi triumphum, quæ a Populo Judaico, & a Christo, gesta, vel dicta fuerint?

Ad I. quæsitum Lyranus in cap. 22. Matthæi, & Petrus Comestor in historia Scholastica, dicunt, quod pullus & asina, sub nullius dominio fuerint, & quod stabant in Castello Jerosolymis proximo, exposita ad pauperum usum: Ambrosius vero Catharinus putavit, Christum animalia illa ab illorum Domino per discipulos suos mendicasse, ac per eleemosynam mutuo petiisse. Contra primam opinionem clamat Lucas cap. 19. v. 33. *solventibus autem illis pullum, dixerunt Domini ejus ad illos: Quid facitis, solventes pullum?* Quibus verbis apertissime indicantur Domini pulli. Contra vero secundam opinionem facit, quod Christus nullum verbum dixit discipulis, quos misit, quod mendicationem, aut supplicem petitionem importet; immo potius Christus mandatum dedit discipulis, ut nullo præmonito, animalia solverent, & adducerent; Et si quis obstaret, dicerent: *Dominus his opus habet*: quæ quidem verba non important supplicis deprecationem, sed potius jubentis imperium.

Ad II. quæsitum Marcus cap.11. v.7. aperte dicit, quod Christus insederit pullo: *Duxerunt pullum ad Jesum, & imponunt illi vestimenta sua, & sedit super eum*: aperte dicit Lucas cap. 19. v.35. *Jactantes vestimenta sua super pullum, imposuerunt Jesum*: aperte dicit & Joannes cap. 12. v.14. *Invenit Jesus asellum, & sedit super eum*. Ex altera vero parte Matthæus cap.21. Meminit asinæ, & pulli: *Euntes autem discipuli fecerunt, sicut præceperat illis Jesus; & adduxerunt asinam, & pullum, & imposuerunt super eas vestimenta sua, & eum desuper sedere fecerunt*. Quod & prædixerat Zacharias cap 9. v. 9. *Dicite filiæ Sion: Ecce Rex tuus venit tibi mansuetus super asinam, & filium subjugalis*. Nos igitur dicimus, quod adduxerunt utique discipuli ad Jesum asinam, & pullum; at Jesus semper insedit pullo, asinam vero duxit post pullum, vestimentis onustam, & quasi stragulis phaleratam. Iter enim Bethphage ad Jerosolymam unius tantum milliarii erat; Unde non poterat per tam brevem viam animal, quod eum portabat, defatigari. Hieronymus, qui viam noverat,

& iter

& iter non semel consideraverat, nobis sit testis omni exceptione major. Is enim ait in suis Commentariis ad Matthæum: *Nunc stringendum est breviter, quod secundum litteram in parvo itineris spatio super utrumque animal sedere non quiverit. Aut enim sedit asinæ, & pullus absque sessore fuit; aut si pullo, quod magis competit, usus est ad sedendum, asina ducta est libera. Ergo cum historia vel impossibilitatem habeat, vel turpitudinem, ad altiora transmittitur; ut asina ista, quæ subjugalis fuit, & domita, jugum Legis traxerat, Synagoga intelligatur: pullus asinæ lascivus, & liber gentium populus, quibus sederit Jesus, missis ad eos duobus discipulis suis; uno in Circumcisionem, & altero in Gentes.*

Ad III. quæsitum. Putarunt quidam posteriorum temporum Novatores, quod vestimenta, & arborum rami, si fuissent in terram projecti, & a jumentis calcandi, equitationi impedimento fuissent; Unde potius fuerunt in modum Tabernaculorum aptati, atque compositi, ad festi Scenopegiæ morem. Verum contra Novatorum commentum stat non solum communis Patrum consensio, qui dicunt, stratas fuisse humi, ac projectas in terram vestes, & frondes; sed etiam Lucæ Evangelium pugnat cum versionibus quibusdam cap. 19. v. 36. *Euntе autem illo, substernebant vestimenta sua in via*. Versio Syriaca: *Multitudo turbarum sternebat pallia sua in via, alii vero cedebant ramos ex arboribus, & projiciebant in via*. Versio Persica: *Turba hominum plurima vestimenta sua straverunt, ut ille super ea transiret. Alii vero ramos ex arbore Olivæ succidebant, & in via projiciebant*. Præterea superflua omnino fuerunt Tabernacula illa, quæ Novatores comminiscuntur, quia in itinere tam brevi non oportebat, Christum requiescere, ac inter Tentoriola sedere.

Ad IV. quæsitum. Joannes cap. 12. v. 12. sui Evangelii expresse nominat palmarum ramos. Matthæi Versio Persica addit Olivas; & habet commune Sanctorum Patrum suffragium, quia triumphus per Oliveti montem ducebatur, & mons iste ab olivis nomen acceperat. Accedit, quod narrat Cyrillus Jerosolymitanus catech. 10., scilicet, quod tempore Jerosolymitanæ obsidionis omnes arbores fuerunt devastatæ, & solæ palmæ superstites remanserunt. Denique pro Olivis ratio mystica suffragatur; quia Olivæ pacem significant; adeoque in triumpho Regis pacifici Olivæ quoque illius debebant componere pompam.

Ad V. quæsitum. Verba illa fuerunt: *Hosanna filio David ... Hosanna in altissimis*; Horum autem sensus piam continet ad Deum supplicationem, qua Populus ille Deum precabatur, ut salvum sibi, prosperumque novum Regem conservaret. Unde *Hosanna filio David*, *Hosanna in altissimis*, idem important: *O Domine, salva quæso: O Domine, prospera quæso*; quod a nobis dici solet: *Vivat Rex*. Audiatur Hieronymus, Hebraicæ linguæ supra cæteros peritus, qui ad verborum illorum interpretationem epistolam dedit Damaso, Romano Pontifici, quæ est numero 145., & deinde Epistolæ Synopsim in Commentariis suis ad caput 21. Matthæi inseruit: *In centesimo decimoseptimo Psalmo, qui manifeste de adventu Salvatoris scriptus est, inter cætera hoc quoque legimus: Lapidem, quem reprobaverunt ædificantes, hic factus est in caput anguli: a Domino factum est istud, & est mirabile in oculis nostris: hæc est dies, quam fecit Dominus, exultemus, & lætemur in ea. Statimque jungitur: O Domine, salvum me fac, ò Domine, bene prosperare: Benedictus qui venit in nomine Domini: benediximus vobis de domo Domini &c. Pro eo, quod habetur in Septuaginta Interpretibus,* ω κύριε σώσωδη: *idest, o Domine, salvum fac; in Hebræo legimus:* הושיעה נא: *quod manifestius interpretatus est Symmachus, dicens: Obsecro, Domine, salvum fac, obsecro. Nemo ergo putet, ex duobus verbis, Græco, videlicet, & Hebræo sermone, esse compositum, sed totum Hebraicum; & significare, quod adventus Christi salus mundi sit: Unde & sequitur: Benedictus qui venit in nomine Domini. Salvatore quoque id ipsum in Evangelio significante: Ego veni in nomine Patris mei, & non me recepistis: alius veniet in nomine suo, & recipietis eum. Necnon quod jungitur Hosanna, idest, salus in Excelsis, perspicue ostenditur: quod adventus Christi, non tantum hominum salus, sed totius mundi sit, terrena jungens Cœlestibus: ut omne genu ei flectatur, Cœlestium, Terrestrium, & Infernorum.* Chrysostomus, Theophylactus, & Euthymius, non obscure innuunt pueros quoque lactentes Hebræorum, & Matrum mammis applicitos, in eandem acclamationem prorupisse. Immo Christus Dominus pariter indicavit, quando Principibus Sacerdotum, & Scribis, ob

ob id obstupescentibus, & ab eo quærentibus: *Audis, quid isti dicunt?* Respondit, 8. psalmi verba repetens: *Ex ore infantium, & lactentium perfecisti laudem propter inimicos tuos, ut destruas inimicum, & ultorem.*

Ad VI. quæsitum. Hæc narrantur a Matthæo cap. 21. *Et cum introivisset Jerosolymam, commota est universa Civitas, dicens: quis est hic? Populi autem dicebant: Hic est Jesus Propheta a Nazareth Galilæa; & intravit Jesus in Templum Dei: & ejiciebat omnes vendentes, & ementes in Templo, & mensas Nummulariorum, & Cathedras vendentium columbas evertit.* Marcus vero cap. 11. v. 11. scribit: *Introivit Jerosolymam in Templum, & circumspectis omnibus, cum jam vespera esset hora, exiit in Bethaniam cum duodecim. Et alia die, cum exiret a Bethania, esuriit.... Et veniunt Jerosolymam; & cum introisset in Templum, cœpit ejicere vendentes, & ementes in Templo, & mensas Nummulariorum, & Cathedras vendentium columbas evertit.* Ex quibus verbis, primo patet hallucinatio Adricomii in Descriptione Terræ Sanctæ, putantis, Christum fuisse ingressum Jerosolymam per portam auream, & hoc par prodigium, quia hæc porta semper erat clausa, & ad Christi adventum illico patuit. Hæc enim porta quum esset obvia subeuntibus Jerosolymam a monte Oliveti, & a Valle Josaphat, clausa non erat, sed potius semper aperta. Secundo, manifestatur lapsus illorum, qui dicunt, Christum post suum triumphalem ingressum statim ejecisse vendentes, & ementes de Templo; hoc enim fuit altera die, ut legimus apud Marcum, quanvis Matthæus distincte non explicet. Tertio, ex responsione illorum, qui dicebant ad interrogationem de Jesu, *Quis est hic?* Et respondebant: *Hic est Jesus Propheta a Nazareth Galilaa*; deducitur quoque quam falso dixerint quidam Joannis 1. *A Nazareth potest aliquid boni esse?* Et Joannis 7. *A Galilea Propheta non surgit.*

Opponunt I. Si asinæ, & pulli quis Dominus fuisset, Christus aliena rapuisset; sed hoc non est dicendum: ergo nullus erat asinæ, & pulli Dominus. Probatur antecedens. Christus Dominus non imposuit discipulis, neque ut commodato animantia illa haberent, neque ut ea conducerent, neque ut per mendicationem, & eleemosinam peterent: ergo præcepit, ut raperent. II. Christus dixit discipulis, ut jumentorum Domino responderent: *Dominus his opus habet; & confestim dimittet eos*; quasi dicat, ad breve tempus voluisse Christum uti illis, & statim remissurum ad Dominum, qui propterea gratis commodare poterit, quia confestim recipiet. III. Matthæus clare dicit, quod Apostoli sedere fecerunt Christum desuper asinam, & pullum: ergo non sedit Christus super solum pullum. Probatur antecedens. Matthæi 21. legitur: *Adduxerunt asinam, & pullum, & imposuerunt super eos vestimenta sua, & eum desuper sedere fecerunt*: ergo &c. IV. Hæc eadem Matthæi verba testantur, quod Apostoli imposuerunt vestimenta super eos, hoc est, super asinam, & pullum: ergo non supra solam asinam: ergo non semper Christus sedit super pullum, nec sola asina vestimenta detulit. V. Si Christus super solum pullum sedere volebat, quare ulterius adduci fecit asinam, quæ ad nullum deservire debebat usum? VI. Incoveniens omnino videtur, & indecorum, quod Christus supra pullum asininum sederet, ac triumpharet. VII. Vestes illæ, ac frondes, si humi stratæ jacuissent, impedimento fuissent jumentis, quæ Christum, & vestimenta portabant: ergo melius est, ut dicamus, quod in Tabernaculorum formam fuerint composita. VIII. Exclamatio infantium non fuit quando Christus triumphans ingressus est Jerusalem, sed quando in Templo sanabat cæcos, & claudos; unde dicitur Matthæi 21. v. 14. *Et accesserunt ad eum cæci, & claudi in Templo, & sanavit eos. Videntes autem Principes Sacerdotum, & Scribæ mirabilia, quæ fecit, & pueros clamantes in Templo, & dicentes: Hosanna filio David, indignati sunt, & dixerunt ei: Audis quid isti dicunt? Jesus autem dixit eis: Utique, nunquam legistis: Quia ex ore infantium, & lactentium perfecisti laudem?*

Respondemus ad I. quod nunquam censendum est, Christum per discipulos suos propriis Dominis animantia illa rapuisse, vel rapere voluisse; Primo, quia illi consenserunt statim ac audiverunt Christum voluisse illa; Secundo, quia Christus erat supremus rerum omnium Dominus; Tertio denique, quia equitatione illa jam terminata Christus ad heros suos statim jumenta remisit; ut testatur Author Latinus tractatuum in Matthæum apud Origenem.

Ad II. Verba illa Evangelii Matthæi non sunt

sunt intelligenda, ut intelligit Catharinus, sed ut exponuntur a Marco, qui ea sic refert, ac repræsentat, ut non intelligantur de Christo, remissuro jumenta post brevem illorum usum, sed potius de Domino jumentorum, qui ea dimissurus erat, statim ac Christi mandatum percepisset. Unde Marcus primo cap. dicit, quod Domini jumentorum reclamarunt dicentes: *Quid facitis, solventes pullum?* Deinde, quod discipuli dixerunt eis, sicut præceperat illis Jesus; & postmodum, quod Domini jumentorum discipulis dimiserunt jumenta; *& dimiserunt eis*.

Ad III. dicit Serry, Hebræis esse familiarem Synecdochen numeri, eo quia interdum utuntur plurali numero, dum incertum significant individuum. Et adducit exempla, primo, Judicum 12., ubi de Jephte in Hebraico Textu legitur *Sepultus est in Civitatibus Ghilhad*; scilicet in aliqua Civitatum; secundo Jonæ cap. 1. *Descenderat Jonas in latera navis*; id est in latus alterutrum. Sic denique pari sensu exponi possunt, quæ leguntur apud Zachariam cap. 9. *Ecce Rex tuus venit tibi mansuetus, sedens super asinam, & filium subjugalis*.

Ad IV. Utique vestimenta fuerunt imposita super pullum, & asinam, sed ex diversa ratione; siquidem super pullum imposuerunt, ut Christus commodius, & decentius sederet: super asinam vero, ut deserrentur ad ornatum triomphalis pompæ, sicut fuit dictum nuper. Ex hoc autem nihil erui potest, ad probandum, quod Christus vicissim sederit super asinam, & pullum.

Ad V. Jam diximus, asinam deservisse ad triumphalis pompæ ornatum. Verum subdit quoque Serry, id factum: „ Tum „ quod Asinarum pulli oneri ferendo non „ dum essent, e matre ægre admodum „ divellantur, seque sine ea duci minime „ patiantur; tum ob mysticam significa„ tionem, ut ea jugis pulli, & asinæ sub„ jugalis solutione, a discipulis facta, fu„ tura Gentilia, & Judaici populi libera„ tio, & ad Christum conversio, præsi„ gnaretur, ut jam ex D. Hieronymo vidi„ mus, cui & Patres omnes eo in capite „ suffragantur. „

Ad VI. Apud Antiquos Hebræos vectatio super asininum pullum nec indecora, nec inconveniens erat; unde & Principes, & ditissimi viri super asinarum pullos equitabant. Exempla habemus triginta filiorum Jair, Hebræorum Judicis, ac Principis, de quibus dicitur Judicum 10. *Sedentes super triginta pullos asinarum*; Et quadraginta filiorum Abdon, Judicis etiam, ac Principis Israelis, & ejusdem triginta Nepotum, de quibus legitur Judicum 12. *Ascendentes super septuaginta pullos asinarum*. Verum est tamen, quod post pacem initam inter Hebræos, & Ægyptios, magna equorum copia cœpit esse in Judæa; Unde super asinos vectatio facta est indecora, & vilis. Verum Christus censuit potius, decus suum esse, ut mediocri pompa Jerosolymam ingrederetur, & se Regem pacificum, non bellicum, super asinum, & non super equum, triumphantem, demonstraret.

Ad VII. dicit Serry, quod is a Judæis Christo delatus honos usque adeo equitationi impedimento non fuit, ut potius juverit, unde inoffenso pede pullus incederet, quia vestes dumtaxat ampliores, & expansa paludamenta strata fuer humi. Uti nec in Heroum triumphis fuit impedimento, in quibus idem observatum Plutarchus memorat in Catone. Neque vero necesse erat, quod illi fingunt, ut tentoriola, & tabernacula ex vestibus, & remis instruerentur, quum Christum in tam brevi itinere interquievisse, sedemque fixisse, non sit verosimile.

Ad VIII. dicitur, quod infantes illi, ac lactentes, bis in Christi laudem exclamarunt; Primo cum cæteris, quando Christus per plateas Civitatis transibat, & triumphans Jerosolymam percurrebat; Secundo, quando in Templo cœcos, & surdos persanavit. Hoc est enim pueris usitatum, ut quod semel fecerunt, sæpe faciant.

DIS-

DISSERTAT. CCXXXIX.

De Christo ultimam Cœnam celebrante. Qua die illam celebraverit? Qua hora? Quo loco? Et cum quibus commensalibus?

PRO die, qua Christus ultimam cœnam celebravit, primo, conveniunt omnes, quod illa eadem die, qua ultimam cœnam celebravit, Sacram pariter Eucharistiam instituit. Id ex Evangelio omnium Evangelistarum, clare liquet, & ex consensione omnium Patrum, & Ecclesiæ Scriptorum, immo ex traditione totius Ecclesiæ certissime constat. Constat pariter, quod Christus passus, & crucifixus fuit feria sexta, seu die Veneris; quod Evangelistæ quoque testantur: Igitur pridie, hoc est, die Jovis ad vesperam, cœnavit agnum, & Eucharistiam instituit. His autem non obstantibus, controversia est inter Græcos, & Latinos, quæ etiamnum inter ipsos perdurat; siquidem Græci sustinent, Christum celebrasse Pascha luna decimatertia, sive decima tertia die mensis Nisan, eo quod tempus Paschæ a Lege statutum prævenit, propter suam passionem, quæ sequenti die, qua Judæi Pascha celebrabant, futura erat. Et quia sequenti die cum Paschate, azymorum usus incipiebat, ideo ipsimet Græci censent, Christum ante azyma Eucharistiam instituisse in pane non azymo, sed fermentato; & ob id quoque ipsi in fermentato celebrant, & hoc dicunt, esse præceptum. Damnant proinde Latinos in azymo celebrantes, eosque vocant Hæreticos, & Azymitas, ac denique Latinorum altaria abluunt, quasi pane azymo polluta, antequam celebrent in eis. Latini vero volunt, Christum celebrasse Pascha juxta, non contra, Legem, lunatione scilicet decimaquarta, sive die decimaquarta mensis Nisan. Sunt ex Latinis, qui censent, Judæos distulisse Pascha in diem decimam quintam Nisan, eo quia, ut ait Burgensis, ex Seder Olam, traditionem habebant, ut si Pascha incideret in feriam sextam, sive in Parasceven, transferretur in Sabbathum, ne duo festa solemnia, scilicet Paschæ & Sabbathi, concurrerent. Verum, inquit Cornelius a Lapide in cap.26.Matthæi v.17. „ Hæc traditio, & consuetudo recentior „ est, cœpitque post Christum, ut ex Thal„ mud, & Aben Esra, ac ex S.Epiphanio, „ & Asianis probat Bellarminus lib.de Eu„ charistia cap. 8., ac Toletus, Suarez, „ D.Thomas, Abulensis, & alii., „ Rectius ergo Latini alii dicunt, Christum, & Judæos, eadem die a Lege præscripta, celebrasse Pascha, hoc est, decima quarta lunatione, & decima quarta die mensis Nisan. Verum, antequam ad conclusionem deveniamus, observamus hic contra Græcos, quod etiamsi ipsis concederetur, Christum, mortis suæ præscium, Paschatis celebrationem ante occupasse, non ideo tamen evenisset, quod in fermentato Eucharistiam instituisset, ut ipsi prætendunt. Si enim Paschatis celebrationem antevertisset, antevertisset quoque azymorum comestionem. Ratio est, quia ipsa azymorum comestio pars magna erat Paschalis ritus: Unde dies Paschatis dies prima azymorum dicebatur; propterea quod Paschalis agnus cum azymis panibus comedendus erat. Hoc exemplo probatur; quia si quis coactus erat differre Paschatis celebrationem in mensem alterum, in mensem quoque alterum azymorum comestionem differre debebat; & hoc non aliunde, nisi, quia cum azymis Pascha celebrare debebat. Hoc totum continetur Numer. cap.9. v.10. *Homo, qui fuerit immundus super anima, sive in via procul in gente vestra, faciet Phase Domino in mense secundo quartadecima die mensis ad vesperam cum azymis, & lactucis agrestibus comedent illud*. Ex quibus haud dubie hæc consequutio inferri potest: ergo si Christus vice versa Paschatis celebrationem prævenit, prævenit quoque azymorum comestionem.

Dicimus I. Christum Dominum Paschatis celebrationem non antevertisse, sed illa eadem die celebrasse, quæ a Lege præscripta erat, & qua Judæi celebrarunt;

nimirum luna 14. primi mensis Nisan ad secundam vesperam, quæ est prima vespera lunæ decimæ quintæ; sicut præceptum legitur Levitici cap. 23. v.5., & 6. & Numerorum cap.28. v.16.

I. Probatur ex Matthæo, Marco, & Luca, in suis Evangeliis. Matthæus cap.26. *Prima autem die azymorum accesserunt Discipuli ad Jesum, dicentes: Ubi vis, paramus tibi comedere Pascha?* Marcus cap.14. *Primo die azymorum, quando Pascha immolabant, dicunt ei Discipuli: Quo vis eamus, & paremus tibi, ut manduces Pascha?* Lucas cap.22. *Venit autem dies azymorum, in qua necesse erat occidi Pascha, & misit Petrum, & Joannem, dicens: Euntes, parate nobis Pascha, ut manducemus.* Et quanvis in Evangelio Joannis cap.13. v.1 legatur: *Ante diem festum Paschæ sciens Jesus, quia venit hora ejus, ut transeat ex hoc mundo ad Patrem, cum dilexisset suos, qui erant in mundo, in finem dilexit eos. Et cœna facta, &c.* Quæ verba occasionem dederunt Græcis, ut dicerent, Christum Paschatis celebrationem antevertisse: attamen verba hæc Joannis, quæ sunt obscura, & quæ possunt etiam in nostrum sensum flecti, ut inferius faciemus, non sunt præferenda apertis, claris, ac disertissimis aliorum trium Evangelistarum verbis, quæ Conclusionem nostram invicte probant, & per quæ illa Joannis explicari possunt.

II. Probatur. Nulla erat ratio, propter quam posset Christus Paschatis celebrationem antevertere: ergo non antevertit. Probatur antecedens. Etiamsi Christus, imminentis mortis suæ præscius, cognovisset, non posse se Judaicum Pascha præfinito tempore celebrare, nullam tamen necessitatem habebat, illud antevertere: ergo nulla erat ratio, &c. Probatur antecedens. Præceptum non obligabat Christum ad celebrandum Pascha, antequam dies celebrationis adveniret: ergo nulla erat necessitas, &c. Probatur antecedens. Numerorum 9. v. 10. Lex præcipiebat, ut si quis, vel impeditus immunditia aliqua legali, vel longe distans a gente sua, non posset primo mense Pascha celebrare, celebrare teneretur mense altero; at nullibi præcipiebat, ut si quis sciret, se moriturum die Paschatis, antecedenti die Pascha celebraret; Lex ergo mandabat postpositionem, non anticipationem.

III. Probatur. Apostoli illa ipsa die Paschatis compellaverunt Christum de Paschate celebrando; & Christus annuens respondit eis, assignans celebrationis locum: ergo implicite etiam assensit illis de die, quæ erat dies a Lege præscripta. Probatur antecedens Matthæi 26. habemus: *Prima die Azymorum accesserunt Discipuli ad Jesum, dicentes: Ubi vis paremus tibi comedere Pascha:* Igitur non poterat instantis mortis occasio adducere Christum ad præmaturam Paschatis celebrationem. Ratio est, quia Apostoli, quando illam interrogationem Christo fecerunt, nullam habebant cognitionem mortis, Christo sequenti die inferendæ; Christus enim in cœna ipsa Apostolis prædixit, fore, ut illa ipsa nocte ad mortem traderetur: ergo neque fuit imminentis mortis occasio, quæ movit Apostolos, ut Christum interrogarent de loco, in quo vellet Pascha celebrare.

IV. Probatur. Simul cum Christo celebrarunt Pascha etiam Apostoli. Quærimus: Vel Apostoli hoc rite fecerunt, vel non? Si rite? Apostoli nullam habebant propriæ mortis cognitionem, illis sequenti die inferendæ, & de facto sequenti die non sunt mortui: ergo nullam habebant rationem, propter quam possent Paschatis celebrationem antevertere: ergo rite non anteverterunt: Si non rite anteverterunt? ergo Christus induxit illos ad rem malam, & contra Legem; quod non est dicendum. Additur scandalum, quod passi fuissent Apostoli; nescientes, quod mors Christo instaret sequenti die; Et videntes, Christum Paschatis celebrationem antevertere, quod in Lege erat vetitum, passi fuissent scandalum Judæi, si illud scivissent, & poterant facile scire; passus fuisset Dominus domus, ad quem Christus discipulos misit, ut in domo sua Pascha cum discipulis suis celebraret. Quæ omnia, non est credendum, fuisse permissa a Christo; immo si permisisset, facile ei objecissent Judæi, qui leviora eidem objecendi occasionem avidissime inquirebant.

V. Probatur. Agnus Paschalis, quem in propriis domibus comedere debebant Judæi, occidendus erat in templo, nec comedi omnino poterat, nisi sanguis ejus ad altare a Sacerdotibus spargeretur, & adeps ipsius combureretur. Hoc habetur Deuteronomi 16. v. 5. *Non poteris immolare Phase in qualibet urbium tuarum, sed in loco, quem elegerit Dominus Deus tuus,*

ut habitet nomen ejus ibi. Igitur, si Christus Paschatis comestionem antivertisset, unum ex his duobus fieri oportuisset, scilicet, aut Christum agnum non immolatum comedere, & Legem Mosaicam violare, immo nec Pascham quidem celebrare; quod non est dicendum: aut Sacerdotes agni Paschalis immolationem ad Christi gratiam ante occupasse; quod non est credendum. Sicut enim summum, ac publicum nefas erat Pascha non celebrare, ita nec justo tempore, & loco mactare; quo crimine nunquam se Sacerdotes fœdassent, ut rem gratam facerent Christo, quem inextinguibili odio prosequebantur.

VI. Probatur. Omnes Patres Græci, & Latini, ante seculum duodecimum in ea fuerunt sententia, ut constanter assererent, Christum luna decimaquarta, & die decima quarta mensis primi Nisan Judaicum Pascha celebrasse: ergo hæc est traditio Universalis Ecclesiæ, quam omnes sequi, ac asserere omnino debemus. Probatur antecedens. Euthymius, Digabenus Monachus, qui seculo duodecimo ineunte floruit, in Commentariis in Matthæum primus fuit, qui Græcis Schismaticis hanc viam aperuit, ut in suo Schismata fortius permanerent: ergo per duodecim secula antecedentia omnes Patres, sive Græci, sive Latini, in nostra fuerunt sententia. Immo, quod hac in re sane observandum est, quum a seculo secundo controversia de certo celebrandi Christiani Paschatis die, per annos amplius tracentos totam fere Ecclesiam exercuerit, contendentibus Asiaticis luna decimaquarta Martii, una cum Judæis celebrandum esse, & Christi exemplo sententiam suam tuentibus, qui propterea Quartodecimani dicti sunt; nemo ex Patribus, nemo ex Romanis Pontificicibus, negavit unquam, Christum luna decima quarta cum Judæis Pascha celebrasse, ut Asiaticorum fundamentum illud everterent, sed per alia fundamenta Quartodecimanos impugnarunt: ergo in universa Ecclesia certum, & indubitatum habebatur, celebrasse Christum Judaicum Pascha, una cum Judæis luna decima quarta ad secundam vesperam.

Arguunt I. Matthæus, Marcus, & Lucas, dicunt, Christum celebrasse Pascha prima die Azymorum; sed hæc incidebat in diem decimam quintam mensis Nisan; ergo Christus non celebravit Pascha die decimaquarta mensis Nisan. II. Joannes cap. 13. testatur, Christum fecisse cœnam ante diem festum Paschæ; ergo Christus antevertit tempus, quo Judæi suum Pascha celebrabant. III. Joannis 18. dicitur, Judæos non fuisse ingressos Prætorium Pilati, ne contaminarentur, sed ut puri purum comederent Pascha: Unde hoc formant argumentum. Die illa, qua Christus ductus est in Prætorium, a Pilato judicandus, atque damnandus, Judæi debebant paschalem agnum comedere; Unde citato loco dixit Joannes: *Non introierunt in Prætorium, ut non contaminarentur, sed ut manducarent Pascha*; sed Christus præcedenti vespere cœnam paschalem manducaverat; ut ex Evangelio constat: ergo Christus solitum manducationis diem antevertit. IV. Joannes cap. 19. vocavit Parasceven Paschæ diem decimum quintum Nisan, quo Christus celebravit cœnam agni: ergo semper ex Joanne constat, Christum Paschatis Judaici celebrationem prævenisse. V. Matthæi 26. v. 5. Principes Sacerdotum dicebant: *Non in die festo, ne forte tumultus fieret in populo*; quod idem est, ac dicere: Non in die festo Paschatis capiamus, & occidamus Christum: ergo semper stat, quod sicut Judæi festum Paschatis mutaverunt, ita mutavit etiam Christus. VI. Anno illo, quo mortuus est Christus, Pentecostes incidit in diem Dominicam; in Dominica enim die Spiritus Sanctus in Apostolos descendit; sed si ab hac Dominica computentur retro dies quinquaginta, invenietur, Pascha in diem Sabbathi incidisse: ergo Christus Paschatis Judaici celebrationem prævenit.

Respondemus ad I. cum Cornelio a Lapide in cap. 26. Matthæi: „ Primum diem Azymorum partim esse, & dici diem decimamquartam Nisan, partim decimam quintam. Nam vespera illa, qua Judæi celebrabant Phase, cum quo incipiebant dies, & usus Azymorum, secundum computum naturalem dierum, pertinebat ad diem, quæ vesperam præcedebat; scilicet, ad diem decimam quartam Nisan: eadem vero secundum computum Sacrum festorum pertinebat ad diem sequentem, quæ erat decimaquinta Nisan, quia Judæi festa celebrabant a vespera in vesperam. Et hoc sensu ait Joannes, Christum cœnasse agnum *ante diem festum Paschæ*; hoc est die decima quarta Nisan ad vesperam, quæ præcedit idem festum Paschæ, idest, diem decimam quintam Nisan, quæ est prima Azymo„ rum,

„ rum, juxta computum sacrum.„

Ad II. Adhibemus responsionem Serry, qua & ænigma Adversariorum solvitur, & Judæorum dies sacros celebrandi ritus exponuntur. Ait igitur Serry exercit. 50.
„ Observare necesse est, apud Judæos olim,
„ uti & nunc apud Christianos, alios fuisse
„ dies sacros celebrandis solemnitatibus de-
„ dicatos; alios naturales ex naturæ Lege
„ distinctos: alios demum artificiales fa-
„ ciendo quotidiano operi destinatos. Dies
„ sacri a vespera ad vesperam, uti nunc in
„ Ecclesia Catholica, ducebantur: Levitici
„ cap. 23. v. 32. *A vespera ad vesperam ce-*
„ *lebrabitis sabbata vestra.* Dies naturales a
„ media nocte incipiebant, & ad aliam me-
„ diam noctem desinebant. Dies artificiales
„ ab aurora ad auroram. Cujusque autem
„ diei duplex pars distinguebatur; noctur-
„ na scilicet & diurna. Pars nocturna in
„ quatuor vigilias dividebatur a Solis occa-
„ su ad Solis ortum: quarum quælibet ter-
„ nas horas complectebatur. Pars diurna
„ in quatuor horas dividebatur, primam,
„ tertiam, sextam, & nonam: quarum quæ-
„ libet horis etiam ternis coalescebat. Prima
„ incipiebat ab ortu Solis, durabatque tres
„ horas; quibus finitis, incipiebat tertia,
„ quæ & totidem horis durabat, scilicet
„ usque ad meridiem. A meridie sexta hora
„ inchoabatur, & tribus post meridiem ho-
„ ris finiebatur; tum incipiebat hora nona,
„ durabatque usque ad vesperam, unde no-
„ ctis vigiliæ ducebat exordium. Quia vero
„ pro varia anni tempestate dies, noctesque
„ magis, minusve, aut arctantur, aut pro-
„ ducuntur; idcirco hieme vigiliarum ho-
„ ræ longiores erant, diurnæ arctiores:
„ contra vero Æstate longiores erant horæ
„ diurnæ, arctiores vero nocturnæ: nun-
„ quam tamen numero plures, paucioresve
„ censebantur. Sic ergo, ut ad rem ipsam,
„ de qua nunc agitur, accedamus; Christus
„ Dominus Cœnam Paschalem egit juxta
„ Joannem *ante diem* naturalem Paschæ a
„ media nocte incipientem: *ante diem* pari-
„ ter artificialem Paschæ, ab aurora initium
„ habentem: non autem ante diem sacrum,
„ qui a priori vespera ducebat exordium:
„ sed hoc ipso die sacro jam inchoato, seu
„ cœpta jam Azymorum die, ut alii Evan-
„ gelistæ tres attestantur. En tibi solutum
„ ænigma, quin novum idcirco systema
„ comminisci, necesse sit, quod cum Mat-
„ thæi, Marci, & Lucæ narrationibus con-
„ ciliari nulla ratione potest „.

Ad III. dicitur ex Cornelio a Lapide, quod Pascha ibi non significat agnum paschalem, quia hic jam erat immolatus, & comestus vespera præcedente, sed significat alias victimas paschales, quæ immolari solebant ex Lege per septem consequentes dies, ac præsertim primo die Azymorum, hoc est, mane decimæquintæ lunæ. Hanc responsionem, quam adhibet præfatus Cornelius, & cum eo Serry, idem Serry sequentibus verbis probat: „ Immo
„ ex illis ipsis objectis Joannis verbis invi-
„ cte prorsus ostendo, de immolatione, &
„ manducatione Agni Paschalis sermonem
„ illic esse non posse. De eo quippe Pascha-
„ te sermo illic est, a cujus immolatione, &
„ manducatione Judæi prohibiti fuissent, si
„ forte ex ingressu in Prætorium legalem
„ immunditiam contraxissent: at ubi major
„ Sacerdotum, ac populi pars immundi-
„ tiam legalem aliquo casu contrahebat,
„ non propterea Judæi ab immolatione, &
„ manducatione Agni Paschalis prohibe-
„ bantur; propterea quod hæc necessitatis
„ esset, atque præcepti, deberetque defini-
„ to tempore fieri (quanquam si paucorum
„ privatorum immunditia esset, ii Agni Pa-
„ schalis immolationem, & comestionem
„ transferrent in mensem alterum:) non
„ itaque de immolatione, & manducatione
„ Agni Paschalis sermo illic est; sed de man-
„ ducatione aliorum ciborum immolato-
„ rum, quæ paris necessitatis non erat, ne-
„ que præcepti. Liquet id totum ex Judæo-
„ rum Misna, Tractatu *Temura* cap. 2. *In*
„ *totius populi sacrificii offerendis, non atten-*
„ *debatur, si forte major Sacerdotum, aut popu-*
„ *li pars esset immunda: sed nec propter hoc*
„ *emittebatur, quia hujusmodi Sacrificia deter-*
„ *minatum tempus habebant, quo elapso, nulla*
„ *amplius erat offerendi opportunitas.* Et Tra-
„ ctatu *de Paschate* cap. 7. *Quinque species*
„ *erant publicorum Sacrificiorum, quæ perinde*
„ *offerebantur ab immundis, dummodo publi-*
„ *ca esset immunditia, nempe majoris partis*
„ *populi, vel sacerdotum.* Quo numero pri-
„ mo loco ponitur Agni Paschalis immola-
„ tio. Unde paucis interjectis additur:
„ *Agnus Paschalis immolabatur etiam cum*
„ *immunditia, modo tamen majoris partis im-*
„ *munditia esset. Dum enim privati pauculi im-*
„ *mundi erant, ii Agni Paschalis immolatio-*
„ *nem in mensem alterum differebant.* Pascha-
„ tis itaque nomine, quod ut manducare
„ Judæi possent, ab ingressu in Prætorium
„ abstinuerunt, Agnum Paschalem a Joan-
„ ne fuisse intellectum, impossibile est: cum
„ & hunc, immundi licet, manducare potuis-
„ sent, sed ut ut maxime reliquas victimas
„ toto Paschali septiduo solitas manducari,„

Ad IV. respondet Cornelius a Lapide in cap. 26. Matthæi: „ Paschæ, idest, sabbathi paschalis, seu Sabbathi, quod intra „ hebdomadam Paschæ occurrebat, ideoque „ cæteris Sabbathis erat sanctius, & celebrius. Unde Joannes ibidem explicans, „ subjicit: *Erat enim magnus dies ille Sabbathi*. Patet id ex Marco, qui cap. 15. 32. „ Parasceven hanc vocat pro sabbathum: „ *Erat*, inquit, *Parasceve, quod est ante Sabbathum*. In Parasceve enim, puta die Veneris, parandi erant cibi, & cætera necessaria pro Sabbatho postridie futuro. „ Sabbatho enim, utpote sanctissimo, cessandum erat ab omni opere, ut nec cibos „ coquere liceret, quod tamen aliis festis „ licebat „.

Ad V. Idem Cornelius a Lapide dicit; quod quanvis Judæi in Concilio dixerint: *Non in die festo &c.*, deinde tamen ob Judæ proditionem consilium mutaverunt, & Christum in die festo occiderunt. Cæterum nos sequenti Conclusione probabimus, Judæos celebrationem diei Paschatis non mutasse, sed eam præfinito tempore, ac die, celebrasse. Denique dato etiam, quod Judæi mutaverint, dispar tamen est ratio, quia in lege propter aliquod imminens impedimentum permissum erat celebrationem Paschatis postponere, ut dictum est; at nunquam permissum in lege legitur eandem celebrationem antevertere; ut pariter paulo ante observavimus.

Ad VI. Hæc reponit Serry: „ Hoc Scaligeri momentum in præsentia non attingo, sed expediam loco suo, dum de Sacra „ Pentecoste ex instituto disputabo: planumque faciam, Pentecostem re ipsa anno illo in sabbathum, non in Dominicam incidisse; perperamque contrariam „ ea de re Ecclesiæ traditionem a Baronio „ jactari, quæ nulla est, aut fuit unquam. „ Dicam tamen interim, nihil Scaligero, „ ejusque Symmistis traditionem illam, qualiscumque sit, suffragari, ut anno illo Pascha in diem Sabbathi incidisse colligatur. Quanquam enim dies quinquaginta à „ Dominica anno illo numerari debuerint, „ ut septima post Dominica complerentur; „ adhuc tamen a Dominica anno illo numeratos Baronius existimat, non ab ipsa „ Sabbathi die, tametsi Christum feria sexta „ in Parasceve mortuum una nobiscum „ agnoscat: quia, inquit ille, secunda tunc „ Azymorum die in Sabbathum incidente, „ manipulum hac ipsa die metere non licuit, adeoque nec offerre: illiusque, & „ messio, & oblatio in Dominicam necessario translata fuit, a qua subinde dies „ quinquaginta ad Pentecostem sunt numerati. Sed hanc ipsam Baronii animadversionem expendemus loco suo „.

Dicimus II. Judæos cum Proceribus suis non distulisse Paschatis celebrationem a die ex Lege Mosaica definita, sed uno, eodemque die suum Pascha cum Christo celebrasse.

I. Probatur. Si Judæi distulerunt, ideo fuit, quia ex veteri majorum decreto habebant, ut si festum solemne, nullo die medio intercedente, Sabbathum, aut præcederet, aut sequeretur, festum illud solemne in Sabbathum transferretur, ac una, eademque die utranque solemnitatem celebrarent: ac proinde, quia Paschalis solemnitas anno illo recurrebat feria sexta, Judæi illam in Sabbathum subsequens transtulerunt; sed decretum illud est commentitium, & ratio decreti pariter commentitia: ergo &c. Probatur minor. Decretum est commentitium, quia in Thalmude Massuohet sacca cap. 5. Sermo est *de solemnitatibus Sabbatho conjunctis, sive antecedant, sive subsequantur, omnino celebrandis*. Accedit praxis ipsa Judæorum, quam testatur Serry, dicens, quod anno 1718. Pentecosten Sabbatho conjunctam distincta die celebrarunt Judæi, & geminis continuis diebus feriati sunt. Decreti ratio est, ut ait idem Serry. „ Ne geminis „ continuis diebus feriantes in regione „ tam calida, grave a cibis, quos biduo illo „ recentes parare sibi non poterant, & a „ mortuis, quos sepelire nequibant, incommodum paterentur „; sed hæc ratio commentitia est: ergo &c. Probatur minor; quia licet veritum esset Judæis parare cibos ad esum, & in magnis solemnitatibus, & ipsa prima paschatis die, ut habetur Exodi 12. vers. 16., & quia Judæorum praxis nos docet, quod mortuos ad vesperam sepeliant, quando in diem alteram differri sepultura non potest.

II. Probatur. Si distulerunt Judæi, ideo fuit, quia volebant Paschatis die judicium contra Christum exercere, & in eum liberius insævire; & hoc, quia legitur apud R. Moysem Maimonidem lib. Hilkat. Sanhedrin cap. 11. *Judices rerum capitalium non judicant in die Parasceve Sabbatha, aut die festo*; sed hæc ratio pariter falsa est: ergo &c. Probatur minor a Serry verbis hisce: „ Quanquam enim secundum Leges, & consuetudines suas Christum Judæi ipso Paschatis die judicare non „ pos-

„ possent; quod tamen factum attinet, ipsa „ Evangeliorum historia satis ostendit, nihil illis in Christi capite judicando minus „ curæ fuisse, quam ut rite, & secundum „ jura, probatasque consuetudines judicia „ fierent. Etenim & juxta Massecbet Sanhedrin cap. 4. *Judæi judicia capitalia transigunt interdiu, & finiunt interdiu*: & tamen totam noctem in Christi judicando „ capite contrivere, eumdemque profunda, „ & concubia nocte ad Annam, & Caipham „ deduxerunt, nec nisi oborto sole ad Pilatum Præsidem rapuerunt. Adeo Christi „ causa secundum leges, & consuetudines „ Judæorum tractata non est. Certe Christum alias in ipso Encæniorum festo, ut „ est apud Joannem cap. 10., & in Festo „ Tabernaculorum, ut legitur cap. 8., lapidibus obruere conati sunt, nihil tantorum festorum religione prohibente: quid „ ergo mirabimur, quod oblata demum occasione eundem in solemnitate Paschali „ judicaverint, crucifixerint? Adde, Christum in manus Judæorum a Juda proditore non fuisse traditum, nisi peracta jam „ cœna, adeoque cœpta jam solemnitate „ Paschali: quo tempore differri nequibat, „ utpote, quæ jam a nobiliore sui parte „ exordium habuisset „.

III. Probatur, impugnando rationem, quam adducit Gerhardus Vossius Differt. 2. de temp. Passionis §. 14. quem Gregales sui sequuntur. Ratio autem ipsius, ob quam vult, Paschatis celebrationem Judæos distulisse, hæc est: *Legimus apud Antiquos, quomodo Judæi ante receptos Cæsaris fastos, observarint veros lunæ motus, & Neomenias attenderint ἀπὸ τῆς ὄψεως sive a visione ejus prima: fastis vero iis, ex Augusti mandato receptis, numerarint secundum medios lunæ motus, & Sideris utriusque exitus: Quippe Julius Cæsar Æquinoctium, quod ante a Judæis tertia Aprilis die statuebatur, fixerat in vigesima quinta die Martii. Quoties igitur decima quarta Luna primi mensis prævertéret Æquinoctium, Paschalem diem non agebant festum; sed expectabant, donec foret Æquinoctium, & post illum demum, hoc est, simul ac Sol signum Arietis ingredi cœpisset, Pascha comedebant. Christus proinde ex lege Mosaica observavit vesperam diei decimæ quartæ Nisan: sed Judæi proceres, quia tum nondum foret Æquinoctium, distulere in diem proximum: ut ita post Æquinoctium festum agitarent diem Paschatis secundum consuetudinem cœptam, ex quo annum more Romano computarent*. Ad quæ reponit Serry citato loco: „ Probandum Vossio, ejusque gregalibus esset, „ Judæos jam tum a Christi Domini ætate „ Cæsaris fastos recepisse; eamque consuetudinem anni more Romano computandi ea jam ætate tenuisse: quod illi non „ modo non probant, sed constat insuper „ esse falsissimum. Secundum enim hanc „ computandi rationem, quæ post eversam „ Jerosolymam per multa jam secula apud „ Judæos obtinuit, nunquam Pascha incidit in secundam, quartam, & sextam feriam, ut ex illorum canonibus liquet, „ ipsoque experimento probatum habent. „ Aben Ezra autem in Commentario in „ Exodum cap. 23. ingenue fatetur; *In Misna, & in Thalmude exempla haberi, quibus probari potest, Pascha incidisse in secundam, quartam, & sextam feriam*. Nondum itaque Christo in terris agente, imo nec tunc „ primum, dum consarcinatum est Thalmud, ea computandi diei Paschatis ratio „ apud Judæos obtinebat. Probandum pariter Vossio esset, quo anno passus est „ Christus, decimam quartam lunam primi „ mensis, ad cujus Vesperam Christum „ Dominum Pascha ex lege comedisse fatetur, Æquinoctium prævertisse: quæ res „ Judæis differendi Paschatis causa fuerit. „ Quod tamen nec probat ille, nec ullus „ unquam certo probavit Astronomus. „ Quamquam enim ea syderalis scientiæ „ legibus, certisque Lunæ, ac Solis motibus „ diligentissime observatis, reducto ordine „ retrogrado Calendario retegi certo possit, in quam Lunæ diem singulis annis „ per omnia retro sæcula inciderit Æquinoctium; incertus tamen est seculi annus „ quo passus est Christus, ut suo probabimus „ loco: quo ex uno tanquam primo fundamento tota computationis ratio pendet. „ Quod demum subjungit Vossius, Christo „ Domino ad primas Paschatis Vesperas, „ ut ipse quidem autumat crucifixo, factum „ esse, ut qua die typicus Agnus a Judæis „ edendus erat, verus Agnus in cruce oblatus fuerit a Judæis; atque ita veritas typo optime responderit: id, inquam, nec „ multum urget, nec est omnino verum. „ Non urget, quia rationes illæ omnes ex „ typorum cum veritate consonantia petitæ rem quidem, si fiat, congruentem „ ostendunt; factam nihilominus non „ evincunt: cum veritatem typo in omnibus, ac per omnia respondere necesse „ non sit. Nec verum omnino est, quod „ tam ingeniose putatur excogitatum. „ Quandoquidem hac ipsa in hypothesi „ Christus ad primas Vesperas Paschatis a

„ Ju-

„ Judæis non censeretur occisus; sed intra „ eam diem, qua necdum typicus Agnus „ edendus fuisset. Hora quippe Judaico mo- „ re sexta Christus in crucem est actus; no- „ na demum extinctus; tresque ad diei clau- „ sulam horæ supererant, antequam dies „ altera, quam Paschalem Vossius autumat, „ a primis Vesperis initium caperet. Non „ itaque ea in hypothesi typo veritas re- „ spondisset. Rectius longe in systemate „ nostro veritas typo respondet, dum ipso „ Paschatis die Christus ponitur crucifixus; „ peracta prius in Vesperis cœna Judai- „ ca „.

IV. Probatur. Marcus in suo Evangelio cap. 14. v. 12., & 16. apertissime asserit, nec Christum prævertisse, nec Judæos in diem alteram distulisse Pascha suum, anno illo, quo passus est Christus; at una, & eadem die juxta legem Moysis, universos celebrasse. Verba Marci sunt: *Primo die Azymorum, quando Pascha immolabant Judæi, dicunt ei Discipuli: Quo vis eamus, & paremus tibi, ut manduces Pascha? Et mittit duos ex discipulis suis, & dicit eis: Ite in Civitatem, & occurret vobis homo lagenam aquæ bajulans, sequimini eum. Et quocumque introjerit, dicite Domino domus, quia Magister dicit: Ubi est refectio mea, ubi Pascha cum discipulis meis manducem? Et ipse vobis demonstrabit Cœnaculum grande, stratum, & illic parate nobis. Et abjerunt discipuli ejus, & venerunt in Civitatem, & invenerunt sicut dixerat illis, & paraverunt Pascha.*

Dicimus III., Christum celebrasse Cœnam ultimam hora vespertina lunæ decimæ quartæ diei decimi quarti mensis Nisan in domo, non Joannis Evangelistæ, sed Joannis cognomento Marci, & Commensales habuisse, tam in Cœna judaica, quam in Cœna Eucharistica, omnes Apostolos, etiam Judam.

Prima pars Conclusionis probatur I. Matthæi 26. v. 20. *Vespere autem facto discumbebat cum duodecim discipulis suis*. Marci 14. v. 17. *Vespere autem facto, venit cum duodecim, & discumbentibus eis, & manducantibus*. Lucæ 22. v. 14. *Et cum facta esset hora, discubuit, & duodecim Apostoli cum eo*: ergo ex trium Evangelistarum consensione Christus vespertina hora cœnam fecit ultimam cum Discipulis suis.

II. Probatur. Exodi 12. v. 18. cautum legitur: *Primo mense quartadecima die mensis ad vesperam comedetis azyma usque ad diem vigesimam primam ejusdem mensis ad vesperam*: ergo ex præscripto legis Vespere comedendus erat agnus Paschalis; & sic de facto dicendum est, comedisse illum Dominum Christum, & Apostolos ejus.

Secunda pars Conclusionis contra errorem Nicephori lib. 1. hist. cap. 18., & Cedreni in Compendio historiæ, qui scripserunt, ultimam Cœnam fuisse peractam in domo Joannis Evangelistæ; probatur I. Lucæ 22. dicitur, quod Christus miste ipsum Joannem Evangelistam, simul & Petrum, ad quemdam hominem, ut in illius domo Cœnam pararent: ergo non fuit idem Joannes Evangelista qui missus cum illo homine quodam, ad quem fuit missus. II. Homo ille, in cujus domo Christus fecit ultimam Cœnam, dicitur Paterfamilias; sed Paterfamilias nunquam fuit Joannes Evangelista, qui virgo in ævum permansit: ergo Joannes Evangelista non fuit homo quidam ille, in cujus domo ipsemet Joannes simul cum Petro Cœnam paravit. III. Joannes domum non habuit Jerosolymis: ergo in ejus domo non poterat parari Cœna. Probatur antecedens. Joannes erat ex illorum numero, qui cum Petro dixerunt: *Ecce nos reliquimus omnia, & sequuti sumus Te*, quod peculiariter de Joanne asserunt Augustinus tract. 119. in Joannem, & Ambrosius in Exhortatione ad Virgines, contra ineptiam Apollinaris, qui dicitur Author Tragædiæ de Christo patiente; adeoque Joannes nec prædia, nec possessiones, nec domum habebat. IV. Patres fere omnes docent, Cœnam fuisse factam in domo Joannis cognomento Marci; non autem Marci Evangelistæ, qui simpliciter dictus est Marcus, & fuit patria Lybicus Cyrenæus, & Petri discipulus; sed Joannis, qui dicebatur etiam Marcus, & erat filius Mariæ, & Barnabæ consobrinus, atque discipulus, cujus mentio habetur in Actibus Apostolorum cap. 12., & in Epistola ad Colossenses cap. 4. In hac pariter domo Marci, Apostoli post Christi mortem latitarunt, & Christus resurgens ibidem se primum illis ostendit; ibidem die Sacro Pentecostes Apostoli Spiritum Sanctum acceperunt. Denique in eandem domum se recepit Petrus ex Herodis carcere liberatus, & ibi Fideles orantes invenit, ut legitur in Actibus Apostolorum cap. 12. Proinde hæc ipsa domus prima omnium creditur conversa in Templum, & communiter dicta Ecclesia Sion. Cœna facta est in Cœnaculo domus; hoc est in loco quodam eminenti, quem solarium appellabant;

habent; & quia locus ille erat cœnis faciendis destinatus, Cœnaculum quoque dixerunt.

Tertia Conclusionis pars probatur, at primitus observare oportet, quod Christus illo ipso vespere duplicem fecit Cœnam, judaicam unam, Christianam alteram: In priori Cœna Agnum Paschalem ritu Mosaico comedit; in posteriori vero Eucharistiæ Sacramentum instituit. At inter utramque pedum lotionem interjecit; quod Joannes cap. 13. expresse, atque distincte notavit, dicens v. 1. & sequentibus: *Ante diem festum Paschæ sciens Jesus, quia venit hora ejus, & transeat ex hoc mundo ad Patrem, cum dilexisset suos, qui erant in mundo, in finem dilexit eos. Et Cœna facta, cum diabolus jam misisset in cor, ut traderet eum Judas Simonis Iscariota: Sciens, quia omnia dedit ei Pater in manus, & quia a Deo exivit, & ad Deum vadit: Surgit a cœna, & ponit vestimenta sua, & cum accepisset linteum, præcinxit se. Deinde mittit aquam in pelvim, & cœpit lavare pedes discipulorum, & extergere linteo, quo erat præcinctus.* Et v. 12. *Postquam ergo lavit pedes eorum, & accepit vestimenta sua, cum recubuisset iterum, dixit eis: Scitis, quid fecerim vobis?* Quod omnes Apostoli in prima Cœna Commensales fuerint, est communis confensio Patrum, quia id ipsum Matthæus, Marcus, & Lucas aperte tradunt; at quod non omnes Commensales fuerint in altera Cœna, & consequenter, quod non omnes participes fuerint Corporis, & Sanguinis Christi, dixerunt Hilarius, & Theophylactus in Commentariis ad cap. 26. Matthæi, Rupertus lib. 10. in Matthæum, Innocentius III. lib. 4. de mysterio Eucharistiæ cap. 13. Author Constitutionum Apostolicarum lib. 5. cap. 16., qui omnes dicunt, Judam proditorem in Cœna Eucharistica, Commensalem non fuisse. At nos contra illos dicimus, prædictæ Cœnæ Eucharisticæ Apostolos omnes, & Judam quoque ipsum proditorem, interfuisse, & dicimus cum Origene, Cyrillo Jerosolymitano, & Alexandrino, Cypriano, Chrysostomo, Ambrosio, Hieronymo, Leone Magno, Augustino, Beda, Bernardo, & S. Thoma. Et I. probamus ex cap. 14. Marci, Christus porrexit Eucharistiam omnibus mensæ assidentibus; Unde dictum est de calice: *Biberunt ex eo omnes:* Ex cap. 13. Joannis Judas non discesserat de mensa, & de Cœnaculo quando Christus Eucharistiam Discipulis porrigebat, quia illa jam porrecta, & distributa, Christus dixit: *Unus ex vobis tradet me*: ergo Judas proditor fuit unus ex discumbentibus, & Eucharistiam accepit. II. Ex Lucæ Evangelio cap. 22. Christus consecravit Calicem, & illico deinde subjecit: *Verumtamen ecce manus tradentis me mecum est in mensa*: ergo Judas proditor tunc erat in mensa; sed Christus Dominus antequam calicem consecraret, distribuerat omnibus discumbentibus Corpus jam consecratum: ergo distribuerat quoque Judæ proditori, qui illic adstabat, & discumbebat. III. Ex Actibus Apostolorum cap. 1. habetur, quod Judas traditor fuis simul cum cæteris Apostolis creatus Sacerdos, & Episcopus; Petrus enim de Juda interpretatur dictum illud psalmi 108. *Et Episcopatum ejus accipiet alter*; sed Christus creavit Apostolos, & Sacerdotes, & Episcopos, juxta Concilium Tridentinum, quando dixit eis: *Hoc facite in meam commemorationem*: ergo tantum dixit illis, quibus Eucharistiam porrexerat; atqui dixit Judæ: ergo & Judæ porrexit. IV. Post Cœnam judaicam Christus ex cap. 13. Joannis, & ante Cœnam Eucharisticam lavit pedes Discipulorum, quæ fuit quædam prævia dispositio, seu præparatio ad susceptionem Eucharistiæ: sed Christus lavit pedes etiam Judæ Proditoris, ut constat ex eodem cap. 13. Joannis v. 10. ubi Christus dicebat, quando pedes lavabat: *Qui lotus est, non indiget, nisi ut pedes lavet, sed est mundus totus: Et vos mundi estis, sed non omnes: sciebat enim, quisnam esset, qui traderet eum: propterea dixit, non estis mundi omnes*: ergo etiam Judas Eucharistiam accepit. Denique hoc ipsum fatetur Ecclesia in illo hymno, quem canit in Missa diei festi Corporis Christi: *Panis vivus, & vitalis hodie proponitur, quem in sacra mensa Cœnæ, Turbæ Fratrum duodenæ datum, non ambigitur*: ergo etiam fuit datum Judæ; aliter Turba Fratrum dici non posset duodena.

Quæres hic, quid dicendum de opinione, quæ olim nono sæculo apparuit, & de qua loquitur Photius in Bibliotheca c. 115., & 116. & quæ postmodum temporibus nostrorum Patrum iterum excitata fuit; illorum, scilicet, qui dicebant, Christum judaicam Cœnam non celebrasse, & Agnum Paschalem cum suis non comedisse; sed dumtaxat peregisse cœnam christianam, consistentem in corporis consecratione, & distributione?

Opi-

Opinionem hanc Serry vocat, modo portentosum commentum, modo audacem, ac temerariam sententiam, modo periculosam novitatem. Proinde illam sequentibus rationibus impugnat. I. Matthæi 16. v. 18. Christus Dominus per discipulos missos dici jussit Domino Domus: *Apud te facio Pascha cum discipulis meis.* Et Marci 14. v. 14. *Ubi est refectio mea, ut Pascha cum discipulis meis manducem?* Per quæ quidem verba Christus intelligebat Pascha Judaicum, non vero cœnam Eucharisticam, de qua Dominus Domus nullam habere poterat cognitionem, immo nec suspicionem. II. Christus Dominus loquebatur de cœna illa, quàm ipse manducavit; sed ipse manducavit Cœnam Judaicam, non Cœnam Eucharisticam: ergo verba illa sunt intelligenda de Cœna Judaica, non Eucharistica. Probatur minor; quia Christus instituendo Eucharistiam eam non manducavit, sed discipulis tradidit sumendam. III. Christus illam Cœnam cum discipulis manducavit, quam discipuli, ab eo missi paraverunt; sed discipuli paraverunt Cœnam Judaicam, hoc est agnum, qui antonomastice dicebatur Pascha: ergo manducavit Cœnam Judaicam. Major est apud Lucam cap. 19. v. 11. *Fecerunt discipuli, sicut constituit illis Jesus, & paraverunt Pascha*; hoc est, manducandum; minor patet, quia discipuli Eucharistiam, nec tunc noverant, ut pararent, nec ab ipsis erat paranda. IV. Ideo dicunt Adversarii, quod Christus anno illo omisit Pascha Judaicum, quia putant, Christum fuisse cruci affixum, non in Paschate ipso, sed in Paschatis pervigilio; quo tempore non incumbebat illi Iudaici Paschatis celebrandi obligatio; sed hoc in prima Conclusione probatum est esse falsum. V. Ex hac opinione firmatur Græcorum disciplina, qui celebrant Eucharistiam non in azymo, sed in fermentato; sed hæc a nobis impugnatur, illo præsertim sensu, quo a Græcis asseritur, & defenditur: ergo &c. Probatur major. Si Christus celebravit Pascha suum, non Pascha Judaicum; & illa die celebravit, qua nullus erat azymorum usus, non in azymo, sed in fermentato Eucharistiam instituit: ergo firmatur Græcorum disciplina &c. VI. Opinio, quam impugnamus, repugnat publicæ Ecclesiæ professioni, quæ agnoscit duplicem Cœnam nocte illa a Christo Domino celebratam, aut duas ejusdem Cœnæ partes, distinctas quidem, & per pedum lotionem, & per ciborum diversitatem: unam scilicet, qua agnum, & azyma cum discipulis manducavit: alteram vero, qua corpus suum obtulit in cibum: unam, qua Mosaicam Legem implevit; alteram, qua novum Testamentum condidit. Et hoc probatur tum ex Concilio Tridentino sess. 22. cap. 1. *Christus in Cœna novissima, qua nocte tradebatur, celebrato veteri Pascha, quod in memoriam exitus de Ægypto multitudo Filiorum immolabat, novum instituit Pascha.* Denique ipsa Ecclesia, & in Officio, & in Missa Solemnitatis Corporis Christi, hæc canit:

In suprema nocte Cœna
Recumbens cum Fratribus,
Observata Lege plene
Cibis in legalibus,
Cibum turba duodena
Se dat suis manibus
Et iterum
Noctis recolitur Cœna novissima;
Qua Christus creditur Agnum, & Azyma
Dedisse Fratribus juxta legitima
Priscis indulta Patribus.
Post Agnum typicum, expletis epulis;
Corpus Dominicum datum Discipulis:
Sic totum omnibus, quod totum singulis,
Ejus fatemur manibus.

VII. Patres communiter opinionem hanc improbant, unanimiter asserentes, Christum comedisse Paschalem agnum in ultimam cœna, & hoc certissimum dicentes, quia in Sacris Literis expresse, & luculenter contentum. Legantur Origenes tract. 35. Chrysostomus homil. 82. in Matthæum, Hieronymus in cap. 26. Matthæi ad vers. 26. Epiphanius hæres. 30. ubi contra Ebionitas probat licitum carnium esum ex exemplo Christi, Paschalem agnum comedentis, verbis hisce: *Quomodo de esu carnium non statim ipsorum dementia redarguetur? Primum quidem Domino edente Pascha Judæorum; Pascha autem Judæorum Agnus erat, & Azyma, hoc est, panes non fermentati. Et edebantur carnes agninæ, igne assatæ: velut etiam Discipuli ejus dicunt: Ubi vis, ut paremus tibi, ut edas Pascha? Rursus autem ipse Dominus ait: Desiderio desideravi hoc Pascha comedere vobiscum. Et non dixit simpliciter Pascha, sed hoc Pascha, ut ne quis ad suam rapiat opinionem. Pascha autem erat, velut dixi, carnes assata igne, & alia, &c.* VIII. Photius, & ipse, & Græ-

eorum Schismaticorum Antesignanus c.116. refert quorundam Anonymorum opinionem, qui dicebant, Christum non celebrasse Pascha Judaicum, illam impugnat, eique opponit Catholicæ Ecclesiæ doctrinam, dicens: *Ecclesia docet, tunc Christum legitimum Pascha perfecisse, antequam mysticam institueret Cœnam*.

Objiciunt I. Versus illi, qui in VI. probatione ponuntur, falso citantur sub nomine Ecclesiæ, quum sint potius S. Thomæ Aquinatis, qui illos composuit. II. Augustinus dixit: *Christum non fecisse, seu comedisse Pascha, sed fuisse*: ergo Christus Judaicum Pascha non comedit. III. Hieronymus Vecchiettus posterioribus temporibus systema, quod nos impugnamus, propugnavit: ergo non fuit sententia illa universaliter rejecta, nec ab Ecclesia damnata. IV. Judæi comedebant suum Pascha, stantes, non sedentes, nec discumbentes; sed Christus, & Apostoli ex Evangelio discumbebant: ergo non celebrabant Pascha Judaicum. Probatur major. Exodi cap. 12. v. 11. legitur de comestione Agni Paschalis: *Sic autem comedetis illum; renes vestros accingetis, & calceamenta habebitis in pedibus, habentes baculos in manibus: & comedetis festinanter*: Hæc autem observari commode non possunt, nisi ab Stantibus.

Respondemus ad I. verbis Serry, qui exercitat. 51. sic scribit: „ Neque excipere juvat, Doctoris Angelici hymnos illos esse, quibus suam ille de gemina cœna sententiam expressit: nec summa semper auctoritate pollere, quæ in sacris precum officiis in Ecclesia recitantur. Ex quo enim Doctoris Angelici lucubrationem adoptavit Ecclesia, illius quoque sententiam in eadem expressam fecit suam. Neque mera facti historici quæstio illa est: quo in genere nonnulla quandoque minus certa in publicas Ecclesiæ preces irrepsisse, non ignoramus; sed quid dogmatis habet admixtum ex Sacrarum Scripturarum intelligentia pendens, & ad Ecclesiasticæ Disciplinæ puritatem afferendam apprime conducens. „

Ad II. Augustinus loquutus est de Paschate Christianorum, non de Paschate Judæorum. Judæorum Pascha est Agnus immolatus, edendus cum azymis, & cum lactucis agrestibus; & hoc, comedendo ritu Judaico fecit Christus. Pascha Christianorum est ipsemet Christus, qui fuit in ara crucis immolatus, juxta Apostolum 1. ad Corinth. 5. *Pascha nostrum immolatus est Christus*. Pascha Christianorum Christus non fecit, non edit, sed fuit; & in hoc sensu loquutus est Augustinus.

Ad III. Hieronymus Vecchiettus propter illam suam opinionem fuit carceribus mancipatus, illamque a Fidei Quæsitoribus fuit dictum, esse contra Sacrarum Literarum fidem; contra Ecclesiæ Universæ authoritatem, & contra Sanctorum Patrum doctrinam. Hæc narrantur a Jano Nicio Erythræo par. 1. Pinacothecæ Virorum illustrium pag. 196., & a Suarez 3. p. q. 50. art. 6. sect. 3., ubi scribit: „ Statuendum primo est, Christum Dominum ante passionem suam legalem Cœnam cum Discipulis celebrasse; Agnumque Paschalem ritu Judaico immolasse, & comedisse. Quæ res tam aperta est in Evangelistis, ut mirum sit, non defuisse hoc tempore Hæreticos, qui eam negarent. ...... Hæc sententia est plane hæretica. „

Ad IV. Triplex adhibetur responsio: prima est Baronii, dicentis, quod ritus ille comedendi Agnum Paschalem, pedibus stando, jam a tempore exilii Babylonici fuerat intermissus, ac penitus antiquatus; & hoc ait, liquere ex Rituali Hebræorum, libro pervetusto. Secunda est aliorum, qui dicunt, quod illud Moysis præceptum ad primi Paschatis observationem in Ægypto solummodo pertinebat, quia tunc festinatione opus erat, & conveniebat Judæos, Viatorum instar, lumbos habere accinctos. Tertia est aliorum, qui volunt, Christum, ejusque Discipulos, modo stare, modo discumbere potuisse, pro ciborum varietate. Et hoc maxime, quia, ut dictum est, duplex Cœna fuit peracta, Judaica, & Christiana, & inter utramque non modicum effluxit temporis.

DISSERTATIO CCXL.

De Passione Christi. An conveniens fuerit, Christum pati, & mori, & mori in Cruce, pro Redemptione Generis humani? Quæ passionum genera Christus sustinuit? Et quam graves, & acerbi fuerunt dolores passionum ejus? Utrum Christus passus fuerit secundum totam animam? Et an tota anima fruitionem beatam in passione habuerit?

ANGELICUS Doctor 3. par. q.46. art.1. quærit: Utrum fuerit necessarium, Christum pati, pro liberatione humani generis? Et respondet, dicendum, quod si necessarium sumatur eo modo, quo secundum sui naturam impossibile sit aliter se habere, non fuit necessarium, Christum pati, neque ex parte Dei, neque ex parte hominis: Si vero necessarium accipiatur ex aliquo exteriori, quod faciat necessitatem coactionis; & tunc neque fuit necessarium, Christum pati necessitate coactionis, neque ex parte Dei, qui definivit, Christum pati, neque ex parte ipsius Christi, qui voluntarie passus est: Si vero sit necessarium necessitate finis, vel ex suppositione finis, quando, scilicet, finis aliquis, aut nullo modo potest esse, aut non potest esse convenienter, nisi illo præsupposito; & tunc potest dici fuisse necessarium Christum pati; tum ex parte nostra, qui per ejus passionem liberati sumus, juxta illud Joannis 3. *Oportet exaltari Filium hominis, ut omnis, qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam æternam*: tum ex parte ipsius Christi, qui per humilitatem passionis meruit gloriam exaltationis, juxta illud Lucæ 24. *Nonne hæc oportuit pati Christum, & ita intrare in gloriam suam?* tum denique ex parte Dei, cujus definitionem circa passionem Christi prænunciatam in Scripturis, & præfiguratam in observantia veteris Testamenti, impleri oportebat, juxta illud Lucæ 22. *Filius hominis, secundum quod definitum est, vadit*. Et Lucæ 24. *Hæc sunt verba, quæ loquutus sum ad vos, cum adhuc essem vobiscum, quoniam necesse est impleri omnia, quæ scripta sunt in Lege Moysi, & Prophetis, & Psalmis de me. Tunc aperuit illis sensum, ut intelligerent Scripturas. Et dixit eis: Quoniam sic scriptum est, & sic oportebat Christum pati, & resurgere a mortuis tertia die.*

Idem Angelicus citato loco art. 2. quærit, an fuerit possibilis alius modus liberationis humanæ, quam per passionem Christi? Et respondet, dicendum, simpliciter, & absolute loquendo, fuisse possibile Deo alio modo hominem liberare, quam per passionem Christi; juxta illud Lucæ 1. *Quia non est impossibile apud Deum omne verbum*: Facta vero suppositione aliqua fuisse impossibile, quia impossibile est, Dei præscientiam falli, & ejus voluntatem, & dispositionem, cessare: Supposita proinde præscientia, & præordinatione Dei de passione Christi, non erat simul possibile, Christum non pati, vel hominem alio modo, quam per ejus passionem, liberari.

Angelicus pariter citato loco art. 3. quærit: Utrum fuerit aliquis modus convenientior ad liberationem humani generis, quam per passionem Christi? Et respondet, dicendum totum hoc, quod propriis verbis ejus exponimus: *Quod tanto aliquis modus convenientior est ad assequendum finem, quanto per ipsum plura concurrunt, quæ sunt expedientia fini. Per hoc autem, quod homo per Christi passionem est liberatus, multa concurrerunt, ad salutem hominis pertinentia, præter liberationem a peccato. Primo enim, per hoc, homo cognoscit, quantum Deus hominem diligat, & per*

& per hoc provocatur ad eum diligendum, in quo perfectio humanæ salutis consistit. Unde Apostolus dicit Roman. 5. Commendat suam charitatem Deus in nobis, quoniam cum inimici essemus, Christus pro nobis mortuus est. Secundo, quia per hoc dedit nobis exemplum obedientiæ, humilitatis, constantiæ, justitiæ, & cæterarum virtutum, in passione Christi ostensarum, quæ sunt necessariæ ad humanam salutem. Unde dicitur 1. Petri 2. Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, ut sequamini vestigia ejus. Tertio, quia Christus per passionem suam non solum hominem a peccato liberavit, sed etiam gratiam justificantem, & gloriam beatitudinis ei promeruit, ut infra dicetur. Quarto, quia per hoc est homini inducta major necessitas, se immunem a peccato conservandi, qui se sanguine Christi redemptum cogitat a peccato, secundum illud 1. ad Corinth. 6. Empti enim estis pretio magno: glorificate, & portate Deum in Corpore vestro. Quinto quia hoc ad majorem dignitatem hominis cessit; ut sicut homo victus fuerat, & deceptus a Diabolo, ita etiam homo esset, qui diabolum vinceret: & sicut homo mortem meruit, ita homo moriendo, mortem superaret. Unde dicitur 1. ad Corinth. 15. Deo gratias, qui dedit nobis victoriam per Dominum nostrum Jesum Christum. Et ideo convenientius fuit, quod per passionem Christi liberaremur, quam per solam Dei voluntatem.

Denique idem Angelicus citato loco art. 4. quærit: Utrum Christus pati debuerit in Cruce? Et respondet, dicendum, fuisse convenientissimum, Christum pati mortem Crucis. Hoc ipsum probat variis rationibus; quarum prima est exemplum virtutis; Unde dicit Augustinus libro octaginta trium Quæstionum qu. 25. *Sapientia Dei hominem ad exemplum, quo recte viveremus, suscepit*: Secunda, quia hoc mortis genus maxime conveniebat satisfactioni pro peccato primi Parentis, quod fuit ex eo, quod contra mandatum Dei pomum ligni vetiti sumpsit; Tertia, quia ex Chrysostomo homil. de Cruce, & Latrone, passus est Christus in excelso ligno, & non sub tecto, ut etiam ipsius aeris natura mundetur, sed & ipsa terra simile beneficium sentiebat decurrentis de latere sanguinis stillatione mundata; Quarta, quia ex eodem Chrysostomo, per hoc quod in alto moritur, ascensum nobis parat in Cœlum: Quinta, quia hoc competit universali salvationi totius mundi; unde Nyssenus dicit, quod figura Crucis a medio contactu in quatuor extrema partita, significat virtutem, & providentiam ejus, qui in ea pependit, ubique diffusam: Sexta, quia per hoc genus mortis diversæ virtutes designantur, ut eas enumerans, late prosequitur Angelicus: Septima, quia hoc genus mortis plurimis figuris respondet; quas pariter Angelicus enumerat, & correspondentiam ad figuratum demonstrat.

Dicimus I. Conveniens fuisse, Christum pati, & mori, & mori in Cruce.

Prima Conclusionis pars probatur I. Conveniens fuit, Christum proprium habere effectum illius carnis, quam sumpsit; sed proprius effectus illius carnis, quam sumpsit, est pati: ergo conveniens fuit, Christum pati. Major est certa, quia non frustra carnem illam assumpsit, sed ut illius proprium haberet effectum. Minor probatur. Caro, quam sumpsit, fuit caro passibilis, non impassibilis; sed effectus proprius carnis passibilis est pati: ergo effectus proprius illius carnis, quam sumpsit, fuit pati. II. Conveniebat, ut remedium corresponderet morbo; sed morbus generis humani fuit inordinata, & illicita delectatio: ergo remedium, quod dari debebat a Christo, conveniens erat, ut esset dura, & acerba passio. III. Christus factus homo, & factus homo, ut hominem deperditum liberaret, conveniens erat, ut pateretur; ergo conveniens fuit propter generis humani reparationem, Christum pati. Probatur antecedens. Homo deperditus in prioris culpæ pœnam nequit vivere, & non pati: ergo a fortiori qui factus est homo, ut hominem deperditum liberaret. Probatur consequentia; quia qui factus est homo, convenit, ut patiatur, & quia est homo, & quia reparare debet hominem, qui deperditus fuerat propter non pati.

Secunda pars Conclusionis probatur I. Christus Redemptor conveniens erat, ut nobis acquireret per incarnationem suam, quod nos amiseramus per peccatum; sed nos per peccatum amisimus vitam, & vitam æternam: ergo conveniens fuit, ut Christus nobis acquireret vitam; Sed non poterat nobis convenientius vitam acquirere, quam per mortem suam: ergo conveniens fuit, Christum pati, & mori. II. Pœna peccati primi hominis fuit mors; dicitur enim Genesis 2. *In quocunque die comederis ex eo, morte morieris*: ergo etiam remedium debebat esse mors; sed non

mors

mors puri hominis: ergo mors hominis-Dei; ergo mors Christi. III. Conveniebat dignitati hominis, qui fuerat deceptus, & victus per mortem, ut deceptorem, & victorem sui vinceret quoque per mortem; sed non per mortem suam, quia tanti pretii, & tanti valoris, non erat: ergo per mortem Christi. Unde ait Angelicus: *Ut sicut homo victus fuerat, & deceptus a diabolo, ita etiam homo esset, qui diabolum vinceret: & sicut homo mortem meruit, ita homo moriendo, mortem superaret: Unde dicitur 1. ad Corinth. 15. Deo gratias, qui dedit nobis victoriam per Dominum nostrum Jesum Christum. Et ideo convenientius fuit, quod per passionem Christi liberaremur, quam per solam Dei voluntatem.*

Tertia Conclusionis pars probatur I. Conveniebat, Christum pati mortem præ omnibus execrabilem, & formidabilem; sed mors præ omnibus execrabilis, & formidabilis est mors Crucis: ergo conveniebat, Christum mori, & mori in Cruce. Major negari non potest, quia mors præ aliis execrabilis, & formidabilis, conveniebat ardenti desiderio, quod Christus habebat patiendi, conveniebat majori merito Christi; conveniebat efficaciori exemplo, quod debebant homines ex ejus morte percipere, non solum, scilicet, non timendo mortem, sed nec genus mortis, etiam si esset cum summo dolore, & cum gravi ignominia conjunctum. Minor probatur ab Isidoro lib. 5. Originum cap. ultimo circa finem, dicente: *Majorem esse pœnam crucis, quam patibuli. Nam patibulum appensos statim exanimat, Crux autem suffixos diu cruciat. Unde & in Evangelio latronibus, ut morerentur, & de ligno ante Sabbathum deponerentur crura confracta sunt, quia ligno suspensi, cito mori non poterant.* II. Non fuisset Christus vir dolorum, & saturatus opprobriis, nisi subiisset mortem Crucis, quæ est omnium dolorosissima, & ignominiosissima; sed vere fuit Christus vir dolorum, & saturatus opprobriis, ut dicitur in Scripturis: ergo conveniens fuit, ut subiret mortem Crucis. Major est Chrysostomi serm. 7. in Epistola ad Philippenses, dicentis: *Pape, quam magnum, & vehementer ineffabile est, quod servus factus est. Quod vero mortem sustinuit, multo plus est, sed, & aliud majus quiddam isto, & admirabilius. Quam ob rem? Quoniam non quævis mors isti similis est; ista namque omnium videbatur probrosissima, ista plena dedecore, ista maledicta; maledictus enim, inquit, omnis, qui pependit in ligno:* Est pariter Lactantii lib. 4. divinarum Institut. cap. 26. *Dicat fortasse aliquis, cur si Deus fuit, & mori voluit, non saltem aliquo honesto mortis genere affectus est? Cur potissimum cruce? Cur infami genere supplicii, quod etiam homini libero, quamvis nocenti, videatur indignum?* III. Cõveniebat ut caussa peccati fuisset caussa veniæ; sed lignum fuit caussa peccati: ergo conveniebat, ut lignum esset caussa veniæ; sed lignum hoc esse nõ poterat nisi Crux Christi: ergo conveniebat, Christum mori, & mori in Cruce. Argumentum in hymnis exhibet Ecclesia, canens: *Et medelam ferret inde, hostis unde læserat:* Et in præfatione ad missam: *Et qui in ligno vincebat, in ligno quoque vinceretur:* Et Sancti Patres declarant; nimirum Hieronymus in Epistola ad Galatas: *Ille pependit in ligno, ut peccatum, quod commiseramus in ligno scientiæ boni, & mali, ligno deleret appensus.* Leo Magnus serm. 6 de passione: *Per lignum erigitur lapsus in ligno, & gustu fellis, & aceti diluitur esca peccati.* Et Damasus lib 4. cap. 12. *Quoniam morti per lignum aditus patuerat, consentaneum erat, ut per lignum quoque vita, & resurrectio donaretur.*

Obstant I. Poterat Deus per solam suam voluntatem liberare genus humanum, & hoc fuisset aptius majestati suæ: ergo non fuit conveniens, ut liberaret illud per passionem, & mortem Filii sui. Antecedens probatur exemplo naturæ, quæ in suis operationibus imitatur opus divinum, utpote a Deo mota, & regulata; sed natura non facit per duo quod potest facere per unum: ergo si Deus poterat liberare genus humanum per solam suam propriam voluntatem, non fuit conveniens, ut ipsum liberaret per passionem, & mortem Filii sui. II. Convenientius fuisset per mortem naturalem Christi liberare genus humanum, quam per mortem violentam: ergo non fuit conveniens, Christum liberare illud per passionem, & mortem suam. Antecedens probatur; ea enim, quæ fiunt per naturam, convenientiora sunt, quam quæ fiunt per violentiam. III. Diabolus injuste detinebat sub sua potestate genus humanum: ergo convenientius fuisset, quod Deus liberasset hominem per imperium, quod habebat supra diabolum, quam per passionem, & mortem filii sui. Probatur consequentia; quia con-

conveniens est, quod qui violenter, & injuste, detinet aliquid, per superioris potentiam spolietur, juxta illud Isaiæ 52. *Gratis venundati estis, & sine argento redimemini*; sed diabolus, quia hominem deceperat per fraudem, & per quandam violentiam detinebat servituti suæ subjectum, nullum jus in illum habebat: ergo convenientius fuisset, quod Deus spoliaret diabolum per solam potentiam, absque passione Filii sui. IV. Omnes figuræ, quæ in veteri Testamento præcesserunt, & figurabant mortem Christi Domini, non exhibent mortem crucis: ergo non debebat Christus mori in Cruce. Probatur antecedens. Figuræ, quæ præcesserunt, & figurarunt mortem Christi, fuerunt sacrificia veteris Legis; sed Sacrificia veteris legis fiebant per gladium, & ignem, non vero per Crucem: ergo omnes figuræ, &c. V. Damascenus lib. 3. de fide cap. 20. docet, quod Christus non debebat assumere detestabiles passiones; sed mors in Cruce est detestabilis passio; unde dicitur Sapientiæ 2. *Morte turpissima condemnemus eum*: ergo Christus non debebat mori in Cruce. VI. Mors crucis continet maledictionem juxta illud Deuteronomii 21. *Maledictus est a Deo, qui pendet in ligno*; sed de Christo dicebatur Matthæi 21. *Benedictus qui venit in nomine Domini*: ergo Christus non debebat mori in cruce.

Respondemus ad hæc argumenta, quæ proponuntur a S. Thoma cum eodem Angelico Doctore. Et quo ad I. Quando convenientius est aliquid agere per duo, quam per unum, tunc etiam natura illud facit per duo, & non per unum. Exemplum adducit Angelicus oculorum, quia convenientius erat, hominem habere duos oculos, quam unum, inde fuit, quod natura in homine posuit duos oculos, & non unum; quod idem dici potest de auribus, de manibus, de pedibus, &c. Quia igitur Deus convenientius putavit liberare genus humanum per passionem, & mortem Filii sui, quam per solam suam voluntatem, hinc fuit, quod ultra suam voluntatem, etiam per passionem, & mortem Filii sui homo liberaretur.

Ad II. Hæc reponit Angelicus: *Dicendum, quod sicut Chrysostomus dicit, Christus non sui mortem, quam non habebat, tum sit vita: sed hominum mortem venerat consumpturus. Unde non propria morte corpus depofuit, sed ab hominibus illatam sustinuit. Sed etsi ægrotavisset corpus ejus, & in conspectu omnium solveretur, inconveniens erat, eum, qui sanaret aliorum languores, habere proprium corpus affectum languoribus. Sed etsi absque morte corpus alicubi seorsum deposuisset, ac deinde se afferret, non crederetur ei, de resurrectione differenti. Quomodo enim pateret Christi in morte victoria, nisi coram omnibus tam patiens, per incorruptionem corporis probasset extinctam.*

Ad III. Quamvis Diabolus injuste invaserit hominem, quia tamen homo liber peccavit, & per voluntatem suam sub Diaboli imperio se subjecit, ideo juste a Diabolo in servitute detinebatur. Et hinc fuit, quod convenientius Deo visum est, hominem per justitiam, quam per potentiam liberare. Fuit etiam conveniens, ut diabolus, qui erat desertor justitiæ, & amator potentiæ, magis, magisque confunderetur in superbia sua, videns, quod Deus, qui poterat liberare hominem per potentiam, voluerit liberare illum per humilitatem, & justitiam passionis, quod docet S. Augustinus lib. 1. de Trinitate cap. 13. & 19.

Ad IV. Dicitur quod multæ Crucis figuræ in veteri Testamento præcesserunt; & præcipue docet Augustinus lib. 16. contra Faustum cap. 15. Virgam, qua Moyses petram percussit, figuram Crucis fuisse; docet Hieronymus in cap. 31. Jeremiæ, serpentem æneum Crucem figurasse; docet Damascenus lib. 4. de fide cap. 12., Jacob, quando benedixit filiis Joseph, cancellatis manibus, & virgæ fastigio adorato Crucem delineasse; docet S. Thomas, quod altare holocaustorum erat factum de lignis, &c.

Ad V. Christus noluit assumere detestabiles passiones illas, quæ pertinebant ad defectum scientiæ, vel gratiæ, vel etiam virtutis; & in hoc sensu intelligendus est Damascenus. Voluit autem assumere detestabiles passiones, quæ pertinent ad injurias, ab exteriori illatas; unde Apostolus scribebat ad Hebræos 12. *Sustinuit crucem, confusione contempta.*

Ad VI. Augustinus lib. 14. contra Faustum cap. 3., & 4. docet, quod peccatum maledictum est, & consequenter mors, & mortalitas ex peccato proveniens. Subdit modo Angelicus: *Caro autem Christi mortalis fuit similitudinem habens carnis peccati: & propter hoc Moyses eam nominat maledictum; sicut & Apostolus nominat*

eam

eam peccatum, dicens 2. ad Corinth. 5. Eum, qui non noverat peccatum, pro nobis peccatum fecit, scilicet, propter pœnam peccati. Nec ideo major invidia est, quia dixit: Maledictus est a Deo; nisi enim Deus peccatum odisset, non ad eam suscipiendam, atque ad tollendam, filium suum mitteret. Confitere ergo maledictum suscepisse pro nobis, quem confiteris mortuum esse pro nobis. Unde ad Galatas 3. dicitur: Christus nos redemit de maledicto legis, factus pro nobis maledictum.

Pro secunda Dissertationis parte, notat Suarez quatuor errores Hæreticorum posteriorum temporum circa genera passionum, quæ sustinuit Christus. Primo erraront, dicentes, quod Christus vivens in hac mortali vita, præsertim passionis tempore, scilicet ab illa hora, qua in horto oravit, usque ad crucem, sustinuerit cruciatus, & dolores inferni; non quidem quo ad pœnam sensus, sed quo ad pœnam damni, perferens scilicet quandam participationem ejus, quæ consistebat in interna quadam, ac vehementi anxietate, ac tristitia, quam dicunt Christum habuisse, eo quod sentiret Deum sibi iratum, seque ita ab ipso derelictum, ut vehementissime timeret, ne a morte absorberetur, ac perpetuo a Deo alienatus maneret; ut explicat Suarez 3. p. q. 46. ar. 8. disp. 33. sect. 1: hujus erroris primus Author fuit Calvinus, quem sequuti sunt Brentius, Melanchthon, & alii, quos refert Bellarminus lib. 4. de Christo cap. 8.

Secundo errarunt, attribuentes Christo, vel desperationem, vel certe motus desperationis, & verba, inordinate prolata, quibus illum desperationis motum expressit. Quod est omnino hæreticum, ut ait Suarez cit. loco, & insuper in tomo præcedenti disp. 33. sect. 1., & disp. 34. sect. 2.

Tertio errarunt, quia putarunt, ad redemptionem nostram non suffecisse dolores, passionem, & mortem, quas Scriptura narrat de Christo. Quod etiam esse hæreticum, Suarez asserit; quia Scriptura non tribuit redemptionem nostram, nisi sanguini, & morti Christi; ut legitur ad Romanos 5., ad Colossenses 1., ad Ephesios 1., & aliis in locis.

Quarto errarunt, quia, inquit idem Suarez: „ Sine ullo fundamento confingunt hujusmodi genus doloris, & anxietatis in Christo. Quia neque in Scriptura fundamentum habet, neque perfectioni, & excellentiæ Christi consonat; quia hujusmodi pœnæ genus conjunctum est, vel cum culpa, vel cum magna ignorantia, nec denique ad nostram utilitatem confert, quia neque ad exemplum, cum non deceat, neque expedias, nos hujusmodi actiones imitari, neque etiam ad nostram redemptionem; quia aliæ passiones, quæ in Evangelio narrantur, satis, superque fuerunt ad satisfaciendum pro nobis. „

Denique Calvinus in libro 2. Institut. cap. 16. §. 8. 9. 10. 11., & 12., insuper in Catechismo parvo, in Psychopannychia, & in Harmonia Evangelica ad cap. 27. Matthæi, scribit, Christum dici descendisse ad Inferos, quia passus est dolores Animarum damnatarum: dicit insuper lib. 2. Institut. cap. 16. §. 10. „ Diros in anima cruciatus damnati, ac perditi hominis pertulit. „ Et §. 11. dicit, eum non fuisse securum de salute: „ Christus ergo cum lachrymis, & clamore valido orans, a metu suo exauditur, non ut a morte sit immunis, sed ne absorbeatur ut peccator, quia illic personam nostram gerebat. Et certe nulla fingi potest magis formidabilis abyssus, quam sentire te a Deo derelictum, & alienatum, & cum invocaveris, non exaudiri, perinde ac si in tuam perniciem ipse conspirasset. „ Et infra: „ Ita cum Diaboli potestate, cum mortis horrore, cum Inferorum doloribus manum conferendo, factum est, ut referret de illis victoriam. „ Et §. 12. „ Hic Nebulones quidam, licet indocti, malitia tamen magis, quam inscitia impulsi clamitant, me atrocem facere Christo injuriam, quia minime consentaneum fuerit, eum de animæ salute timere, &c. „ Ad quæ subdit Bellarminus: „ Item in Harmonia explicans 27. caput Matthæi dicit, Christum non quidem desperasse, tamen emisisse vocem desperationis, cum ait: *Deus, Deus meus, ut quid dereliquisti me.* „ Addit Bellarminus: „ Nota tertio Secundum Calvinum Christum cœpisse versari in Inferno illa hora, qua in horto cœpit contristari, & orare: deinde profundius descendisse, quando in cruce clamavit: *Deus, Deus meus, &c.* Denique profundissime, quando coram Dei tribunali comparuit tanquam reus æternæ mortis, & severissimum judicium irati Dei sustinuit. Ita docet lib. 2. Institut. cap. 16. §. 12. „ Si nunc, inquit, roget quispiam, an tunc descenderit

„ Christus ad Inferos, eum mortem deprecatus est: respondeo, hoc fuisse exordium, unde colligi potest, quam diros,& horribiles cruciatus perpessus fuerit,cum se ad tribunal Dei reum stare cognosceret nostra caussa. „ Hæc ille. Et quamvis non aperte dicat, quamdiu fuerit in Inferno, tamen innuit, fuisse usque ad resurrectionem. „ Tandem huic pœnæ infernali Calvinus totam fere nostram redemptionem tribuebat; ita quidem, ut sine hac mors in cruce nihil profuisset nobis. Proinde sic loquitur lib.2. Institut. cap. 16. §. 10. „ Nihil actum erat, si corporea tantum morte defunctus fuisset Christus: sed operæ simul pretium erat, ut divinæ ultionis severitatem sentiret... Unde etiam eum oportuit cum Inferorum copiis, æternæque mortis horrore, quasi consertis manibus luctari. „ Easdem blasphemias exscripsit Melanchthon in locis cap. de Filio, ubi bis dicit, quod Christus luctatus gravissime fuerit cum tentatione de abjectione; Exscripsit Brentius in cap. 2. Actorum, ubi dicit,quod Christus passus fuerit dolores Inferni. Post quæ concludit Bellarminus: „ Et hinc tandem processit illa incredibilis blasphemia cujusdam apostatæ, cujus meminit Joannes Cochlæus in Act. Luth., & Laurentius Surius in hist. anni 1527., qui asseruit, Christum desperasse, & esse damnatum; & forte in pœnam hujus peccati Calvinus in morte desperavit, & maledixit diei, quo libros scribere cœpit,ut in ejus vita legimus cap. 22. Dæmonibus, inquit Auctor, invocatis, jurans, execrans, & blasphemans, misere expiravit: cujus rei testimonium perhibuere, qui decumbenti ad extremum usque halitum ministrarunt. Immo hoc etiam, quod diem, atque horam detestatus sit,& execratus, quam unquam studiis, vel descriptionibus impendisset. Hæc Hieronymus Hermes Bolsec, Medicus Lugdunensis, qui Calvini vitam scripsit. „

Dicimus II. Christum non sustinuisse hæc passionum genera, quæ commenti sunt Hæretici;sustinuisse tamen ea passionum genera, quæ vi, & malitia humana effici potuerunt; adeoque dolores passionum ejus fuisse gravissimos, & acerbissimos.

Prima pars Conclusionis probatur I. ex Scripturis: Apostolus tribuit totam salutem nostram sanguini & morti corporali Christi, post cujus mortem corporalem, nullam aliam agnoscit pœnam. Scribit enim ad Philippenses 2. *Humiliavit semetipsum, factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis: propter quod Deus exaltavit illum*: quibus verbis nulla inferorum habetur mentio, & omnia tribuuntur obedientiæ usque ad mortem, cui statim subjungitur exaltatio. Psalm. 21. & Isaiæ 53. nulla fit mentio inferni, quum tamen in eis omnes Christi afflictiones describantur. Matthæi 20., Marci 10.,& Lucæ 8. Christus prædicebat Apostolis passionem suam,& nominabat flagella, sputa,crucem,mortem, & subjungebat: *tertia die resurget*; nullum autem fit verbum de damnatorum doloribus, & de gehennæ cruciatibus. Ad Romanos 5. *Commendat autem charitatem suam in nobis, quia cum adhuc peccatores essemus, Christus pro nobis mortuus est*. Ad Ephesios 1. *In quo habemus redemptionem per sanguinem ejus*. Ad Colossenses 1. *Pacificans per sanguinem crucis ejus sive quæ in terris, sive quæ in cœlis sunt*. Ad Hebræos 9. *Per proprium sanguinem introivit semel in sancta, æterna redemptione inventa*. 1. Petri 1. *Non corruptibilibus auro, vel argento redempti estis, sed pretioso sanguine, quasi agni immaculati, & incontaminati Christi*. 1.Joannis 1. *Sanguis ejus emundat ab omni peccato*. Denique Apocalypsis 5. Sancti clamant in Cœlo: *Redemisti nos Deo in sanguine tuo, &c.*

II. Probatur ex Patribus. Patres omnes, describentes descensum Christi ad inferos, Christum describunt victorem, & triumphatorem, non reum, ita ut aliquid vel in inferno, vel ex inferno, pati oportuerit. Cyrillus catechesi 14. *Exterrita est mors, videns novum quemdam descendentem in infernum, vinculis, quæ illic sunt, non ligatum. Quæ de caussa, o portæ inferi, hunc videntes, exhorruistis? Quis insuetus vos cœpit timor?* Ambrosius lib.de mysteriis Paschæ cap. 4. *Expers peccati Christus, cum ad tartari ima descenderet, seras inferni, januasque confringens, vinctas peccato animas, mortis dominatione destructa, a Diaboli faucibus revocavit ad vitam, atque ita divinus triumphus æternis characteribus est conscriptus*. Similia habent Hilarius lib.10. de Trinit., Augustinus epist.99. ad Evodium, Chrysostomus.

III. Probatur rationibus. I. Si Christus ab oratione in horto usque ad mortem fuit in inferno, & Deum apprehendit, ut sibi iratum, & adversum, & non fuit de sua

sua salute securus; nullo modo potuit, & dicere, quæ dixit, & facere, quæ fecit. Et probatur: Dixit enim Caiphæ: *Amodo videbitis Filium hominis, venientem in nubibus Cœli*: & Pilato: *Regnum meum non est de hoc mundo*: Oravit Patrem pro Crucifixoribus suis: promisit Latroni Paradisum: Patri animam suam commendavit; atqui hæc omnia, nec dici, nec fieri poterant a diffidente de benevolentia Patris, multo minus a desperante, aut metuente de propria salute: ergo, &c. II. Si nos deberemus redemptionem nostram pœnis infernalibus, quas sustulit Christus, debuissent præcedere figuræ aliquæ hujuscemodi pœnarum; item deberet modo in tanti beneficii memoriam sacramentum aliquod esse in Ecclesia; deberet quoque Ecclesia celebrare hujus beneficii recordationem, sicut celebrat memoriam Natalis Domini, Passionis, Mortis, Resurrectionis, &c. Denique deberet Christus repræsentari in societate damnatorum, ut inter duos Latrones depingitur in Cruce; sed nihil tale fecit unquam Ecclesia, nec modo facit: ergo vel Ecclesia est ingratissima, vel insanissimus est Calvinus. III. Calvini fundamentum falsum est, scilicet, quod esse in inferno nihil aliud sit, quam timere Deum iratum: ergo falsa est opinio, quæ huic fundamento innititur. Probatur antecedens; quia hæc est hæresis damnata in Origene, ut asserit Hieronymus in epist. ad Avitum. IV. Ex Calvini fundamento sequeretur, multos hic viventes jam esse in inferno, & esse damnatos; quod statui hujus vitæ repugnat. Multi enim sunt in hac vita, qui Deum se habere iratum certo sibi persuadent; multi, qui de salute æterna vel incipiunt desperare, vel jam desperant: & nihilominus hi omnes apud inferos non degunt. V. Si Christus protulit verba desperationis, gravissime peccavit; non poterat autem per peccatum nos a peccato redimere: ergo &c.

Secunda Conclusionis pars probatur I. Ex una parte dicere non possumus, quod Deus per seipsum exagitaverit Christum; nec ex altera dicere debemus, quod Deus permiserit Dæmoni, ut per seipsum torqueret Christum arbitrio suo, & voluntate sua: ergo tantum dicere debemus, quod Christus eas tantum passiones humanas susceperit, quas naturali modo poterat ab hominibus tolerare. Et hoc dicentes, non asserimus, quod Christus passus fuerit omnes passiones hujusmodi, quæ possibiles sunt; non enim fuit igne combustus, non gladio occisus, nec habuit membra discissa, nec ossa confracta, nec alia similia, quæ potest unus homo ab aliis hominibus sustinere: Igitur quidquid passus est Christus, continetur sub modo passionum humanarum, quas naturali modo poterat ab hominibus tolerare. Argumenti vis sic firmatur a Suarez loco citato: „ Quia seclusa speciali „ virtute Dei, & immediata actione Dæ„ monis, non superest alius passionis mo„ dus, quia (ut supponimus) sermo est de „ passionibus ab extrinseco illatis, non a „ naturalibus causis, nec casu, sed virtute, „ & industria alicujus liberi agentis. „

II. Probatur. Conclusio nequit intelligi de singulis speciebus passionum, quia hoc possibile non erat; tum quia ex passionibus sunt aliquæ, quæ aliis passionibus repugnant; tum etiam quia passiones possunt pene infinitis modis excogitari. Igitur intelligitur de generibus passionum; quatenus Christus passus est in omni bono humano, in omni parte exteriori corporis, in omnibus sensibus, ab omnibus personis, a conjunctis, ab alienis, a Judæis, a Gentilibus; ut explicat Suarez; qui & ulterius advertit: „ Nomine passionis hic non comprehendi so„ lum passionem physicam, quæ corpus „ realiter attingit, & alterat, & dolorem „ efficit, sed in universum omnem actum, „ quo privatur homo aliquo bono suo, vel „ aliquod malum patitur, sive sit per rea„ lem passionem, sive per extrinsecam tan„ tum denominationem, ut accidit in in„ famia, vel per immutationem intentio„ nalem sensuum, ut in contumeliis, vel „ solam privationem, ut in amicorum de„ sertione, & similibus. Et hoc modo est „ facilis, & perspicua Conclusio, quæ sa„ tis ex Evangelistis constat. „

Tertia Conclusionis pars, scilicet, quod dolores passionum Christi fuerint gravissimi, & acerbissimi, I. probatur ex Scripturis. Psalm. 21. *Circumdederunt me vituli multi, tauri pingues obsederunt me, aperuerunt super me os suum, sicut Leo rapiens, & rugiens. Sicut aqua effusus sum, & dispersa sunt omnia ossa mea. Factum est cor meum tanquam cera liquescens in medio ventris mei*: Et Psalm. 68. *Sustinui, qui simul contristaretur, & non fuit, & qui consolaretur, & non inveni*. Isaiæ cap. 53. *Non est species ei, neque decor, & vidimus eum, & non erat aspectus; & desideravimus* eum

eum despectum, & novissimum virorum, virum dolorum, & scientem infirmitatem. Thren.1. *Attendite, & videte, si est dolor, sicut dolor meus.*

II. Probatur ratione S.Thomæ 3. par. q.46. art.6. in corpore. In Christo fuit verus dolor, & sensibilis, qui causatur ex corporali nocivo; & fuit dolor interior, qui causatur ex apprehensione alicujus nocumenti, & dicitur tristitia; sed hic uterque dolor inter dolores præsentis vitæ fuit in Christo maximus: ergo dolores passionum Christi fuerunt gravissimi, & acerbissimi. Probatur minor. Caussa doloris sensibilis Christi fuit læsio corporalis, & hæc habuit acerbitatem maximam, tum propter generalitatem passionis, tum ex genere passionis; mors enim Crucifixionis est acerbissima, quia configuntur homines in locis nervosis, & maxime sensibilibus, hoc est in manibus, & pedibus; additur, quod ipsum pondus corporis pendentis continuo dolorem auget; additur quoque doloris diuturnitas, quia non statim moriuntur, sicut qui gladio interficiuntur: Caussa autem doloris interioris, primo, fuerunt omnia peccata totius generis humani, pro quibus patiendo satisfaciebat: Secundo, specialiter casus Judæorum, & aliorum in ejus morte delinquentium, & præcipue discipulorum, qui scandalum passi sunt in Christi passione: Tertio, amissio vitæ corporalis, quæ naturaliter est horribilis humanæ naturæ: Insuper gravitas, & acerbitas dolorum Christi potest considerari ex perceptibilitate patientis, & secundum animam, & secundum corpus; Corpus enim Christi erat optime complexionatum, quia fuerat miraculose formatum per operationem Spiritus Sancti; & ideo in ipso, sicut maxime viguit sensus tactus, ita maximus fuit dolor, qui ex perceptione sensus tactus sequitur. Anima autem Christi secundum vires interiores efficacissime apprehendit omnes caussas tristitiæ; & ideo fuit in eo maximus dolor interior. Præterea gravitas, & acerbitas dolorum Christi potest considerari ex puritate doloris, & tristitiæ; in aliis enim patientibus mitigatur tristitia interior, & etiam dolor exterior, ex aliqua consideratione rationis, per quandam derivationem, seu redundantiam a superioribus viribus ad inferiores; hoc autem in Christo patiente non fuit, quia unicuique virium permisit agere quod est sibi proprium, ut scribit S. Thomas ex Damasceno lib. 3. de fide cap. 15. a medio. Denique gravitas, & acerbitas dolorum Christi patientis potest considerari ex hoc, quod passio illa, & dolor fuerunt a Christo assumpta voluntarie propter finem liberationis hominum a peccato. „ Et ideo tantam doloris
„ quantitatem assumpsit, quanta esset pro-
„ portionata magnitudini fructus, qui inde
„ sequebatur „. Hæc Sanctus Thomas, qui concludit: Ex his igitur omnibus caussis simul consideratis manifeste apparet, quod dolor Christi fuerit maximus.

Objiciunt I. cum Calvino Isaiæ 53. Christus dicitur a Deo percussus; ergo Christus sustinuit Deum iratum, & infensum sibi. II. Idem Isaias citato loco dicit: *Correctio pacis nostræ super eum*: ergo Christus pati debebat omnes pœnas, quas nostra peccata merebantur; sed nostra peccata merebantur non solam corporis mortem, sed etiam gehennæ pœnam: ergo Christus sustinuit quoque gehennæ pœnas; aliter fuisset solum Redemptor corporum, non animarum. III. Christus Matthæi 26. sustinuit in horto tristitiam, metum, & dolorem: Vel hæc autem sustinuit ob mortem corporis, vel ob periculum animæ? Non ob mortem Corporis, quia aliter fuisset infirmior multis puris hominibus, qui audacter subeunt mortem: si ob periculum animæ: ergo stat assertio Calvini. IV. Matthæi 27. Christus dicebat: *Deus meus, Deus meus, ut quid me dereliquisti?* Sed hæc verba non poterat Christus dicere, nisi apprehendisset Deum iratum sibi, & infensum: ergo &c. V. Actorum 2. legitur de Christo: *Quem Deus suscitavit, solutis doloribus inferni, juxta quod impossibile erat, teneri illum ab eo*; Sed si Christus non pertulisset dolores inferni, non potuisset ab illis solvi: ergo &c. VI. Ad Hebræos 5. habetur: *In diebus carnis suæ preces, supplicationesque ad eum, qui possit illum salvum facere a morte cum clamore valido, & lacrymis offerens, exauditus est pro sua reverentia.* Calvinus verba illa: *pro sua reverentia*, intelligenda, vult, exauditus est a suo metu, quia Græca lectio hoc importat ἀπὸ τῆς εὐλαβείας „ Quasi dicat, ait Bellarmi-
„ nus, Christus non orabat, ut non morere-
„ tur, sed ut non absorberetur, ut peccator,
„ id est, ne damnaretur in æternum; & ab
„ hoc metu perdendæ salutis æternæ, per
„ paternam exauditionem liberatus est „.
VII. Hilarius lib. 2. de Trinit. scribit: *Crux, mors, Inferi, nostra vita sunt*: & lib. 3. *Filius Dei in infernis est; sed homo refer-*

tur

tur ad Cœlum: & lib. 4. asserit, quod per descensum Christi ad inferos, nos consequuti sumus, ut mors perempta sit: & in fine libri: *mortem in inferno perimeret*. VIII. Dolores augentur secundum gravitatem, & diuturnitatem passionis; sed Martyres quidam sustinuerunt graviores, & diuturniores passiones, quam Christus: ergo dolores Christi patientis non fuerunt gravissimi, & acerbissimi. Minor probatur exemplis S. Laurentii, qui assatus in craticula mortuus est, S. Vincentii, cujus carnes ungulis ferreis fuerunt laceratæ, S. Jacobi Nysibeni, S. Apollinaris, S. Venantii, aliorumque, quorum fuit diuturna, & durissima passio. IX. Virtus mentis mitigat dolorem; unde Stoici dixerunt, quod in animum Sapientis non potest cadere tristitia; sed in Christo fuit perfectissima virtus mentis: ergo in Christo non fuit maximus dolor. X. Dolor passionis eo est major, quo patiens magis est sensitivus; sed hoc magis verificatur in anima, quam in corpore: ergo anima patiens in Purgatorio, vel in Inferno, majorem habet dolorem, quam Christus habuerit. XI. Adam in statu innocentiæ magis sensitivum habuit corpus, quam Christus, qui assumpsit corpus humanum cum naturalibus defectibus: ergo dolor Adæ, si passus fuisset, major fuisset, quam dolor passionum Christi. XII. Major dolor caussatur ab amissione majoris boni; sed homo per peccatum amittit majus bonum, quam Christus per mortem; homo enim per peccatum amittit vitam gratiæ, quæ est melior, quam vita naturæ; & ulterius amittit vitam, permansurus in æterna morte, Christus autem post triduum erat resurrecturus: ergo dolor Christi non fuit maximus dolorum. XIII. Christus innocenter est passus; sed innocentia patientis diminuit dolorem passionis: ergo dolor passionis Christi innocentis non fuit maximus. XIV. In iis, quæ sunt Christi, nihil fuit superfluum; sed fuisset superfluum, si dolor ejus fuisset maximus: ergo dolor ejus non fuit maximus. Probatur minor. Minimus dolor Christi sufficisset ad finem salutis humanæ, quia habuisset infinitam virtutem ex persona divina: ergo superfluum fuisset in Christo assumere dolorem maximum. XV. Christus in doloribus suis multa habuit, quæ poterant dolores suos lenire, & quæ non habent homines in doloribus suis: ergo dolores Christi non fuerunt gravissimi, & acerbissimi. Probatur antecedens. Habuit maximam animi fortitudinem, & constantiam: quæ valet ad consolandum hominem; etiam inter maximos dolores positum; habuit charitatem Dei, & proximi, quæ secum magnum affert gaudium; habuit spem fructus, quem videbat, homines ex passione sua fore consequuturos; habuit angelicam consolationem in horto; habuit denique in Calvario consolationem quoque ex præsentia Beatissimæ Virginis Matris suæ, S. Joannis Apostoli, dilecti discipuli, & aliarum Sanctarum mulierum, quæ eum nunquam usque ad mortem dereliquerunt.

Respondemus ad I. primo cum Bellarmino, quod Christus dicitur percussus a Patre, quia Pater permisit, illum occidi pro nobis, non quia Pater illum oderit unquam. Sic Abraham nec Filium unquam odit, nec filius putavit, se odio haberi a Patre, quia Pater voluit eum immolare, ut Deo obediret; sed intellexit, tantum id fieri a Patre ad obedientiam Deo præstandam sine ulla ira, vel odio erga se. Secundo cum Hieronymo, & omnibus aliis Expositoribus, quod percussio refertur ad solam mortem temporalem, non ad pœnas gehennæ, de quibus, ut ait Bellarminus, nullus veterum somniavit, cum de passione Christi ageret. Tertio, figmentum est Calvini, quod patiantur infernales pœnas omnes, qui a Deo irato percutiuntur. Sæpe enim Deus in hac vita percutit, & impios, ut emendentur, & justos, ut exerceantur; & nihilominus neutri dicuntur esse in inferno.

Ad II. debuisset Christus per totam æternitatem in inferno manere, & infinitas pœnas ibi persolvere, si Calvini argumentum valeret; quia nos æternam damnationem merebamur, & prope infiniti sumus, qui illam merebamur. Sicut igitur Calvinus admittit, unam pœnam temporalem Christi potuisse satisfacere pro multis æternis; ita nos admittimus, & dicimus, mortem Corporis Christi pro morte animarum omnium satisfacere potuisse, quia pretium redemptionis, quod persolvit Christus, non pensatur ex multitudine, vel qualitate, vel diuturnitate pœnarum, sed ex dignitate personæ: & quia Christus animo, & corpore passus est, non fuit corporum tantum Redemptor. Denique una pœna corporis fuit pretii infiniti, & ideo infinitas etiam culpas, si fuissent, sufficiens erat persolvere.

Ad III. Patres varie explicarunt hanc Chri-

sti

sti timorem, sed nemo dixit fuisse de animæ salute. Hilarius can. 31. in Matthæum vult, Christum non timuisse pro se, sed pro discipulis: Hieronymus in cap. 26. Matthæi asserit, Christum fuisse tristem propter populum Judæorum: Ambrosius in cap. 22. Lucæ, & Chrysostomus in cap. 26. Matthæi exponunt, quod Christus naturali affectu mortem corporis horruerit. Christus autem timuit, non quia non potuisset non timere, sed quia voluit; cæteri vero si non timent, vel est, quia Deus consolatur eos consolatione majori, vel quia Diabolus obstupefacit sensum illorum, qui sunt sibi addicti; vel quia avertunt animum a cogitatione pœnarum, & alibi eum defigunt. Christus autem nullum ex his miraculum, vel remedium adhibere voluit, sed potius de industria defixit mentem in omnia tormenta imminentia, quod est majoris fortitudinis, & Charitatis; & hoc, ut esset copiosa redemptio.

Ad IV. In verbis illis nulla fit mentio iræ Dei erga Filium, sed sola describitur derelictio: qua scilicet Deitas dereliquit humanitatem in pœnis, & quum posset eam inde eripere, noluit, ut sacrificium perficeretur, quo mundus redimendus erat; sic ait Bellarminus; qui & subdit: „ Voluit „ autem Dominus hoc modo clamare, ut „ intelligeremus, illum vere gravissimos „ dolores pertulisse, & non sua culpa per„ tulisse; id enim significat illud *Quare*, „ ac si diceret: *Non est in me caussa hujus* „ *pœnæ* „.

Ad V. In Græco legitur: solutis doloribus mortis, τοῦ θανάτου; Et sensus est, juxta Chrysostomum, & Oecumenium, quod Deus per Christi resurrectionem liberavit mortem a doloribus; quia Christus resurgendo destruxit, & dissolvit mortem cum omnibus doloribus suis, quia surrexit immortalis, & impassibilis. Vel si velimus stare in Editione Latina, quam sequitur Irenæus lib. 3. cap. 12., legens, *doloribus inferorum*; dicitur cum Augustino epist. 99. ad Evodium, quod Christus solvit dolores inferni, non quibus tenebatur, sed ne teneretur: *Quemadmodum*, verba sunt Augustini, *solvi possunt laquei venantium, ne teneant, non quia tenuerunt*.

Ad VI. Verbum Græcum εὐλάβεια importat non metum pœnæ, quia significat pietatem, & reverentiam, & ideo potius importat metum reverentialem. Sic pariter intelligit Calvinus in cap. 2. Lucæ, quia ubi nos legimus de Simeone, quod esset *timoratus*, ipse legit *pius*, & exponit de vera pietate; & tamen eadem vox Græca est εὐλαβής. Immo & Beza, fidissimus Calvini discipulus, in Annotationibus ad eundem locum Evangelii scribit: εὐλαβεία; *& significat, non quemcunque timorem, sed cum reverentia potius, quam cum animi trepidatione conjunctum. Latini religionem vocant*.

Ad VII. Hilarius citato loco docet, Christum descendisse ad loca inferorum, ut inde Sanctos Patres eriperet, & deinde locum illum obstrueret, ne ad eum amplius ulli descenderent, qui in eum crederent, eumque diligerent. Sic respondet Bellarminus. Cæterum Hilarius lib. 10. de Trinitate pag. 195. expresse contra Calvini hæresim loquitur: *Lazaro in Abrahæ finibus lætante, infernum Chaos, Christus timeret? Hæc stulta, atque ridicula sunt*. Et pag. 203. *Anne tibi metuere infernum Chaos, & torrentes flammas, & omnem pœnarum ultricium abyssum credendus est, dicens latroni: Hodie mecum eris in Paradiso? Et infra: Dominus communionem ei Paradisi mox pollicetur, tu Christum in inferis sub pœnali terrore concludis?*

Ad VIII. S. Thomas dicit, quod ratio illa procedit ex uno tantum genere dolorum, scilicet, ex læsione corporali, quæ est caussa sensibilis doloris. Dolor autem Christi fuit gravior quocunque, quia ex multis aliis caussis augebatur, ut diximus.

Ad IX. Etsi virtus moralis mitiget tristitiam interiorem, aliter tamen mitigat illam, & aliter mitigat dolorem exteriorem sensibilem. Tristitiam interiorem diminuit directe; & sic mitigabant Stoici, qui putabant, nullam tristitiam esse ad aliquid utilem; & ideo credebant, quod totaliter a ratione discordaret, & per consequens, quod esset totaliter a sapiente vitanda: *Sed secundum rei veritatem*, verba sunt S. Thomæ in responsione ad 2., *tristitia aliquis laudabilis est* (*ut Augustinus probat in 14. de Civitat. Dei,*) *quando, scilicet, procedit ex sancto amore, utpote cum aliquis tristatur de peccatis propriis, vel alienis. Assumitur etiam, ut utilis ad finem satisfactionis pro peccato, secundum illum Apostoli 2. ad Corinth. 7. Quæ secundum Deum est tristitia, pœnitentiam in salutem stabilem operatur. Et ideo Christus, ut satisfaceret pro peccatis omnium hominum, assumpsit tristitiam, maximam quidem quantitate absoluta, non tamen excedentem regulam*

gulam rationis. At dolorem exteriorem sensus non minuit directe virtus moralis, quia ille non obedit rationi, sed sequitur corporis naturam: diminuit tamen indirecte per redundantiam a superioribus viribus ad inferiores, quod in Christo non fuit, ut scribit quoque S. Thomas.

Ad X. Quando dicitur, quod dolor Christi fuit maximus, non est comparandus cum dolore animæ separatæ, quia dolor animæ separatæ sapientis pertinet ad statum damnationis, quæ excedit omne malum hujus vitæ, ut docet Angelicus.

Ad XI. Adæ corpus pati non poterat, nisi peccaret, & sic fieret mortale passibile; & hoc pacto minus doleret patiens, quam Corpus Christi, propter rationes allatas; ex quibus apparet, sequitur S. Doctor, quod etiamsi per impossibile ponatur, quod Adam in statu innocentiæ passus fuisset, minor fuisset dolor ejus, quam Christi.

Ad XII. Verum est, quod dolor augetur ex amissione majoris boni; sed requiritur, quod majus bonum amissum cognoscatur ab homine peccatore, qui illud amittit, ut de amissione illius possit ad proportionem dolere. Hoc autem non verificatur in homine peccatore, qui dolet de peccato suo; verificatur autem in Christo, qui doluit pro peccatis omnium hominum, & quorum pœnas in seipso suscepit. Unde ait S. Thomas in responsione ad 4. quod Christus non solum doluit pro amisione vitæ corporalis propriæ, sed etiam pro peccatis omniu n aliorum; qui dolor in Christo excesit omnem dolorem cujuscunque contriti, & propter intentionem doloris, qui ex majori sapientia, & charitate procedebat, & propter extensionem omnium peccatorum, quæ commissa fuerant, & committenda erant in mundo.

Ad XIII. Quanvis innocens, quando patitur, minus doleat, quia dolet tantum de pœna, & non de culpa, & sic minus dolet quantum ad numerum; quantum vero ad motivum dolendi magis dolet, quia dolor in eo augetur ex innocentia, in quantum apprehendit nocumentum illatum, ut magis indebitum. Ita Angelicus in responsione ad 5.

Ad XIV. Idem S. Doctor respondet in responsione ad 6. *Quod Christus voluit genus humanum a peccatis liberare non sola potestate, sed etiam justitia. Et ideo non solum attendit quantam virtutem dolor ejus haberet ex divinitate unita, sed etiam quantum dolor ejus sufficeret secundum humanam naturam ad tantam satisfactionem*.

Ad XV. Respondemus verbis Suarez citato loco 3.p. q.46. ar.8. disp. 33. sectione 2., dicentis; „ Quanquam fieri potuerit, ut „ Christus interdum aliqua consideraverit, „ quæ tristitiam possent remittere, & con- „ solationem afferre, non tamen oportuit, „ ut hæc semper haberet animo præsentia, „ ut ab eis aliquam consolationem caperet. „ Sed interdum, ut summæ tristitiæ locum „ daret, ab iis omnibus, quæ consolatio- „ nem afferre poterant, animum avertebat; „ (loquor extra visionem beatam: quæ in „ superiorem partem perficiebat, ut in in- „ feriorem nullo modo redundaret.) Inter- „ dum vero ne tristitia conficeretur, ac „ naturales vires ad patiendum amitteret, „ poterat tristitiam remittere, & ea con- „ siderare, quæ & consolari, & confor- „ tare hominem possent, & hoc solum „ probant omnia adducta: nihil tamen „ faciunt contra sententiam a nobis posi- „ tam; quia non asserimus, semper Chri- „ stum habuisse illam summam tristitiam, „ sed aliquando. Addo tamen, aliud esse „ mente contemplari ea, quæ possunt ho- „ minem excitare, & confortare ad agen- „ dum fortiter, costanterque sustinendas „ passiones, & injurias; aliud vero hæc „ considerare, ut tristitiam remittant. Pos- „ sunt enim hæc duo conjungi, magna „ scilicet animi constantia, & fortitudo „ cum eximia tristitia, & ita in Christo „ Domino fieri potuit, ut ea consideratio, „ quæ animum confortabat, tristitiam non „ leniret. Unde in horto dicitur apparuis- „ se Angelus *confortans eum*; non vero gau- „ dium aliquod, vel delectationem afferens, „ itaque hoc sensu non est dubium, qui n „ interdum in portione inferiori caruerit „ omni divina consolatione, quæ tristi- „ tiam mitigare posset, qui in hoc voluit „ suos martyres superare, & majorem ani- „ mi fortitudinem, ac patientiam ostende- „ re, & sua tristitia eorum consolationem „ promereri. „

Dicimus III. Christum passum fuisse secundum totam animam, quoad essentiam animæ; quoad vero potentias animæ, passum fuisse secundum omnes potentiàs ejus; hoc est secundum omnes vires inferiores, quod intelligitur ratione subjecti, non vero ratione objecti: Anima autem Christi secundum essentiam, dicimus, quod fruebatur fruitione beata; secundum vero potentias, non fruebatur, nec directe, nec per redundantiam; su-

superior autem pars animæ perfecte fruebatur, etiam Christo patiente.

Prima pars Conclusionis probatur, & explicatur simul ab Angelico 3. p. qu. 46. ar.7., qui totus est hac de re; unde opus est, ut eadem S.Doctoris verba, tum ad explicationem, tum ad probationem, exscribamus: *Respondeo dicendum, quod totum dicitur respectu partium: partes autem animæ dicuntur potentiæ ejus. Sic ergo dicitur anima tota pati, in quantum patitur secundum suam essentiam, vel in quantum secundum suas omnes potentias patitur. Sed considerandum est, quod aliqua potentia animæ potest pati dupliciter. Uno modo passione propria, quæ quidem est secundum quod patitur a suo objecto, sicut si visus patiatur ex superabundanti visibili. Alio modo patitur aliqua potentia passione subjecti, super quod fundatur, sicut visus patitur, patiente tactu sensus in oculo, super quem fundatur visus, puta cum oculus pungitur, aut etiam distemperatur per calorem. Sic igitur dicendum est, quod si intelligamus totam animam ratione suæ essentiæ, sic manifestum est, totam animam Christi passam esse. Nam tota essentia animæ conjungitur corpori, ita quod tota est in toto, & tota in qualibet parte ejus, & ideo corpore patiente, & disposito ad separationem ab anima, tota anima patiebatur. Si vero intelligamus totam animam secundum omnes potentias ejus, sic loquendo de passionibus propriis potentiarum, patiebatur quidem secundum omnes vires inferiores: quia in singulis viribus inferioribus animæ, quæ circa temporalia operantur, inveniebatur aliquid, quod erat causa doloris Christi: sicut ex supradictis patet. Sed secundum hoc superior ratio non patiebatur in Christo ex parte sui objecti, scilicet Dei, qui non erat animæ Christi causa doloris: sed delectationis, & gaudii. Secundum autem illum modum passionis, quo potentia aliqua dicitur pati ex parte sui objecti, sic omnes potentiæ animæ Christi patiebantur: omnes enim potentiæ animæ radicantur in essentia ejus, ad quam pervenit passio, passo corpore, cujus est actus.*

II. Probatur Psalm. 87. Ex persona Christi dicitur: *Repleta est malis anima mea*: ubi Glossa: *Non vitiis, sed doloribus, quibus anima carni compatitur, vel malis pereuntis populi compatiendo*: Subdit S.Thomas: *Non autem fuisset anima ejus his malis repleta, si non secundum totam animam passus esset*: ergo Christus est secundum totam animam passus.

Secunda pars Conclusionis probatur I. verbis ejusdem Angelici, quæ illam pariter explicant citato loco art.8. in corpore: *Respondeo dicendum, quod sicut dictum est prius, tota anima potest intelligi, & secundum essentiam, & secundum omnes ejus potentias. Si autem intelligatur secundum essentiam, sicut tota anima fruebatur, in quantum est subjectum superioris partis animæ, cujus est frui divinitate, ut sicut passio ratione essentiæ attribuitur superiori parti animæ, ita e converso fruitio, ratione superioris partis animæ, attribuatur essentiæ. Si vero accipiamus totam animam, ratione omnium potentiarum ejus, sic non tota anima fruebatur, nec directe quidem, quia fruitio non potest esse actus cujuslibet partis animæ, nec per redundantiam gloriæ: quia dum Christus erat viator, non fiebat redundantia gloriæ a superiori parte in inferiorem; nec ab anima in corpus. Sed quia nec e converso superior pars animæ impediebatur circa id, quod est sibi proprium, per inferiorem, consequens est, quod superior pars animæ perfecte fruebatur, Christo patiente.*

II. Probatur. Damascenus 3. lib. de Fide orthodoxa cap. 15. post medium docet, quod Divinitas Christi permisit carni agere, & pati, quæ sunt ipsi propria: ergo pari ratione permisit animæ, quæ erant ipsi propria; sed proprium erat animæ Christi, in quantum erat beata, quod frueretur: ergo passio ejus fruitionem non impediebat.

Obstant I.Christus non fuit passus secundum rationem: ergo non fuit passus secundum totam animam. Probatur antecedens. Passio sensibilis, quando pervenit ad rationem, dicitur passio completa; sed passio completa non fuit in Christo, sed solum propassio, ut docet Hieronymus, explicans verba illa Matthæi: *Cœpit contristari, & mæstus esse*: ergo Christus non fuit passus secundum rationem. II. Quælibet animæ potentia patitur a suo subjecto; sed superioris partis rationis objectum sunt rationes æternæ; & ex rationibus æternis nullum potuit Christus nocumentum pati, quia in nullo ei contrariabantur: ergo Christus non fuit passus secundum totam animam. III. Dolor caussatur a passione; sed in intellectu speculativo non est dolor: ergo in eodem non fuit passio. Probatur minor. Delectatio intellectus speculativi est consideratio; sed considerationi nulla tristitia opponitur: ergo in intellectu speculativo non est do-

dolor. IV. Anima Christi tota patiebatur dolorem, passionis tempore; sed impossibile est, ut eodem tempore in eodem subjecto sit dolor, & gaudium: ergo non poterat esse, ut anima Christi, quando tota patiebatur, tota frueretur. V. Tristitia, quando est vehemens, quamcunque impedit delectationem; & delectatio, quando est magna, quamcunque impedit tristitiam; sed dolor Christi fuit maximus: ergo nullo modo esse potuit, quod anima Christi tota, & pateretur, & frueretur. VI. Ex Augustino lib.1. de doctrina Christiana cap.4. & 10. Fruitio beata est secundum cognitionem, & amorem divinorum; sed non omnes vires animæ attingunt ad cognoscendum, & amandum Deum: ergo non tota anima Christi fruebatur.

Respondemus ad I. cum S.Thoma, quod dolor tunc dicitur passio perfecta, per quam anima perturbatur, quando passio sensitivæ partis, pertingit usque ad immutandam rationem a rectitudine sui actus: ut, scilicet, sequatur passionem, & non habeat liberum arbitrium super eam: & hoc pacto docet S.Doctor, quod passio sensitivæ partis non pervenit in Christo usque ad rationem, sed tantum ex parte subjecti.

Ad II. Idem Angelicus dicit, quod ratio illa procedit de passione, quæ est ex parte proprii objecti, secundum quam superior ratio in Christo passa non fuit. Et quidem dicit Suarez in commentario ad eundem articulum, quod S.Thomas sit intelligendus de ratione superiori in ordine ad suum objectum primarium, quod est Deus; Cæterum etiam in portione Superiori vult, Christum passum esse tristitiam, & dolorem; & denique late disputat, quomodo in eadem voluntate Christi potuerint esse simul gaudium, & tristitia.

Ad III. Verum est, quod intellectus speculativus non potest habere dolorem, vel tristitiam, ex parte sui objecti, quod est verum absolute consideratum, & quod est perfectio ejus. Potest tamen ad ipsum pertingere dolor, vel caussa doloris, per modum jam in probationibus explicatum. Responsio pariter est S.Thomæ.

Ad IV. Hæc idem Angelicus respondet; gaudium, scilicet, fruitionis non opponi directe dolori passionis, quia non sunt de eodem; & quando contraria non sunt secundum idem, possunt esse simul in eodem subjecto. Quod non sint de eodem, patet; quia gaudium fruitionis potest pertinere ad superiorem partem rationis per proprium actum, dolor autem passionis secundum suum subjectum. Ad essentiam vero animæ pertinet dolor passionis ex parte corporis, cujus est forma; gaudium vero fruitionis ex parte potentiæ, cui subjicitur.

Ad V. Concedimus, tristitiam vehementem quamcunque impedire delectationem contrariam; & delectationem, quando est magna, quancunque impedire tristitiam; sed hoc est verum ratione redundantiæ, quæ naturaliter fluit ab una potentia animæ in aliam. At hoc in Christo non fuit.

Ad VI. Dicit Angelicus, quod ratio illa procedit de totalitate animæ, quantum ad ejus potentias.

DISSERTATIO CCXLI.

De Passione Christi. De Judæ proditione, & de negatione Petri. De Flagellationis pœna, & de spineæ coronæ impositione.

De Judæ proditione hæc, quæ sequuntur, possunt dubia excitari, quæ modo exponuntur, & ad quæ illico congruas dabimus, si Deus aderit, responsiones. I. Quo tempore Judas proditionem suam complevit? II. Qua de caussa? III. Quo pretio?

Ad I. Ex Evangelio Matthæi cap.26. habemus, quod Christus, antequam Concilium agerent Sacerdotes, & Seniores Populi, in domo Principis Sacerdotum, ut eum occiderent, Discipulis suis proditionem manifestavit, dicens: *Scitis, quia post biduum Pascha fiet, & Filius hominis tradetur, ut crucifigatur*. Post quæ Evangelista, nullo alio interjecto medio, sub-

dit: *Tunc congregati sunt Principes Sacerdotum, &c.* Postmodum narrat Evangelista Cœnam, quam peregit Jesus in Bethania in domo Simeonis Leprosi, & effusionem unguenti pretiosi super caput Jesu a muliere, quæ alabastrum, ad hoc faciendum, attulerat; & Discipulorum indignationem, quam opportunis verbis Christus redarguit. Post hanc redargutionem, nullo pariter interjecto medio, Evangelista narrare pergit Judæ proditionem v.14. dicens: *Tunc abiit unus de duodecim, qui dicebatur Judas Iscariotes, ad Principes Sacerdotum, & ait illis: Quid vultis mihi dare, & ego vobis eum tradam? At illi constituerunt ei triginta argenteos. Et exinde quærebat opportunitatem, ut eum traderet.* His tamen minime obstantibus, circa tempus proditionis Judæ, plures sunt opiniones: quarum prima est Origenis tract. 35. in Matthæum, Chrysostomi homil. 81. in Matthæum, Euthymii suo can 62. in Matthæum, & quam sequitur Cardinalis Baronius in Annalibus ad annum 32. & 34. Hi quidem diversam putant Cœnam, quam narrat Matthæus, ut diximus, ab illa, quam narrat Joannes cap.12. dicens: *Jesus ergo ante sex dies Paschæ venit Bethaniam, ubi Lazarus fuerat mortuus, quem suscitavit Jesus. Fecerunt autem ei Cœnam ibi, & Martha ministrabat; Lazarus vero unus erat ex discumbentibus cum eo. Maria ergo accepit libram unguenti nardi pistici pretiosi, & unxit pedes Jesu, & extersit pedes ejus capillis suis: & domus impleta est ex odore unguenti. Dixit ergo unus ex discipulis ejus, Judas Iscariotes, qui erat eum traditurus: Quare hoc unguentum non venit trecentis denariis, & datum est egenis? Dixit autem hoc, non quia de egenis pertinebat ad eum, sed quia fur erat, & loculos habens, ea, quæ mittebantur, portabat.* Secunda opinio, quam refert, & sequitur Suarez 3.par. q.46. ar.8. disp.34. sect.1. est illorum, qui volunt, Judam pepigisse cum Judæis, de Christo tradendo, pridie ante noctem cœnæ. Quam opinionem Suarez sic probat. Ex cap.26. Matthæi constat, biduo ante Pascha Principes, & Pharisæos, coegisse concilium, de Christo capiendo, & interficiendo: constat pariter ex eodem, Judam, quum ægre tulisset factum illud de muliere, quæ in Bethania effudit unguentum super caput Jesu, statim abiisse ad Principem Sacerdotum: ergo ex his bene intelligi potest, Judam ivisse ad Concilium, atque ita illo eodem die, de tradendo Christo, pepigisse.

Opponunt I. Ex hac sententia sequeretur, quod Judas die martis vendiderit Christum; quia ille erat dies biduus ante Pascha, quod die Jovis ad Vesperam incipiebat: ergo Judas non tradidit Christum pridie ante Cœnam. II. Ex Matthæo Judas vendidit Christum statim post Cœnam factam in Bethania; sed ex Joanne Cœna illa facta est sexto die ante Pascha: ergo sexto etiam die ante Pascha Judas traditionem suam complevit.

Respondemus ad I. cum eodem Suarez: „ Quod si solum consideremus, literam Evangelii potuisse hoc modo exponi, tamen adjuncta Ecclesiastica consuetudo, & traditio declarat, illud biduum dictum esse respectu diei festi, qui dies veneria celebrabatur, atque adeo factum Judæ contigisse die Mercurii, & in eodem fuisse coactum Concilium Judæorum adversus Jesum. Nam propter hanc caussam dies Mercurii inter dies, qui spectant ad passionem Domini, numeratur, quia in eo cœpit pati Christus, cum in eo venditus sit; & ideo etiam apud complures fuit antiqua consuetudo jejunandi feria quarta in honorem Passionis Domini, ut constat ex Augustino ep. st. 86. „

Ad II. Idem Suarez alteram sententiam explicat, & ad rationem ejus respondet, verbis sequentibus: „ Non defuerunt, qui dicerent, Cœnam illam, & unctionem, de qua loquitur Joannes, esse diversam ab ea, de qua loquitur Matthæus, & ita potuisse diverso tempore celebrari, alteram sexto die ante Pascha, alteram biduo. Nam etiam videntur in diversis domibus celebratæ. Matthæus enim ait, Christum cœnasse in domo Simonis leprosi: Joannes vero significat, cœnasse in domo Marthæ, aderant enim Lazarus, & Maria; & Martha ministrabat; non est autem verisimile, ministrasse in aliena domo. Item Matthæus dicit, feminam illam unxisse caput Jesu, Joannes vero ait, Mariam unxisse pedes: apud Matthæum discipuli indignantur; apud Joannem solus Judas: & juxta hanc sententiam facilis est responsio ad objectionem, scilicet, cœnam narratam a Matthæo, contigisse biduo ante Pascha: quam vero narrat Joannes antea celebratam, fuisse diversam. Hæc fuit sententia Origenis tract.35. in Matthæum, „ & ean-

„ & eandem indicat Chrysostomus homil. 81. in Matthæum, & clare Euthymius suo can.62. in Matthæum. Et hanc sententiam sequutus est Cæsar Baronius in Annalibus anno 32., & 34., eamque ex Evangelio colligi existimat. Sed levi fundamento motus est, quia neque Matthæus, neque Marcus scripserunt, Cœnam illam factam esse biduo ante Pascha, sed cum narrare inciperent Concilium Judæorum, illo die factum, & deinde narraturi essent proditionem Christi, quam in eo Concilio Judas fecit, per recapitulationem interposuerunt, quid ante paucos dies gestum esset in illa cœna, ut occasionem indicarent, qua Judas indignatus, & ad Christum prodendum impulsus est. Unde neque etiam dicunt, Judam statim post illam cœnam abiisse ad prodendum Christum: sed finita narratione unctionis, quam interposuerant, revertuntur ad historiæ narrationem, quam aggressi erant. Deinde tot sunt circumstantiæ similes in utraque Cœna, & unctione, ut non sit verisimile, diversas fuisse, præsertim cum contrariæ conjecturæ non repugnent eidem Cœnæ. Nam illa de diverso tempore jam rejecta est: alia vero de diversa domo non cogit, tum quia Chrysostomus homil.64. in Joannem refert, multos sensisse, Cœnam, quam narrat Joannes, non fuisse factam in domo Lazari, potuit enim Martha, vel ex magna ad Christum devotione, vel propter cognationem, & familiaritatem aliquam cum Simone in domo ejus ministrare. Tum etiam, quia Theophilactus in Matthæum refert, illum Simonem fuisse patrem Lazari, & Marthæ, quod etiam refert Nicephorus lib. 1. hist. c. 27. Reliquæ conjecturæ faciliores sunt, non enim oportet, ut singuli Evangelistæ singula narrent, sed satis est, ut ea, quæ referunt, inter se non pugnent: non pugnat autem, quod eadem mulier in eadem Cœna unxerit pedes, & caput, & quod Judas cœperit indignari, & postea alii discipuli eum imitati sint, quanvis fortasse non eadem intentione, ut Chrysostomus dixit. Et eadem responsio est ad cætera, quæ objici solent, ut egregie observavit Augustinus, qui præcipuus author est hujus sententiæ lib.2. de consensu Evangelistarum cap. 79., quem sequuti sunt Anselmus Matthæi 26., & Rupertus lib.10. in Joannem, & eam videtur tandem tenuisse Chrysostomus homil.64. in Joannem, dum Matthæum cum Joanne concordare nititur, & eandem sequitur Hieronymus Matthæi 26., qui attente est legendus, nam in initio videtur distinguere mulierem, quæ unxit pedes Domini, ab ea, quæ unxit Caput. Sed (quidquid sit de ejus sententia quoad distinctionem personarum, de quo alias) tamen non distinguit has Cœnas in Bethania factas, & narratas a Matthæo, & Joanne, ut evidenter patet ex sequentibus; imo in priori distinctione non videtur agere de unctione pedum, quam narrat Joannes, sed quam narrat Lucas cap. 7. quæ sine dubio fuit diversa, & antea facta est. Denique hanc sententiam sequuntur Cajetanus, Jansenius, Toletus, & alii. Et juxta illam facile patet solutio ad objectionem factam, nimirum Judam non vendidisse Christum eo die, quo Cœna facta est. Quia licet immediate post illam narretur, non oportet, res eodem ordine gestas esse, quo narrantur. „

Ad II. Quæsitum, si caussa quæratur ex parte Dei, cur permiserit, Christum a Juda vendi? Eadem est, ac illa, propter quam permisit, Christum comprehendi, flagellari, & occidi. Si vero quæratur ex parte Judæorum, scilicet, quid moverit Judæos, ut pecuniis emerent, quem quotidie, vel in Civitate, vel in templo, comprehendere poterant? Et hæc fuit, vel timor populi, vel suspicio seditionis, vel cognitio miraculorum Christi. Ex parte autem Judæ, Cajani Hæretici fuerunt, qui dixerunt, Judam bene egisse, vendendo Christum, vel quia Christus Legem pervertebat, quod Judas impedire voluit, vel quia Judas perfecte cognovit Christum, & ex perfecta cognitione veritatis, ut explicat Suarez, eum prodidit zelo generis humani, cognoscens, hoc non posse salvari, nisi per Christum, & Christum non posse mori, nisi a Juda proderetur. Referunt Tertullianus lib. de præscriptionibus adversus Hæreticos cap. 47., Irenæus lib. 1. contra hæreses cap. ultimo, Epiphanius hæresi 38. Sed hic error repugnat Evangelio, quod peccatum Judæ exprese damnat. Dicitur enim Matthæi 26. *Væ homini illi, per quem Filius hominis tradetur, bonum erat ei, si natus non fuisset homo ille.* Et Joannis 13. *Vos mundi estis, sed non omnes: sciebat enim, quis esset, qui traderet eum, & propterea dixit: Non estis mundi omnes.* Et ibidem: *Cum diabolus misisset in cor, ut traderet*

eum Judas. Et infra: *Et post bucellam, introivit in eum Sathanas, & exivit continuo.* At nos dicimus, Judam vendidisse Christum propter avaritiam. Quod I. probatur ex Matthæo, & Marco, qui referunt, Judam fuisse indignatum, quod Christus permiserit unguenti effusionem; quod indicium est aviditatis pecuniæ; quia volebat Judas resarcire sibi pecuniam deperditam in unguenti effusione, cum pecunia acquirenda in venditione Christi. Quod declaravit Joannes cap. 12., dicens, quod quando Judas dixit verba illa: *Ad quid perditio hæc? Poterat unguentum istud venundari, &c.*, verba hæc dicebat, *non quia de egenis pertinebat ad eum, sed quia fur erat*. II. Quia ipsemet Judas Matthæi 26. animum suum aperuit, dicens: *Quid vultis mihi dare, & ego vobis eum tradam?* Quapropter scripserunt Patres, avaritiæ Judam accusantes; & præcipue Augustinus enarratione in psalm. 63. *Avaritia, quæ captivavit discipulum comitem Christi, captivavit & Militem custodem sepulchri*; Et Chrysostomus homil. 64. in Joannem; ubi inquirens, quare Christus fecerit conservatorem & dispensatorem pecuniæ, Judam, quem furem, & avarum esse, sciebat; respondit, Christum hoc permisisse, ut majus periculum vitaret; scilicet, ut explicat Suarez, *ut cupiditas, & avaritia ejus inde expleri posset, & ita tolleretur ei proditionis occasio*. Euthymius super cap. 12. Joannis addit, quod tanta fuit Judæ cupiditas, ut expleri non potuerit iis, quæ furabatur, nisi etiam Magistrum suum venderet. Denique Leo Magnus, serm. 9. de Passione hæc habet: *Impius Judas maluit minister esse diaboli, quam Apostolus Christi, quem non timoris perturbatione deseruit, sed pecuniæ cupiditate distraxit. Hoc perfidus Judas inebriatus veneno, dum sitit lucrum, pervenit ad laqueum, & tam stulte impius fuit, ut triginta argenteis & Dominum venderet & Magistrum.*

Obstant I. Christus dicebat Judæ Joannis 13. *Quod facis, fac citius*; sed non poterat Christus impellere Judam ad operandum, si Judas non bene operatus fuisset: ergo Judas, tradendo Christum, bene operatus est. II. Chrysostomus docet, Judam prodidisse Christum, non propter avaritiam, sed propter malitiam; ait enim citato loco: *Neque poterat dicere, pecuniarum id cupiditate fecisse; sufficientes enim loculi esse debebant, qui ejus satisfacerent cupiditati; sed sola malitia.* III. Judas prodidit Christum, ut occideretur: ergo non ob avaritiam, sed potius ob invidiam, & odium, sicut faciebant Judæi. IV. Judas vidit plurima Christi miracula: ergo non poterat avaritia eum movere, ut Christum traderet. Probatur consequentia, quia miracula illa poterant eum certum reddere, vel Christum esse Deum, vel esse hominem sanctum, quem tradere nefas omnino erat.

Respondemus ad I. verbis illis Christum non intendisse actum proditionis Judæ, qui erat peccaminosus, sed effectum, qui ex hujusmodi actu proveniebat; scilicet salvationem, & redemptionem generis humani, quod per passionem, & mortem Christi liberandum erat.

Ad II. Chrysostomus non negat, Judam tradidisse Christum cupiditate pecuniæ, sed solum asserit, non fuisse talem cupiditatem illam, quæ posset aliquam excusationem habere; erat enim, ait Suarez, nimis effrænata cupiditas, & ex ingenti malitia orta.

Ad III. Judas non prodidit Christum, ut occideretur, sed solum quia existimavit fore ut in exilium mitteretur, aut in carcere detineretur, ne populum commoveret. Quod vel ex eo patet apertissime, quia deinde intelligens, Christum damnatum fuisse a Judæis, pœnitentia ductus, reddidit triginta argenteos, ut narrat Matthæus cap. 27. ergo Judas non fuit motus invidia, vel odio ad tradendum Christum, sicut cæteri Judæi, sed avaritia.

Ad IV. Respondet Suarez: „ Quidam dicunt, Judam non credidisse, illa fuisse „ vera miracula, sed apparentia, & virtute Dæmonis facta; quod sentit Hieronymus Matthæi 26. Vel dici potest, „ quanvis crediderit, miracula esse vera, „ non tamen cognovisse, nec credidisse, „ Christum esse Deum, sed solum virum „ justum, & sanctum: hoc enim tam evidens illi erat ex dictis, & factis Christi, „ ut aliud sibi persuadere non potuerit, ut „ postea ipsemet confessus est, dicens: „ *Tradens sanguinem justum*: excæcatus tamen passione & avaritia, ipsum prodidit. Ad quod eo facilius induci potuit, „ quo & indignatus erat ex priori facto, „ & non æstimavit, tantum nocumentum „ fuisse Christo inferendum, ut dictum „ est. Quanquam autem ille justum esse „ Christum crederet, cum autem ad Pharisæos est loquutus, ut eum proderet, „ gravissime mentitum esse, credendum „ est;

„ est; (quod est novum peccati genus) Ut „ enim factum suum excusaret, & probabile Judæis faceret, necessarium illi fuit, „ Christum accusare, & dicere, se zelo „ Legis moveri, ad illum tradendum, cujus mores expertus erat, neque ferre poterat, &c. Jansenius in Concor. cap. 128.

Ad III. Quæsitum, quod est de pretio, quo Judas vendidit Dominum, multæ sunt opiniones, quas hic referemus, & impugnabimus, & postmodum nostram exponemus, illam probantes. Prima opinio stat in ore Vulgi putantis, & dicentis, Christum venditum fuisse triginta denariis. Impugnatur I.; quia Matthæus cap. 26. qui solus inter Evangelistas de hoc pretio expresse loquitur, tradit, triginta argenteos fuisse pretium Judæ constitutum. Denarius si erat hebraicus, erat dimidia pars argentei, seu sicli; si atticus erat solum quarta. Secunda opinio est Ruperti lib. 10. in Matthæum, dicentis, pretium fuisse quidem triginta argenteorum, sed quemlibet argenteum unius Julii Romani valorem habuisse: Hoc autem probare nititur, quia Judas in more habebat furari decimam partem illorum, quæ Christo offerebantur; si mulieris unguentum venditum fuisset tercentum argenteis, Judas habuisset triginta; & quia venditum non fuis, quod perdidit in venditione unguenti, lucrari voluis in venditione Magistri. Impugnatur, quia hæc est conjectura satis remota, & qua Concionator uti bene potest, sed non Theologus. Tertia opinio est Lyrani in cap. 26. Matthæi, scribentis, unumquemque argenteum habuisse valorem decem Juliorum Romanorum. At Suarez dicit, hæc sine fundamento afferi. Quarta opinio est Jansenii, dicentis, valorem argentei fuisse quatuor Juliorum; & ideo triginta argenteos æquivaluisse duodecim scutis Romanis. Quinta opinio est Baronii in Annalibus ad annum 34., existimantis, argenteum significare libram argenteam; libra autem argentea eundem habebat valorem, ac centum, & quatuor Julii Romani. Impugnatur, quia eredi non potest, ut ait Suarez, Judæos tam facile obtulisse trecentos aureos (immo plus etiam) propter opus, quod nullius fere laboris erat; præsertim quia Judas, nec rogatus, nec quæsitus, se se ad tradendum Christum, obtulerat; merces autem ultronea vilescit. Nos dicimus, argenteum habuisse eundem valorem, ac siclum, qui erat valoris sex Juliorum Romanorum, vel decem & octo scutorum, ut ait Serry. Probatur I. ab eodem; quia vita personæ servilis, qualem Judæi reputabant Christum Dominum, æstimabatur secundum Legem Moysis triginta siclis: ergo pariter triginta siclis æstimaverunt vitam Christi, & non absimili pretio illam Judæi emerunt, & Judas vendidit. Probatur antecedens. Exodi 21. præcipitur, ut si bos cornupeta servum, vel ancillam occiderit, triginta sicli argentei domino solvantur; quia, scilicet, tanti vita hominis servi æstimabatur. Proinde non dubitat Serry Judæos ad legem hanc attendisse, dum triginta siclos, seu argenteos, Judæ proditori constituerunt. II. Probatur, quia pretio illo, quod deinde restituit Judas, emptus est ager Figuli ad sepulturam Peregrinorum, ut habetur ex Evangelio; hic autem ager, nec poterat esse tam exigui valoris, ut emi posset vel triginta denariis, vel triginta Juliis: nec tam magni valoris erat, ut tercentum aureis oportuisset illum emere; & præcipue, quia erat Figuli, & ad opus figulinum deputatus; & etiam, quia emptus est ad sepulturam Peregrinorum, qui in Urbe Jerusalem in tam magno numero esse non poterant.

Arguunt I. Pretium Christi fuit vilissimum: ergo non poterat excedere triginta denarios. Probatur antecedens; quia apud Amos Prophetam, justus, & pauper, cujus nomine venit Christus, dicitur venditus pro calceamentis: ergo pretium Christi erat vilissimum. II. Visuntur etiam ad præsens nummi, quibus venditus fuit Christus, & præcipue Romæ in Ecclesia S. Crucis in Jerusalem, & nos ipsi vidimus pariter Valentiæ in Hispania; unusquisque tamen illorum duos Julios non excedit: ergo sex Juliorum valoris non erat. III. Argenteus, seu Siclus, ut asserit Iosephus Hebræus, & cum ipso Hieronymus, pendebat quatuor drachmas; drachma autem habebat valorem Julii Romani: ergo triginta argentei, seu sicli, continebant valorem sexdecim scutorum Romanorum, non decem & octo, ut nos asseruimus. IV. Argenteus, licet in Pentateucho significet siclum, in Propheta tamen significat libram; probabilius autem est, Matthæum, quando hoc pretium narravit, respexisse Prophetas, quam Penthateuchum, quia Prophetarum prædictionem referebat. Re-

Respondemus ad I. illam Amos Prophetæ esse figuratam formulam loquendi, qua constituti pretii vilitas denotatur. Et hoc est in usu apud Hebræos, qui vile pretium calceamenti pretium dicunt. Unde apud eundem Amos cap. 8. legitur: *Possideamus pauperes pro calceamentis*; scilicet, pro re vili habeamus.

Ad II. Deberet primo probare argumentum, ut concluderet, quod triginta illi argentei fuerunt omnes in propria specie soluti Judæ, & non in aliena, quæ tamen eandem facerent summam; deberet secundo probare, quod illi, qui modo videntur sint identice illi iidem, qui tunc fuerunt promissi, & soluti, quod quidem non facile esset, quum pro illis traditio nil probet, quia est humana penitus, & non sunt res, quæ ad populorum adorationem exponuntur.

Ad III. Non facit argumentū differentiam inter drachmas atticas, & hebraicas, quam si fecisset non ita fidenter, quæ asseruit, dixisset. Cæterum in solis duobus scutis Romanis est discrimen, quod in re, de qua agimus, pro nihilo reputandum videtur.

Ad IV. Potius nos diceremus, Matthæum respexisse valorem sicli, prout legitur in Pentateucho, quia ibi denotat pretium hominis servi, cui in venditione sua æquiparatus est Christus. Accedit, quod pretium, quod exurgeret in hypothesi Baronii, trecentorum, scilicet, aureorum, exorbitantius fuisset, ut offerretur a Judæis, & ut per ipsum ager Figuli emeretur, ut diximus nuper.

Pro negatione Petri, videnda sunt primo, quinam fuerit numerus negationum Petri; Secundo, an Petrus semel, vel ter ante galli cantum Christum negaverit; Tertio, quomodo Petrus peccaverit, Christum negando, & quam pœnitentiam pro peccato suo peregerit.

Respondemus ad I. Quæsitum, primam opinionem esse Carthusiani in cap. 27. Matthæi, putantis, Petrum pluries, quam ter, negasse Christum: Secundam opinionem esse Augustini tract. 113. in Joannem, & lib. 3. de consensu Evangelist. cap. 6. existimantis Petrum, ut minimum sexies, negasse Christum; Tertiam opinionem esse Cajetani in cap. 18. Joannis, scribentis, Petrum negasse Christum septies. Nos autem dicimus cum communi Sanctorum Patrum, & fere omnium expositorum, Petrum negasse Christum ter, & non amplius. Probatur I. ex verbis Christi, qui dixit Petro: *Ter me negabis*: ergo Petrus ter negavit Christum, & non amplius. Quod confirmatur verbis Suarez 3. par. qu. 46. art. 8. disp. 35. sect. 1. „ Si enim pluries esset „ negaturus, cur non prædixisset: vel cur „ potius numerum ternarium designaret, „ quam alium? Certe nisi voluisset designare certum numerum, & dicere neque „ majorem, neque minorem esse futurum, „ potius simpliciter prædixisset: *Me negabis*. Addo Evangelistas omnes fuisse sollicitos in demonstrando Christi prædictionem fuisse impletam, & ideo singuli Petri negationem narrarunt, (ut notavit Chrysostomus homil. 82. in Joannem) „ unde non nisi trinam singuli scripsere „ negationem, indicantes Christi prædictionem, trina tamen negatione fuisse „ implendam. „ II. Probatur ex Patribus, & Expositoribus fere omnibus, qui dicunt, pro trina negatione reddidisse Petrum trinam confessionem. Unde Augustinus tract. 122. in Joannem: *Redditur trinæ negationi trina confessio, ne minus amori lingua serviat, quam timori, & plus vocis elicuisse videatur mors imminens, quam vita præsens*. Cyrillus lib. 12. in Joannem cap. 64. *Quoniam Petrus ter in tempore passionis negavit, jure nunc ab eo contra dilectionis confessio petitur, ut terna negatio æquali confessionis numero compensetur. Ita quod verbis commissum fuit verbis curetur*. Ambrosius lib. 2. de Sacram. cap. 7. *Petrus, qui antea negaverat, ut illum lapsum aboleret, tertio interrogatur a Christo, si se amaret*. Euthymius in cap. 21. Joannis: *Pro trina negatione trinam offert confessionem*. Hieronymus epist. 149. ad Marcellam: *Trinam negationem trina postea confessione delevit*. Et epist. 39. dixerat: *Petrum ter negantem, amara in suum locum restituere lacryma*.

Ad II. Quæsitum dicimus, quod ante galli cantum Petrus semel tantum Christum negavit: Matthæi autem 26. legitur, quod Christus simpliciter dixerat: *Antequam gallus cantet, ter me negabis*. Quomodo autem hæc concilientur, & quomodo directe ad quæsitum sit respondendum, Suarez citato loco explicat verbis hisce: „ Respondetur hoc explicuisse Marcum „ cap. 14., dicentem: *Priusquam gallus vocem bis dederit*. Et ideo ipse solus inter „ Evangelistas curam habuit observandi, „ post primam negationem semel gallum „ cantasse, iterum autem post tertiam. „ Quod ergo apud Lucam, & Matthæum „ dixit

„ dixit Christus? *Antequam gallus cantet*, „ intelligendum est, vel cum Augustino, „ Beda, & Anselmo supra, antequam gallus canter, animo paratus erit ad ter me „ negandum, & exterius id exequi incipies. „ Vel melius cum recentioribus, antequam „ gallus præcipuum cantum suum det, seu, „ antequam cantum suum expleat: dicitur „ enim gallus bis cantare, semel media „ nocte, & iterum prope auroram, & hunc „ posteriorem cantum esse præcipuum, & „ quasi complementum alterius. Sed facilius est dicere, Marcum explicasse, quod „ alii Evangelistæ dixerunt; & hæc de „ priori parte sectionis „.

Ad III. Quæsitum respondentes, aliquot Patres, Petrum in eo facto a peccato excusarunt; quamvis non omnes eodem modo. Hilarius can. 32. in Matthæum, & Ambrosius lib. 10. in cap. 22. Lucæ excusant Petrum, interpretantes verba ejus modo, quo non contineant falsam negationem. Petrus dixit: *Non novi eum*; dicunt, esse verum, quia *nemo novit Filium, nisi Pater*: Petrus dixit: *Non novi hominem, quem dicitis*; dicunt esse verum; quia non noscebat purum hominem, aut malefactorem hominem, sicut ipsi putabant: Petrus dixit, se non fuisse sequutum Jesum Nazarenum; dicunt, esse verum; quia non sequutus est Jesum, quod esset Nazarenus, & Galilæus, sed quod esset filius Dei. Origenes vero tract. 35. in Matthæum concedit quidem, quod Petrus negaverit Christum; asserit tamen, quod non peccaverit; quia non poterat non negare. Rationem adducit: *quia nemo potest dicere, Dominus Jesus, nisi in Spiritu Sancto*; & ideo dicitur ad eos, qui Jesum confitentur Matthæi 10. *Non estis vos qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri, qui loquitur in vobis*; sed Petrus nondum habebat Spiritum Sanctum; & ideo subdit Origenes: *Nondum enim erat hominibus datus, quia nondum erat Jesus glorificatus. Adde, quod Christus prædixerat, Petrum se negaturum, & non poterat falsum esse, quod dixerat: ergo non poterat Petrus non negare*. Nos autem dicimus primo, Petrum graviter peccasse, negando Christum; Secundo, Petrum non ita negasse Christum, ut fidem amiserit, sed solum charitatem; Tertio, Petrum statim sui peccati perfectam pœnitentiam egisse, atque illius veniam fuisse consequutum: quas omnes tres hujusce Conclusionis partes, docet, & probat Suarez. Et quidem prima pars est de fide; tum quia negare Christum ex objecto suo est grave peccatum; sed Petrus negavit Christum; ergo commisit grave peccatum: tum etiam, quia Petrus negando Christum, dixit mendacium perniciosum, & injuriosum Christo, & dixit etiam perjurium; sed hoc est grave peccatum: ergo &c., tum quoque, quia Petrus cognoscens peccatum suum, *flevit amare*: ergo si amare flevit, graviter peccavit: tum denique, quia Augustinus tract. 113. in Joannem, & Chrysostomus homil. 83. in Matthæum, peccatum Petri appellant *tetrum, & insolitum crimen*. Hilarius autem Petrum a culpa non excusat, sed dicit: *Prope sine piacula fuisse; tamen quia ex infirmitate carnis, vel ambiguus extitit, amarissime flevisse, recolentem trepidationis istius culpam, se neque admonitum potuisse vitare*. Et Ambrosius post illas interpretationes addit; *Sed nos excusamus, Dominus autem non excusavit: Non enim satis est involuta responsio confitentis Jesum, sed aperta confessio. Quid prodest verba involvere, si videri vis negasse? Et ideo Petrus non de industria sic respondisse inducitur, quia postea recordatus est, & tandem flevit. Maluit enim ipse suum accusare peccatum, ut justificaretur fatendo, quam gravaretur negando. Quare flevit? Quia a culpa obrepsit ei*. Quibus subdit Suarez: „ Fortasse etiam voluerunt hi Sancti dicere Petrum non negasse corde, & animo „ Christum: sed exterius, & in hoc peccasse; indicant tamen etiam exterius „ usum esse verbis ambiguis, quod non est „ hæreticum, neque erroneum: non est „ autem probabile. Multo vero magis improbabilis, & erronea est excusatio Origenis; quia certum est, Petrum antea „ habuisse gratiam Spiritus Sancti. Neque „ enim sine ipsius auxilio confiteri potuit „ Christum *Filium Dei vivi*, neque gratia „ carebat, quando Christus illi dixit: *Vos mundi estis, sed non omnes, & qui lotus est, non indiget, nisi ut pedes lavet*. Itaque „ quamvis ante passionem non esset datus „ Spiritus Sanctus signo visibili, & cum ea „ plenitudine, qua die Pentecostes: tamen „ gratia Spiritus Sancti, & auxilium ad „ non peccandum, & confitendum Christum, conferebatur hominibus: alioqui „ neque Judæi peccatum haberent, non „ credentes illi. Quod vero Christus prædixerit Petro peccatum suum, non abstulit ei libertatem ad non peccandum, „ de qua re alias latius „. Secunda vero pars Conclusionis nostræ docetur ab Augustino

,, Verberum autem numerum apud Roma-
,, nos a Judice fuisse definitum, non reli-
,, ctum Lictorum arbitrio. Certe si in viro
,, Judæo plectendo aliqua Judaicarum Le-
,, gum ratio est habita, quadraginta verbe-
,, ra non excessit supplicium illud: nec plu-
,, ra a Pilato Judæi, tametsi crudeles, postu-
,, lare poterant, ut ad illorum satietatem
,, Christus Dominus cæderetur. Lex quip-
,, pe in Deuteronomio lata est cap. 25. v.
,, 3. *Si eum, qui peccaverit, dignum viderint*
,, *plagis, prosternent eum, & coram se facient*
,, *verberari. Pro mensura peccati erit plaga-*
,, *rum modus: ita dumtaxat, ut quadragena-*
,, *rium numerum non excedat.* Quam Legem
,, etiam Christi ætate, ac deinceps servasse
,, Judæos, testis est Paulus Apostolus in
,, epist. 2. ad Corinthios cap. 11., ubi se
,, quinquies a Judæis flagellis cæsum scri-
,, bit, attamen ut infra, quadraginta pla-
,, gas steterit cæsio qualibet: *A Judæis quin-*
,, *quies quadragenas, una minus, accepi.* Veri-
,, ti enim Judæi, ne Lictores in ipso verbe-
,, randi impetu constitutum a lege verbe-
,, rum numerum excederent, plagam unam
,, demere soliti erant. Quæ consuetudo ad
,, Seniorum traditiones est referenda. Tur-
,, pius hallucinantur, ac in ipsum Evange-
,, lii contextum peccant, qui inflictam
,, Christo Domino verberum pœnam ob-
,, tendunt virgis spineis, & catenis aduncis:
,, nempe ut supplicii hujus immanitatem
,, exaggerent. Immane fuisse non negave-
,, rim, at quantum sit Evangelii veritas.
,, Marcus autem Christum flagellis cæsum
,, asserit, non virgis spineis, non catenis:
,, vocabula ipsa græca φλαγελλῶν, & μαστιγες;
,, quæ apud Matthæum, Marcum, & Lu-
,, cam occurrunt, cæsionem notant, quæ
,, flagellis, & nodosis funiculis perficitur.
,, Cæterum pœna hæc a Pilato viro Ro-
,, mano inflicta est Christo, quia apud Ro-
,, manos vile servorum supplicium erat:
,, cum contra cæsio per virgas liberorum
,, supplicium esset: ff. *de pœnis*, L. *Servo-*
,, *rum*, L. *Porcia*, & L. *Sempronia*. Aberrant
,, demum turpissime, qui Christum secun-
,, do flagellis cæsum obtendunt, ex quo
,, nempe ad crucem subinde damnatus fuit,
,, pro more, scilicet, Cruciariorum omnium.
,, Quamvis enim ex fori Romani formulis,
,, ea etiam ætate servari solitis, Cruciarii
,, antea cæderentur; quia tamen in Christo
,, Domino jussu Pilati rabidam plebem de-
,, linire satagentis præcesserat emendato-
,, ria flagellatio, non ultra in illum eo sup-
,, plicio sævitum est. Quod inde patet ma-
,, xime, quia ea flagellationis formula ubi
,, occurreret, in ipsa ad crucem deductio-
,, ne, vel sub ipsam crucifixionem, atque
,, in ejus perficiendæ momento servabatur,
,, ut scribit Lactantius lib. 2. Instit. cap. 8.
,, quo tempore nihil hujusmodi tentatum
,, in Christum referunt Evangeliorum
,, Scriptores; totamque passionis scenam
,, in aliis occupatam repræsentant. Chri-
,, stum ad columnam cæsum agnoscunt
,, Patres, Gregorius Nazianzenus orat. 1.
,, in Julianum, S. Hieronymus epist. 27. ad
,, Marcellam, S. Paulinus epist. 34. Ac sic
,, quidem more Romano solebat fieri; Plau-
,, tus in Bacch. Act. 4. scena 7.
,, - - - - - - *abducite hunc*
,, *Intro, atque adstringite ad columnam*
,, *fortiter.*
,, Judæi contra, prostratos flagellabant,
,, Deuteron. 25. v. 3. *Si eum, qui peccave-*
,, *rit, dignum viderint plagis, prosternent eum,*
,, *& coram se facient verberari.* Columnam
,, hanc a se conspectam, ait D. Hierony-
,, mus, Christi sanguine cruentatam: quam
,, oblongam fuisse necesse est, utpote quæ
,, Sacram Ædem olim sustineret. Romæ
,, tamen in Templo S. Praxedis Martyris
,, brevis admodum columna visitur; quam
,, illam fuisse ajunt, cui Christus est alli-
,, gatus. Et hæc quidem ad supplicium
,, inferendum accommodatior, quæ tan-
,, tum assurgat ad nates. Sic enim totum
,, pene corpus flagellis patet, aut virgis. ,,
Secundo Suarez loco nuper citato, quæ se-
quuntur de eadem flagellatione literis
mandavit: ,, Tertio, hoc explicatur ex
,, circumstantiis hujus flagellationis, nam
,, primo Christus, ut flagellaretur, alliga-
,, tus columnæ est, ut habet traditio. Nam
,, hæc columna dicitur Romæ esse in
,, Templo S. Praxedis, & Hieronymus
,, epist. 27. sic inquit de locis Jerosolymi-
,, tanis: *Ostendebatur illic columna, Ecclesiæ*
,, *porticum sustinens, infecta cruore Domini,*
,, *ad quam vinctus dicitur, & flagellatus.*
,, Quibus verbis significat columnam il-
,, lam esse majorem ea, quæ Romæ con-
,, spicitur, & ideo fortasse illa Romana
,, tantum est pars ejus columnæ, nisi lo-
,, quatur Hieronymus de inferiori porticu,
,, quæ humiliori columna poterat sustine-
,, ri. Beda lib. 3. de locis Sanctis cap. 3. di-
,, cit in superiori planitie montis Syon
,, ædificatam esse magnam Ecclesiam, i
,, *In cujus medio erat columna marmorea, cu-*
,, *jus adhærens Dominus flagellatus est.* Se-
,, cundo flagellatus fuit Christus a militi-
,, bus. Quod enim Joannes dicit: *Appre-*
,, *hendit Pilatus Jesum, & flagellavit,* non
,, est

est putandum, Pilatum manu sua flagellasse Christum, ut existimavit Beda lib. 4. in Marcum cap. 44. Id enim incredibile est; non enim erat officium illud Præsidis, cum vile, & infimum sit, & præter omnium gentium consuetudinem. Neque vero fingi potest, Pilatum aliqua ira percitum id fecisse; nam potius favebat Christo, & curabat eum eripere a manibus Judæorum. Dicitur ergo flagellasse illum, quia tradidit eum militibus, ut flagellarent. Unde conjectare licet eos magna vi adhibita eum verberasse, quod ex aliis conviciis, quibus eum affecere, non obscure colligitur. Et præsertim quia præter jussum Præsidis videntur illum spinis coronasse. Quod significavit Joannes, cum subdidit: *Et milites plectentes coronam de Spinis*, *&c.* Et verisimile etiam est, Judæos, qui aderant, Milites incitasse, & data etiam pecunia corrupisse, ut eum acrius verberarent. Tertio flagellum, ut Euthymius notat cap. 67. in Matthæum, erat e funiculis, aut loris contextum, & quidam dicunt habuisse in extrema parte ferrea quædam puncta, quæ carnem lacerarent; alii vero affirmant, etiam catenas fuisse loris admixtas. Quanvis alii dicant primo fuisse funibus crassioribus flagellatum: secundo additos esse ferreos Scorpiones: tertio catenis: quarto virgis spineis cæsum, non quod quater sit flagellatus, sed quod in eadem flagellatione hæc omnia instrumenta sint continenter intermixta. Sed hæc incerta sunt, quanvis dicantur ex quadam traditione referri ab iis, qui terram sanctam incolunt. Quarto de numero plagarum nihil invenio ab antiquis Patribus scriptum; multi tamen pii Scriptores, præsertim ex recentioribus, affirmant fuisse ultra quinque millia, quod aliquibus videtur incredibile, quia nec Judæi, nec Romani, consueverant ita flagellare, & quia tot verbera sufficerent ad necandum hominem. Cum ergo Pilatus flagellaret Christum, ne illum necaret, non est verisimile permisisse eum tam atrociter verberari. Et licet Ludolphus Carthus. in vita Christi 2. p. c. 58., & Eckius in serm. de passione Domini, & alii, referant, hoc fuisse revelatum cuidam feminæ; tamen neque hujusmodi revelationes feminarum cogunt nos, ut eas veras esse credamus, neque ibi dicitur plagas flagellorum, sed vulnera passionis eum numerum excessisse. Itaque hæc res incerta est. Unde licet verisimilius sit flagella multum excessisse quadragenarium numerum propter rationes adductas, & quia Christus non more Judæorum, sed Romanorum, flagellatus est: tamen quantus fuerit ille numerus, affirmare non possumus, quia neque in Evangelio habetur, neque in Scriptura, neque a Sanctis Patribus traditus est. ,,

Tertio Cornelius a Lapide ad cap. 27. Matthæi v. 26. hæc scribit: ,, *Flagellatum*, græce φλαγελλώσας, idest cum flagellasset. Flagellationem Christi per compendium unico verbo more suo perstringit Matthæus. Fusius rei gestæ seriem enarrant Lucas, & Joannes, ex quibus liquet Pilatum, cum videret quartam suam instantiam ad liberandum Jesum, per collationem ejus cum Barabba non successisse: quintam acriorem addidisse, scilicet Christi flagellationem, ut ejus acerbitate odio Christi furentes Judæorum animos ad commiserationem flecteret, ut Jesu vitam condonarent. Dixit ergo Judæis: *Nullam causam mortis invenio in eo; corripiam ergo illum, & dimittam*, ut habet Lucas c. 23. 22. Moxque illum flagellari curavit. Nota primo, flagellationem apud Romanos fuisse vile supplicium servorum, sicut liberorum erat fustigatio, ut patet ff. de pœnis l. *servorum*. Idem patet ex l. *Porcia*, & *Symphronia*. Hinc Martyres ad ignominiam flagellabantur. Unde Paulus flagellatus Actor. 16. graviter expostulat, dicens: *Cæsos non publice, indemnatos, homines Romanos miserunt in carcerem*, *&c.* Hinc & in Actis nonnullorum Martyrum legimus: *Martyr catomo cædatur*, *aut virgis flagelletur*, id est, puerorum more tanquam fatuus puer (sicut a ludimagistris infantes verberari solent) vapulet. Unde Prudentius hymno in S. Romanum:

Sublime, inquit, *tollant*, *& manu pulsent nates*,
Mox & remota veste virgis verberent.

Sic S. Thomas Episcopus ad ignominiam virgis cæsus fuit, teste Victore Uticensi lib. 1. Vvandal., & S. Afra, uti habent ejus acta, quæ Velserus edidit, cæsa fuit catomis, idest, flagellis ad humeros; ὦμοι enim sunt humeri, sive scapulæ, quod vulgo dicimus dare ad scapulas, græce κατ' ὤμων; unde catomus. Sic Homerus Iliade ψ ait Tydidem equos verberasse κατωμαδὸν id est secundum humeros, vel armos. Aut potius catomari idem est, quod in humeros alterius levari, ut more ,, pue-

„ puerorum in natibus vapulet: κατωμίζω;
„ enim idem est quod in humeros tollo;
„ & κατωμάδιος dicitur, qui ex humeris
„ fertur, vel ex humeris pendet. Ita Baro-
„ nius in Notis ad Martyrol. die 15. Junii,
„ idque probat ex Suida, Hippocrate, &
„ Josepho. Sic de S.Vito puero, & de S.Eu-
„ lalia puella tredecim annorum, & de
„ S.Barida, aliisque, legimus eos fuisse ca-
„ tomatos, idest, more puerorum flagella-
„ tos. Secundo, eos, qui damnati erant ad
„ mortem, etiam liberos, quasi per damna-
„ tionem jam viles, & servos effectos, fla-
„ gellabant. Qua de causa Lictores Consu-
„ libus, & Præsidibus Romanis præfere-
„ bant fasces virgarum alligatas securi, ut
„ ab iis damnatos virgis flagellarent, &
„ deinde eis caput securi amputarent. Ter-
„ tio, Christus fuit a Pilatu flagellatus, non
„ postquam ab eo fuit damnatus ad mor-
„ tem, crucifixionis, & mortis causa, sed
„ ante, ut scilicet Pilatus flagellationis
„ atrocitate leniret feroces Judæorum ani-
„ mos, & emendatum dimitteret. Hæc ta-
„ men flagellatio effecit, ne denuo Chri-
„ stus post condemnationem more Roma-
„ no condemnaretur. Nam non bis, ut
„ aliqui volunt, sed semel tantum flagella-
„ tum fuisse Christum, patet, si quis con-
„ ferat Matthæum, & Marcum cum Joan-
„ ne; omnes enim de una eademque fla-
„ gellatione loquuntur. Quarto, S.Hiero-
„ nymus in epitaphio Paulæ, S. Paulinus
„ epist. 34., Prudentius, & alii veteres,
„ quos citat noster Iacobus Greiserus lib. 1.
„ de Cruce, testantur Christum, ut flagel-
„ laretur, astrictum fuisse columnæ, (per-
„ peram ergo id ridet Calvinus) quam Be-
„ da vocat marmoream, quæ deinde Ro-
„ mam translata, in templo S.Praxedis vi-
„ situr. Est ea humilis altitudine trium
„ palmorum, ne si altior foret, flagellato-
„ res impedivisset, ut Christum utrimque,
„ idest, tam ante, quam retro, tam in pe-
„ ctore, quam in dorsu, flagellare possent.
„ Graphice modum, quo Christus per bra-
„ chia, & manus astrictus fuit columnæ, &
„ flagellatus, in imagine intuendum exhi-
„ bet Iacobus Bosius lib. 1. de Cruce trium-
„ phante cap. 13., & Daniel Mallonius de
„ stigmat. S. Sindonis pag. 68. Audi Hie-
„ ronymum hic: *Traditus est Jesus militibus*
„ *verberandus, & illud sacratissimum corpus,*
„ *pectusque Dei capax flagella secuerunt. Hoc*
„ *autem factum est, ut, quia scriptum erat:*
„ *Multa flagella peccatorum, illo flagellato,*
„ *nos a verberibus liberaremur, dicente Scri-*
„ *ptura ad virum justum: flagellum non ap-*
„ *propinquabit tabernaculo tuo*. Porro Ro-
„ mana columna exigua est: unde nonnul-
„ li cum Pancirolo censent, illam non es-
„ se integram, sed partem dumtaxat, scili-
„ cet, basim, vel capitellum. Columna
„ enim hæc videtur fuisse ingens; nam ut
„ ait S. Hieronymus in Epitaphio S.Paulæ,
„ porticum Ecclesiæ sustinebat: *Ostendeba-*
„ *tur illi*, inquit, *columna, Ecclesiæ porti-*
„ *cum sustinens, infecta cruore Domini, ad*
„ *quam vinctus dicitur, & flagellatus*. Bo-
„ sius tamen lib. de Cruce, vult, co-
„ lumnam S. Praxedis non esse par-
„ tem, sed integram, S. Hieronymum
„ vero loqui de alia columna, ad quam
„ prius flagellatus fuerit Christus; bis
„ enim eum fuisse flagellatum, indicat
„ S.Chrysostomus. Aliam quoque fuisse,
„ asserit inscriptio columnæ S. Praxedis
„ Romæ. Baronius hic tacet, & dissimu-
„ lat. Porro S.Hieronymo consentit Pru-
„ dentius in hymno. Sic & columnæ, ad
„ quas alligati SS.Petrus, & Paulus, flagel-
„ lati fuere de more ante necem, altæ sunt,
„ & altitudinem hominis æquant, vel su-
„ perant. Extant illæ Romæ apud Carme-
„ litas in Ecclesia S.Mariæ Transpontina.
„ Quare dicendum videtur, columnam
„ hanc minorem in Ecclesia S.Praxedis,
„ partem, vel appendicem esse majoris,
„ quam nominat S.Hieronymus, & Pru-
„ dentius; aut certe unam earum esse illam,
„ ad quam noctu in domo Caiphæ alliga-
„ tus Christus, a famulis Pontificum petu-
„ lanter fuit illusus, atque alapis, cola-
„ phis, forte etiam virgis, bacillis, vel lo-
„ ris flagellatus; alteram vero esse illam,
„ ad quam in Prætorio Pilati per diem
„ idem fuit flagellatus, uti multi contem-
„ plativi opinantur: teste Joanne Severa-
„ no lib. de septem Romæ Basilicis, in Ec-
„ clesia S.Praxedis. Quæres quam dira,
„ & atrox fuerit hæc Christi flagellatio?
„ Respondeo, id primo, æstimari posse
„ ex eo quod Christus, ut jam dixi, astri-
„ ctus fuerit humili columnæ, ut toto cor-
„ pore super eam eminens omnino esset ad
„ libitum flagellantium. Adde, vel solam
„ virginei & castissimi corporis Christi co-
„ ram obscœnis scurris, illusoribus, & San-
„ nionibus hisce denudationem, ingentem
„ illi fuisse afflictionem. Bis vero, vel, ut
„ alii, ter nudatus fuit Christus; scilicet
„ primo, ad flagellationem: secundo, ut
„ aliqui dicunt, ad coronationem, idque
„ cum maximo dolore; vestis enim vulne-
„ ribus flagellorum adhærens, & quasi ag-
„ glutinata, ab iis vi cum vulnerum reno-

„ Var-

„ vatione abstrahi debuit: tertio ad crucifixionem. Quocirca hac Christi nudati consideratione, & exemplo animati Quadraginta Martyres ad gelidum stagnum damnati, alacres se vestibus nudarunt, & in stagnum insilierunt. Voces enim eorum hæ erant, ait S.Basilius homilia de quadraginta Martyribus: *Quas Domino, qui pro nobis est spoliatus, dignas gratias reddemus? Quid magnum servo, si ea, quæ passus est Dominus, subeat? Nos causa fuimus, ut illi vestis detraheretur, longe magis quam militum audacia, qui eam diripuere, ac sortiti sunt. Durum profecto frigus, sed dulcis Paradisus: affligens glacies, sed delectabilis requies. Brevi tempore durantes sinus Abraham nos perpetuo fovebit. Incendatur frigore pes, ut cum Angelis continuo saltet. Unam noctem cum ævo sempiterno commutabimus. Torpescat frigore manus, ut facultatem habeat in Deum attollendi*. Secundo ex eo quod Pilatus per hanc flagellationem omnibus criminibus, Christo objectis, & odio insatiabili Judæorum in Christum satisfacere, ac eos ad Christi commiserationem flectere voluerit, dicens: *Ecce Homo*; quasi dicat jam non habet speciem hominis, sed ovis, vel bovis jugulati, totoque corpore cruentati, & deformati. Tertio, ex militum, & quidem plurium petulantia, quæ tanta fuit, ut in jussu Pilati, ipsi sua sponte, & protervia Christum spinis coronarint. Forta etiam Judæi eos pecunia corruperunt, ut acrius in Christo verberando sævirent. B.Magdalena de Pazzis, Sanctimonialis Florentina, sanctitate, & revelationibus celebris, in extasi cognovit Christum a triginta paribus hominum, idest, a sexaginta ministris fuisse flagellatum, cum alii aliis, novi recentesque succederent. Ita habet ejus vita parte 6. pag. 532. quæ si simpliciter ut sonant, accipiantur, mira, & horrenda sunt. Nonnulli tradunt, Christo inflicta fuisse hac flagellatione, quinque millia verberum: nam S. Brigittæ revelatum dicitur, Christo tota passione inflicta fuisse vulnera 5475. vulnerum autem longe maxima pars illi inflicta fuit ex flagellatione. Naturaliter ex tot verberibus mori sæpius debuisset Christus, sed Deitas carnem sustentabat, ut plura pati, & tandem crucifigi posset. Verum numerus hic incertus est, & a variis varie assignatur. Quarto, ex complexione Christi, quæ fuit optima, delicatissima, & acutissimi sensus; tactusque, utpote formata a Spiritu Sancto: quare Christus longe magis sensit verberum ictus, quam nos sentiamus. Quinto, quia Prophetæ, æque ac Christus, flagellationem hanc velut gravem, & acrem prædixerunt, ut patet Matthæi 20.19. Job 16. 15. *Concidit me*, inquit, *vulnere super vulnus*, quasi dicat, plagas plagis, vulnera vulneribus addiderunt, ut totum corpus concisum unum continuum videretur esse vulnus. Psalm. 72. 14. *Et fui flagellatus tota die*. Et psalm. 128. 3. *Super dorsum meum fabricaverunt peccatores*, idest, quasi fabri dorsum meum, quasi incudem contuderunt. Hebræum est חרשן hharescu, quod verti potest, *araverunt aratores dorsum meum*, idest, flagellis sulcos in dorso duxerunt, sicut aratro sulci ducuntur in agro. Unde Aquila, & Theodot. vertunt, *produxerunt, sive in longum protraxerunt sulcum suum*. Idem indicat illud Jacobi Genes. 49. 11. *Lavit in vino stolam suam, & in sanguine uvæ pallium suum*. Per stolam, & pallium carnem demonstrans, & per vinum sanguinem, ait Tertullianus lib. 4. contra Marcion. Sexto, quia Christus flagellis, idest, funiculis, vel more servorum cæsus est. Addit Paulus a Palatio hic, penes quem sit fides, traditum a gravissimis Authoribus, Christum flagellatum fuisse primo, virgis spineis: secundo chordis cum stimulis ferreis: tertio catenis aduncis. Flagella enim olim multiplicia erant; scilicet lora, sive corrigiæ, ex corio arsectæ, fustes, virgæ ex betula, ulmo, salice, quercu, vite; nervi, plumbatæ, & scorpiones, uti ostendit Antonius Gallonius de cruciatu Martyrum cap. 4. Porro quid sint Scorpiones, explicat S.Isidorus Etymol. lib. 6. cap. ultimo, inquiens: *Virga sunt extremitates frondium, arborumque: si levis, virga est; si autem nodosa, vel aculeata, scorpio rectissimo nomine vocatur, quia arcuato vulnere in corpus infligitur*. Denique S.Brigitta tradit, B. Virginem interfuisse flagellationi Christi, cujus dolor, & mæror mirum in modum auxit dolorem Christi. Porro modum, & atrocitatem flagellationis Christi ita ex revelatione B. Virginis describit S.Brigitta lib. 1. Revel. cap. 10. *Deinde ductus ad columnam personaliter se vestibus exuit. Personaliter ad columnam manus applicuit, quas inimici sine misericordia ligaverunt. Alligatus autem nihil omnino operimenti ha-*

„ *habebat, sed sicut natus est, sic stabat, & patiebatur erubescentiam nuditatis suæ. Consurrexerunt autem inimici ejus, qui, fugientibus amicis suis, undique astabant, & flagellabant corpus ejus, ab omni macula, & peccato mundum. Ad primum igitur ictum, ego, quæ astabam propinquius, cecidi quasi mortua, & resumpto spiritu, vidi corpus ejus verberatum, & flagellatum usque ad costas, itaut costæ ejus viderentur. Et quod amarius erat, cum retraherentur flagella, carnes ipsis flagellis sulcabantur. Cumque filius meus totus sanguinolentus, totus sic laceratus stabat, ut in eo non inveniretur sanitas, nec quid flagellaretur, &c.* Et lib.4. cap.70. *Deinde jubente Lictore, seipsum vestibus exuit, columnam sponte amplectens, reste ligatur, & flagellis aculeatis, infixis aculeis, & retractis, non evellendo, sed sulcando, totum corpus ejus laceratur. Ad primum igitur ictum ego quasi corde percussa, sensibus abducor, & post tempus evigilans, corpus ejus laceratum video, toto enim corpore nudus erat, cum flagellaretur.* Ratio a priori fuit, quod Christus nostras voluptates, concupiscentias, scelera que omnia, quæ plurima, & gravia erant, hac flagellatione luere, & expiare voluerit: qua in re: *Non solum attendis*, ait S. Thomas 3.p. q.46. a 6. ad 6. *quantam virtutem dolor ejus haberet ex divinitate unita, sed etiam quantum dolor ejus sufficeret secundum humanam naturam ad tantam satisfactionem.* Insuper mereri voluit Martyribus omnibus robur, & vires, ad flagellationes quaslibet fortiter tolerandas. Unde Isaias de eo cap. 53. 5. ait: *Non est species ei, neque decor. Et vidimus eum, & non erat aspectus, &c. virum dolorum, & scientem infirmitatem, &c. Et nos putavimus eum quasi leprosum, & percussum a Deo, & humiliatum.* „

Hæc non ex nobismetipsis scribere voluimus, sed ex aliorum verbis referre; ut videant Legentes quæ circa Christi passionem, non ex nimia credulitate ducti, nec ex immoderata critica seducti, aut admittant, aut inficientur, & quæ admitti non debent, & inficiari non possunt. Alia enim ratione ducuntur, qui Passionis mysteria mystice meditantur, alia qui theologice exponunt.

Pro Coronæ spineæ tandem impositione, ac gestatione, hæc inquirenda offeruntur. I. Quæ, & qualis fuerit hæc spinea corona? II. Quibus circumstantiis coronatio hæc facta fuerit? III. Quas ob caussas milites capiti ejus coronam de spinis imposuerint?

Ad I. Quæsitum Joannes cap. 19. hæc scribit: *Et milites plectentes coronam de spinis, imposuerunt capiti ejus, & veste purpurea circumdederunt eum:* Matthæus cap. 27. *Tunc milites Præsidis suscipientes Jesum in prætorium, congregaverunt ad eum universam cohortem: & exuentes, eum, chlamydem coccineam, circumdederunt ei. Et plectentes coronam de spinis, posuerunt super caput ejus, & arundinem in dextera ejus; & genuflexo ante eum, illudebant ei, dicentes: Ave Rex Judæorum. Et expuentes in eum, acceperunt arundinem, & percutiebant caput ejus:* Marcus cap. 15. *Pilatus autem volens populo satisfacere, dimisit illis Barabbam, & tradidit Jesum flagellis cæsum, ut crucifigeretur. Milites autem duxerunt eum in atrium prætorii, & convocant totam cohortem; Et induunt eum purpura, & imponunt ei, plectentes spineam coronam; & cœperunt salutare eum: Ave Rex Judæorum. Et percutiebant caput ejus arundine, & conspuebant eum, & ponentes genua, adorabant eum. Et postquam illuserunt ei, exuerunt illum purpura, & induerunt eum vestimentis suis: & educunt illum, ut crucifigerent eum.* Ex quibus verbis trium Evangelistarum clare constat, impositam fuisse Christo coronam de spinis; sed quæ, & qualis fuerit hæc corona, Evangelistæ non explicant. Scriptores autem primo dixerunt, coronam ex spinis rhamni, aut rubi, fuisse contextam; secundo cinxisse frontem, & tempora ad instar vittæ. Nos autem dicimus, fuisse compositam ex acuminibus juncorum marinorum, quasi longissimis spinis, & quorum acumen adeo subtile, ac solidum est, ut facile penetret veluti subula corium quoque densissimum. Dicimus quoque non cinxisse tantum frontem, & tempora, instar vittæ, sed instar galeri, & pilei, obvolvisse quoque cranium integrum, & totam superiorem capitis portionem. Ita scripserunt Cardinalis Toletus, Pererius, Suarez, Serry, aliique communiter; quibus nos adhæremus. I. probatur ex spinis, quæ in pluribus Ecclesiis asservantur, & quæ oblonga, & acuta acumina habent, & terrestrium spinarum acuminibus duriora. II. probatur ex ipsamet corona spinea, quæ Parisiis in Æde Regia asservatur, & colitur; & quam illuc detulit S. Ludovicus IX. Galliæ Rex. III. probatur, quia hæc est differentia inter coronam,

nam, & diadema, quod diadema cingit tantum frontem, ac tempora, coronam autem obtegit totum caput. Spinarum numerum Suarez hæc dicendo exprimit; vel potius exprimi non posse, declarat: Hæc enim habet citato loco sect. 3. „ De „ numero vero spinarum, nonnulli affir- „ mant, fuisse duas, & septuaginta; alii „ plures; alii vero pauciores: quo autem „ fundamento, vel traditione, hæc nitan- „ tur, non invenio, quia veteres Patres, „ agentes de hoc mysterio, nihil dicunt: „ omnes tamen intelligunt, illam coronam „ fuisse integram, ac circularem, quæ co- „ ronæ instar regiæ, totum undique caput „ Salvatoris ambiret. „

Ad II. quæsitum asserunt Hieronymus, Athanasius, Cyrillus, Chrysostomus, aliique, voluisse milites illudere Christo, ex eo quia sciebant, voluisse se facere Regem; Unde & spineam coronam capiti ejus, & sceptrum arundineum manibus, & chlamydem coccineam humeribus ejus imposuerunt. Hoc autem totum multis, & gravibus contumeliis, quæ fuerunt coronationis ejus circumstantiæ, adimpleverunt. Quarum prima est, quod eum adduxerunt in prætorium, ut in loco publico major ejus esset injuria, & deterior ignominia. Secunda, quod in loco illo eum spoliaverunt; an vestibus tantum exterioribus, an vero etiam intimis, non conveniunt Expositores; siquidem Origenes tract. 35. in Mathæum vult, eum tunc non solum fuisse spoliatum vestimentis extimis, sed etiam tunica inconsutili. Tertia contumelia fuit, quod Milites caput ejus arundine percutiebant, faciem alapis cædebant, & sputis aspergebant; quæ omnia memorat Evangelium. Addunt autem plures ex S.Bernardo tract. de Passione Domini, fuisse quoque illi avulsos capillos, & barbam; at Serry hanc alteram contumeliam non admittit; tum quia Evangelium de ea silet; tum quia tractatus ille de Passione Domini S.Bernardi legitimus fœtus non est, sed ei falso affictus. Quarta contumelia fuit, quod eum induerunt veste coccinea, coronarunt spinis, & dederunt arundinem pro sceptro, ac denique flectentes genua ante ipsum, interrogabant eum, quis ejus faciem percussisset?

Ad III. quæsitum, caussa fuit ex parte militum, ut eum irriderent, & Judæis rem gratam facerent; alii dicunt, ut Judæos averterent a morte, quam illi inferre procurabant, sicut in flagellatione intendit Pilatus. Caussas vero mysticas explicat Hieronymus in cap. 27. Matthæi: *Nos hæc intelligamus mystice, in chlamyde coccinea, opera gentium cruenta sustentat; in corona spinea, maledictum solvit antiquum: Spinas, & tribulos germinabit tibi,* Genes.3., *in calamo, venenata occidit animalia.* Unde asserit Suarez, quod ex parte Judæorum, & militum, caussa fuit Regnum Christi irridere, & Christum ipsum dolore, ac dedecore, afficere; ex parte vero Dei, & Christi, fuit divinæ justitiæ satisfacere pro peccatis, quæ cogitatione committuntur, & præcipue superbiæ, & ambitionis; juxta illud quod scribebat Tertullianus lib.de corona Militis cap. 14. *ex spinis in figuram delictorum, quæ nobis protulit terra carnis.*

Objiciunt I. Ex Evangelio Matthæi, & Marci, habetur, quod Christus Dominus fuit flagellatus post sententiam, a Pilato contra eum latam: ergo non semel, sed bis fuit flagellatus. Probatur antecedens. Verba Evangelii sunt: *Videns Pilatus, quia nihil proficeret, tradidit illis Jesum flagellis cæsum, ut crucifigeretur:* ergo antequam crucifigeretur, & post crucifixionis sententiam, fuit denuo flagellatus. II. Hieronymus in cap. 27. Matthæi refert, morem fuisse Romanis flagellandi eos, qui pœna capitis damnati fuerant: ergo post sententiam mortis Christus fuit a militibus flagellatus. III. Si flagellatio fuit facta, ut esset via ad mortem, adeoque facta post mortis sententiam: ergo flagellatio non fuit acerbissima; aliter Christus potuisset sub flagellis mori, & hoc pacto pœna mortis crucis, contra ipsum lata, non potuisset exequutioni demandari. IV.Si corona spinea fuisset tam atrox, ut a nobis descripta est, facillime potuisset Christus sub pœna illa mori, & sic non poterat mori in cruce, ut Judæi petebant, & Pilatus intendebat: ut voluntati eorum satisfaceret. V. Christus in coronatione non fuit denudatus quemadmodum fuit in flagellatione: ergo majorem ignominiam in flagellatione, quam in coronatione, sustinuit. VI. Matthæus chlamydem, qua indutus est Christus in coronatione, vocat coccineam, Marcus vero, & Joannes, vocant purpuram: ergo discordantia est inter Evangelistas.

Respondemus ad I., quod Evangelistæ Matthæus, & Marcus, non dicunt, quod Pilatus tradidit Jesum ad flagellandum, vel ut flagellaretur, sed tradidit flagellatum:

tum; ergo antecedenter fuit flagellatus, & quidem antequam mortis sententia in eum a Pilato inferretur; quod pariter diximus in probationibus. Subdit Suarez quod Joannes ante sententiam narrat, Christum fuisse flagellatum, spinis coronatum, & a militibus illusum; quæ omnia Matthæus & Marcus post sententiam referunt. Proinde necesse est ut dicamus, omnia hæc fuisse ab Evangelistis narrata per recapitulationem.

Ad II. Quanvis concedamus, morem illum fuisse Romanis flagellandi eos, qui pœna capitis plectendi erant; attamen cum Christus fuisset ante sententiam flagellatus, putarunt hanc flagellationem fuisse satis; & hoc vel ex eo præcipue, ne Christus sub reiterata flagellatione moreretur, & sic non posset cruci affixus mori.

Ad III. Judæi dubitabant, ne Pilatus Christum mortis supplicio damnaret; unde ut eum per aliam viam vita privarent, conati sunt, ut adeo atrociter flagellaretur, quod sub flagellis deficeret, & obiret. Proinde plures dicunt, eos pecuniam dedisse flagellatoribus, ut Christum atrocissime verberarent.

Ad IV. respondet Suarez verbis hisce: „ Non esse hoc necessarium, quia non est „ intelligendum, spinas illas craneum capi„ tis perforasse, sed solam carnem, & pel„ lem, quæ est in capite, & verisimile est „ spinas ita fuisse infixas per superiorem „ capitis partem, ut per inferiorem sangui„ ne conspersæ prodirent; atque hac ratio„ ne fortiter in carne infixæ hærerent. Un„ de necesse erat, vehementem sequi dolo„ rem, præsertim quando venas simul, & „ nervos trajecissent „.

Ad V. Aliqui dixerunt, fuisse denudatum; nos diximus fuisse tantum vestimentis extimis exutum; & nihilominus non per hoc non fuit atrocissima coronatio, quia facta fuit in capite, quæ est pars nobilissima totius corporis, & aliarum partium delicatissima, ac tenerrima; & quia nunquam fontes in capite fuerunt vexati, ac cruciati; ideo etiam propter hoc in Christo hujuscemodi pœna fuit nova, inusitata, ac atrocissima.

Ad VI. Quanvis coccus, & purpura, si in rigore sumantur, diversa sint; ut legitur apud Plinium lib. 9. cap. 35., & 36., & lib. 21. cap. 8., nihilominus similitudinem habent coloris, & propter hanc similitudinem interdum unum pro alio usurpatur; unde in præsenti, dicit Suarez, nihil aliud significant, quam vestem rubei coloris, aptam ad ludricam illam Regni Christi repræsentationem, quia purpura Reges, & Imperatores uti solebant. Proinde Ambrosius in cap. 23. Lucæ eam vocat chlamydem coccineam, & purpuream tunicam.

DISSERTATIO CCXLIII.

De Passione Christi. De mortis sententia, in Christum lata. De Crucis forma, materia, ac gestatione. Et de Imagine, quæ dicitur Veronica.

De his omnibus agit Serry in Exercit. 53. Et quidem de mortis sententia, in Christum lata, tria quæri possunt; I. An Pilatus se abstinuerit a ferenda in Christum mortis sententia, & eum Judæorum arbitrio reliquerit? II. An apud Judæos Crucis supplicium in usu fuerit? III. Quam iniqua fuerit sententia in Christum lata, tum ex parte Pilati, tum ex parte Judæorum?

Ad I. Quæsitum putarunt nonnulli, dicendum esse ex testimonio Chrysostomi orat. de elemosyna, & Lactantii lib. 4. Instit. cap. 8., Pilatum a ferenda in Christum mortis sententia se temperasse, eumdemque Judæorum arbitrio simpliciter permisisse. At nos dicimus, Pilatum revera Christum condemnasse, & mortis sententiam in ipsum pronunciasse. I. probatur; Ideo Adversarii dicunt, quod Pilatus in Jesum mortis sententiam non tulit, quia Judæis dixerat, ut Evangelium narrat: *Accipite eum vos, & secundum Legem*

gem vestram judicate; sed hæc verba intentum Adversariorum non probant: ergo &c. Probatur minor. Judæi ad verbe illa Pilati responderunt: *Non licet nobis interficere quemquam*; & hoc dixerunt, tum quia cognoscebant judiciorum capitalium potestatem fuisse sibi a Romanis ademptam; tum quia nolebant in Paschali solemnitate judicium mortis ipsimet ferre, sed ab alio ferri desiderabant, ac petebant; & tunc Pilatus, ut testatur Lucas cap. 23., sedens pro tribunali, *adjudicavit fieri petitionem illorum*; hoc est pronunciavit, Jesum suffigendum cruci, prout Judæi ingentibus clamoribus postulabant; Et hæc est communis Sanctorum Patrum interpretatio. II. probatur; quia Christus prædixit sententiam mortis in seipsum a Pilato ferendam, quando Lucæ 18. discipulis suis dixit: *Filius hominis tradetur Gentibus ad crucifigendum*; Gentibus, hoc est homini Gentili, qui Pilatus erat. III. probatur ex Cornelio Tacito in Annalibus, ubi loquens de Christianis, & illorum Authore, scribit: *Author hujus nominis Christus, qui Tiberio imperitante, per Procuratorem Pontium Pilatum, supplicio affectus est*.

Ad II. Quæsitum; quatuor suppliciorum genera apud Judæos in usu erant; nimirum lapidatio, vivicompurium, strangulatio, seu occisio per laqueum, & decollatio, seu occisio per gladium. Romani autem in usu habebant supplicium Crucis, quanvis esset adeo atrox, ut Cicero orat. in Verrem merito exclamaret: *Facinus est vincire Civem Romanum, scelus verberare, prope parricidium necare; quid dicam in Crucem tollere? Verbo satis digno res tam nefaria exprimi nullatenus potest*. Leguntur quidem in Scripturis veteris Testamenti aliqua crucifixionis exempla, sed, ut ait Serry, aliena plane sunt, & peregrina. Ita Hai Rex dicitur suspensus patibulo, seu cruce, Josue mandante, Josue 8., & quinque Reges Chananæorum dicuntur pariter suspensi super quinque stipites, Josue 10., at hoc non fuit secundum Judæorum morem, sed secundum consuetudinem Barbararum Nationum, e quibus erant homines illi, Cruci affixi. Similiter Septem Filii Saul fuerunt crucifixi 2. Regum 21., at non a Judæis, sed a Gabaonitis, *qui non erant de filiis Israel, sed reliquiæ Amorrhæorum*.

Ad III. Quæsitum dicimus, Christum Dominum iniqua, & injusta sententia fuisse a Pilato damnatum ad Crucis supplicium, Judæis pertinaciter illud exposcentibus. I. probatur, ex 1. Epistola Petri cap. 2. *Tradebat autem judicanti se injuste*, explicat Suarez 3. p. q. 48. ar. 8. disp. 36. sect. 1. idest, permittebat se tradi Judici, qui injuste eum judicaturus erat. II. quia hæc sententia fuit injusta tam ex defectu jurisdictionis, quam Pilatus supra Christum non habebat, tam ex defectu ordinis Judiciarii, qui in hac gravi caussa nullo modo fuit servatus, tam denique ex defectu æquitatis, quam omnem præterivit Pilatus, flagellans Christum, permittens, spinis coronari a militibus, & postremo illum damnans, ut crucifigeretur; quæ omnia exorbitantia fuissent, etiam in homine facinoroso, & vere reo, quanto magis autem in homine, quem Pilatus paulo ante innocentem judicaverat, dicens: *nullam invenio in eo causam?*

Opponunt I. Deuteronomii 21. legitur: *Quando peccaverit homo, qui plectendus est, & adjudicatus morti, appensus fuerit in patibulo, non permanebit cadaver ejus in ligno*: ergo crucis supplicium in usu erat apud Judæos. II. Josephus lib. 1. de bello Judaico cap. 3. refert, *Alexandrum, Joannis Hirchani filium, octingentos captivos in media Civitate crucifixisse*: ergo mos crucifigendi Sontes adhuc apud Judæos invalebat. III. Levitici 24. habetur: *Qui blasphemaverit nomen domini, morte morietur: lapidibus obruent illum omnis multitudo, sive ille cives, sive peregrinus fuerit*: sed Judæi accusabant Christum, quod Deum blasphemasset: ergo Judæi volebant, Christum non Cruci affigi, sed lapidibus obrui; & ideo Joannis 19. dicebant: *Nos legem habemus, & secundum legem debet mori, quia filium Dei se fecit*. IV. Verba illa I. Epistolæ Petri cap. 2. *Tradebat autem judicanti se injuste*; Græcus Textus legit: *judicanti se juste*: ergo judicium Pilati non injustum, sed justum fuit. V. Supplicium Crucis debebatur Barabbæ: ergo Judæi petentes a Pilato, quod Barabbam dimitteret, & Jesum condemnaret, petebant quoque, ut Jesum illo supplicio afficeret, quo afficiendus erat Barabbas. Antecedens patet; ait enim Suarez cit. loco: „ Notant etiam aliqui, Judæos
„ solitos esse homicidas crucifigere: Roma-
„ nos vero famosos latrones. Unde hoc
„ supplicium duplici titulo Barabbæ de-
„ bitum erat, qui & homicida erat, & latro
„ (ut Evangelium testatur.) Quoniam er-
„ go Judæi Barabbam Christo prætule-
„ rant, in eum transferendum putarunt

gustino tract. 113. in Joannem, & a Cyrillo lib. 12. cap. 1. & rationem addit Suarez dicens: „ Quia non legimus, Petrum negasse dissentiendo, sed solum exterius negando; imo neque exterius negavit Christum esse Deum, vel Messiam, sed solum se nosse illum, sequutumve fuisse. Hoc autem peccatum directe est contra confessionem fidei, non contra fidem; unde non expellit fidem, sed charitatem. Sicut qui exterius negat se esse Christianum, non negat fidei veritatem, sed in ejus confessione deficit; non est autem cur Petro imponamus illud peccatum „. Tertiam denique Conclusionis partem Evangelistæ expresse testantur, & præcipue Lucas, quando dicit: *Et conversus Dominus respexit Petrum*. Dubitatur inter Patres, & Expositores, an Christus interiori tantum, & spirituali intuitu, an vero etiam corporali respexerit Petrum? Augustinus lib. 3. de consensu Evangelistarum cap. 6., & lib. 1. de gratia Christi cap. 45. stat pro interiori aspectu, quem dicit, fuisse auxilium, quo Christus Petrum ad pœnitentiam excitavit; quem sequitur Leo Magnus serm. 9. de passione, & Beda lib. 6. in Lucam cap. 22. Chrysostomus autem homil 86. in Matthæum, Euthymius cap. 66. in Matthæum, Theophylactus in cap. 22. Lucæ; Maximus Turonensis h. mil. de negatione Petri, intelligunt etiam de corporali aspectu, & hoc eo vel maxime, quia Lucas non tantum dicit: *Et Dominus respexit Petrum*, sed dicit etiam: *Et conversus Dominus, respexit Petrum*.

Ad alteram modo Dissertationis partem devenientes, quæ est de flagellationis pœna, tria possunt circa ipsam inquiri. I. Quoties fuerit Christus flagellatus? II. Qua de caussa Pilatus flagellaverit Christum? III. Quam gravis, atrox, & crudelis fuerit flagellatio? Et quidem hæc tria dubia excitantur a Suarez, ex scribente in principio sectionis 2. citato loco: „ Quod Christus Dominus jussu Pilati sit flagellatus, expresse referunt Matthæus, Marcus, & Joannes. An vero de eadem flagellatione loquantur, non constat, quia Matthæus, & Marcus significant, fuisse flagellatum, postquam sententia mortis fuit in eum prolata, sic enim ajunt: *Videns Pilatus, quia nihil proficeret, tradidit illis Jesum, flagellis cæsum, ut crucifigeretur*: at vero Joannes cap. 19. aperte dicit, eum fuisse flagellatum ante sententiam mortis, in eum latam. Ex qua diversitate oritur ratio dubitandi: an fuerit bis flagellatus (ut quidam volunt) semel ante sententiam, iterum vero post illam, vel si semel, an ante sententiam, & Marcus, & Matthæus loquuti fuerint per recapitulationem; an vero post sententiam, & Joannes loquutus fuerit per anticipationem: Et hinc oritur alia dubitatio, quæ fuerit ratio hujus flagellationis. Hieronymus enim Matthæi 27. refert, fuisse Romania consuetudinem eos prius flagellandi, qui pœna capitis damnandi forent; quod si Christus ob hanc solam caussam flagellatus est semel, post sententiam latam flagellandus fuit. Lucas autem, quamvis flagellorum expresse mentionem non fecerit, tamen illis verbis, *Corripiam eum, & dimittam*, ea significavit, ut notavit Euthymius, & ita ex his verbia colligunt Cyrillus. Augustinus, Chrysostomus. Theophylactus, Euthymius, & alii Expositores, Pilatum flagellasse Christum, ut aliqua ex parte satisfaceret furori Judæorum, eumque posset a morte liberare. Quod etiam indicavit Joannes, referens post flagellationem exiisse Pilatum, & ostendisse Judæis Christum, atque dixisse: *Ecce homo, nullam invenio in eo caussam*. Et juxta hæc, necesse est, fuisse flagellatum ante sententiam. Quod si flagellatus etiam fuit propter priorem caussam, ut sentit Hieronymus, & Matthæus indicat, sequitur bis esse flagellatum. Tertio hinc oritur alia dubitatio de acerbitate flagellationis. Nam si solum est facta tanquam via ad mortis supplicium, credendum est, non fuisse valde acerbam: sed pro consuetudine, & more Romanorum. Si autem facta est animo satisfaciendi Judæis, ut essent contenti illa pœna, fit verisimile, fuisse acerbissimam ad placandos Judæorum animos „.

Ad I. Quæsitum dicimus, Christum Dominum fuisse flagellatum ante sententiam, in eum latam, & non amplius. I. probatur; quia Joannes id asserit expresse, distinguens ordinem rerum, & dicens, quod post flagellationem Pilatus Jesum condemnaverit; unde non habet locum anticipatio, quam Adversarii excogitarunt. Et post flagellationem, & post sententiam mortis, quam exprimunt Evangelistæ verbis illis: *Tunc ergo tradidit eis illum, ut crucifigeretur*, immediate subdunt: *Susceperunt autem Jesum, & eduxerunt*, quæ leguntur Joannis 19., ergo post sententiam mortis non fuit denuo Christus flagel-

gellatus, sed statim ductus est, ut crucifigeretur. II. Matthaei 27. legitur: *Tunc dimisit illis Barabbam, Jesum autem flagellatum tradidit eis, ut crucifigeretur.* Et Marci 15. *Pilatus autem volens Populo satisfacere, dimisit illis Barabbam, & tradidit Jesum flagellis caesum, ut crucifigeretur.* Quibus verbis, observat Suarez, non dicunt, flagellasse Jesum, ut crucifigeretur; sed Jesum jam flagellatum tradidisse, ut crucifigeretur, quod verum erit, etiam si multo antea Christus esset flagellatus.

Ad II. Quaesitum dicimus, Pilatum flagellasse Christum, ut Judaeis satisfaceret: Christum vero flagellari voluisse, ut satisfaceret Patri. Prima pars probatur; quia Judaei nunquam petierunt flagellationem Christi, & Pilatus illam jussit, ut Judaeos averteret a desiderio mortis, quam Christo inferri volebant. Et quidem Pilatus hanc poenam elegit, tum quia extra poenam mortis, aut mutilationis, nulla erat in usu gravior, & majoris doloris; tum etiam, quia nulla erat majoris ignominiae; erat enim poena servorum; tum denique, quia haec poena non excludebat poenam mortis, quanvis Pilatus judicaret, potuisse illa Judaeos contentos facere. Secunda pars probatur etiam ex Scripturis, nempe Isaiae 53. *Posuit Dominus in eo iniquitatem omnium nostrum.* Et infra: *Vulneratus est propter iniquitates nostras, disciplina pacis nostrae super eum.* Psalm. 128. *Supra dorsum meum fabricaverunt peccatores, prolongaverunt iniquitatem suam.* Psalm. 34. *Congregata sunt super me flagella, & ignoravi.* Psalm. 37. *Et ego in flagella paratus sum.* Isaias cap. 50. *Corpus meum dedi percutientibus.* Psalm. 72. *Et castigatio mea in matutinis.*

Ad III. Quaesitum dicimus, Christum fuisse graviter flagellatum. I. probatur. Pilatus ideo flagellavit Christum, ut satisfaceret Judaeis, mortem Christi petentibus: ergo talis debebat esse flagellatio, ut mortem Christi compensaret, & Judaeos, illam petentes, placatos, atque contentos, redderet. II. quia Christus semper quod de sua passione loquebatur, flagellationem primo loco ponebat; unde legitur Matthaei 20. *Tradetur gentibus ad flagellandum*, & pariter praedictum fuerat Psalm. 72. *Fui flagellatus tota die*, subdit Suarez, quod aliqui explicant, dictum esse propter magnitudinem flagellationis, ita crudeliter factae, ac si esset tota die flagellatus. Non est ergo verisimile, quod quidam dicunt, tantum quadraginta plagas, una minus, juxta consuetudinem Judaeorum accepisse. Haec Suarez; III. probari posset ex circumstantiis flagellationis; sed quia in his Scriptores discordant; ideo ipsorum verba afferemus, & probabiliorem sententiam eligemus.

Primo Serry haec de flagellatione Christi exercit. 52. num. 4., & sequentibus scribit: „ Poenae hujus atrocissimae Christo inflictae „ occasione, multa conficta video, & pro „ arbitrio excogitata, de Lictoribus Christum caedentibus, de plagis impositis, de „ instrumentis, aliisve modis, quibus laniena illa perfecta est: de quibus tamen in „ Evengelio, & in Ecclesiae Patribus altissimum silentium est. Certe nihil simplicius verbis evangelicis: *Apprehendit Pilatus Jesum, & flagellavit*, inquit Joannes cap. 19., ac nihil ultra praeterea. „ *Jesum flagellatum tradidit eis*, inquit Matthaeus cap. 26., ac nihil amplius. Marcus „ demum: *Tradidit Jesum, flagellis caesum*, „ cap. 15. Quaecunque ergo a piis contemplatoribus ex proprio cerebro adjiciuntur, incerta, dubia, ac etiam magna ex „ parte falsa sunt. Lictores in primis Christum caedentes bini, terni, atque quaterni quandoque finguntur; Pictoribus nostris fabulam illam penicillo explicantibus. Imo legi, qui Christum a sexaginta „ Lictoribus caesum scripserint. Perperam „ sane, & ignoranter. Pilatum enim Tiberii Imperatoris administrum judicium „ Romano more tulisse, & verberum poenam indixisse, testatur S. Hieronymus, „ suadetque ratio ipsa. Ex jure autem, & „ more Romano Lictor unicus totum illud „ ferale ministerium obibat. Nota sunt haec „ in parte Romanorum solemnia: *I Lictor*, „ *colliga manus, caput obnubito, virgis caedito*. Quin etiam apud Judaeos Lictor unicus caedendi officio defungebatur: ut ex „ libro Misna ostendit Buxtorfius in Synagoga Judaica cap. 20. Hinc intelligere „ facile est, commentitium & illud esse, „ quod de inflictorum vulnerum numero „ narratur a multis: illum scilicet, ad quinquies mille quadrigenta septuaginta „ quinque ascendisse. Equo tandem modo? „ Si enim Lictor unicus cruento illo Ministerio defungebatur, repugnat plane, virum unicum tot verbera brevi spatio dedisse. Ut sileam, nondum tunc, dum caesus est Christus: Pilatum illum tradidisse „ voluntati Judaeorum, ut in illum pro arbitrio saevirent; quod fecit postea: sed „ flagellis *caedendum indixisse dumtaxat, ad* „ *correctionem*, ut ajebat: Lucas 23. v. 16.

„ Verberum autem numerum apud Romanos a Judice fuisse definitum, non relictum Lictorum arbitrio. Certe si in viro Judaeo plectendo aliqua Judaicarum Legum ratio est habita, quadraginta verbera non excessit supplicium illud: nec plura a Pilato Judaei, tametsi crudeles, postulare poterant, ut ad illorum satietatem Christus Dominus caederetur. Lex quippe in Deuteronomio lata est cap. 25. v. 3. *Si eum, qui peccaverit, dignum viderint plagis, prosternent eum, & coram se facient verberari. Pro mensura peccati erit plagarum modus: ita dumtaxat, ut quadragenarium numerum non excedat.* Quam Legem etiam Christi aetate, ac deinceps servasse Judaeos, testis est Paulus Apostolus in epist. 2., ad Corinthios cap. 11., ubi se quinquies a Judaeis flagellis caesum scribit, attamen ut infra, quadraginta plagas steterit caesio quaelibet: *A Judaeis quinquies quadragenas, una minus, accepi.* Veriti enim Judaei, ne Lictores in ipso verberandi impetu constitutum a lege verberum numerum excederent, plagam unam demere soliti erant. Quae consuetudo ad Seniorum traditiones est referenda. Turpius hallucinantur, ac in ipsum Evangelii contextum peccant, qui inflictam Christo Domino verberum poenam obtendunt virgis spineis, & catenis aduncis: nempe ut supplicii hujus immanitatem exaggerent. Immane fuisse non negaverim, at quantum sit Evangelii veritas. Marcus autem Christum flagellis caesum asserit, non virgis spineis, non catenis: vocabula ipsa graeca φλαγελλῶ, & μάστιγξ, quae apud Matthaeum, Marcum, & Lucam occurrunt, caesionem notant, quae flagellis, & nodosis funiculis perficitur. Caeterum poena haec a Pilato viro Romano inflicta est Christo, quia apud Romanos vile servorum supplicium erat: cum contra caesio per virgas liberorum supplicium esset: ff. *de poenis*, L. *Servorum*, L. *Porcia*, & L. *Sempronia*. Aberrant demum turpissime, qui Christum secundo flagellis caesum obtendunt, ex quo nempe ad crucem subinde damnatus fuit, pro more, scilicet, Cruciariorum omnium. Quanvis enim ex fori Romani formulis, ea etiam aetate servari solitis, Cruciarii antea caederentur; quia tamen in Christo Domino jussu Pilati rabidam plebem delinire satagentis praecesserat emendatoria flagellatio, non ultra in illum eo supplicio saevitum est. Quod inde patet maxime, quia ea flagellationis formula ubi occurreret, in ipsa ad crucem deductione, vel sub ipsam crucifixionem, atque in ejus perficiendae momento servabatur, ut scribit Lactantius lib. 2. Instit. cap. 8. quo tempore nihil hujusmodi tentatum in Christum referunt Evangeliorum Scriptores; totamque passionis scenam in aliis occupatam repraesentant. Christum ad columnam caesum agnoscunt Patres, Gregorius Nazianzenus orat. 1. in Julianum, S. Hieronymus epist. 27. ad Marcellam, S. Paulinus epist. 34. Ac sic quidem more Romano solebat fieri: Plautus in Bacch. Act. 4. scena 7.

„ - - - - - - *abducite hunc*
„ *Intro, atque adstringite ad columnam*
„ *fortiter*.

„ Judaei contra, prostratos flagellabant, Deutoron. 25. v. 3. *Si eum, qui peccaverit, dignum viderint plagis, prosternent eum, & coram se facient verberari.* Columnam hanc a se conspectam, ait D. Hieronymus, Christi sanguine cruentatam: quam oblongam fuisse necesse est, utpote quae Sacram AEdem olim sustineret. Romae tamen in Templo S. Praxedis Martyris brevis admodum columna visitur; quam illam fuisse ajunt, cui Christus est alligatus. Et haec quidem ad supplicium inferendum accommodatior, quae tantum assurgat ad nates. Sic enim totum pene corpus flagellis patet, aut virgis. „

Secundo Suarez loco nuper citato, quae sequuntur de eadem flagellatione literis mandavit: „ Tertio, hoc explicatur ex circumstantiis hujus flagellationis, nam primo Christus, ut flagellaretur, alligatus columnae est, ut habet traditio. Nam haec columna dicitur Romae esse in Templo S. Praxedis, & Hieronymus epist. 27. sic inquit de locis Jerosolymitanis: *Ostendebatur illic columna, Ecclesiae porticum sustinens, infecta cruore Domini, ad quam vinctus dicitur, & flagellatus.* Quibus verbis significat columnam illam esse majorem ea, quae Romae conspicitur, & ideo fortasse illa Romana tantum est pars ejus columnae, nisi loquatur Hieronymus de inferiori porticu, quae humiliori columna poterat sustineri. Beda lib. 3. de locis Sanctis cap. 3. dicit in superiori planitie montis Syon aedificatam esse magnam Ecclesiam: *In cujus medio erat columna marmorea, cujus adhaerens Dominus flagellatus est.* Secundo flagellatus fuit Christus a militibus. Quod enim Joannes dicit: *Apprehendit Pilatus Jesum, & flagellavit*, non

„ est

„ est putandum, Pilatum manu sua flagellasse Christum, ut existimavit Beda lib. 4. in Marcum cap. 44. Id enim incredibile est; non enim erat officium illud Præsidis, cum vile, & infimum sit, & præter omnium gentium consuetudinem. Neque vero fingi potest, Pilatum aliqua ira percitum id fecisse; nam potius favebat Christo, & curabat eum eripere a manibus Judæorum. Dicitur ergo flagellasse illum, quia tradidit eum militibus, ut flagellarent. Unde conjectare licet eos magna vi adhibita eum verberasse, quod ex aliis convitiis, quibus eum affecere, non obscure colligitur. Et præsertim quia præter jussum Præsidis videntur illum spinis coronasse. Quod significavit Joannes, cum subdidit: *Et milites plectentes coronam de Spinis, &c.* Et verisimile etiam est, Judæos, qui aderant, Milites incitasse, & data etiam pecunia corrupisse, ut eum acrius verberarent. Tertio flagellum, ut Euthymius notat cap. 67. in Matthæum, erat e funiculis, aut loris contextum, & quidam dicunt habuisse in extrema parte ferrea quædam puncta, quæ carnem lacerarent; alii vero affirmant, etiam catenas fuisse loris admixtas. Quanvis alii dicant primo fuisse funibus crassioribus flagellatum: secundo additos esse ferreos Scorpiones: tertio catenis: quarto virgis spineis cæsum, non quod quater sit flagellatus, sed quod in eadem flagellatione hæc omnia instrumenta sint continenter intermixta. Sed hæc incerta sunt, quanvis dicantur ex quadam traditione referri ab iis, qui terram sanctam incolunt. Quarto de numero plagarum nihil invenio ab antiquis Patribus scriptum; multi tamen pii Scriptores, præsertim ex recentioribus, affirmant fuisse ultra quinque millia, quod aliquibus videtur incredibile, quia nec Judæi, nec Romani, consueverant ita flagellare, & quia tot verbera sufficerent ad necandum hominem. Cum ergo Pilatus flagellaret Christum, ne illum necaret, non est verisimile permisisse eum tam atrociter verberari. Et licet Ludolphus Carthus. in vita Christi 2. p. c. 58., & Eckius in serm. de passione Domini, & alii, referant, hoc fuisse revelatum cuidam feminæ; tamen neque hujusmodi revelationes feminarum cogunt nos, ut eas veras esse credamus, neque ibi dicitur plagas flagellorum, sed vulnera passionis eum numerum excessisse. Itaque hæc res incerta est. Unde licet verisimilius sit flagella multum excessisse quadragenarium numerum propter rationes adductas, & quia Christus non more Judæorum, sed Romanorum, flagellatus est: tamen quantus fuerit ille numerus, affirmare non possumus, quia neque in Evangelio habetur, neque in Scriptura, neque a Sanctis Patribus traditus est. „

Tertio Cornelius a Lapide ad cap. 27. Matthæi v. 26. hæc scribit: „ *Flagellatum*, græce φλαγελλώσας, idest cum flagellasset. Flagellationem Christi per compendium unico verbo more suo perstringit Matthæus. Fusius rei gestæ seriem enarrant Lucas, & Joannes, ex quibus liquet Pilatum, cum videret quartam suam instantiam ad liberandum Jesum, per collationem ejus cum Barabba non successisse: quintam acriorem addidisse, scilicet Christi flagellationem, ut ejus acerbitate odio Christi furentes Judæorum animos ad commiserationem flecteret, ut Jesu vitam condonarent. Dixit ergo Judæis: *Nullam causam mortis invenio in eo: corripiam ergo illum, & dimittam*, ut habet Lucas c. 23. 22. Moxque illum flagellari curavit. Nota primo, flagellationem apud Romanos fuisse vile supplicium servorum, sicut liberorum erat fustigatio, ut patet ff. de pœnis l. *servorum*. Idem patet ex l. *Porcia*, & *Symphronia*. Hinc Martyres ad ignominiam flagellabantur. Unde Paulus flagellatus Actor. 16. graviter expostulat, dicens: *Cæsos non publice, indemnatos, homines Romanos miserunt in carcerem, &c.* Hinc & in Actis nonnullorum Martyrum legimus: *Martyr catomo cædatur, aut virgis flagelletur*, id est, puerorum more tanquam fatuus puer (sicut a ludimagistris infantes verberari solent) vapulet. Unde Prudentius hymno in S. Romanum:

„ *Sublime*, inquit, *tollant, & manu pulsent nates*,
„ *Mox & remota veste virgis verberent.*

„ Sic S. Thomas Episcopus ad ignominiam virgis cæsus fuit, teste Victore Uticensi lib. 1. Vvandal., & S. Afra, uti habent ejus acta, quæ Velserus edidit, cæsa fuit catomis, idest, flagellis ad humeros; ὦμοι enim sunt humeri, sive scapulæ, quod vulgo dicimus dare ad scapulas, græce κατωμίους; unde catomus. Sic Homerus Iliade ψ ait Tydidem equos verberasse κατωμαδὸν id est secundum humeros, vel armos. Aut potius catomari idem est, quod in humeros alterius levari, ut more

„ puerorum in natibus vapulet; *κατωμίζω* enim idem est quod in humeros tollo; & *κατωμαδίας* dicitur, qui ex humeris fertur, vel ex humeris pendet. Ita Baronius In Notis ad Martyrol. die 15. Junii, idque probat ex Suida, Hippocrate, & Josepho. Sic de S.Vito puero, & de S.Eulalia puella tredecim annorum, & de S.Barida, aliisque, legimus eos fuisse catomatos, idest, more puerorum flagellatos. Secundo, eos, qui damnati erant ad mortem, etiam liberos, quasi per damnationem jam viles, & servos effectos, flagellabant. Qua de causa Lictores Consulibus, & Præsidibus Romanis præferebant fasces virgarum alligatas securi, ut ab iis damnatos virgis flagellarent, & deinde eis caput securi amputarent. Tertio, Christus fuit a Pilato flagellatus, non postquam ab eo fuit damnatus ad mortem, crucifixionis, & mortis causa, sed ante, ut scilicet Pilatus flagellationis atrocitate leniret feroces Judæorum animos, & emendatum dimitteret. Hæc tamen flagellatio effecit, ne denuo Christus post condemnationem more Romano condemnaretur. Nam non bis, ut aliqui volunt, sed semel tantum flagellatum fuisse Christum, patet, si quis conferat Matthæum, & Marcum cum Joanne; omnes enim de una eademque flagellatione loquuntur. Quarto, S.Hieronymus in epitaphio Paulæ, S. Paulinus epist. 34., Prudentius, & alii veteres, quos citat noster Iacobus Greiserus lib. 1. de Cruce, testantur Christum, ut flagellaretur, astrictum fuisse columnæ, (perperam ergo id ridet Calvinus) quam Beda vocat marmoream, quæ deinde Romam translata, in templo S.Praxedis visitur. Est ea humilis altitudine trium palmorum, ne si altior foret, flagellatores impedivisset, ut Christum utrimque, idest, tam ante, quam retro, tam in pectore, quam in dorso, flagellare possent. Graphice modum, quo Christus per brachia, & manus astrictus fuit columnæ, & flagellatus, in imagine intuendum exhibet Iacobus Bosius lib. 1. de Cruce triumphante cap. 13., & Daniel Mallonius de stigmat. S. Sindonis pag. 68. Audi Hieronymum hic: *Traditus est Jesus militibus verberandus, & illud sacratissimum corpus, pectusque Dei capax flagella secuerunt. Hoc autem factum est, ut, quia scriptum erat: Multa flagella peccatorum, illo flagellato, nos a verberibus liberaremur, dicente Scriptura ad virum justum: flagellum non appropinquabit tabernaculo tuo.* Porro Romana columna exigua est: unde nonnulli cum Pancirolo censent, illam non esse integram, sed partem dumtaxat, scilicet, basim, vel capitellum. Columna enim hæc videtur fuisse ingens; nam ut ait S. Hieronymus in Epitaphio S.Paulæ, porticum Ecclesiæ sustinebat: *Ostendebatur illi*, inquit, *columna, Ecclesiæ porticum sustinens, infecta cruore Domini, ad quam vinctus dicitur, & flagellatus.* Bosius tamen lib. de Cruce, vult, columnam S. Praxedis non esse partem, sed integram, S. Hieronymum vero loqui de alia columna, ad quam prius flagellatus fuerit Christus; bis enim eum fuisse flagellatum, indicat S.Chrysostomus. Aliam quoque fuisse, asserit inscriptio columnæ S. Praxedis Romæ. Baronius hic tacet, & dissimulat. Porro S.Hieronymo consentit Prudentius in hymno. Sic & columnæ, ad quas alligati SS.Petrus, & Paulus, flagellati fuere de more ante necem, altæ sunt, & altitudinem hominis æquant, vel superant. Extant illæ Romæ apud Carmelitas in Ecclesia S.Mariæ Transpontinæ. Quare dicendum videtur, columnam hanc minorem in Ecclesia S.Praxedis, partem, vel appendicem esse majoris, quam nominat S.Hieronymus, & Prudentius; aut certe unam earum esse illam, ad quam noctu in domo Caiphæ alligatus Christus, a famulis Pontificum petulanter fuit illusus, atque alapis, colaphis, forte etiam virgis, bacillis, vel loris flagellatus; alteram vero esse illam, ad quam in Prætorio Pilati per diem idem fuit flagellatus, uti multi contemplativi opinantur: teste Joanne Severano lib. de septem Romæ Basilicis, in Ecclesia S.Praxedis. Quæres quam dira, & atrox fuerit hæc Christi flagellatio? Respondeo, id primo, æstimari posse ex eo quod Christus, ut jam dixi, astrictus fuerit humili columnæ, ut toto corpore super eam eminens omnino esset ad libitum flagellantium. Adde, vel solam virginei & castissimi corporis Christi coram obscœnis scurris, illusoribus, & Sannionibus hisce denudationem, ingentem illi fuisse afflictionem. Bis vero, vel, ut alii, ter nudatus fuit Christus; scilicet primo, ad flagellationem: secundo, ut aliqui dicunt, ad coronationem, idque cum maximo dolore; vestis enim vulneribus flagellorum adhærens, & quasi agglutinata, ab iis vi cum vulnerum reno-

„ Vä-

„ vatione abstrahi debuit: tertio ad crucifixionem. Quocirca hac Christi nudati „ consideratione, & exemplo animati „ Quadraginta Martyres ad gelidum stagnum damnati, alacres se vestibus nudarunt, & in stagnum insilierunt. Voces enim eorum hæ erant, ait S.Basilius „ homilia de quadraginta Martyribus: „ *Quas Domino, qui pro nobis est spoliatus, dignas gratias reddemus? Quid magnum servo, si ea, quæ passus est Dominus, subeat? Nos causa fuimus, ut illi vestis detraheretur, longe magis quam militum audacia, qui eam diripuere, ac sortiti sunt. Durum profecto frigus, sed dulcis Paradisus: affligens glacies, sed delectabilis requies. Brevi tempore durantes sinus Abraham nos perpetuo fovebit. Incendatur frigore pes, ut cum Angelis continuo saltet. Unam noctem cum ævo sempiterno commutabimus. Torpescat frigore manus, ut facultatem habeat in Deum attollendi*. Secundo ex eo quod Pilatus per hanc flagellationem omnibus criminibus, Christo objectis, & odio insatiabili Judæorum in Christum satisfacere, ac eos ad Christi commiserationem flectere voluerit, dicens: *Ecce Homo*; quasi dicat jam non habet speciem hominis, sed ovis, vel bovis jugulati, totoque corpore cruentati, & deformati. Tertio, ex militum, & quidem plurium petulantia, quæ tanta fuit, ut in jussu Pilati, ipsi sua sponte, & protervia Christum spinis coronarint. Forte etiam Judæi eos pecunia corruperunt, ut acrius in Christo verberando sævirent. B.Magdalena de Pazzis, Sanctimonialis Florentina, sanctitate, & revelationibus celebris, in extasi cognovit Christum a triginta paribus hominum, idest, a sexaginta ministris fuisse flagellatum, cum alii aliis, novi recentesque succederent. Ita habet ejus vita parte 6. pag. 532. quæ si simpliciter ut sonant, accipiantur, mira, & horrenda sunt. Nonnulli tradunt, Christo inflicta fuisse hac flagellatione, quinque millia verberum: nam S. Brigittæ revelatum dicitur, Christo tota passione inflicta fuisse vulnera 5475. vulnerum autem longe maxima pars illi inflicta fuit ex flagellatione. Naturaliter ex tot verberibus mori sæpius debuisset Christus, sed Deitas carnem sustentabat, ut plura pati, & tandem crucifigi posset. Verum numerus hic incertus est, & a variis varie assignatur. Quarto, ex complexione Christi, quæ fuit optima, delicatissima, „ & acutissimi sensus; tactusque, utpote formata a Spiritu Sancto: quare Christus longe magis sensit verberum ictus, quam nos sentiamus. Quinto, quia Prophetæ, æque ac Christus, flagellationem hanc velut gravem, & acrem prædixerunt, ut patet Matthæi 20.19. Job 16. 15. *Concidit me*, inquit, *vulnere super vulnus*, quasi dicat, plagas plagis, vulnera vulneribus addiderunt, ut totum corpus concisum unum continuum videretur esse vulnus. Psalm. 72. 14. *Et fui flagellatus tota die*. Et psalm. 128. 3. *Super dorsum meum fabricaverunt peccatores*, idest, quasi fabri dorsum meum, quasi incudem contuderunt. Hebræum est חרשו hharescu, quod verti potest, *araverunt aratores dorsum meum*, idest, flagellis sulcos in dorso duxerunt, sicut aratro sulci ducuntur in agro. Unde Aquila, & Theodot. vertunt, *produxerunt, sive in longum protraxerunt sulcum suum*. Idem indicat illud Jacobi Genes. 49. 11. *Lavit in vino stolam suam, & in sanguine uvæ pallium suum*. Per stolam, & pallium carnem demonstrans, & per vinum sanguinem, ait Tertullianus lib. 4. contra Marcion. Sexto, quia Christus flagellis, idest, funiculis, vel more servorum cæsus est. Addit Paulus a Palatio hic, penes quem sit fides, traditum a gravissimis Authoribus, Christum flagellatum fuisse primo, virgis spineis: secundo chordis cum stimulis ferreis: tertio catenis aduncis. Flagella enim olim multiplicia erant; scilicet lora, sive corrigiæ, ex corio exsectæ, fustes, virgæ ex betula, ulmo, salice, quercu, vite; nervi, plumbatæ, & scorpiones, uti ostendit Antonius Gallonius de cruciatu Martyrum cap. 4. Porro quid sint Scorpiones, explicat S.Isidorus Etymol. lib. 6. cap. ultimo, inquiens: *Virgæ sunt extremitates frondium, arborumque: si levis, virga est; si autem nodosa, vel aculeata, scorpio rectissimo nomine vocatur, quia arcuato vulnere in corpus infligitur*. Denique S.Brigitta tradit, B. Virginem interfuisse flagellationi Christi, cujus dolor, & mæror mirum in modum auxit dolorem Christi. Porro modum, & atrocitatem flagellationis Christi ita ex revelatione B.Virginis describit S.Brigitta lib. 1. Revel. cap. 10. *Deinde ductus ad columnam personaliter se vestibus exuit, Personaliter ad columnam manus applicuit, quas inimici sine misericordia ligaverunt. Alligatus autem nihil omnino operimenti ha-*

„ *habebat, sed sicut natus est, sic stabat, & „ patiebatur erubescentiam nuditatis suæ. Con- „ surrexerunt autem inimici ejus, qui, fugien- „ tibus amicis suis, undique astabant, & fla- „ gellabant corpus ejus, ab omni macula, & „ peccato mundum. Ad primum igitur ictum, „ ego, quæ astabam propinquius, cecidi quasi „ mortua, & resumpto spiritu, vidi corpus „ ejus verberatum, & flagellatum usque ad „ costas, itaut costæ ejus viderentur. Et quod „ amarius erat, cum retraherentur flagella, „ carnes ipsis flagellis sulcabantur. Cumque „ filius meus totus sanguinolentus, totus sic „ laceratus stabat, ut in eo non inveniretur „ sanitas, nec quid flagellaretur, &c.* Et „ lib.4. cap.70. *Deinde jubente Lictore, se- „ ipsum vestibus exuit, columnam sponte am- „ plectens, reste ligatur, & flagellis aculea- „ tis, infixis aculeis, & retractis, non evel- „ lendo, sed sulcando, totum corpus ejus la- „ ceratur. Ad primum igitur ictum ego quasi „ corde percussa, sensibus abducor, & post „ tempus evigilans, corpus ejus laceratum „ video, toto enim corpore nudus erat, cum „ flagellaretur.* Ratio a priori fuit, quod „ Christus nostras voluptates, concupiscen- „ tias, scceleraque omnia, quæ plurima, „ & gravia erant, hac flagellatione luere, „ & expiare voluerit: qua in re: *Non so- „ lum attendit*, ait S. Thomas 3.p. q.46. a „ 6. ad 6. *quantam virtutem dolor ejus habe- „ ret ex divinitate unita, sed etiam quantum „ dolor ejus sufficeret secundum humanam na- „ turam ad tantam satisfactionem*. Insuper „ mereri voluit Martyribus omnibus ro- „ bur, & vires, ad flagellationes quasli- „ bet fortiter tolerandas. Unde Isaias de „ eo cap. 53. 5. ait: *Non est species ei, ne- „ que decor. Et vidimus eum, & non erat „ aspectus, &c. virum dolorum, & scientem „ infirmitatem, &c. Et nos putavimus eum „ quasi leprosum, & percussum a Deo, & „ humiliatum.* „

Hæc non ex nobismetipsis scribere voluimus, sed ex aliorum verbis referre; ut videant Legentes quæ circa Christi passionem, non ex nimia credulitate ducti, nec ex immoderata critica seducti, aut admittant, aut inficientur, & quæ admitti non debent, & inficiari non possunt. Alia enim ratione ducuntur, qui Passionis mysteria mystice meditantur, alia qui theologice exponunt.

Pro Coronæ spineæ tandem impositione, ac gestatione, hæc inquirenda offeruntur. I. Quæ, & qualis fuerit hæc spinea corona? II. Quibus circumstantiis coronatio hæc facta fuerit? III. Quas ob caussas milites capiti ejus coronam de spinis imposuerint?

Ad I. Quæsitum Joannes cap. 19. hæc scribit: *Et milites plectentes coronam de spinis, imposuerunt capiti ejus, & veste purpurea circumdederunt eum:* Matthæus cap. 27. *Tunc milites Præsidis suscipientes Jesum in prætorium, congregaverunt ad eum universam cohortem: & exeuntes, eum, chlamydem coccineam, circumdederunt ei. Et plectentes coronam de spinis, posuerunt super caput ejus, & arundinem in dextera ejus; & genuflexo ante eum, illudebant ei, dicentes: Ave Rex Judæorum. Et expuentes in eum, acceperunt arundinem, & percutiebant caput ejus:* Marcus cap. 15. *Pilatus autem volens populo satisfacere, dimisit illis Barabbam, & tradidit Jesum flagellis cæsum, ut crucifigeretur. Milites autem duxerunt eum in atrium prætorii, & convocant totam cohortem; Et induunt eum purpura, & imponunt ei, plectentes spineam coronam; & cœperunt salutare eum: Ave Rex Judæorum. Et percutiebant caput ejus arundine, & conspuebant eum, & ponentes genua, adorabant eum. Et postquam illuserunt ei, exuerunt illum purpura, & induerunt ei vestimentis suis: & educunt illum, ut crucifigerent eum.* Ex quibus verbis trium Evangelistarum clare constat, impositam fuisse Christo coronam de spinis; sed quæ, & qualis fuerit hæc corona, Evangelistæ non explicant. Scriptores autem primo dixerunt, coronam ex spinis rhamni, aut rubi, fuisse contextam; secundo cinxisse frontem, & tempora ad instar victæ. Nos autem dicimus, fuisse compositam ex acuminibus juncorum marinorum, quasi longissimis spinis, & quorum acumen adeo subtile, ac solidum est, ut facile penetret veluti subula corium quoque densissimum. Dicimus quoque non cinxisse tantum frontem, & tempora, instar victæ, sed instar galeri, & pilei, obvolvisse quoque cranium integrum, & totam superiorem capitis portionem. Ita scripserunt Cardinalis Toletus, Pererius, Suarez, Serry, aliique communiter; quibus nos adhæremus. I. probatur ex spinis, quæ in pluribus Ecclesiis asservantur, & quæ oblonga, & acuta acumina habent, & terrestrium spinarum acuminibus duriora. II. probatur ex ipsamet corona spinea, quæ Parisiis in Æde Regia asservatur, & colitur; & quam illuc detulit S. Ludovicus IX. Galliæ Rex. III. probatur, quia hæc est differentia inter coronam,

nam, & diadema, quod diadema cingit tantum frontem, ac tempora, corona autem obtegit totum caput. Spinarum numerum Suarez hæc dicendo exprimit; vel potius exprimi non posse, declarat: Hæc enim habet citato loco sect. 3. „ De
„ numero vero spinarum, nonnulli affir-
„ mant, fuisse duas, & septuaginta; alii
„ plures; alii vero pauciores: quo autem
„ fundamento, vel traditione, hæc nitan-
„ tur, non invenio, quia veteres Patres,
„ agentes de hoc mysterio, nihil dicunt:
„ omnes tamen intelligunt, illam coronam
„ fuisse integram, ac circularem, quæ co-
„ ronæ instar regiæ, totum undique caput
„ Salvatoris ambiret. „

Ad II. quæsitum asserunt Hieronymus, Athanasius, Cyrillus, Chrysostomus, aliique, voluisse milites illudere Christo, ex eo quia sciebant, voluisse se facere Regem; Unde & spineam coronam capiti ejus, & sceptrum arundineum manibus, & chlamydem coccineam humeribus ejus imposuerunt. Hoc autem totum multis, & gravibus contumeliis, quæ fuerunt coronationis ejus circumstantiæ, adimpleverunt. Quarum prima est, quod eum adduxerunt in prætorium, ut in loco publico major ejus esset injuria, & deterior ignominia. Secunda, quod in loco illo eum spoliaverunt; an vestibus tantum exterioribus, an vero etiam intimis, non conveniunt Expositores; siquidem Origenes tract. 35. in Matthæum vult, eum tunc non solum fuisse spoliatum vestimentis extimis, sed etiam tunica inconsutili. Tertia contumelia fuit, quod Milites caput ejus arundine percutiebant, faciem alapis cædebant, & sputis aspergebant; quæ omnia memorat Evangelium. Addunt autem plures ex S.Bernardo tract. de Passione Domini, fuisse quoque illi avulsos capillos, & barbam; at Serry hanc alteram contumeliam non admittit; tum quia Evangelium de ea silet; tum quia tractatus ille de Passione Domini S.Bernardi legitimus fœtus non est, sed ei falso affictus. Quarta contumelia fuit, quod eum induerunt veste coccinea, coronarunt spinis, & dederunt arundinem pro sceptro, ac denique flectentes genua ante ipsum, interrogabant eum, quis ejus faciem percussisset?

Ad III. quæsitum, caussa fuit ex parte militum, ut cum irriderent, & Judæis rem gratam facerent; alii dicunt, ut Judæos averterent a morte, quam illi inferre procurabant, sicut in flagellatione intendit Pilatus. Caussas vero mysticas explicat Hieronymus in cap. 27. Matthæi: *Nos hæc intelligamus mystice, in chlamyde coccinea, opera gentium cruenta sustentat; in corona spinea, maledictum solvit antiquum: Spinas, & tribulos germinabit tibi*, Genes.3., *in calamo, venenata occidit animalia*. Unde asserit Suarez, quod ex parte Judæorum, & militum, caussa fuit Regnum Christi irridere, & Christum ipsum dolore, ac dedecore, afficere; ex parte vero Dei, & Christi, fuit divinæ justitiæ satisfacere pro peccatis, quæ cogitatione committuntur, & præcipue superbiæ, & ambitionis; juxta illud quod scribebat Tertullianus lib.de corona Militis cap. 14. *ex spinis in figuram delictorum, quæ nobis protulit terra carnis*.

Objiciunt I. Ex Evangelio Matthæi, & Marci, habetur, quod Christus Dominus fuit flagellatus post sententiam, a Pilato contra eum latam: ergo non semel, sed bis fuit flagellatus. Probatur antecedens. Verba Evangelii sunt: *Videns Pilatus, quia nihil proficeret, tradidit illis Jesum flagellis cæsum, ut crucifigeretur*: ergo antequam crucifigeretur, & post crucifixionis sententiam, fuit denuo flagellatus. II. Hieronymus in cap. 27. Matthæi refert, morem fuisse Romanis flagellandi eos, qui pœna capitis damnati fuerant: ergo post sententiam mortis Christus fuit a militibus flagellatus. III. Si flagellatio fuit facta, ut esset via ad mortem, adeoque facta post mortis sententiam: ergo flagellatio non fuit acerbissima; aliter Christus potuisset sub flagellis mori, & hoc pacto pœna mortis crucis, contra ipsum lata, non potuisset exequutioni demandari. IV.Si corona spinea fuisset tam atrox, ut a nobis descripta est, facillime potuisset Christus sub pœna illa mori, & sic non poterat mori in cruce, ut Judæi petebant, & Pilatus intendebat: ut voluntati eorum satisfaceret. V. Christus in coronatione non fuit denudatus quemadmodum fuit in flagellatione: ergo majorem ignominiam in flagellatione, quam in coronatione, sustinuit. VI. Matthæus chlamydem, qua indutus est Christus in coronatione, vocat coccineam, Marcus vero, & Joannes, vocant purpuram: ergo discordantia est inter Evangelistas.

Respondemus ad I., quod Evangelistæ Matthæus, & Marcus, non dicunt, quod Pilatus tradidit Jesum ad flagellandum, vel ut flagellaretur, sed tradidit flagellatum:

rum;ergo antecedenter fuit flagellatus, & quidem antequam mortis sententia in eum a Pilato inferretur;quod pariterdiximus in probationibus.Subdit Suarez quod Joannes ante sententiam narrat, Christum fuisse flagellatum,spinis coronatum, & a militibus illusum; quæ omnia Matthæus & Marcus post sententiam referunt. Proinde necesse est ut dicamus, omnia hæc fuisse ab Evangelistis narrata per recapitulationem.

Ad II. Quanvis concedamus, morem illum fuisse Romanis flagellandi eos,qui pœna capitis plectendi erant; attamen cum Christus fuisset ante sententiam flagellatus, putarunt hanc flagellationem fuisse satis; & hoc vel ex eo præcipue,ne Christus sub reiterata flagellatione moreretur, & sic non posset cruci affixus mori.

Ad III.Judæi dubitabant,ne Pilatus Christum mortis supplicio damnaret; unde ut eum per aliam viam vita privarent,conati sunt, ut adeo atrociter flagellaretur, quod sub flagellis deficeret, & obiret.Proinde plures dicunt, eos pecuniam dedisse flagellantibus, ut Christum atrocissime verberarent.

Ad IV. respondet Suarez verbis hisce: „ Non esse hoc necessarium, quia non est „ intelligendum,spinas illas craneum capi„ tis perforasse, sed solam carnem, & pel„ lem, quæ est in capite, & verisimile est „ spinas ita fuisse infixas per superiorem „ capitis partem,ut per inferiorem sangui„ ne consperfæ prodirent;atque hac ratio„ ne fortiter in carne infixæ hærerent.Un„ de necesse erat, vehementem sequi dolo„ rem, præsertim quando venas simul, & „ nervos trajecissent „.

Ad V. Aliqui dixerunt, fuisse denudatum; nos diximus fuisse tantum vestimentis extimis exutum; & nihilominus non per hoc non fuit atrocissima coronatio, quia facta fuit in capite, quæ est pars nobilissima totius corporis, & aliarum partium delicatissima, ac tenerrima; & quia nunquam sontes in capite fuerunt vexati, ac cruciati; ideo etiam propter hoc in Christo hujuscemodi pœna fuit nova, inusitata, ac atrocissima.

Ad VI. Quanvis coccus, & purpura, si in rigore sumantur, diversa sint; ut legitur apud Plinium lib. 9. cap. 35., & 36., & lib. 21. cap. 8., nihilominus similitudinem habent coloris, & propter hanc similitudinem interdum unum pro alio usurpatur; unde in præsenti, dicit Suarez, nihil aliud significant, quam vestem rubei coloris, aptam ad ludricam illam Regni Christi repræsentationem, quia purpura Reges, & Imperatores uti solebant. Proinde Ambrosius in cap. 23. Lucæ eam vocat chlamydem coccineam, & purpuream tunicam.

DISSERTATIO CCXLIII.

De Passione Christi. De mortis sententia, in Christum lata. De Crucis forma, materia, ac gestatione. Et de Imagine, quæ dicitur Veronica.

DE his omnibus agit Serry in Exercit.53.Et quidem de mortis sententia, in Christum lata, tria quæri possunt; I. An Pilatus se abstinuerit a ferenda in Christum mortis sententia,& eum Judæorum arbitrio reliquerit? II. An apud Judæos Crucis supplicium in usu fuerit? III.Quam iniqua fuerit sententia in Christum lata, tum ex parte Pilati, tum ex parte Judæorum?

Ad I. Quæsitum putarunt nonnulli, dicendum esse ex testimonio Chrysostomi orat. de elemosyna, & Lactantii lib. 4. Instit. cap. 8., Pilatum a ferenda in Christum mortis sententia se temperasse,eundemque Judæorum arbitrio simpliciter permisisse. At nos dicimus, Pilatum revera Christum condemnasse, & mortis sententiam in ipsum pronunciasse.I.probatur; Ideo Adversarii dicunt, quod Pilatus in Jesum mortis sententiam non tulit, quia Judæis dixerat, ut Evangelium narrat: *Accipite eum vos, & secundum Legem*

gem vestram judicate; sed hæc verba intentum Adversariorum non probant: ergo &c. Probatur minor. Judæi ad verba illa Pilati responderunt: *Non licet nobis interficere quemquam*; & hoc dixerunt, tum quia cognoscebant judiciorum capitalium potestatem fuisse sibi a Romanis ademptam; tum quia nolebant in Paschali solemnitate judicium mortis ipsimet ferre, sed ab alio ferri desiderabant, ac petebant; & tunc Pilatus, ut testatur Lucas cap. 23., sedens pro tribunali, *adjudicavit fieri petitionem illorum*; hoc est pronunciavit, Jesum suffigendum cruci, prout Judæi ingentibus clamoribus postulabant; Et hæc est communis Sanctorum Patrum interpretatio. II. probatur; quia Christus prædixit sententiam mortis in seipsum a Pilato ferendam, quando Lucæ 18. discipulis suis dixit: *Filius hominis tradetur Gentibus ad crucifigendum*; Gentibus, hoc est homini Gentili, qui Pilatus erat. III. probatur ex Cornelio Tacito in Annalibus, ubi loquens de Christianis, & illorum Authore, scribit: *Author hujus nominis Christus, qui Tiberio imperitante, per Procuratorem Pontium Pilatum, supplicio affectus est*.

Ad II. Quæsitum; quatuor suppliciorum genera apud Judæos in usu erant; nimirum lapidatio, vivicomburium, strangulatio, seu occisio per laqueum, & decollatio, seu occisio per gladium. Romani autem in usu habebant supplicium Crucis, quamvis esset adeo atrox, ut Cicero orat. in Verrem merito exclamaret: *Facinus est vincire Civem Romanum, scelus verberare, prope parricidium necare; quid dicam in Crucem tollere? Verbo satis digno res tam nefaria exprimi nullatenus potest*. Leguntur quidem in Scripturis veteris Testamenti aliqua crucifixionis exempla, sed, ut ait Serry, aliena plane sunt, & peregrina. Ita Hai Rex dicitur suspensus patibulo, seu cruce, Josue mandante, Josue 8., & quinque Reges Chananæorum dicuntur pariter suspensi super quinque stipites, Josue 10., at hoc non fuit secundum Judæorum morem, sed secundum consuetudinem Barbararum Nationum, e quibus erant homines illi, Cruci affixi. Similiter Septem Filii Saul fuerunt crucifixi 2. Regum 21., at non a Judæis, sed a Gabaonitis, *qui non erant de filiis Israel, sed reliquiæ Amorrhæorum*.

Ad III. Quæsitum dicimus, Christum Dominum iniqua, & injusta sententia fuisse a Pilato damnatum ad Crucis supplicium, Judæis pertinaciter illud exposcentibus. I. probatur, ex 1. Epistola Petri cap. 2. *Tradebat autem judicanti se injuste*, explicat Suarez 3. p. q. 48. ar. 8. disp. 36. sect. 1. idest, permittebat se tradi Judici, qui injuste eum judicaturus erat. II. quia hæc sententia fuit injusta tam ex defectu jurisdictionis, quam Pilatus supra Christum non habebat, tam ex defectu ordinis Judiciarii, qui in hac gravi causa nullo modo fuit servatus, tam denique ex defectu æquitatis, quam omnem præterivit Pilatus, flagellans Christum, permittens, spinis coronari a militibus, & postremo illum damnans, ut crucifigeretur; quæ omnia exorbitantia fuissent, etiam in homine facinoroso, & vere reo, quanto magis autem in homine, quem Pilatus paulo ante innocentem judicaverat, dicens: *nullam invenio in eo causam*?

Opponunt I. Deuteronomii 21. legitur: *Quando peccaverit homo, qui plectendus est, & adjudicatus morti, appensus fuerit in patibulo, non permanebit cadaver ejus in ligno*: ergo crucis supplicium in usu erat apud Judæos. II. Josephus lib. 1. de bello Judaico cap. 3. refert, *Alexandrum, Joannis Hircbani filium, octingentos captivos in media Civitate crucifixisse*: ergo mos crucifigendi Sontes adhuc apud Judæos invalebat. III. Levitici 24. habetur: *Qui blasphemaverit nomen domini, morte moriatur: lapidibus obruent illum omnis multitudo, sive ille civis, sive peregrinus fuerit*: sed Judæi accusabant Christum, quod Deum blasphemasset: ergo Judæi volebant, Christum non Cruci affigi, sed lapidibus obrui; & ideo Joannis 19. dicebant: *Nos legem habemus, & secundum legem debet mori, quia filium Dei se fecit*. IV. Verba illa I. Epistolæ Petri cap. 2. *Tradebat autem judicanti se injuste*; Græcus Textus legit: *judicanti se juste*: ergo judicium Pilati non injustum, sed justum fuit. V. Supplicium Crucis debebatur Barabbæ: ergo Judæi petentes a Pilato, quod Barabbam dimitteret, & Jesum condemnaret, petebant quoque, ut Jesum illo supplicio afficeret, quo afficiendus erat Barabbas. Antecedens patet; ait enim Suarez cit. loco: „ Notant etiam aliqui, Judæos „ solitos esse homicidas crucifigere: Romanos vero famosos latrones. Unde hoc „ supplicium duplici titulo Barabbæ debitum erat, qui & homicida erat, & latro „ (ut Evangelium testatur.) Quoniam ergo Judæi Barabbam Christo prætulerant, in eum transferendum putarunt „ esse

„ esse supplicium, quod illi homicidæ, ac
„ latroni debebatur, & ita statim ac illis
„ data optio, & Barabbam elegerunt, ad-
„ versus Christum clamare cœperunt: *Cru-*
„ *cifige, crucifige* „. VI. Christus dixit Pilato: *Non haberes in me potestatem ullam, nisi tibi datum esset desuper*: ergo non fuit in Pilato defectus jurisdictionis in judicio, quod contra Christum tulit; Christus enim jam fatebatur, Deum dedisse potestatem Pilato super eum.

Respondemus ad I., verbum illud in *ligno* non intelligi de cruce, qualis fuit postmodum Romanis in usu; sed de furca, in qua quis laqueo perimitur. Sic respondet Serry.

Ad II. Omne lignum, in quo quis patitur, & cruciatur, post latum judicium, crux dicitur simul, & patibulum. Cæterum factum, quod narrat Josephus, ea ætate accidit, qua Judæi fuerant a Græcis subjugati, ac proinde Græcorum mores in suppliciis inferendis sequebantur. Et re vera Alexander, qui fuit Ioannis Hirchani filius septuagesimo octavo anno ante Christum regnavit.

Ad III. Verum est, quod ex lege Levitici, qui Deum blasphemabat lapidibus obrui debebat; & quia Judæi arbitrabantur, Christum dixisse in Deum blasphemiam, quando se Filium Dei faciebat, ideo volebant eum lapidibus obruere. Attamen quia Romanis subjecti erant, noluerunt a Romano more discedere; ac proinde Judæi postularunt a Pilato, ut Christus affigeretur Cruci, quia quum Romanis subessent Imperatoribus, Romani Fori mores se sequi omnino volebant, ac ostentabant.

Ad IV. dicitur cum Suarez, quod juxta græcam Editionem sensus quidem est diversus, sed non contrarius; Sic enim exponitur: *cum pateretur, non comminabatur; tradebat autem judicanti se juste*; hoc est, committebat omnia divino judicio, seu Deo, qui justum judicium de se ferebat, non injustum, sicut homines. Hæc Suarez.

Ad V. Dato, quod Judæi peterent, ut pœna Barabbæ Christo infligeretur; non intendebant tamen, ut Barabbas crucis sententiam secundum morem judaicum, sed secundum morem Romanum, subiret. Pilato enim Judæorum Provinciam procurante, ac sententiam proferente, qui Romanus homo erat, omnia cogitabant debuisse Romano more fieri, ac proinde secundum Romanorum consuetudinem reos mortis Cruci affigendos.

Ad VI. Chrysostomus homil. 83. in Joannem docet, verba illa Christi intelligenda esse permissive, in quantum Pilato non fuit data potestas, sed permissa: alioquin, si data esset ei potestas, non esset reus criminis. Subdit Suarez loco nuper citato: „ Sed hoc expositione indiget,
„ quia nomine potestatis intelligi potest,
„ vel facultas, seu vis ad interficiendum,
„ vel jurisdictio, & auctoritas; priorem
„ potestatem habebat Pilatus in Christum,
„ si solum naturales vires humanitatis con-
„ sideremus. Nam si Christus voluisset po-
„ testate effectrice miraculorum uti, non
„ haberet Pilatus vim interficiendi Chri-
„ stum, & ex hoc capite potest illa pote-
„ stas dici permissa potius, quam data,
„ quanvis aliunde vis illa, & facultas, quam
„ Pilatus habebat per se, & suos milites, ad
„ occidendum Christum, non solum per-
„ missa, sed data dici potest a Deo, eo mo-
„ do, quo temporalia bona dantur a Deo
„ per providentiam naturalem, quanvis
„ postea homo illis male utatur. At vero,
„ si loquamur de potestate, ut dicit juris-
„ dictionem, & auctoritatem Superioris,
„ hanc, dicunt aliqui, habuisse Pilatum,
„ non solum permissam, sed concessam, quia
„ erat Præses, & Dominus se ei subdiderat;
„ nihilominus vero peccasse, non peccato
„ usurpatæ jurisdictionis, sed peccato abu-
„ tendi jurisdictione sibi data. Sed verius
„ existimo Pilatum non habuisse talem
„ potestatem in Christum. Cum enim esset
„ Dei filius, liber erat, nullique humanæ
„ potestati subjectus; ut dictum est priori
„ tomo disp. 43. sect. 2. Hoc ergo sensu
„ non potest dici illi data potestas, sed per-
„ missa; quia Christus Dominus nunquam
„ se illi subdidit jure, (ut ita dicam) idest,
„ volens re vera fieri subditus illius, & ut
„ alius haberet jurisdictionem in se. Ubi est
„ enim declarata hæc Christi voluntas, vel
„ quo fundamento fingi potest? De facto
„ vero permisit, se tractari ut subditum;
„ Unde etiam ex hoc capite fuit iniqua
„ sententia Pilati, quia fuit in non subdi-
„ tum, quanquam circa hanc circumstan-
„ tiam potuerit facilius per ignorantiam
„ excusari: non credo tamen fuisse illam
„ ignorantiam invincibilem, quia ab ipsis-
„ met Judæis audivit, quod Christus filium
„ Dei se fecisset, *& cum audisset hunc ser-*
„ *monem, magis timuit*, & ex ore ipsius
„ Christi audierat, ipsum esse Regem, non
„ ad modum Regum hujus mundi, sed alio
„ excellentiori, audierat etiam multa alia

„ de

„ de Christo, quæ illum obligabant, sal-
„ tem ad expectandum, & inquirendum,
„ ut veritatem cognosceret, & quis ille
„ esset, quem judicandum sibi offerebant,
„ & tamen propter humanum timorem
„ temere se præcipitem egit, & in illum
„ sententiam damnationis dixit. Ex quibus
„ tandem colligitur, hanc Pilati sententiam
„ multis capitibus fuisse injustam, ex defe-
„ ctu jurisdictionis, ordinis judiciarii, & ex
„ defectu æquitatis. Nihilominus tamen
„ peccatum Judæorum fuit gravius, quia
„ omnis hæc iniquitas ab illis habuit origi-
„ nem, ipsi enim quasi coegerunt illum;
„ unde ii ex odio peccarunt, ille vero ex ti-
„ more humano. Denique illi majorem ha-
„ bebant de Christo, & de divinis rebus co-
„ gnitionem, & ideo minus potest eorum
„ peccatum excusari „.

Pro secunda Dissertationis parte, hoc est, de Crucis forma, materia, ac gestatione, hæc se nobis offerunt examinanda; I. est, cui cruci Christus fuerit suffixus, an simplici, an decussatæ, an commissæ, an immissæ? II. an crux Christi habuerit suppedaneum, & sedile? III. Ex quo ligno crux Christi fuerit facta? IV. an Christus propriis humeris portaverit crucem, in qua suspensus est? V. quot clavis fuerit Christus cruci confixus?

Ad I. Quæsitum ut respondeamus, scire oportet, duplex esse genus crucis, si ejus inspicitur forma; una enim crux dicitur simplex, altera vocatur compacta: Simplex consistit in uno solo ligno, seu palo, cui crucifixus homo, vel affigitur clavis, vel funibus alligatur; & hujus formæ non fuisse crucem Christi, pro certo habemus. Crux compacta ex duplici ligno constat, & triplex est, decussata, commissa, & immissa. Decussata est quasi per medium secta, quia duo ligna directa inter se ex æquo obligantur, & formant figuram literæ majusculæ X., & hujusmodi fuit crux S. Andreæ Apostoli. Crux commissa est illa, in qua lignum brevius ita committitur ligno longiori erecto, ut nihil desuper remaneat, & nihil emineat, & reddat figuram literæ majusculæ T. Crux immissa est illa, in qua ligno longiori erecto injungitur aliud lignum transversum, quasi illud secando, & ita immittitur, ut pars summa ligni recti emineat super transversum lignum, & hoc velut secta appareat; & hanc exhibet figuram ✝. Crucem Christi fuisse simplicem, aut decussatam, nemo dixit; plures autem dixerunt, fuisse commissam; & aliquot quoque scripserunt, fuisse immissam. Nos dicimus, formam Crucis, in qua Christus pependit, fuisse commissam; ita Serry in Exercit. 23., qui hanc suam opinionem ex priscis Ecclesiæ Patribus, & Sacrorum peritis, se asserit accepisse. I. probatur testimoniis Patrum, veterumque Scriptorum. Tertullianus lib. 3. contra Marcionem: *Ipsa littera Græcorum Tau, nostra autem T. species crucis est.* Hieronymus in cap. 9. Ezechielis: *Antiquis Hebræorum litteris, quibus usque hodie Samaritæ utuntur, extrema Tau crucis habet similitudinem.* Paulinus Nolanus Episcopus epist. ad Severum 2. *Christus non multitudine, vel virtute legionum, sed jam nunc in Sacramento Crucis, cujus figura per litteram græcam Tau numero trecentorum exprimitur, adversarios Principes debellavit.* Quibus subscribunt Sozomenus lib. 7. Histor. Ecclesiast. cap. 15, Ruffinus lib. 2. cap. 29. disertissime vero Innocentius III., Romanus Pontifex, serm. 1. habito in IV. Concilio Lateranensi: *Tau*, inquit, *est ultima littera Hebraici Alphabeti, exprimens formam Crucis, qualis erat, antequam Domino crucifixo Pilatus titulum superponeret.* Ex quibus verbis Serry deducit, quod Pilatus, nonnisi suffixo jam Christo commissæ cruci, titularem tabellam supposuit, non ligno eminenti supra transversum affixit, & per eam tabellam ternis crucis angulis quartum addidit. II. Helena, Constantini Magni mater, inveniens tres cruces, nesciebat qualis esset Christi, & opus fuit miraculo, ut eam dignosceret; sed si Crux Christi fuisset immissa, facili negotio cognosci potuisset, & absque miraculo: ergo &c. Probatur minor. In Cruce immissa ligno per transversum posito eminebat titulus, immissus etiam cruci: ergo ex titulo facile dignosci poterat Crux Christi; sed titulus fuit inventus separatus a Cruce, & non illi immissus: ergo signum est, quod erat supra crucem positus, & consequenter crux erat commissa, & non immissa. III. Narrat Nicephorus Callixtus lib. 8. hist. Ecclesiast. cap. 29. Dominicæ crucis inventionem, & ex sua narratione patet, quod titulus non esset Cruci affixus, sed columnæ superne impositæ inscriptus; unde patet etiam, quod Crux erat commissa, & non immissa. Verba Callixti sunt: *Tres sparsim disjecta cruces, & tabula præterea alba inventa, in qua diversis litteris Pilatus Regem Judæorum inscripserat; eaque supra caput Christi collocata, in morem colum-*

na crucifixum illum Judaeorum Regem esse promulgarat. IV. Antiqui Obelisci Ægyptiorum, qui Romæ visuntur, Crucis formam commissam exprimunt; eandem quoque repræsentant picturæ antiquissimæ, & pœnula S. Antonii Abbatis, signum illud T. exhibens, crucis quoque commissæ probationem facit.

Ad II. Quæsitum dicimus, Crucem Christi in infima sua parte habuisse tabulam quandam suppedaneam, cui pedes supponeret Crucifixus; & in medio Crucis stipite habuisse lignum breve impactum in formam cornu, cui Crucifixus insederit, & quasi inequitarit. I. Probatur testimonio S. Gregorii Turonensis lib. de gloria Martyrum cap. 6. hæc de tabula suppedanea dicentis: *In stipite erecto foramen factum manifestum est. Pes quoque parvulæ tabulæ in hoc foramen insertus est: super hanc vero tabulam tanquam stantis hominis sacræ affixæ sunt plantæ*. Gregorio adhæret Innocentius III serm. 1. de martyre uno: *Fuerunt autem in cruce Dominica ligna quatuor: Stipes erectus, & lignum transversum: truncus suppositus, & titulus superpositus*. II. Franciscus Fevardentius in Notis ad lib. 2. S. Irenæi adversus hæreses cap. 42. Franciscus Nantius in veteribus nummis, & Josephus Scaliger in animadversionibus ad Eusebium, pervetustis Christi Crucifixi imaginibus, & quidem multis, hoc ipsum probant. III. Carolus Magnus, quem in Basilica S. Petri Leo III. Romanus Pontifex coronavit, eidem Basilicæ dono dedit anno 815. argenteam Crucifixi imaginem, in qua erat suppedaneum, cui bini pedum clavi infigebantur; ut testatur Angelus Rocca in descriptione Sacrarii S. Petri. IV. Probatur de cornu, seu de sedili, quod erat cruci infixum in medio stipitis. S. Justinus martyr in Dialogo cum Triphone Judæo: *In medio crucis defixum est lignum, quod etiam, ut cornu eminet, in quo vehuntur, & insident, qui crucis supplicium subeunt*. S. Irenæus lib. 1. adversus hæres. cap. 42. *Ipse habitus Crucis fines habet quinque; duos in longitudine, duos in latitudine, & unum in medio, ubi requiescit, qui clavis affigitur*. Tertullianus lib. adversus Judæos cap. 10., ubi palum illum medium in modum sedilis describens, ait: *In antenna navis, quæ crucis pars est, hujus cornua vocantur, unicornis autem in medio stipitis palus*. Et lib. 2. contra Marcionem: *Pars crucis, & quidem major est omne robur, quod erecta statione deficitur. Sed nobis tota crux imputatur cum antenna, scilicet, sua, & cum illo sedilis excessu*. Quibus verbis tres crucis partes agnoscit, ait Serry, majorem, erectum scilicet robur; alteram, transversum lignum instar antennæ; postremam, sedilis excessum, seu palum, ad sedendum eminentem. Nempe sedilis excessum nuncupat Tertullianus, quod cornu eminens, seu summitatem ad insidendum, & quiescendum, Justinus, & Irenæus, appellant. Hæc Serry.

Ad III. Quæsitum respondentes, Author Glossæ ad 1. Clement. de Summa Trinit. putavit, ex quatuor lignis crucem Christi fuisse compactam, nempe cedro, palma, cypresso, & oliva. Hæc sunt verba Glossæ: *Fertur etiam crux quatuor genera lignorum habuisse, scilicet, Cedrum in stipite, palmam in pado per longum, cypressum in ligno ex transverso, olivam in tabula super crucem loco quarti brachii. Et datur versus: Ligna crucis: Palma, Cedrus, Cypressus, Oliva*. Scripserat antecedenter Author Opusculi, quod perperam tribuitur Bedæ, & titulum habet: *Collectaneum de quatuor generibus ligni in Christi cruce*; at non eadem commemorat ligna, quæ Glossa describit. Ejus verba sunt: *Crux Domini de quatuor lignis facta est, quæ vocantur Cypressus, Cedrus, Pinus, & Buxus. Sed Buxus non fuit in Cruce, nisi tabula de ligno illo supra frontem Christi fuit, in quo scripserant Judæi titulum: Hic est Rex Judæorum*. Ulterius Cantacusenus in assert. contra Mahumetanos tria ligna posuit in Cruce Domini; scilicet Cypressum in summo, Pinum in transverso, Cedrum in imo. Denique alii posuerunt Abietem, Buxum, & Pinum. Nos dicimus cum Lipsio, alisque, Crucem Christi fuisse ex unico ligno, ex quercu, scilicet, seu robore. I. Probatur; quia Crucis frusta, quæ modo supersunt, hujus ligni speciem referunt, ut testantur Viri fide digni, qui illa intimius inspexerunt. II. Quia arbor illa fuit, & modo etiam est, crebra, & frequens in Judæa; & credibile est, ex obvio, & prompto ligno fuisse Cruces constructas. III Quia lignum hoc est robustum, aptum fictioni, atque latturæ, & reis suspendendis aptari solitum.

Ad IV. Quæsitum dicimus, quod apud Romanos mos erat, ut ad crucem damnati, Crucem, donec de Civitate exirent, propriis humeris gestarent; ut asserit Plutarchus lib. de Sera Numinis vindicta.

Et

Et hoc pacto quoque Christus suis humeris Crucem suam portavit, ut notat Joannes cap. 19. Verum, quia fessæ erant Christi vires, & propter priora supplicia, & propter plura itinera, quæ fecerat, quando fuit extra Civitatem, cecidit, & non potuit se amplius sublevare. Unde scribit Matthæus cap. 27. quod *Simonem quemdam, hominem Cyrenæum, angariaverunt, ut tolleret Crucem ejus*. Non explicatur tamen, quis fuerit homo iste, & quanvis dicatur Cyrenæus, quia Cyrene natus: semper tamen res remanet incerta, quia triplex Cyrene inveniebatur, una in Lybia, altera in Syria, tertia in Cypro. Hilarius, Ambrosius, Leo Magnus, Beda, volunt fuisse Gentilem, quia non credentibus Judæis, Gentiles debebant Crucem Christi amplecti. Alii autem putant, fuisse Judæum; tum quia a Marco dicitur pater Alexandri, & Rufi, qui fuerunt Christi discipuli, & quorum meminit Paulus; tum etiam, quia habebat prædia, & possessiones prope Jerosolymam, quæ alii, quam Judæi, habere non poterant; unde legitur in Evangelio, quod tunc veniebat de Villa, seu ex agro, ut habetur in Textu Græco. Aliqui existimarunt, Christum, & Simonem sociis humeris ferale lignum portasse, Christo scilicet præeunte, & superiorem partem ferente, sequente vero Simone, & partem infimam bajulante. At Origenes in cap. 25. Matthæi, Athanasius serm. de passione, Hieronymus in cap. 27. Matthæi, Augustinus lib. 3. de Consensu Evangelistarum cap. 10. Leo Magnus sermone 8. de passione, Beda, Theophylactus, Euthymius, asserunt, Crucem ex uno in alterum fuisse translatam; Unde Christus onere liber præibat, Simon vero onere onustus procedebat. Quod docuerunt Matthæus, & Marcus, dicentes, Simonem adactum, ut tolleret crucem ejus. Denique in Textu Græco legitur [illegible], quod significat translationem oneris ex uno in alterum. I. Autem probatur, quod Christus suis humeris crucem suam portaverit. Præcesserunt figuræ in veteri Testamento gestationis Crucis, faciendæ a Christo, & quidem in Isaac, qui portabat ligna ad Sacrificium Genes. 22., ut explicat Chrysostomus homil. 84. in Ioannem. Augustinus addit serm. 72. de tempore, in Christo portante Crucem suam adimpletum esse, quod prædixerat Isaias cap. 9. *Factus est Principatus super humerum ejus*. II. Probatur authoritate Patrum. Tertullianus lib. contra Judæos cap. 10. *Quis omnino Regum insigne potestatis suæ humero præfert, & non aut capite diadema, aut in manu sceptrum, aut aliquam propriæ vestis notam? Sed solus novus Rex seculorum Christus Jesus novæ gloriæ, & potestatem, & sublimitatem suam in humero extulit, crucem scilicet, ut secundum prophetiam, Dominus exinde regnaret a ligno*. Justinus Apol. 2. dicit verbis illis, *significatam esse vim crucis, cui Dominus humeros subjecit*. Et eadem fere scribit Ambrosius lib. 3. de fide cap. 4. Augustinus tract. 117. in Joannem: *Ibat ad locum, ubi fuerat crucifigendus, portans crucem suam Jesus; si spectet impietas, grande ignominiæ documentum; si pietas, grande fidei munimentum: si spectet impietas, videt Regem, pro virga Regni lignum sui portare supplicii; si pietas, videt Regem bajulantem lignum, ad semetipsum figendum, quod fixurus fuerat etiam in frontibus Regum, in eo spernendus oculis impiorum, in quo erant eum gloriatura corda Sanctorum. Dicturo enim Paulo: Mihi absit gloriari, nisi in cruce Domini nostri Jesu Christi, ipsam crucem suam suo gestans humero, commendabat, & lucernæ arsuræ, quæ sub modio ponenda non erat, candelabrum ferebat*. Leo Magnus serm. 8. de passione. *Traditus Dominus sævientium voluntati, ad irrisionem regiæ dignitatis, supplicii sui jussus est esse gestator, ut impleretur quod Isaias Propheta prævideràt, dicens: Ecce natus est puer, cujus imperium super humeros ejus. Cum ergo Dominus lignum portaret Crucis, quod in sceptrum sibi converteret potestatis, erat quidem hoc apud impiorum oculos grande ludibrium: sed manifestabatur fidelibus grande mysterium: quia gloriosissimus diaboli victor, & inimicarum virtutum potentissimus debellator, pulchra specie triumphi sui portabat tropheum, & invictæ patientiæ humeris signum salutis adorandum Regnis omnibus, referebat*. Cyrillus lib. 12. in Joannem cap. 28. *Crucem portat Christus non sibi, sed nobis transgressoribus debitam*. Et infra: *Hoc singulari, præclarissimoque Christi facinore ad fortitudinem, roburque animi, quo pati omnia pro pietate velimus, mirum in modum exhortamur; omnis enim, qui non accipit crucem suam, & sequitur me, non est me dignus*. Et Euthymius in Ioannem: *Ferebat crucem in humeris, tanquam strenuus miles lanceam, qua dejecturus erat adversarium*.

Ad V. Quæsitum dicimus, de fide esse, Christum fuisse clavis in Cruce affixum;

hoc

hoc enim sonat vox crucifixionis, qua utuntur Evangelistæ omnes,& Actor.2., & 4. Petrus dicebat Judæis, *quem vos crucifixistis*; & epist. 1. ad Corinth.cap.1. Paulus scribebat: *Prædicamus Christum, & hunc Crucifixum*. Item Ioannis 20.dicebat Thomas: *Nisi videro in manibus ejus fixuram clavorum, non credam*: cui Christus respondit: *Infer digitum tuum huc, & vide manus meas*. Verum, hoc non obstante, in quæstione est, quot clavis fuerit Christus in cruce suffixus? Quidam putarunt tribus tantum, scilicet, singulis singulas manus forantibus, & tertio hinos simul pedes, alterum alteri suppositum, transfigente. Alii vero putant, quatuor clavos in crucifixione Christi adhibitos fuisse; ita quidem ut singulæ manus, & singuli pedes propriis clavis configerentur. Et nos postremæ huic sententiæ subscribimus. I. Probatur authoritate Patrum. Author libri de Operibus Cardinalibus, qui censetur S.Cyprianus, quanvis re vera non sit, ut asserit Bellarminus, qui nihilominus fatetur, antiquum esse, & eruditum, serm. de passione hæc habet: *Clavis sacros pedes terebrantibus*. Gregorius Turonensis lib. de gloria Martyrum cap.6. *Clavi Dominici, quod quatuor fuerint, hæc est ratio: duo sunt affixi in palmis, & duo in plantis*. Augustinus lib. meditationum cap. 6. *Immaculata Christi vestigia, diris confixa clavis*; quanvis liber meditationum Augustini, nec in ejus lib.retractationum, nec in Possidii Indiculo inveniatur. II. Probatur ex Historicis, qui referunt, quatuor clavos, quibus Christus affixus est Cruci, simul cum Cruce ipsa ab Helena fuisse inventos; & sunt Theodoretus lib. 1. Hist. cap.18. Ruffinus lib. 1. cap. 8. Cassiodorus in Histor. tripart. cap. 18. Nicephorus Callistus lib. 8. Histor. cap. 29. III. Probatur testimonio Scriptorum recentiorum, qui hoc idem referunt ac testantur. Lucas Tudensis lib.2. contra Albigenses, Lucas Vvadingus in Annalibus Fratrum Minorum ad annum 1224. Scaliger in animadversionibus ad Eusebium, Casaubonus exercit. 35. Iustus Lipsius lib.2. de Cruce cap. 9., Richardus Montacutius de origine Ecclesiæ tom. 1. IV. Probatur. Romanorum mos fuit reis, qui erant cruci affigendi, perforare singulos pedes singulis clavis; sed non poterant bis pedes perfodi, nisi essent duo clavi, sicuti non possent bis brachia, nisi esset cuique brachio suus clavus: ergo &c. Major Probatur ex Plauto in Mustellaria, ubi de famulo, cruci affigendo, dicit: *Affigantur bis pedes, bis brachia*.

Pro tertia Dissertationis parte, quæ est de Imagine, quæ dicitur Veronica, sciendum est, inter mulieres illas, quæ Christum comitabantur in itinere ad Calvarium, plangentes, & lamentantes, unam fuisse, quæ Veronica dicebatur. Hæc sudarium suum Christo exhibens, ad abstergendam faciem, sudore, & sanguine madentem, illico recepit a Christo sudarium cum impressione vultus ejus insignitum. Certum est, quod hujus facti altum est silentium; & in Evangelio, & in Ecclesiæ Patribus, & in veteribus Ecclesiasticæ Historiæ Tractatoribus, & in mediæ ætatis Scriptoribus. Primus autem, qui hujus historiæ meminit, fuit Marianus Scotus in Chronico, undecimo seculo cadente, a quo hauserit hunc factum Scotus, narrat Serry in Exercit. 53. dicens: „ Laudat ille quidem Methodium quemdam, ex quo suam illam Historiam hauserit: at quis ille, cujusve ætatis fuerit, ignoratur. Certe non fuisse illum Magnum Methodium, Tyriorum Episcopum, res illa probat, vel maxime, quod nihil hujusmodi in ejus Scriptis legere sit: fabulasque ea suo illo Methodio venditet Scotus, quas notæ sanctitatis, & eruditionis Episcopo nemo tribuerit. Libellum manuscriptum, de Sacræ hujus Imaginis sudario impressæ translatione Romam facta in Bibliotheca Vaticana servari, testatur Baronius: at quandonam, & a quo scriptus fuerit, non insinuat: nec eo solo titulo auctoritatem libellus obtinet, quod in Bibliotheca Vaticana servetur. Hæc enim, ut alicubi idem Baronius scribit, *similis est Sagenæ missæ in mare, ex omni genere piscium congreganti*, bonos, nimirum & malos. „ Subdit Serry in eodem loco: „ Ad hæc etiam, tota retro antiquitate *Veronicæ* nomen ignotum est. Unde & illi ipsi, qui primi Historiam hanc retulere seculo duodecimo, piam illam religiosamque mulierem, alii quidem *Venicem*, alii *Veronicem*, nonnulli *Berenicem* appellant: unde postmodum per depravationem *Veronica* dicta est. Depravationem illam nominis aliunde narram existimant viri eruditi, quibus assentior maxime: quod nimirum, ut primum pingi cœpis pia mulier, Christi faciem sudario impressam manibus gestans,

stans, *Veronica* dicta sit facies ipsa, sudario impressa: *Veronica* enim idem Græce sonat, ac *vera imago*: ignari autem, quorum infinitus est numerus, Veronicam nomen esse existimarunt, non imaginis sudario impressæ, sed mulieris gestantis imaginem. Hinc orta *Sancta Veronica*, quæ nunquam in Cœlo, imo & nunquam sub Cœlo fuit, quanquam in nullis Martyrologiis locum invenerit. „ Post Scriptores, quos recenset Serry, qui Imaginis dictæ Veronicæ nullatenus meminerunt, addit alios posterioris ætatis, post scilicet Marianum Scotum, qui de illa scripserunt, proinde factum verbis hisce concludit: „ En quid prisca ferat antiquitas, altum nempe de toto illo facto silentium. Cæterum si posterioris ætatis Scriptores audire libet, ab undecimo Ecclesiæ seculo, ac deinceps factum referunt, Marianus Scotus in Chronico ad annum 39., & Lucius Dexter ad annum 48. Sacram quoque Christi imaginem sudario impressam Romam jamdudum translatam (qualia visenda proponitur in Basilica Vaticana) scribunt Petrus Mallius libro inedito *de Basilica S. Petri*, Petrus Diaconus, Monachus Cassinensis, libro manuscripto *de Locis Sanctis*, Matthæus Vvestmonasteriensis, in Floribus Historiæ Anglicanæ ad annum 1216., Jacobus Grimaldus, Augustinus Patritius, Iacobus de Trecis, Baronius. Quibus addere præstat Romanos Pontifices, Nicolaum IV., Clementem VI., VII., & VIII., Gregorium XIII. de tanto thesauro in Sacro Basilicæ Vaticanæ Cimelio asservato, suis diplomatibus fidem facientes. Qui tamen Sacram Christi Imaginem, sudario impressam Veronicam vocant, non mulierem gestantem Imaginem. Ex his omnibus colligere facile est, factum ipsum piæ, ac religiosæ mulieris, Christo sudarium præbentis, idemque Christi Imagine insignitum recipientis incertum omnino esse, utpote quod seculo duntaxat undecimo vulgari cœperit: nomen vero *Veronicæ* mulieri huic attributum, popularem prorsus errorem esse. Cum non mulieris sed Imaginis sudario, ut putatur impressæ, nomen id esset; si tamen extitit aliquando. Sed redeamus in viam, & Christi, & nostram. „

Objiciunt I. Communiter dicitur, Crucem Domini proceram fuisse, ac magnam: ergo non poterat portari ab uno tantum: ergo simul a Christo, & a Simone portabatur. II. Patres plures quadratam Crucis formam agnoscunt: ergo non commissam, sed immissam potius Crucem Christi fuisse, sentiunt. III. Crux Christi comparatur a pluribus ligno, cui confixus fuit Aman; sed lignum, cui confixus fuit Aman, fuit Crux simplex, & non compacta: ergo talis etiam fuit Crux Christi. IV. Simon Cyrenæus, sicut portavit Crucem Christi usque ad Calvarium, ita eidem Cruci fuit confixus, quia Christus evanuit, & ipse Christi loco remansit; unde Judæi volentes crucifigere Christum, crucifixerunt Simonem. V. Suarez citato loco sect. 4. docet, veritatem Imaginis, quæ dicitur Veronica, haberi ex traditione; sed traditio in rebus sacris non est leviter rejicienda: ergo, &c. Afferuntur verba Suarez: „ Confirmari etiam hoc potest ex traditione, quæ habet, Christum, cum duceretur ad locum supplicii, portans Crucem in via, sudario quodam faciem tersisse, atque in eo effigiem suam impressam reliquisse, & sudarium ipsum sanguine tinctum, qui per faciem fluebat propter spineam coronam. „ VI. Nazianzenus in Tragicomedia *de Christo patiente*, docet, Christum tribus duntaxat clavis fuisse Cruci affixum: ergo non quatuor, ut diximus nos.

Respondemus ad I. fabulam sapere quod dicitur de longitudine Crucis ad quindecim pedes, & de ejus latitudine ad octo. Et hoc quidem pluribus probat Serry; Primo, quia quercus, ex qua formata fuit Crux, arbor est, præ cæteris gravis, & ponderosa; Secundo, quia eminentes Cruces hominibus eminentis fortunæ, ac status, parabantur, quod tradit Baronius in Martyrologio in notis ad diem septimum Aprilis; Christus vero, ut faber, & Fabri Filius, a Judæis, & a Romanis habebatur. Tertio, quia titulus Crucis in ea erat altitudine positus, ut a prætereuntibus commode legi posset. Non potuisset autem, si Crux Christi fuisset illius proceritatis, qualem Adversarii volunt.

Ad II. Verum est, quod Patres plures quadratam Crucis formam agnoscunt; nimirum Hieronymus in Commentariis ad cap. 15. Marci, & Minutius felix in Octavio: sunt etiam qui quatuor ejus extrema distinguunt, & sunt S. Maximus Taurinensis homil. 11. Damascenus lib. 4. de fide cap. 12. & Sedulius lib. 3. & sunt denique qui quatuor illius dimensiones expo-

ponunt, & sunt Augustinus tract. 118. in Joannem, & enarrat. in psalmum 103. ubi hæc habes: *Erat latitudo, in qua porrecta sunt manus; longitudo a terra surgens, in qua erat corpus affixum; altitudo ab illo innexo ligno sursum, quod eminet profundum, ubi fixa erat Crux, & ubi omnis spes vitæ nostræ*. Attamen omnes isti assertioni nostræ non opponuntur; quia, ut ait Serry: „ Si commissæ Cruci titulum supernæ addideris, maxime vero in columnæ modum, ut laudatus paulo ante Nicephorus observavit, quadratam formam, quatuor extrema, quatuor dimensiones habebis: etsi nihil horum præstiterit sectus in summo palus, ut in immissa Cruce contingit. Quod utique significatum voluit Augustinus, dum Crucis altitudinem petit *ab eo innexo ligno, quod sursum eminebat*. Hoc enim non aliud erat, nisi tabella titulum præferens, non ipsa defixi ligni summa pars. Unde Glossa super Clementinam primam de Summa Trinitate ait: *Tabulam supra Crucem loco quarti brachii fuisse*. Profecto quadratam Crucis formam nisi hoc sensu dixerint Patres, ut quartum angulum solus titulus redderet, secum ipsi pugnabunt: cum & Hieronymus, & Tertullianus quadratæ formæ assertores, eandem tamen Crucem litteræ T. speciem, atque figuram retulisse, alibi fateantur. „

Ad III. Comparatio inter Crucem Christi, & Aman, fuit inducta a Judæis quibusdam, qui, postquam Constantinus primus omnium Crucis supplicium sustulit lege lata, ad Christi crucifixi venerationem; ut legere est apud Sozomenum lib. 1. Histor. cap. 8. & Nicephorum lib. 7. cap. 46. quadam anni festa die Crucifixi Imaginem una cum Cruce flammis absumebant; & ne sacrilegii a Christianis accusarentur, dicebant, se non Christum nostrum, sed Amanem, hostem suum, hujusmodi olim supplicio affectum, repræsentare; quod facinus novo edicto vetuit Theodosius Junior C. Theodosiano lib. 16. titulo 8. & C. Justinianeo L. Judæos, de Iudæis, & Cœlicolis, ubi hæc leguntur: *Judæos quadam festivitatis suæ die solemni Aman ad pœnæ quondam recordationem incendere, & Sanctæ Crucis assimulatam speciem in contemptum Christianæ fidei sacrilega mente exurere, Provinciarum Rectores probibeant, ne locis suis Fidei nostræ signum immisceant. Sed ritus suos infra contemptum Christianæ Religionis retineant: amissuri dubio procul permissa hactenus, nisi ab illicitis temperaverint*.

Ad IV. Hæc, quæ memoratur in argumento, fuit insania Basilidis, & Marcionis, qui asserebant, Christum Dominum, translato ligno Crucis in Simonem, ita Iudæorum oculos perstrinxisse, ut se subduxerit, & evanuerit, & Iudæi credentes crucifigere Christum, crucifixerunt Simonem. Contra hunc errorem scripserunt Tertullianus lib. de præscriptionibus cap. 26. Eusebius lib. 4. Histor. Eccles. cap. 8. Augustinus lib. de hæresibus, &c.

Ad V. Suarez vocat traditionem, at non divinam, neque apostolicam, neque Ecclesiasticam, sed humanam. Et quamvis admittatur traditio, quod, scilicet illa sit Imago Christi, non tamen cogimur admittere illam eo modo, quo narratur; quum potuerit esse vel Imago Christi, ab aliis facta, vel si facta eo, quo narratur modo, non facta cum muliere, quæ dicta fuisset Veronica, cujus nomen, ut dictum est, in tabulis Ecclesiasticis non legitur.

Ad VI. Tragicomedia *de Christo patiente* abjudicatur Nazianzeno ab omnibus, qui Criticæ scientiæ sunt periti, & ejus legitimo Parenti adscribitur, qui fuit Apollinaris Laodicenus, & qui dicitur ineptus versificator, & nullius authoritatis Scriptor.

DIS-

DISSERTATIO CCXLIII.

De Passione Christi. De Latronibus simul cum Christo affixis Cruci. An fuerint crucifixi eodem modo, quo fuit Christus? Cujus generis fuerit, nationis, ac meriti, Latro pœnitens? Et quam pœnam sustinuerit Latro impœnitens, ac obstinatus?

ANGELICUS Doctor q. 46. art. 11. quærit: *Utrum conveniens fuerit, Christum cum Latronibus crucifigi?* Et affirmative respondet, dicens, quod Christus crucifixus est inter Latrones, sed alia intentione ex parte Judæorum, alia ex parte Dei. Siquidem Judæi voluerunt, Christum inter Latrones crucifigendum, ut fieret particeps suspicionis iniquitatis illorum. At diversimode evenit, quia de crucifixis Latronibus nihil dicitur, Crux vero Christi ubique honoratur, & colitur, quod asserit Chrysostomus homil. 88. in Matthæum. Deus vero plures habuit rationes, quibus voluit, ut Christus in medio Latronum crucifigeretur. Prima est, quia sicut Christus factus est pro nobis maledictum Crucis, sic pro omnium salute inter noxios, quasi noxius crucifigitur; & hæc est ratio Hieronymi super cap. 27. Matthæi. Secunda est, quia Christus in medio Latronum crucifixus sedebat pro tribunali, judicans electos, & reprobos; Unde Leo Magnus serm. 4. de passione dicebat: *Duo Latrones, unus ad dexteram, & alius ad sinistram crucifiguntur, ut in ipsa patibuli specie monstraretur illa, quæ in judicio ipsius omnium hominum facienda est discretio*; & Augustinus tract. 31. in Joannem: *Ipsa crux, si attendas, tribunal fuit: in medio enim Judice constituto, unus, qui credidit, liberatus; alius qui insultavit, damnatus est; jam significabat, quid facturus est de vivis, & mortuis, alios positurus ad dextram, alios vero ad sinistram.* Tertia, ut per duos Latrones ostenderetur omnis universitas humani Generis, ad sacramentum passionis Domini vocata; & hæc est ratio Hilarii can. 33. in Matthæum ante medium. Quarta, quia Latrones significant illos, qui in ærumnis, & tormentis laborant, cum hoc tamen discrimine, quod qui faciunt hoc pro æterna gloria, dextri Latronis fide designantur; & qui humanæ laudis ratione gerunt, sinistri Latronis fidem & actus imitantur; & hæc est ratio Bedæ in cap. 15. Marci in c. 44. circa medium. Cæterum hoc, quod est Christum inter duos Latrones crucifigendum, jam prædictum ab Isaia fuerat cap. 53. *Et cum sceleratis reputatus est.* Modo hæc circa Latrones discutienda veniunt; I. Quomodo Latrones crucifixi fuerint, an funibus, an clavis? II. An ambo improperaverint Christo, an unus tantum, isque malus, & impœnitens? III. An Latrones nudi Cruci affixi fuerint, sicut dicitur fuisse Christum? IV. Quare Latro pœnitens positus fuerit ad dexteram Christi, impœnitens vero ad sinistram?

Ad I. Quæsitum dicimus, Latrones fuisse Cruci affixos, non funibus, sed clavis. I. probatur, quia Scriptura eodem verbo exprimit crucifixionem Christi, ac Latronum: ergo eodem modo fuerunt crucifixi Latrones, ac Christus; sed Christus fuit crucifixus clavis, & non funibus: ergo ita pariter Latrones. Probatur antecedens. Græcum verbum, exprimens crucifixionem est σταυρόω; sed hoc adhibetur ad exprimendam tam Christi, quam Latronum crucifixionem: ergo eodem verbo, &c. Sic pariter Editio Latina æque dicit de Christo, & de Latronibus, quod fuerunt Crucifixi; si autem Latrones sic non fuissent, debuisset potius dici, quod fuerint Crucibus suspensi. Et re vera ubicumque Scriptura loquitur de Crucifixis, intelligit illos, qui Crucibus fuerunt affixi per clavos, & non per funes. II. Assertioni nostræ favent Chrysostomus homil. 15. in epist. ad Romanos, & homil. de Cruce, & Latrone: *Quod mente sana vigilabat clavorum confi-*

xione constrictus; *quis poterit non admirari?* Augustinus lib. 1. ad Simplicianum q.2. & tract. 7. in Joannem, & serm. 130. de tempore; ubi de bono Latrone loquens, inquit: *In semetipso erat clavis confixus, & non sancium intellectum, neque confixum sensum habebat*; Gregorius Magnus lib. 18. Moral. cap. 25. *In Cruce clavi manus, pedesque ejus ligaverunt, nihilque in eo a pœnis liberum, nisi cor, & lingua remanserant*; quibus subscribunt Basilius Seleuciensis orat. 17., Alcimus Avitus carm. 3., Nonnus in cap. 19. Joannis, Abulensis in Parad. 3. cap. 44., aliique. III. probatur, quia quando Helena invenit Cruces, Christi Domini, & Latronum, & nesciebatur qualis esset Christi, & quales Latronum, opus fuit miraculo, ut dignoscerentur; sicuti testantur S. Paulinus epist. ad Severum, Theodoretus lib. 1. Histor. cap. 18. Nicephorus lib. 8. cap. 29. Aleaander Monachus orat. *de Inventione Crucis*; sed non fuisset necessarium miraculum, si Latrones fuissent Crucibus affixi funibus, & non clavis: ergo, &c. Probatur minor. Si Latrones fuissent crucibus affixi funibus, & non clavis, non fuissent in crucibus ipsorum fixuræ clavorum, quæ erant in Cruce Christi; sed hoc fuisset sufficiens signum ad discernendum illas: ergo non fuisset necessarium miraculum.

Ad II. Quæsitum, Matthæus cap. 27. v. 44. & Marcus cap. 15. v. 32. videntur dicere, quod ambo Christo improperaverint *Latrones, qui crucifixi erant cum eo, improperabant ei*; & de duobus pariter intelligunt, Origenes tract. 35. in Matthæum, Athanasius serm. de passione, & Cruce Domini, Ambrosius lib. 10. in Lucam, Hieronymus in cap. 27. Matthæi, Chrysostomus homil. 88. in Matthæum, S. Prosper lib. contra Collatorem cap. 14. Theophylactus, Euthymius, aliique. S. Lucas vero aperte asserit, unum tantum Latronem improperasse Christo, alterum vero illum increpasse, ac Christi partes suscepisse, & sustinuisse. Hæc sunt verba Lucæ cap. 23. v. 39. *Unus autem de his, qui pendebant, latronibus, blasphemabat eum dicens: Si tu es Christus, salvum fac temetipsum, & nos. Respondens autem alter, increpabat eum, dicens: Neque tu times Deum, quod in eadem damnatione es? Et nos quidem digna factis recipimus; hic vero nihil mali gessit*. Et hanc de uno Latrone blasphemante Christum, eique improperante, opinionem sequitur Augustinus lib. 3. de consensu Evangelistarum c. 16. quem sectatur quoque S. Thomas citato loco ad 3. ubi scribit: *Ad tertium dicendum, quod sicut Augustinus dicit in lib. de consensu Evangelistarum, possumus intelligere, Matthæum posuisse pluralem numerum pro singulari, cum dixit, latrones improperabant ei. Vel potest dici secundum Hieronymum, quod primum uterque blasphemaverit, deinde, visis signis, unus eorum crediderit*. Suarez ad S. Thomæ verba hæc addit: „Nam Matthæus, & Marcus in plurali dicunt, Latrones improperasse Christo: Lucas vero unum ait blasphemasse, alterum vero confessum esse Christum. Et duas adhibet solutiones. Prior est, in principio utrumque latronem blasphemasse Christum, postea vero alterum pœnituisse. Hanc ponit D. Thomas posteriori loco; unde videtur illam magis probare. Fuit autem hæc expositio Hieronymi, Chrysostomi, Theophylacti, & Euthymii in Matthæum, & Cyrilli Jerosolymitani catechesi 13., Origenis tract. 35. in Matthæum, & significat etiam Hilarius can. 33. in Matthæum. Posterior expositio est, Marcum, & Matthæum loquutos fuisse figurate, utentes numero plurali pro singulari, quæ loquutio est frequens in Scriptura. Ita Epiphanius hæresi 66. in cathalogo hæresum, & Augustinus lib. 3. de consensu Evangelist. cap. 16. & Anselmus in Matthæum. Et hæc expositio videtur mihi præferenda, quanquam Ambrosius lib. 10. in Lucam, sub dubio utramque relinquens dicat: *Forsasse & iste prius convitiatus est, sed repente conversus*. Et infra: *Potuit enim de uno pluraliter dicere, sicut est illud ad Hebræos 11. In pellibus caprinis secti sunt, obturaverunt ora leonum; cum solus Elias melotem habuisse, Isaias sectus esse, Daniel leonibus intactus mansisse, doceatur*." Observationi Suarez subscribit Serry Exercit. 55. nu. 4. post relata verba Lucæ subdens: „Quæ sane ne pœnitens quidem alteri exprobrare potuisset, si & ipse paulo ante blasphemasset. Quare Matthæus, & Marcus, latrones indefinite per syllepsim dixerunt, loquendi formula Sacris Scriptoribus familiari; ut blasphemantis conditionem, non numerum adnotarent."

Ad III. Quæsitum; quod Christus nudus de Cruce pependerit, ex testimonio Patrum affirmat Serry Exercit. 54. nu. 4. *ac ne illas quidem velatum partes*, ait, *quas in nobis naturalis pudor obtegi postulat*: Et

per

per hoc ex Augustino profert, quod fuerit Adamo innocenti omnino similis, nihil habens in toto corpore, quod puderet; & hoc quoque ad passionis ejus gravitatem, hoc gravissimo oneratus opprobrio. Patres, quos citat, sunt S. Athanasius serm. *de Passione, & Cruce Domini*, Ambrosius lib. 10. in Lucam, Augustinus lib. 16. de Civit. Dei cap. 12. & lib. 12. contra Faustum cap. 23., Joannes Chrysostomus homil. 6. in cap. 2. epist. ad Colossen., Cyrillus Jerosolymitanus catechesi Mystagogica 2., Hesychius homil. de S. Andrea, S. Bonaventura in medit. Vitæ Christi cap. 78. Ex recentioribus vero Joannes Hessellius, Petrus Montanus, Joannes Molanus, Franciscus Lucas, Vicecomes, Paleotus, Gretserus, Suaresius. Post quæ idem Serry concludit: „ Quare illos & ratio & auctoritas longe „ fugit, qui Christum de Cruce pendentem „ femoralibus, aut certe perizomate, te„ nuive aliquo velo contectum arbitran„ tur: quique laudatos Patres de ea nudi„ tate locutos existimant, paulo latius ac„ cepta, qua quisque nudus dicitur, modo „ sit extimis indumentis exutus, utcumque „ sit genitalia contectus: cum præsertim „ perizomata, sive succentoria non cen„ seantur in veste. Aliam longe Patrum „ fuisse sententiam, illud arguit, quod „ Christum sic nudum in Cruce fuisse di„ cant, *ut nascimur nos, ut cœlum petemus,* „ *ut Protoparentes fuere in Paradiso*, unde „ nonnisi dejecti, fecerunt sibi perizoma„ ta: hacque ipsa de causa Christi patien„ tis opprobrium, & confusionem vehe„ menter exaggerent. „ Suaresius, ab ipsomet Serry citatus, exscribit 3. p. q. 46. art. 3. disput. 86. sect. 4. „ Circa priorem „ ergo partem de Christi nuditate, unum „ videtur certum, scilicet, Christum Do„ minum fuisse nudatum omnibus vesti„ bus, quibus induebatur. Nam Evange„ lium dicit, milites divisisse sibi vestimen„ ta Christi, & super tunicam, quæ inte„ rior subucula fuisse existimatur, misisse „ sortem. In dubium ergo revocatur, an „ nudus omnino fuerit Crucifixus, vel ali„ quod velum ei sit datum, quo verenda „ tegerentur. Quidam enim hoc posterius „ sentiunt, ac pie meditantur, quod legi„ tur in dicto libro Revelat. S. Brigittæ, „ ubi B. Virgo sic loquens introducitur: „ *Stante filio meo, sicut natus erat, nudo cor*„ *pore, unus tunc accurrens portavit sibi ve*„ *lamen, quo ipse exultans intime velabat* „ *verenda sua*. Juxta quæ verba Christus „ prius tectus fuit, quam crucifigeretur, „ vel in altum elevaretur. Et confirmari „ potest, quia Christus tantum ea passus „ est, quæ ipse decrevit, ac voluit: ergo „ cum in hac nuditate videatur esse quæ„ dam indecentia, valde repugnans hone„ stati, verisimile est Christum ita decre„ visse passionem suam, ac movisse volun„ tates eorum, qui astabant, ut hujusmodi „ nuditatem adeo verecundam pati, mini„ me coactus sit. Denique propter hanc „ naturalem honestatem omnes Crucifixi „ Imagines hoc modo depinguntur: ergo „ verisimile est propter eandem causam ef„ fecisse Deum, ut in ipsa re repræsentata „ eadem honestas servetur. Nihilominus „ communior sententia Sanctorum Patrum „ est, Christum omnino nudum, absque „ alicujus partis velamine, crucem ascen„ disse. Ita Ambrosius lib. 10. in Lucam, „ ubi sic inquit: *Refert considerare qualis* „ *ascendat: nudum video. Talis ascendit,* „ *quales nos, authore Deo, natura formavit,* „ *talis in Paradiso homo primus habitaverat,* „ *talis ad Paradisum homo secundus intravit.* „ Idem significat Athanasius orat. de Pas„ sione, & Cruce Domini, dicens: *Exue*„ *rat vestimenta sua, dicebat enim, cum ho*„ *minem introduceret in Paradisum, exuere* „ *tunicas, quas Adam accepit, cum e Paradi*„ *so ejiceretur*. Atque eandem sententiam „ amplectuntur Bonaventura, & Ludol„ phus locis citatis. Conjectura etiam ad„ jungi potest primo, quia Christus cum „ alligatus fuit columnæ, ut flagellaretur, „ omnium sententia omnino nudus fuit: „ ergo non recusavit pro hominibus affici „ hoc dedecore, & dolore, atque tristitia, „ ex hujusmodi pudore orta. Præterea „ (si ratione humana utamur) non est ve„ risimile hostes ipsos Christi habuisse cu„ ram tegendi illum; vix etiam aliquis ex „ iis, qui astabant, ausurus esset illi sub„ venire, aut hanc benevolentiam in eum „ ostendere, quinimmo, etiam si aliquis, „ ut B. Virgo, Magdalena, aut Joannes „ hoc auderet, non fuisset permissus ab „ iis, qui omnem injuriam, & ignominiam „ Christo vehementer optabant. Si autem „ divinæ providentiæ rationem specte„ mus, nihil absurdi est, quod Christus „ nuditate sua nostram nuditatem operire „ voluerit, omniumque temporalium re„ rum abjectionem perfectam docuerit. „ Item hoc signo manifestavit fuisse a Pa„ tre relictum voluntati, & arbitrio Ju„ dæorum. Denique in hujus rei confir„ mationem afferri potest, hanc Christi „ nu-

„ nuditatem figuratam esse in Noe Genes. „ 9. qui cum vineam plantasset, inebriatus vino illius, omnino nudatus est; quod „ de Christo eleganter explicant Augustinus 16. de Civit. Dei c. 2. & lib. 12. contra Faustum c. 263., & Cyprianus epist. „ 63., Rupertus, & Eucherius in Genes. In „ re igitur incerta, hæc sententia posterior probabilior videtur. „ Latrones autem absque controversia omnino nudi crucifixi fuerunt; quod omnes Scriptores pari voce confirmant. At sine corona spinarum, quia illis non fuerat antecedenter imposita. An autem Christus spinis coronatus fuerit Cruci affixus, duplex est opinio; Prima est illorum, qui negant dicentes, quod Christus, quando nudatus est chlamyde coccinea, & propriis vestibus indutus, ad Crucem portandam, omnia insignia regia, quamvis ludicra, deposuit, ac proinde verisimile est, tunc quoque illi fuisse ablatam coronam. Et hujus opinionis est Euthymius can. 67. in Matthæum. Alia vero opinio est illorum, qui asserunt, Christum ductum esse ad patibulum cum spinea corona, & cum eadem fuisse Cruci affixum. Hanc opinionem docent Origenes tract. 15. in Matthæum, dicens: *De Chlamyde scriptum est, quoniam denuo spoliaverunt eum chlamydem coccineam; de corona autem spinea nihil tale Evangelista scripserunt; propterea quod & nos quærere voluerunt exitum rei de corona semel imposita, & nunquam detracta.* Docet pariter Cyprianus serm. *de passione Domini*, si ejus legitimus est fœtus, scribens: *Consideravi opera tua, & expavi; clavis sacros pedes terebrantibus, fossisque manibus de vulnerum anxietate non loqueris; de spinis sacrum caput pungentibus, non quereris; sed satagis, ut innotescat posteris, quare derelictus a Deo videaris, expositus contumeliis, & Judæorum ludibriis.*

Ad IV. Quæsitum, Patres docent, quod Latro pœnitens pependerit ad dexteram, impœnitens vero ad sinistram; & quod hoc symbolo figurata fuerit bonorum, malorumque divisio in extremo judicio futura. Ita scribunt Hilarius can. 33. in Matthæum, Augustinus tract. 31. in Joannem, Hieronymus in cap. 15. Marci, Leo Magnus serm. 4. de passione, Rupertus Abbas lib. 2. in Isaiam; quibus Recentiores omnes subscribunt. Solus Hadrianus Junius posuit Latronem impœnitentem ad dexteram, & pœnitentem ad sinistram, hac sola ductus conjectura, quod Jacob morti proximus potiora jura tradidit Ephraimo, qui erat ad lævam, minora Manassi, qui erat ad dexteram. Sed nemo usquemodo dixit, quod per binos illos Jacobi Nepotes, duo Latrones præsignati fuerint. Ulterius Jacob illis benedixit manibus decussatis: Unde per hoc Ephraimus, quia potiora jura tulit, Jacobo benedicenti factus est dexter, Manasses vero sinister.

Pro Secunda Dissertationis parte, I. inquirimus de nominibus utriusque Latronis; II. De eorundem natione; III. De utriusque merito, & demerito. IV. De utriusque præmio, & pœna.

Respondemus ad I. Quæsitum, quod Consarcinator Collectaneorum, quæ Bedæ adscribuntur, dixit primus omnium, bonum latronem habuisse nomen Matha, malum vero Joca: Goffridus Vindocinensis serm. 10, bonum appellavit Dismam; alii dixerunt Dismam, alii Gismam, & Gesmam. Nonnulli quoque malum vocarunt Dismam, & bonum Gestam. Re vera in Martyrologiis Bedæ, Usuardi, Adonis, & præcipue in Romano, nullum nomen bono Latroni datur; & in hoc ultimo octavo Kalendas Aprilis hæc dumtaxat leguntur: *Jerosolymis commemoratio S. Latronis, qui in Cruce Christum confessus, ab eo meruit audire: Hodie mecum eris in Paradiso.* Unde Graveson dissert. 20. qu. 5. scribit: „ Quo „ nomine donatus esset Latro pœnitens, „ quidam otiosi Scriptores ariolari tentarunt, sed frustra; cum ea de re non solum sileant Scriptura Sacra, & Sancti „ Patres, sed etiam nullum Latroni pœnitenti nomen Martyrologia, Romanum, „ Bedæ, Usuardi, Adonis, adscribant, „ sed tantum ejus memoriam 8. Kalendas „ Aprilis notent his verbis: *Hierosolymis „ commemoratio S. Latronis, qui in Cruce „ Christum confessus, ab eo meruit audire: „ Hodie mecum eris in Paradiso.* „

Ad II. Quæsitum dicimus, incertum quoque esse, cujus nationis Latrones fuerint. Chrysostomus serm. 7. in Genes. dixit: Bonum Latronem fuisse Gentilem; Euthymius opinatus est, fuisse Judæum. Huic secundæ opinioni nos potius accedimus, quia credidit, Christum promissum esse Messiam; vir autem Gentilis Messiæ cognitionem habere non poterat.

Ad III. Quæsitum, Petrus Exquilinus, Dionysius Richerius, Franciscus Mendoza, dicunt, quod bonus Latro, quando Christus in Ægyptum fugiebat, cum in itine-

re

re convenit, & misericordia motus, nullam ei injuriam intulit, sed potius cum Matre, & putativo Patre, bene habuit; Unde propter hoc in ultimo vitæ momento a Deo misericordiam est consequutus. Tribuitur hæc narratio Sancto Anselmo in libro ad Sororem *de Beneficiis Dei*, ubi hæc habet: *Erat, ut dicunt, Principis Latronum filius, qui præda potitus, cum parvulum in matris gremio comperisset, tanta ei ejus speciosissimo vultu splendoris majestas apparuit, ut eum supra hominem esse non ambigens, incalescens amore, complexus est eum: Et o, inquit, beatissime parvulorum, si se aliquando tempus obtulerit mihi miserendi, tunc memento mei, & hujus temporis noli oblivisci. Ferunt, hunc esse Latronem, qui ad Christi dexteram crucifixus est, cum alterum blasphemantem corripuisset, dicens: Nonne tu times Deum, quod in eadem damnatione es? Et nos quidem digna factis recipimus, hic vero quid mali fecit? Conversus ad Dominum, cum in illa, quæ in parvulo apparuerat, intuens majestate, pacti sui non immemor: Memento, inquit, mei, cum veneris in regnum tuum.* Verum ipsemet Anselmus, de vita Eremitica, falsum hoc factum judicat; Unde ad Sororem dicit: *Hoc ad incentivum amoris non inutile arbitror, hac uti opinione, remota tamen omni affirmandi temeritate*; quæ verba Serry Exercit. 55. sic explicat:
„ Nempe totum id falsum habet, ac sine
„ temeritate affirmari non posse putat, ea-
„ que dumtaxat mente narrat, quod ad fru-
„ ctum spiritualem conferre possit; qui ex
„ apologis quoque, & indubitatis commen-
„ tis non repudiatur. Quid etiam ineptum
„ magis, quam animo sibi fingere, Latro-
„ nem per vias publicas prædas agentem,
„ puerulum Jesum menses vix duos natum,
„ serio fuisse allocutum; ejusdemque mise-
„ ricordiam in futurum tempus implorasse,
„ in amorem illius jam tunc exarsisse,
„ ac tum demum post annos amplius tri-
„ ginta, dum in Cruce penderet, ex facie
„ cognovisse „? Ulterius Jacobus de Voragine serm. 3. *de Innocentibus*, dicit, quod umbra Christi pendentis de Cruce inclinabat in Latronem bonum, qui positus erat ad Septentrionem, non vero in alterum, qui pendebat ad Austrum; & tribuitur hæc caussa conversionis boni Latronis, etiam S. Vincentio Ferrerio serm. 4. majoris hebdomadæ. Sed duplici fundamento hæc pia meditatio impugnatur; Primum est, quia Christus actus est in Crucem ipso meridie, & in illa hora umbra ipsius Latronem in sublime positum attingere non poterat; Secundum est, quia ab hora sexta usque ad nonam, hoc est a meridie ad horam tertiam tenebræ factæ sunt super universam terram; in medio autem tenebrarum nulla poterat umbra apparere. Igitur dicendum est, Latronem bonum, quando in Cruce pendebat, fuisse interius a Deo illuminatum, & ipsum internæ motioni Dei consensisse. Unde fuit in eo excitata fides illa, & confessio. Hoc ipsum asseruisse videtur Leo Magnus serm. 2. de passione: *Quæ istam fidem exhortatio persuasit? Quæ doctrina imbuit? Quis prædicator accendit? Non viderat prius acta miracula, cessaverat tunc languentium curatio, cæcorum illuminatio, vivificatio mortuorum: ea ipsa, quæ mox erant gerenda, non aderant; & tamen Dominum confitetur, & Regem, quem videt supplicii sui esse consortem. Inde ergo oriebatur hoc donum, unde accepit fides ipsa responsum.*

Ad IV. Quæsitum, Bonus Latro meruit a Christo promissionem Paradisi Lucæ 23. *Hodie mecum eris in Paradiso*; & meruit Paradisum ipsum, quem consequutus est. Quis autem Paradisus intelligatur, an terrestris, an Cœlestis, non est certum; siquidem Justinus Martyr, vel quisquis alius est Author quæstionum ad Orthodoxos qu. 75. 76., & 85., quem sequitur Euthymius can. 81. in Lucam, aliique Expositores, dicunt, fuisse promissum Latroni Paradisum illum, ex quo ejectus fuit Adam. Sed hæc sententia impugnatur I., quia fundatur in errore Chiliastarum, seu Millenariorum, qui dicebant, Animas Sanctorum nonnisi post mille annos Deum visuras, & interim extra Cœlestem Paradisum in aliquo amæno loco immorari. II., quia responsio Christi correspondere debebat petitioni Latronis; Latro autem petiit regnum Cœleste, non Paradisum terrestrem: ergo &c. III. Quia Christus die illa non debebat esse in terrestri Paradiso; unde non verificatur particula illa *hodie*. Rectius ergo alii Patres, & cum ipsis Augustinus epist. 57. ad Dardanum, intelligunt Paradisum cœlestem, seu locum illum, in quo Beati Deo fruuntur.

Objiciunt I. Origenes homil. 35. in Matthæum, super illa verba Matthæi 26. *Si oportuerit me mori tecum, non te negabo*, hæc habet: *Mori cum Jesu, pro omnibus moriente, hominum non erat*: Et Ambrosius lib. 10. in Lucam super illa verba Lucæ 22. Pa-

22. *Paratus sum tecum, & in carcerem, & in mortem ire*; hæc scribit: *Passio Domini æmulos habet, pares non habet*: ergo conveniens non fuit, quod Christus Dominus simul cum Latronibus pateretur. II. Nec ex parte Christi, nec ex parte sue, poterat bonus Latro cognoscere Christum esse Messiam & Regem: ergo eum re vera non cognovit. Probatur antecedens; non ex parte Christi, propter scandalum Crucis, quia tunc videbat eum in summa ignominia, dolore, & abjectione positum: neque ex parte sue, quia ipse etiam erat positus in gravissimo tormento, & angustia. III. Hieronymus in cap. 27. Matthæi docet, quod bonus Latro credidit propter miracula, quæ vidit in morte Christi, & præcipue propter terræ commotionem, saxa disrupta, tenebras advenientes, &c.: ergo non propter internam illuminationem tantum, ut nos diximus. Probatur antecedens verbis Hieronymi citato loco: *Sole fugiente, terra commota, saxisque disruptis, & ingruentibus tenebris, unum Latronem cœpisse credere, & confiteri Jesum.* IV. Alii Patres dixerunt, quod bonus Latro cognoverit, & confessus fuerit Christum, propter famam miraculorum, quæ audierat, & fortassis etiam viderat; Et hujus sententiæ est Origenes tractatu 35. in Matthæum; vel propter exempla virtutum, quæ tunc in Christo admirabatur, patientiæ, scilicet, modestiæ, & charitatis, qua pro inimicis suis orabat; & hoc docent Theophylactus in cap. 23. Lucæ, & Euthymius can. 67. in Matthæum; & denique propter publicam populi vocem, quæ Christum innocentem conclamabat. V. Vel Latro ingressus est Paradisum die illa, qua Christus est mortuus, vel postea; si postea: ergo non verificatur *hodie*; si die illa: ergo ingressus est Paradisum ante Christum; & hæc est sententia Cyrilli Jerosolymitani apud Suarez, dicentis, Latronem hunc ingressum fuisse Paradisum ante omnes antiquos Patriarchas; atque adeo hunc primum inter homines, post Christum, Deum clare vidisse. VI. Latro pœnitens nullum suscepit baptismum, & nihilominus post Christi adventum nemo poterat Paradisum sine baptismo introire.

Respondemus ad I., quod non conveniebat, ut cum Christo aliquis alius propter eandem caussam pateretur; unde Origenes loco in objectione citato subdit: *Omnes fuerant in peccatis, & omnes opus habebant, ut pro eis alius moreretur, non ipsi pro aliis*. Ita etiam explicantur verba Ambrosii; passio enim Christi Æmulos habet, quia plures patiuntur; sed pares non habet, quia non propter eandem caussam patiuntur.

Ad II. Hoc effecit lumen interius, quo illustratus fuit Latro pœnitens, quod facere omnino non poterant omnes humanæ considerationes; immo quod repugnabat omnibus humanis ratiociniis. Et propterea dicimus eum a Deo illustratum, quia cognovit ut Regem & Deum, quem Cruci affixum cernebat, & quem fere omnes despiciebant, & atrocissimis injuriis onerabant.

Ad III. Præter tenebras, omnia illa miracula evenerunt post mortem Christi; unde miratur Suarez, quod hoc non adverterint illi, qui nobis tertium argumentum objiciebant. Ait enim: „Sed mirum „est, hos Patres non animadvertisse hanc „sententiam pugnare cum Evangelio, quia „exceptis tenebris, cætera signa acciderunt mortuo jam Christo, (ut plane ex „Evangelio constat) cum tamen ex eodem „Evangelio perspicuum sit, Latronem „conversum esse vivente Christo. Solis autem defectio, & tenebræ post Latronis „conversionem a Luca narrantur. Eandem „vero cum Leone sententiam docet Cyrillus catech. 73. dicens: *Quæ virtus te „illuminavit o Latro? Quis te docuit adorare „contemptum, & simul Cruci affixum? O lumen perpetuum illuminans obscuratos!* Eandem sententiam latissime prosequitur „Augustinus dicto serm. 130. de tempore, „Chrysostomus sermon. de Latrone, & „serm. 1. de cruce, & latrone „.

Ad IV. dicimus cum eodem Suarez, quod hæc omnia non fuissent satis, si bonus Latro non habuisset miraculosam Dei motionem, & illustrationem, per quam Christi cognitionem adeo claram adeptus est, ut eum confiteretur, & innocentem hominem, & altioris Regni Regem, & Supremum Dominum, in cujus potestate esset subvenire, si vellet.

Ad V. respondet Suarez 3. p. q. 46. art. 11. disput. 66. „Sed hoc occasione inquiri „hic poterat, an hoc sit certum, scilicet, „latronem hunc statim post obitum admissum fuisse in Paradisum, absque ulla „mora. Respondetur de fide solum est „certum eo die, quo Christus dixit, ingressum fuisse Paradisum. Quod potest „intelligi, vel de die artificiali, ut sit sensus, *hodie*, idest ante solis occasum, vel de „die

„ die naturali, & ita potest extendi usque ad mediam noctem; Unde si quis diceret, post mortem habuisse hunc Latronem aliquid purgandum, atque ita per aliquot oras fuisse in Purgatorio; dum tamen diceret intra illum diem naturalem fuisse in Paradiso, nihil diceret contra fidem. Cæterum probabilius, & doctrinæ sanctorum magis consentaneum, ac denique fere certum est, statim sine ulla mora fuisse beatum. Quia credendum est, conversionem adeo miraculosam fuisse tam perfectam, ut integram remissionem culpæ, & pœnæ consequuta sit. Item quia opera Christi erant perfecta, & verba ejus indicant plenissimam remissionem. Denique etiam tormentum crucis, & confractio crurum illi potuerunt ad plenam satisfactionem valere. Et fortasse hoc etiam senserunt Cyprianus, & Augustinus appellantes hunc martyrem, & baptizatum. Quia scilicet, assequutus est plenam remissionem, quæ per baptismum, & martyrium obtineri solet „. Quibus verbis dicere videtur Suarez, quod boni Latronis anima non fuerit die illa Paradisum ingressa, sed quod habuerit visionem beatam, cujus nomine Paradisus intelligitur. Ad sententiam autem Cyrilli idem Suarez hæc dicit: „ Sed hæc sententia in rigore non est vera, quia (ut infra dicemus) janua Regni cœlestis in instanti mortis Christi aperta fuit hominibus, in eodem ergo momento, omnes, qui digni erant, neque alio impedimento tenebantur, ingressi sunt: ergo cum Christus mortuus fuerit ante Latronem, necesse est, ut multi fuerint ante Paradisum ingressi ante illum. Neque ex verbis Christi potest aliud colligi, quia non dixit Latroni, tu solus, vel tu primus eris mecum in Paradiso. Neque fortasse Cyrillus voluit oppositum docere: sed solum ponderare huic latroni primum omnium factam esse promissionem specialem, & datam certam spem ingrediendi Paradisum, statim post suum obitum, quod neque Abrahæ, neque Moysi concessum est. Itaque verba Cyrilli, licet minus propria sint, intelligenda sunt tamen, non de proprietate absoluta, sed proportionali, ut item dicam, idest, hunc Latronem fuisse primum, qui statim post suum obitum paradisum ingressus est. Atque ita prius proportionaliter ingressum esse, quam omnes anteriores sanctos. Illi enim longo tempore post mortem: hic vero statim ab instanti suæ mortis vidit Deum „.

Ad VI. Augustinus ut responderet Donatistis, & Pelagianis, qui sæpius Baptismi necessitatem impugnabant exemplo Latronis pœnitentis, qui sine baptismate Paradisum adeptus fuerat, tria reponere solebat lib. 4. de Baptismo contra Donatistas cap. 22. super Leviticum quæst. 84. lib. 1. de anima & ejus origine cap. 9. & lib. 4. cap. 9., primum, scilicet, quod supplicium Crucis sponte a Latrone susceptum, ac cum tanta spe, & charitate toleratum, martyrii vices tenuerit; Secundum, quod incertum illi erat, an non & ipse Latro, antequam damnaretur, sacro Baptismate tinctus esset; Tertium, quod aqua de Christi latere exiens potuerit illi esse Baptismi loco. En Augustini verba lib. 1. *de anima &c.* cap. 9. *Inventa est in eo mensura martyrii, qui tunc in Christum credidit, quando defecerunt, qui futuri erant Martyres. Et hoc quidem oculis Domini clarum fuit, qui non Baptizato, tanquam martyrii sanguine abluto, tantam felicitatem statim contulit. Sed etiam nostrum quis non consideret, quanta fide, quanta spe, quanta charitate, mortem pro Christo vivente suscipere potuit, qui vitam in moriente quæsivit? Huc accedit*, „ *quia non incredibiliter creditur, Latronem, qui tunc credidit juxta Dominum Crucifixum aqua illa, quæ de vulnere lateris emicuit, tanquam sacratissimo Baptismo fuisse perfusum. Ut omittam quod eum, antequam damnaretur, baptizatum non fuisse, quoniam nemo nostrum novit, nemo convincit.* Et lib. 4. cap. 9. *Latro ille quanvis potuerit judicio divino inter eos deputari, qui martyrii confessione purgantur, tamen etiam utrum non fuerit baptizatus, ignoras. Nam, ut omittam, quod creditur, aqua simul cum sanguine exiliente de latere Domini juxta confixus potuisse perfundi, atque hujusmodi sanctissimo Baptismate dilui: quid si in carcere fuerat baptizatus, quod & post persequutionis tempore nonnulli clamculo impetrare potuerunt? Quid si & antequam teneretur?* Post quæ Serry Exercit. 55. hæc addit de suo: „ Nihilosecius, binis illis Sanctissimi Doctoris responsis omissis, quæ nostra modo nil referunt; certo certius est, aquam illam de Christi latere simul cum sanguine salientem Latroni pœnitenti baptismati loco esse non potuisse. Cum is antea confractis cruribus mortuus esset, quam Christi latus perfoderetur, salireque ex eo sanguis, & aqua. Constat id ex ipsa rerum gestarum serie apud Joannem cap. 19. *Judæi ergo rogaverunt*

„ *Pi-*

,, *Pilatum, ut frangerentur eorum crura, & tollerentur. Venerunt ergo Milites, & primi quidem fregerunt crura, & alterius, qui crucifixus est cum eo. Ad Jesum autem cum venissent, ut viderunt eum jam mortuum, non fregerunt ejus crura: sed unus militum latus ejus aperuit, & continuo exivit sanguis, & aqua.* Dicendum igitur, Augustinum tertium illud de aqua saliente responsum tanquam vulgatam, atque a multis ætate sua receptam narrationem ad solutionis cumulum addidisse; cui nec ipse integram fidem adjungeret. Unde subjungit e vestigio: *Verum hæc, ut volet quisque, accipiat; dum tamen de Baptismo non præscribatur Salvatoris præcepto hujus Latronis exemplo.* Et sane, quam sit illud futile & ineptum, ad Baptismatis necessitatem oppugnandam, Latronis pœnitentis exemplum, nemo prima fronte non videt: miror que Divum Augustinum bonas horas in eo refellendo collocasse, ad quod reponere satis erat: necdum tunc, cum Christus de Cruce penderet, suscipiendi Baptismatis præceptum obligasse, Christumque suprema auctoritate posse seipso effectum, Sacramenti cuique conferre sine Sacramento, atque ita Latronem pœnitentem, nullo Baptismate tinctum æternæ gloriæ fecisse participem,,.

DISSERTATIO CCXLIV.

De Passione Christi: Quo tempore, & loco Christus Crucifixus fuerit? A quibus Lictoribus, atque Tortoribus? Et de prodigiis, quæ in Christi Crucifixione, ac morte, evenerunt?

CIRCA tempus Crucifixionis Christi, tria enudanda sunt; I. de anno & seculi, & vitæ Christi; nimirum, quo anno Imperii Tiberii Cæsaris Christus sit mortuus, & quo anno vitæ ipsius Christi; II. de die; III. de hora.

Ad I. quæsitum; multæ sunt Sanctorum Patrum, & inter se diversæ opiniones. Prima est Tertulliani libro contra Judæos cap. 8., quam tenent Julius Africanus apud Hieronymum in cap. 9. Danielis, Clemens Alexandrinus lib. 1. Stromatum, Lactantius lib. 4. Institut. cap. 1., Hieronymus epist. 22., Augustinus lib. 18. de Civit. Dei cap. ultimo, Prosper in Chronico, Bernardus serm. 2., qui omnes asserunt, Christum anno vitæ suæ trigesimo crucifixum esse, ac mortuum. Secunda opinio est illorum, qui dicunt, mortuum esse Christum anno vitæ suæ trigesimo primo; & hi sunt Origenes tract. 35. in Matthæum, Chrysologus serm 151., Philastrius Brixiensis lib. de Hæresibus. Tertia opinio est illorum, qui voluerunt, mortuum fuisse Christum anno ætatis suæ 32., & hi fuerunt Epiphanius hæresi 51., & Isidorus Hispalensis in Chronico: Quarta opinio est Cassiodori etiam in Chronico, qui voluit esse mortuum anno vigesimo tertio. Quinta opinio est S. Maximi par. 1. Computi Ecclesiastici, & Chroniei Alexandrini, quod fuit septimo sæculo exaratum, asserentium, quod mortuus fuerit anno trigesimo quarto. Sexta opinio est Chrysostomi homil. 54., & Reginonis Abbatis Prumiensis, qui scripserunt, Christum obiisse anno prope vitæ suæ quadragesimo. Septima opinio est Irenæi lib. 2. contra hæreses cap. 39., volentis, quod Christus obierit anno prope vitæ suæ quinquagesimo; verum aliqui putant, in Textu Irenæi mendum irrepsisse; alii autem dicunt, verba illa non fuisse ab Irenæo scripta; & sunt Baronius ad annum Christi 34. num. 141. & Antonius Pagius in sua Critica Historico-Chronologica in Annales Baronii ad annum Christi 32. In tanta Patrum, Historicorum, ac Scriptorum, dissensione, nos dicimus, sicut diximus, quando de anno Baptismi Christi tractavimus, annum mortis Christi, quacunque ex parte sumatur, esse omnino incertum.

Ad II. Quæsitum, certum est ex Evangelio, diem

diem mortis Christi fuisse Parasceven, hoc est sextam hebdomadæ diem. Hanc in diem octavam Kalendas Aprilis, seu 25. Martii, illo anno incidisse, est communis Ecclesiæ traditio; quam testantur Tertullianus lib. contra Judæos cap. 8. Chrysostomus homil. de nativit. S. Joannis Baptistæ, Augustinus lib. 8. de Civitate Dei cap. ultimo, Beda de ratione temporum cap. 28., S. Thomas in cap. 2. Joannis, Henschenius, Actorum Bollandi continuator, clarum exhibet testimonium, se, præter Martyrologia Typis impressa, viginti manuscripta alia ex variis Europæ Bibliothecis consuluisse, & in nostræ traditionis probationem invenisse, quod omnia ad diem 25. Martii mortem Christi consignant. Et nihilominus Roggerus Bachonus, Ordinis Minorum, seculo 13. hanc traditionem impugnavit. At habitus illico fuit de errore suspectus; quod testatur Lucas Vuadingus lib. de Scriptoribus Ordinis Minorum. Seculo vero sequenti Alphonsus Tostatus, Episcopus Abulensis, eandem traditionem tentavit convellere; & damnatus est Senis in Etruria a Judicibus datis ab Eugenio IV. Romano Pontifice. Postremis temporibus nonnulli Chronologi putarunt Christum die 4. Aprilis Cruci suffixum; & hoc propter Astronomicas quasdam rationes, in quibus illi versati reputabantur. Verum quamcunque Astronomiæ peritiam habuerint, nos in ea sumus opinione, nihil hac de re ex Lunæ, Solisque motibus certi posse colligi. Quanvis enim retegi possit in quam diem, seu Martii, seu Aprilis, quoquo anno inciderit Martium plenilunium; quia tamen incertus est annus, quo mortuus est Christus, ut nuper diximus, hinc est, quod etsi Christus in plenilunio mortuus supponatur, certa tamen mortis ejus dies definiri nequaquam post ex legibus Astronomiæ.

Ad III. Quæsitum, circa horam Crucifixionis Christi, Marcus cap. 15. asserit: *Erat autem hora tertia, & crucifixerunt eum*: Joannes vero cap. 19. inquit: *Erat Parasceve Paschæ, hora quasi sexta*; quæ incidit in meridiem, juxta Judæorum morem. Unde aperta videtur dissonantia inter Marcum, & Joannem, quod Marcus asseruit, Christum fuisse mortuum hora tertia, Joannes vero hora sexta. Multæ datæ sunt responsiones, ad hanc dissonantiam conciliandam; & prima est, quia Græci numeros signant literis Alphabeti, unde facile in illis accidit mutatio, & per mutationem error; & hæc est Hieronymi in Comment. ad psalm. 77., quem sequitur S. Thomas 3. par. qu. 46. ar. 9. ad 2. Secunda est, quod Christus mortuus sit juxta Marcum hora tertia clamoribus Judæorum, qui eum postulabant ad crucis mortem damnari, dicentes: *Crucifige, crucifige*: hora vero quasi sexta juxta Joannem mortuum fuisse manibus Carnificum, qui Pilati sententiam exequebantur; & hæc est Augustini lib. 3. de consensu Evangelistarum cap. 13. Tertia est, quod Christus fuerit crucifixus hora tertia secundum Marcum, non quidem inchoante, sed finiente, ac in sextam definente; unde Joannes non nominavit horam absolute sextam, sed quasi sextam. Quum ergo Judæi diurnum tempus in quatuor horas dividerent, nempe primam, tertiam, sextam, & nonam, hora tertia desines, & finiens eadem fere erat cum hora sexta incipiente, & inchoante, & hoc pacto Marcus, & Joannes non opponuntur; & hæc est responsio communior, quam & nos sequimur.

De loco crucifixionis, & mortis Christi, Matthæus cap. 27. fuisse dictum Calvariæ testatur: Hebraice vero Golgotha; ipse est mons in mediocri altitudine positus, Jerosolymis proximus ad Occidentem, & Septentrionem. Nulla est de re controversia, sed est tantum de nomine; ex quo scilicet hoc Calvariæ nomen sit deductum, vel propter quod fuerit monti illi impositum. Plures volunt, fuisse deductum ex Adami Capite, quod in eodem loco, seu monte, conditum invenerunt: Plures autem asserunt, fuisse monti illi impositum propter capita damnatorum, quæ in monte eodem projiciebantur; capita enim illa dicebantur Calvariæ, & quia ibi capita truncabantur reis, ibi etiam insepulta jacebant. Primam opinionem tuentur Cyprianus tract. de Resurrect. Christi, Origenes tract. 35. in Matthæum, Basilius in cap. 5. Isaiæ, Chrysostomus homil. 84. in Joannem, Epiphanius lib. 1. adversus hæreses, Ambrosius lib. 4. in Lucam: Secundam vero opinionem defendunt Hieronymus in Comment. in Matthæum, Isidorus lib. 15. originum cap. 1. Beda in cap. 27. Matthæi, Paschasius Rathbertus lib. 12. in Evangel. Matthæi, S. Thomas 3. p. q. 47. ar. 10. ad 3. Fatetur Serry, quod prima opinio vincit secundam numero, & gravitate Doctorum, qui illam amplectuntur; vincit etiam ratione, quia

apud Judæos in more non erat decollatio, unde non videtur credibile, quod a capitibus decollatorum mons ille fuerit appellatus. Attamen utraque opinio optime potest conciliari, si dicatur, quod in illo eodem monte fuerit Adam sepultus, & Calvaria ejus inventa, & quod postmodum in eo detruncata fuerint capita Damnatorum, & illorum calvariæ projectæ. Et hoc pacto utramque opinionem conciliat Serry citata Exercit. n.5. ubi affert etiam singularem opinationem Cyrilli Jerosolymitani catech.13. dicentis, quod locus ille fuerit prophetice Calvariæ appellatus, eo quod Christus ibidem debebat crucifigi, & mori.

De Lictoribus, & Tortoribus Christi hæc se offerunt examinanda; I. An conveniens fuerit, Christum pati a Gentilibus? II. An Christi Occisores eum cognoverint? III. An peccatum illorum, qui Christum crucifixerunt, fuerit gravissimum? IV. Quænam fuerit Natio Lictorum, & Tortorum Christi?

Ad I. Quæsitum dicimus cum S. Thoma 3. p. q. 47. art 4. conveniens fuisse, ut Christus a Judæis pati inciperet, & postea Judæis tradentibus per manus Gentilium ejus passio finiretur. I. probatur Matthæi 20. Tradent eum Gentibus ad illudendum, & flagellandum, & crucifigendum. II. Conveniens erat, ut Christus pateretur ab illis, qui effectum passionis ejus participare debebant; sed effectum passionis ejus participare debebant non solum Judæi, sed etiam Gentiles: ergo conveniens fuit, Christum etiam a Gentilibus pati. Major patet; quia effectus passionis Christi dependebat ab oratione, quam fundebat in Cruce ad Patrem pro illis omnibus, qui ipsum crucifigebant; sed inter illos, qui ipsum crucifigebant non solum erant Judæi, sed etiam Gentiles: ergo conveniens erat, ut Christus pateretur ab illis omnibus, qui effectum passionis ejus participare debebant. Minor probatur, quia, ut Angelicus Doctor docet, primo passio Christi habuit salutis effectum in Judæis, quorum plurimi in morte Christi baptizati sunt; ut patet Actorum 2.& 3. Secundo Judæis prædicantibus, effectus passionis Christi transivit ad Gentes; & ideo conveniens fuit, ut Christus a Judæis pati inciperet, & postea Judæis tradentibus, per manus Gentilium ejus passio finiretur.

Ad II. Quæsitum, si sensus est de Judæis, jam diximus alibi, an ipsi cognoverint, Christum esse Messiam in Lege promissum, & esse Deum. Si vero sensus est de Gentilibus, certum habemus, hos non cognovisse Christum. Et pro his præcipue dicimus, intelligenda esse verba illa orationis Christi Lucæ 23. *Pater, dimitte illis: non enim sciunt, quid faciunt.* Unde immediate subjungit Evangelista: *dividentes vero vestimenta ejus, miserunt sortes*; quæ quidem verba non de Judæis, sed de militibus, qui Gentiles erant, intelligi omnino debent.

Ad III. Quæsitum responderi potest verbis S.Thomæ citato loco artic.6. in corpore: *Principes Judæorum cognoverunt Christum: & si aliqua ignorantia fuit in eis, fuit ignorantia affectata, quæ eos non poterat excusare. Et ideo peccatum eorum fuit gravissimum; tum ex genere peccati, tum ex malitia voluntatis. Minores autem Judæi gravissime peccaverunt quantum ad genus peccati; in aliquo tamen diminuebatur eorum peccatum, propter eorum ignorantiam. Unde super illud Lucæ 23. Nesciunt quid faciunt: dicit Beda: Pro illis rogat, quia nescierunt quid facerent: zelum Dei habentes, sed non secundum scientiam. Multo autem magis fuit excusabile peccatum Gentilium, per quorum manus crucifixus est, qui legis scientiam non habebant.* Ex quibus Angelici Doctoris verbis deducimus, quod Gentiles, crucifigentes Christum peccarunt utique, & graviter, quantum ad genus peccati, sed propter eorum ignorantiam peccatum non fuit gravissimum, adeoque excusabile.

Ad IV. Quæsitum dicimus, nos peculiari libro, cui titulum dedimus, *De Natione Tortorum Christi*, Romæ anno MDCCXXVII. Typis dato, impugnasse Serry opinationes, quibus ex Gellio, aliisque, asseruerat, Lictores, ac Tortores Christi fuisse Brutios. Postmodum anno MDCCXXXI. in lucem prodiit Neapoli alius Liber, sub titulo, *De Tortoribus Christi Domini, quinam fuerint, & undegentium extiterint*; cujus Author est Anonymus. Erudito Authori scopus idem fuit, ac nobis; ut, scilicet, Nationem, quam communem habemus, ab invidentium calumniis vindicaremus. At Legentes illum, demirari satis non possunt, & quod Author Libri acriorem calamum tractaverit in illos, qui communem caussam defendunt, quam in illos, qui oppugnant; & quod Librum, a Nobis editum ante quatuor annos, dissimulaverit se-

se vidisse; Unde illum, in suo volumine nominare quod oblitus est. Et quamvis ipse dicat Patavii opusculum suum ante plures annos composuisse; vix tamen credi potest, quod illud non reviderit, quando evulgavit; & quum tunc temporis Liber noster plurimorum manibus Neapoli tereretur, facillimum illi erat, si voluisset, de eo notitiam habere; & illam habens, quis credet, ut a Libri lectione se abstinuerit? Præcipue, quia de eadem re ipse scribebat, de qua nos scripseramus; unde major, & efficacior curiositatis vis debebat eum ad legendum excitare. Sed de hoc satis. Illud est, de quo magis dolere debent rerum nostrarum Scriptores, atque Patroni, nempe Barrius, Marafioti, de Nola, de Flore, Amatus, aliique plures; quod illos accusaverit de verbis Livii, non fideliter productis, dicens, quod ea, quæ citati Scriptores proferunt, apud Livium non inveniatur. Certe accuratus Scriptor legit omnes Codices manuscriptos Livii, qui in omnibus terrarum Orbis Bibliothecis asservantur; ut post illorum lectionem fidenter dicere possit, apud Livium non exstare verba, quæ ab Authoribus recensitis citantur. Citantur etiam a nobis, sed tantum, ut a Scriptoribus prædictis relata, quibus fidem omnem adhibendam esse, non dubitabamus. Quod si Anonymus ultra Patavium non est progressus, quomodo poterat lustrare Bibliothecas, quæ in Galliis, in Hispania, in Germania, aliisque terrarum Orbis Regionibus, inveniuntur? Scit enim Eruditus homo, quod multa ex Operibus Livii sunt deperdita, & quæ deinde tractu temporis inventa, in Bibliothecis Summorum Principum inedita, asservantur. At ipse dicet, se non invenisse verba illa in loco, qui a nostris citatur; verum ob hoc maxime ipse nostris succenset, quia verba illa absque expressione loci citarunt. Unde hæc quoque potest nobis ratio esse, ut dicamus, verba prædicta fuisse quidem in Operibus Livii, quæ deperdita fuerunt, non vero in illis, quæ modo exstant, & Typis edita, leguntur; & primus, qui illa citavit, fortassis legit in Codice manuscripto, qui in Bibliotheca aliqua reconditus inveniebatur. Cæterum, quid ad rem suam faciebat, Bojos non fuisse, qui in Galliis, vel in Germania, postmodum extiterunt; sed longe alios; Brutios scribendos esse Brytios, non Brutios; aliaque ejusdem furfuris; & præcipue nostros suosque Conterraneos falsitatis accusare, & Adversariis nostris arma subministrare, quibus contra nos acrius inveherentur? Eadem erat caussa, & sua, & nostra; unde potius ea scribere debebat, quæ communem caussam roborarent; non vero ea, quæ infringerent, ac maxime debilitarent. Si hoc docti hominis est, certe non est prudentis; & si ingenii est facere ostentationem, judicii pariter est ostentare defectum. Ita profecto dicunt Conterranei nostri fere omnes, qui ab ipso se non defensos gloriantur, sed lacessitos potius dolent, ac malehabitos, conqueruntur. Nos autem ex nobis nec verbum quidem dicimus, quia librum nostrum dissimulando, nullatenus ad respondendum nos provocavit; & præsertim, ne videamur in errorem, quem in ipso reprehendimus, incidisse.

Pro ultima Dissertationis parte, remanet agendum de portentis, seu de prodigiis, quæ, Christo moriente, a Deo patrata dicuntur, & ad Domini patientis gloriam, & ad Judæorum persequentium execrationem. Quæ ab Evangelistis narrantur, sunt, tenebræ in universum Orbem diffusæ, Sol obscuratus, Templi Velum scissum, terra commota, petræ disruptæ, aperta denique monumenta. Et hæc fuisse facta, nemo inficiatur, nec nos ambigere debemus; at solum disputatur de modo, quo fuerunt facta; & de ratione, qua gesta dicuntur. Alia vero sunt prodigia, quæ tantum a privatis Authoribus narrantur; & hæc sunt, superliminare Templi illico collapsum, vox horrifica ex Templi interioribus partibus audita, quæ discessum inde, ac secessionem inclamabat, & magni Panos obitus, a malis geniis denunciatus. Et de his, quæ sunt tantum humana authoritate fulta, controvertitur, an peracta vere fuerint, an temere ficta? Sed loquamur de primis; & de modo, seu ratione, quibus facta sint, inquiramus. I. ergo circa illa inquiri potest, an tenebræ fuerint per totum terrarum orbem diffusæ, an vero per totam Judææ Regionem tantum? Et an nomine Solis obscurati veniat vera eclipsis, non naturalis quidem, sed prodigiosa? II. An Velum Templi, quod dicitur scissum, fuerit unicum, vel duplex? III. An terræ motus, petrarum fractura, & Sepulchrorum apertio, ultra Judæam pa-

fuerint? IV. Quid de Superliminare Templi, quod dicitur illico corruisse, dicendum sit? Quid de voce audita de interioribus Templi partibus? Quid de magni Panos obitu, a malis geniis denunciato?

Respondemus ad I. Quæsitum, quod aliqui putarunt, tenebras fuisse diffusas per universum Terrarum Orbem, non vero per universam tantum Judæam; & quod nomine Solis obscurati veniat vera eclipsis, sed prodigiosa. Et ita intelligunt omnes, qui libros, qui circumferuntur sub nomine Dionysii Areopagitæ, eidem Dionysio adscribunt; quatenus illorum librorum Author epist. 7. ad Policarpum scribit, se simul cum Apollophane in Ægypto tenebras illas observasse, & prodigiosam Eclipsim vidisse: Hæc sunt verba illius: *Eramus una ambo, & stabamus ad Heliopolim, ac cernebamus, nec opinato, cum Luna se Soli objiciebat: neque enim conjunctionis tempus erat: rursumque cum eadem ab hora sexta ad vesperam se mediæ Solis lineæ præter naturæ ordinem opponebat*. Et qui hujus sunt opinionis citant etiam Augustinum epist. 80. ad Hesychium. Alii vero putant, nullam Christo patiente, & moriente, Eclipsim accidisse, quæ tenebras illas induxerit in universum terrarum Orbem; sed fuisse solum quandam radiorum prodigiosam subtractionem, vel obscurationem quandam Solis, proventam ex oppositione cujuspiam corporis opaci, ita quidem, ut vel parum lucis a parte Judææ obversa, vel nihil etiam, diffunderetur. Et hæc fuit sententia Origenis tract. 35. in Matthæum, Chrysostomi homil. 89., Hieronymi, Theophylacti, Euthymii, aliorumque veterum, recentiumque Scriptorum. Alii denique existimant, Lunam plenam ex adverso Solis, Deo jubente, in locum Soli subjectum procurrisse, quod ad veram Eclipsim necesse erat, ac deinde post horas ternas in locum pristinum se recepisse. Ita refert Serry exercit. 57. sed hanc ultimam opinionem non recipit, immo impugnat dicens: „ Deus enim vel miracula patrans non solet præstare pluribus, quod paucioribus potest: Quid autem ad Solis obscurationem necesse erat, dissoluta cœlestium Orbium machina, Lunam plenam in locum alterum subsilire; quo se Soli, terræque interponeret? Quod utique si contigisset, ut res est in natura omnium maxime prodigiosa, & observatu facillima, millenos habuisset illius observatores Astronomos, qui posterorum memoriæ prodidissent. „ Nos igitur secundæ opinioni adhæremus, primam non recipientes, quia Areopagitæ libros pro illius legitimis fœtibus non agnoscimus. I. Probatur, quod tenebræ, in Evangelio memoratæ, ultra Judæam non fint diffusæ, quomodocunque res evenerit. Origenes tract. 35. in Matthæum hæc habet: *Arbitror ego, sicut cætera signa, quæ facta sunt in passione ipsius, in Jerusalem tantummodo facta sunt; sic & tenebræ tantummodo super omnem terram Judæam sunt factæ usque ad horam nonam*. II. Quia portenta illa facta a Deo fuerunt in Execrationem sceleris Judaici: ergo Judæorum regionem non excesserunt. III. Quia si tenebræ illæ per totum terrarum Orbem fuissent diffusæ, Gentiles earundem meminissent; sed nemo ex Gentilibus Scriptoribus meminit: ergo &c. IV. Quia fieri non poterat, ut per totum terrarum Orbem ab hora sexta ad nonam, seu a meridie ad horam inde tertiam, contingerent prodigiosæ tenebræ ex Solis obscuratione; & ratio est, quia tunc temporis in media Orbis parte sine Solis obscuratione erat nox summa: ergo in media Orbis parte, citra prodigium, erant tenebræ oppactæ, tenebræ scilicet nocturnæ.

Ad II. Quæsitum, Matthæus cap. 27. v. 50. testatur: *Jesus autem clamans voce magna, emisit spiritum. Et ecce Velum Templi scissum est in duas partes a summo usque deorsum*. Unde patet, quod post Christi mortem, & post Solis obscurationem, scissio Veli accidit; & quamvis Lucas cap. 23. v. 45. conjungat Solis obscurationem, & Veli scissionem, dicens: *& obscuratus est Sol, & Velum Templi scissum est medium*; attamen Expositores dicunt, hoc per anticipationem fuisse scriptum a Luca. Igitur, quod controvertitur est, si Velum templi fuerit duplex, aut unum; & si duplex, quodnam ex illis fuerit scissum. Nos duplex fuisse dicimus. Et I. probatur; quia tres erant partes Templi, scilicet, Atrium, Sanctum, & Sanctum Sanctorum: In Atrio consistebat populus; in Sancto Sacerdotes sua exercebant officia; & in Sanctum Sanctorum Summus Pontifex semel tantum in anno ingrediebatur: Sanctum Sanctorum per Sacrum Velum a cæteris partibus Templi distinguebatur: ergo pariter dividebatur Sanctum per aliud Velum ab Atrio.

De

De Velo, quod distinguebat Sanctum Sanctorum, loquitur Josephus lib. 6. de *bello Judaico* cap. 6. *Velum Babylonicum hyacintho, & bisso, & cocco, & purpura variatum, mirabili opere factum*. Et deinde aliud Velum nominat, a priori omnino distinctum. II. Origenes tract. 75. in Matthæum expresse dicit, duo in Templo fuisse Vela, addens, hoc debere esse satis cognitum omnibus, qui Scripturas non negligenter intelligunt: *Duo esse Vela; unum quidem interius, quod velat Sancta Sanctorum; alterum autem exterius, sive Tabernaculi, sive Templi, quæ figuræ erant Tabernaculi Sancti, quod præparavit, ab initio Pater*. III. Hieronymus epist. 150. ad Hedibiam memorat primum Velum exterius, & alterum, quod interius Velum appellat. Quodnam ex his Velis scissum fuerit, expresse definitum non invenimus; quamvis aliqui ex Patribus dicant scissum extimum, non intimum, alii vero dicant, intimum, non extimum. Primum asserit Origenes loco citato: *Duorum Velorum Templi unum scissum est in duas partes a summo usque deorsum, quando voce magna clamans Jesus, emisit Spiritum, hoc ostendens, sicut puto, mysteriam: quoniam in Passione Domini Salvatoris Velum, quod erat a foris, conscissum est a summo usque deorsum; ut ab initio mundi usque ad deorsum, idest, usque ad finem ejus conscissa velamine mysteria publicentur, quæ usque ad Christi adventum rationabiliter fuerunt occulta. Et nisi ex parte cognosceremus, sed jam nunc manifestarentur omnia, adhuc in corpore constitutis dilectis Christi Discipulis, utrumque Velum fuerat conscindendum: idest, quod a foris est, & interius. Nunc autem, quoniam ad scientiam rerum novarum producimur, ideo quod a foris quidem fuerat Velum, interim conscinditur a sursum usque deorsum; ut quando venerit, quod perfectum est, & revelata fuerint cætera, quæ restabant, tunc auferatur etiam secundum Velum: ut videamus etiam, quæ intra secundum Velum sint occulta, verum Arcam Testamenti; & sicut ipsa se habet natura, videamus Cherubin, & Propitiatorium verum, & repositionem mannæ in aureo vase, & omnia manifesta, atque majora illis, quæ per legem Moysi fuerant demonstrata, in quibus dixit Deus ad eum, facias omnia secundum formam eorum, quæ tibi ostensa sunt in monte*. Et Hieronymus loco citato: *Quærendum quod Velum Templi scissum sit, exterius, an interius? Mihi videtur in Passione Domini, illud Velum esse conscissum, quod in Tabernaculo, & Templo foris positum fuerat, & appellabatur exterius. Quia nunc ex parte vidimus, & ex parte cognoscimus: cum autem venerit quod perfectum est, tunc, & Velum interius disrumpendum est: ut omnia, quæ nunc nobis abscondita sunt, domus Dei Sacramenta videamus*. Qui vero volunt Velum intimum scissum, sunt Leo Magnus serm. 10. de passione, Cyrillus Alexandrinus in cap. 19. Joannis, Euthymius in Matthæum, &c.

Ad III. Quæsitum respondet Origenes, quod de his aliis prodigiis idem dicendum est, ac de tenebris factis. Hæc sunt verba Origenis tract. 35. in Matthæum: *Arbitror ego, sicut cætera signa, quæ facta sunt in passione ipsius, in Jerusalem tantummodo facta sunt: sic & tenebræ tantummodo super omnem terram Judæorum sunt factæ usque ad horam nonam. Quod autem dicit in Jerusalem tantummodo hæc facta sunt, quod Velum templi scissum est, quod terra contremuit, quod petræ disruptæ sunt. Nec enim extra Judæam petræ disruptæ sunt, aut monumenta aperta sunt alia, nisi ea tantummodo, quæ in Jerusalem erant, aut forte in terra Judææ. Nec alia terra tremuit tunc, nisi terra Jerusalem. Nec enim refertur alicubi, quod omne elementum terræ tremuerit in tempore illo; ut sentirent, verbi gratia, & qui in Æthiopia erant, & in Indis, & in Scithia. Quod si factum fuisset, sine dubio inveniretur in Historiis aliquibus eorum, qui in Chronicis scripserunt nova aliqua facta*. Rationibus etiam probatur I. Mortui, qui resurrexerunt, Ierosolymis apparuerunt: ergo prodigia, de quibus loquimur, Ierosolymis, vel in finitimis locis, quæ intra Iudæam sunt, evenerunt. Probatur antecedens Matthæi 27. v. 53. legitur: *Exeuntes de monumentis post resurrectionem ejus venerunt in Sanctam Civitatem, & apparuerunt multis*: ergo monumenta erant, vel in Sancta Civitate, vel in locis finitimis ad illam. Consequentia sequitur, quia si fuissent in locis longinquis, oportuisset per aera Ierosolymam novo portento devenire, quod Matthæus propter miraculi celebritatem silentio non prætermisisset. II. Si hæc portenta in aliis terrarum partibus visa fuissent, Scriptores exteri non tacuissent; sed tacuerunt: ergo signum est, quod inibi non evenerunt. III. Portenta illa facta fuere a Deo in judaici sceleris pœnam: ergo Judæam non excesserunt.

Ad Quæsiti IV. primam partem dicimus, quod

quod in Nazaræorum Evangelio scriptum refert S.Hieronymus epist. 150. ad Hedibiam qu. 8. quod Christo pendente de Cruce, Subliminare Templi miræ magnitudinis corruerit. At hoc falsum esse: I. probatur, quia Nazaræorum Evangelium omnes habent pro Apocrypho: II., quia Hieronymus tantum refert, non autem approbat, nec fidem adjungit: III., quia Joseph Judæus Jerosolymitani Templi molem sæpe describit, & præcipue lib. 8. antiquit. judaic. cap. 2., & lib. 9. de bello judaico cap. 6., & pariter enarrat adversos casus, & infaustos eventus illius; nunquam tamen dicit, sed neque vel leviter innuit, quod Superliminare Templi aliquo casu eversum fuerit.

Ad Secundam partem IV. Quæsiti, qua quæritur, quod mortuo Christo audita fuerit ex intimis Templi adytis vox terribilis, & horrenda, qua dicebatur: *Transeamus ex his sedibus*; Afferunt Hieronymum in epist. nuper citata ex Josepho scribentem: *Velum Templi scissum est in duas partes, ut compleretur illud, quod refert Josephus, præsides Templi Virtutes dixisse: Transeamus ex his sedibus*. At revera Josephus id factum afferit triginta septem annis post Christi mortem; quando, scilicet, obsessa a Romanis Jerosolyma fuit. Legatur Josephus lib. 7. de bello Judaico cap. 12. (dicit Serry, quod alibi est lib. 6. cap. 31.) ubi agitur de prodigiis excidium Jerosolymæ præcedentibus; & hæc ibidem inveniuntur verba: *Festo autem die, quem Pentecosten vocant, nocte Sacerdotes intimum Templum more suo, ad divinas res celebrandas, ingressi, primum quidem motum, quemdamque strepitum senserunt: postea vero subitam vocem audire, quæ diceret: Migremus hinc*. Hoc ipsum modo suo retulit Cornelius Tacitus lib. 4. Annal. *Expansæ repente Delubri fores, & audita major humana vox, excedere Deos: simul ingens motus Excedentium*. Igitur Hieronymus in citata Epistola vult tantum, quod quando Velum Templi scissum est, prænuntiatum fuit, quod Josephus lib. 7. de bello judaico cap. 12. factum narravit. Hoc ipsum quoque Hieronymus in commentariis ad cap. 66. Isaiæ scripserat; nimirum, quod non tempore Passionis Dominicæ, sed excidii Urbis, audita fuit vox illa terrifica Angeli ex intimis templi partibus intonantis: atque ita Isaiæ vaticinium exponit: *Vox fremitus de Civitate, vox de Templo, vox Domini reddentis retributionem inimicis suis. Vox illa haud dubium, quod Jerusalem significet, Romano exercitu circumdatam, & in tres partes intus seditione divisam, quando unus Templum obtinuit, & omnia prius Sancta possedit, forinsecus contra hostes, intrinsecus contra Cives dimicans. Eo tempore, & in Urbe, & in Templo, tam Sacerdotum, & Levitarum, quam Vulgi ignobilis, mulierumque, ac puerorum ululatus auditus est, quando reddidit Dominus retributionem inimicis suis, implens commicationem, qua dixerat: Relinquetur vobis domus vestra deserta; & illam prophetiam: Dereliqui domum meam; quando Præsides Templi consona Angeli voce dixerunt: Transeamus ex his sedibus. De quibus non solum Josephus judaicæ Scriptor Historiæ, sed multis prius seculis Psalmista testatur, dicens: Vidi iniquitatem, & contradictionem in Civitate, quæ circumdedit muros ejus tota die, & tota nocte, ita ut subverteretur Civitas, & impleretur aliud vaticinium Mich. 3. Sion quasi ager arabitur, & Jerusalem quasi casula in cucumerario relinquetur*.

Ad tertiam partem IV. Quæsiti, qua continetur obitus Magni Panos, denuntiatus a malis geniis, & qui ut prodigium habitus est a pluribus, quo Deus factus homo voluit mortem suam testatam malignis spiritibus, ac ipsi etiam Tiberio Cæsari, dicimus, fabulam omnino sapere, quæ illico apparet Legenti Plutarchum, opusc. de Oraculorum defectu, ubi Cleombrotus in Scenam advocatus, hunc sermonem inducit: *De morte Geniorum narratione audivi, viri nequaquam fatui, aut vani. Æmiliani Rhetoris, quem & vestrum nonnulli præceptorem, atque magistrum audiverunt, Pater fuit Epitherses civis meus, & Grammatica Doctor. Is ajebat, se aliquando in Italiam navigare contendisse, ac conscendisse navim, quæ mercibus, & multis vectoribus esset onusta. Sub vesperam vero cum juxta Echinadas essent, ventum posuisse, navimque certo cursu prope Paxas delatam. Vigilasse tunc Vectorum plerosque, multos etiam a cœna potasse. Tum subito ab Insula Paxis auditam fuisse vocem, quæ Thamum quendam nominatim diceret, non sine admiratione hominum. Erat autem Thamus iste Ægyptius gubernator paucis una vehentium de nomine notus. Hunc bis vocatum siluisse: tertio vocanti se dedisse. Eumque contenta voce dixisse, ubi ad Palodes veneris, annuncia, Magnum Pana esse mortuum. Perterritos, ajebat Epitherses, hoc audito universos; ac inter se disputasse,*

pra-

præstaretne, exequi hoc mandatum, an vero omittere, neque quidquam curiose agere. Thamum autem statuisse, si ventus spiraret, tacitum se prætervecturum: sin Malacia ad eum locum pervectis existeret, expositurum quod audivisset. Postquam ad Palodes perventum fuit, cum neque ventus esset, neque fluctibus mare agitaretur, Thamum e puppi versus terram prospexisse; ac quod mandaverat dixisse. Mortuus est Magnus Pan. Vix dum conticuisse illum, & gemitum magnum exauditum fuisse, non unius, sed multorum, admiratione mixtum. Quod autem fieri solet, cum eveniat aliquid multis testibus præsentibus. Statim rei famam Romæ fuisse auditam, Thamumque a Tiberio Cæsare fuisse accersitum; ac Cæsarem ita præ certo credidisse, ut de Pane illo diligenter inquisierit. Doctos vero, quos ille, multos secum habebat, conjecisse, eum esse, qui Mercurio, & Penelope fuisset natus. Hæc, quæ Cleombrotus Interloquutor loquitur apud Plutarchum, exscribit Eusebius lib. 5. præparat. Evang. cap. 9. At intelligentia horum verborum dabitur in responsione ad ultimum Adversariorum argumentum.

Objiciunt I. Hieronymus asserit, Adamum non fuisse sepultum prope Jerosolymam in loco Crucifixionis Christi, sed in Hebron, seu in Cariatharba; quod legitur Josue 14. v. 15. *Nomen Hebron ante vocabatur Cariatharbe. Adam maximus ibi inter Enacim situs est*. II. Tertullianus in Apologetico cap. 21., Eusebius, & Hieronymus in Chronico, dicunt, Phlegontem, qui fuit Hadriani Imperatoris libertus, & qui Historiam per Olympiadas scripsit, & in libros sexdecim distribuit, meminisse Solis obscurationis, quæ contigit in Christi morte, & Phlegontis verba in Chronico Eusebiano sic latine reddit Hieronymus ipse: *Quarto autem anno ducentesimæ secundæ Olympiadis, magna, & excellens inter omnes, quæ ante eam acciderant, defectio Solis facta est. Dies hora sexta ita in tenebrosam noctem versus est, ut stellæ in Cælo visæ sint; terræque motus in Bithinia Nicææ Urbis multas ædes subverterit*. III. Amos 8. habetur: *Et erit in die illa dicit Dominus, accidet vobis Sol in meridie, & tenebrescere faciam terram in die luminis*; quæ verba interpretantur Patres apud Suarez de tenebris, quæ in Christi morte factæ sunt: ergo fuerunt per universam terram. IV. Evangelium ait, tenebras factas fuisse *in universam terram*; & quod nomine universæ terræ intelligatur totus terrarum Orbis, asserit Athanasius serm. de Passione, & Cruce Domini, dicens: *Rerum natura suo Sole destituta fuit*. V. Omnes Evangelistæ dicunt Velum Templi scissum simpliciter: ergo unicum Velum Templi agnoscebant, non duplex. VI. Author librorum de Mirabilibus Scripturæ locis lib. 2. cap. 3. narrat, quod terræmotu, qui in Evangeliis in Passione Christi memoratur, undecim in Thracia Urbes corruerunt; & a Phlegonte dicitur, quod plures Ædes Urbis Nicææ in Bithinia fuerunt subversæ; & Plinius lib. 2. Historiæ cap. 84., & Suetonius in Tiberio cap. 48., narrant, duodecim Asiæ Urbes fuisse dirutas, atque disjectas: ergo terræmotus ille fuit per universam terram. VII. Plures videntur montes, præcipue in Italia, & signantur prope Cajetam disrupti, atque aperti, & traditio populorum est, aperitionem illam in Christi morte advenisse. VIII. Testimonium illud Plutarchi de Malis Geniis Christi mortem prænunciantibus, adeo clarum est, ut nulla possit tergiversatione evitari.

Respondemus ad I. quod Sarry Exercit. 56. Hieronymo occurrit verbis hisce: „ Verum tanti Doctoris bona pace dixerim, „ meram æquivocationem illic esse, lusumque verborum. Agitur quippe ibi „ de sepultura *Arbea*, viri magnitudine „ corporis celeberrimi, & Patris Gigantum Enacitarum, quorum comparatione „ cæteri quique homines tanquam locustæ videbantur, ut habetur Numerorum „ cap. 13. v. 34. Arbea ille sepultus est in „ Hebron, unde Civitas illa ab eo nomen „ acceperat: dictaque fuerat Cariatharbe, „ hoc est, Civitas Arbeæ. Id ergo est, „ quod liber Josue significat his verbis, „ *Adam maximus ibi inter Enacim situs est*: „ hoc est, homo maximus inter Giganteos „ Enacitas ibi sepultus est. Adam enim „ quandoque commune nomen est, hominem quemcumque significans, ac non „ semper Protoparentem. „

Ad II. dicimus, Phlegontem scripsisse eclipsim, quia, etsi esset historicus, astronomus tamen non erat; quod si fuisset astronomus, utique cognoscere debuisset, non potuisse juxta naturæ leges fieri eclipsim Solis in plenilunio. Cæterum Phlegon putavit, non asseruit, accidisse eclipsim, quam potius dixit Solis deliquium; ut patet ex Tertulliani verbis: *Eodem momento, quo Christus affixus est Cruci, dies, mediam Orbem*

signan-

signante Sole, subjecta est. Deliquium putaverunt, qui id quoque super Christo prædictum nesciverunt. Et tamen eum mundi casum relatum in Archiviis vestris habetis.

Ad hæc addit Serry loco citato: „ Addiderim, nec id quidem cæteris Patribus constare, quod Tertullianus, Eusebius, & Hieronymus habent: Phlegontem de Solis obscuratione in Evangelio memorata scripsisse laudato loco. Negat id aperte Origenes tract. 35. in Matthæum, neminemque eo contra Gentiles argumento agere vult, *quod neminem sapientem movere posset*. Nec temere negat. Phlegon enim suum illud Solare deliquium Luna plena contigisse non ait, quod illi fuisset notandum maxime, si de Solis obscuratione, in Evangelio notata loqueretur. Silet, ad tres horas perdurasse, quod suæ hujus Eclipsis admirabilitatem auxisset. Narrat terræmotus in Bithinia, maximeque Nicææ factos, siletque de terræmotibus factis in Palæstina, quod illi præcipuum fuisset. Anno demum quarto Olympiadis ducentesimæ secundæ magnum illud, excellensque naturæ phænomenon accidisse ponit; quæ dubia, incertaque Christi morientis est epocha. Num ergo ad portentum Christo moriente patratum digitum intenderit Phlegon, incertum est. Ut sileam, ignoranter illum asseruisse ex eclipsi, quam credidit naturalem, *Diem ita in tenebrosam noctem versum esse, ut stellæ in cœlo visæ sint*; quod plane repugnat. Cum enim Luna sit Sole minor, nunquam eum ita tegere, & obscurare potest; quin multum etiam lucis appareat, multumque etiam lucis diffundatur in terram. Verisimilius igitur est, Solis obscurationem in Evangelio notatam a Phlegonte Adriani Imperatoris Liberto observatam non fuisse loco laudato: eamdemque ex Lunæ plenæ in locum Soli subjectum procursu non accidisse; sed, vel ex corporis cujusdam opaci opposítu, vel ex radiorum Solarium subtractione contigisse. Observat, fateor, Illustrissimus Præsul Huetius in *Demonstratione Evangelica*, Sinenses in rerum suarum monumentis, non ita pridem in Europa vulgatis, notatum habere: Ad id tempus, in quod annum ætatis Christi trigesimum tertium Christiani referunt, circa mensem Aprilem Solare deliquium, præter naturæ ordinem, & contra leges curriculis Astrorum præfixas contigisse; eaque rei novitate *Quamuntium* Sinarum Imperatorem vehementer fuisse commotum. Quod vir summus ad Solis obscurationem Christo patiente factam inflectit, ut veram eclipsim fuisse convincat. Verum quis nesciat, ea rerum Sinensium monumenta in Galliis ante annos aliquot publicata, pura, nudaque non esse, qualia in ipsis Sinensium tabulis continentur; sed alienis Editoris additamentis, & observationibus aucta, & illustrata? Nec enim quidpiam de anno Christi trigesimo tertio, in quem ea eclipsis inciderit, in ipsis Sinensium tabulis contineri putandum est: sed Europæi Editoris observatio illa fuit; qui vulgaribus de Christi ætatis suæ anno trigesimo in Crucem acto, deque Sole hac ipsa hora eclipsim patiente imbutus opinionibus, observatam ad illa circiter tempora a Sinis defectionem, cum observata in Evangelio Solis obscuratione confundit; ipsosque Sinas rerum nostrarum ignaros traxit in præconceptæ sententiæ probationem. In quem igitur, aut Christi Domini, aut Æræ vulgaris annum inciderit observata ab Sinis eclipsis, definire ex illorum tabulis impossibile est; multo minus, num in Martium Equinoctium inciderit, statui certo potest, cum ea de re ne ipsi quidem documentorum Editores verbum habeant. Atque ita nihil commune habet Phænomenon illud cum Solis obscuratione moriente Domino facta, quam non ex Lunæ in subjectum Soli locum procursu, sed ex Solarium radiorum subtractione, aut etiam ex opaci cujuspiam corporis oppositu contigisse, verisimillimum est. „

Ad III. Amos Propheta loquebatur Judæis, & ideo dicebat illis: *Occidet vobis Sol in meridie*; Occidet vobis, hoc est, in terra vestra; *& tenebrescere faciam terram*, scilicet, terram vestram *in die luminis*; quibus verbis nulla fit eclipsis mentio, nulla tenebrarum per totum universum Orbem diffusarum assertio. Et quum juxta nostram explicationem possint verba illa commode intelligi, optime quoque videntur assertioni nostræ favere. Nos enim obscurationem Solis asseruimus, in terra Judææ solummodo factam; & quia Amos indicat Solis occasum in meridie; occasus iste congruentius per Solis obscurationem, quam per eclipsim intelligitur, & explicatur.

Ad IV. Evangelium, ut diximus, intelligitur de universa terra Judææ, non ve-

ro de toto terrarum Orbe, & Athanasii
verba bene etiam possunt cum assertio-
ne nostra cohærere, quatenus in loco il-
lo, hoc est in terra Judææ, rerum natu-
ra suo Sole destituta fuit.

Ad V. Dicit Serry citato loco: ,, Neç me
,, movet quod *velum Templi scissum* sim-
,, pliciter dixerint Evangeliorum Scripto-
,, res. Cum enim duplex fuisse omnino
,, constet: illud eos intellexisse perspectum
,, est, quod in omnium oculis erat, popu-
,, li, scilicet, & Sacerdotum, quod Sancta
,, omnia obtegebant, quod miræ amplitu-
,, dinis, & longitudinis erat: (unde &
,, prodigii loco habent, quod a summo
,, usque deorsum scissum fuerit) quæ notæ
,, in Velum extimum non intimum cadunt.
,, Repentinæ hujus, ac prodigiosæ scissio-
,, nis rationes referunt Patres numero
,, multas, arcani plenas, atque mysterii.
,, Primam ex Origene, & Hieronymo jam
,, vidimus: quorsum extimum velum, non
,, intimum scissum fuerit: cæteræ, nulla
,, gemini veli distinctione posita, veli scis-
,, sionem simpliciter factam probant: I. ut
,, abrogata Synagoga, ac veluti dissoluta
,, denotetur. II. ut Judaici populi dissipa-
,, tio, atque divisio, ipsiusque etiam Tem-
,, pli futura proxime violatio præsignetur.
,, III. ut Christi Domini Passio finita, ejus-
,, que anima a corpore separata intelliga-
,, tur. IV. ut eo portento significetur, ve-
,, teris Legis arçana, figuras, Sacramenta,
,, quæ ante Christi mortem obducto quasi
,, velo tegebantur, ne vel ab eruditissimis
,, intelligerentur, Christo jam mortuo,
,, reducto veluti, discissoque velo ab uni-
,, versis facile percipi, Christianosque re-
,, velata jam facie contemplari, quæ non-
,, nisi in figuris, atque arcanis Hebræi an-
,, tea præsagibant. Ita Origenes laudato
,, sæpe Tractatu 35. in Matthæum, Au-
,, gustinus lib. 12. contra Faustum Mani-
,, chæum cap. 11., & Enarrat. in psalm. 70.
,, S. Ambrosius lib. 10. in Lucam, S. Cyril-
,, lus Alexandrinus lib. 10. in Joannem,
,, S. Hieronymus in cap. 27. Matthæi, S. Leo
,, Magnus serm. 10. *de Passione Domini*. ,,

Ad VI. Author Librorum de mirabilibus
Scripturæ locis apocryphus est, & nul-
lam proinde fidem meretur. Cæterum
mirum est, quod Judææ, ubi immane fa-
cinus patrabatur, nulla exciderit Urbs,
nulla domus corruerit, & nullibi vasti-
tatis vestigia remanserint; quod quidem
si fuisset, Evangelistæ, vel saltem rerum
nostrarum Scriptores, qui successu tem-
poris floruerunt, silentio non præteriis-
sent. Mirum certe, quod allata excidia,
quæ in longinquis Regionibus fuisse
narrantur, non fuerint in Judæa, vel in
Regionibus conterminis illi, in qua Ju-
dæi in Christum Dominum infævierunt,
ac illum de medio morte turpissima su-
stulerunt. Denique concludit Serry: ,,
,, Nihilque ineptum magis, quam ad terræ-
,, motum, Christo Domino moriente fa-
,, ctum, trahere velle, quæ Plinius lib. 2.
,, Hist. cap. 84., & Svetonius in Tiberio
,, çap. 48. narrant de duodecim Asiæ ur-
,, bibus ingenti terræmotu dirutis, atque
,, disjectis; cum hæc non ad annum Tiberii
,, 18., quo Christus passus communiter
,, creditur; sed ad annum quartum, aut
,, quintum a Tacito lib. 2. Annalium, a
,, Strabone lib. 2. Historiæ, ab Eusebio in
,, Chronico referantur: quo tempore, nec
,, dum Christus publicum ministerium au-
,, spicatus erat. ,,

Ad VII. Suarez verba opponimus, ex qui-
bus deinde responsionem ad propositum
argumentum eruemus: Hæc sunt verba
Suarez: ,, Tertium prodigium fuit pe-
,, trarum discissio. Quod aliqui existimant
,, consequutum esse ex vehementi terræ-
,, motu, & petrarum concussione. Quod
,, fieri quidem potuit: tamen Matthæus
,, hæc narrat, ut prodigium diversum, &
,, speciali Dei providentia factum, ad con-
,, vincendam Judæorum perfidiam, & eo-
,, rum corda lapidea significanda, quæ
,, tot prodigiis commota non sunt, cum
,, tamen dura saxa scissa fuerint. Addit
,, Hieronymus ex Evangelio Nazaræo-
,, rum, etiam Superliminare Templi, quod
,, ingentis erat magnitudinis, per medium
,, divisum fuisse; & Cyrillus Jerosolymi-
,, tanus Catech. 13. refert in monte Cal-
,, variæ usque in hodiernam diem appa-
,, rere, clareque monstrari, ubi petræ
,, scissæ sint propter Christum. Præterea
,, dicitur esse traditio incolarum ejus loci,
,, rupem illius montis, in qua tres cruces
,, fixæ erant, ita divisam fuisse, ut scissio
,, inter Crucem Christi, malique Latronis
,, interjecta sit, quasi eum a Christo sepa-
,, rans. Refert denique Baronius Cardi-
,, nalis in Annalibus anno 34. non solum
,, Jerosolymis, sed in aliis etiam regioni-
,, bus disruptos fuisse montes, scilicet,
,, montem Alverniæ in Hetruria, & Caje-
,, tæ promontorium prope Campanum
,, littus, quod dicit constare ex traditione
,, incolarum. ,, Ex quibus verbis collige-
re licet, humanas tantummodo esse tra-
ditiones quascunque illas, quæ de rupium,

& montium aperitionibus in Christi morte factis, in Italia præcipue narrantur; quum sine veteri testimonio, sine sufficienti rationis momento, & sola populari vociferatione asserantur. Quod & scripsit Serry citato loco, dicens. „ Certe apud priscos Ecclesiæ Patres, maxime vero apud S.Cyrillum Jerosolymitanum Catechesi 13., necnon in antiquis Ecclesiæ monumentis, in Actis, scilicet, S. Luciani Martyris, atque in descriptionibus Terræ Sanctæ, Golgothæ, seu Calvariæ petras scissas legimus; alibi tamen scissas non legimus donec postremæ ætatis Scriptores rupium, petrarumque scissiones in Italia factas tota libertate commenti sunt, nulla majorum fide, nullo veterum testimonio suffragante, incertaque ruptarum, nescio,quo casu rupium vestigia ad portentum, Christo moriente, patratum temere detorserunt. Id ergo verius,id certius, quod jam a tertio Christiani nominis seculo propugnavit Origenes, narrata illa a Matthæo prodigia non ultra Judæam patuisse. „

Ad VIII. In quo testimonium Plutarchi refertur, hæc reponit Serry in citata Exercitatione: „ Quid hic tamen est, quod Christi mortem a Dæmonibus publicatam verisimili aliqua ratione contingat? Si enim temporis notam, quo res ipsa peracta dicitur, dumtaxat exceperis, Imperium, scilicet, Tiberii Cæsaris, quo Christus quoque morti traditus est; cætera, ne admotis quidem centum jugis boum,ad mortem Christi Domini trahi possunt. Cleombrotus quippe nomine *Magni Panos*, cujus interitum refert, Genium, nescio, quem intellexit; cum ad id fabulam narret, ut Genios interdum probet morti occumbere. Docti vero a Tiberio Cæsare in consultationem adhibiti, *Pana* Mercurio, & Penelope natum intellexerunt ab Ægyptiis sub hirci specie cultum, divinisque honoribus celebratum, de quo tam multa extant apud Herodotum, & Lucianum. Sed & factum ipsum per sese spectatum, (ne ab Ethnicis perperam acceptum reponant aliqui) de Christo repugnat intelligi: seu *Magnus Pan* Christus ipse fingatur esse, quod Baronius, cæterique existimarunt: seu Dæmon ipse putetur esse ab Ægyptiis eo nomine sub hirci specie coli solitus; cujus interitus, regnive ipsius Eversio, per Christi mortem illata est; quod Eusebio, aliisque visum fuit. Quid enim absurdius, quam Dæmones Paxis Insulam occupantes Christi mortem cæteris Palodes obtinentibus nunciare a Deo a Deo jussos,atque compulsos (quod Baronius autumat) eundem nomine *Magni Panos* indigitasse, ac designasse;quod infamis ac spurcissimi Ægyptiorum Idoli proprium erat? Quid ineptius, quam Christum Dæmones mortis suæ nuncios voluisse, constituisse, quos virtutum suarum præcones noluit, rejecitque? Lucæ 4. v.41. *Increpans, non sinebat ea loqui, quia sciebant, ipsum esse Christum*. Quid a recta ratione alienum magis, quam alios aliis monitores a Deo Dæmones dari, qui illos de Christi morte commoneant? Quid demum a Dæmonum natura, & conditione abhorret magis, quam ut, si quid forte secum invicem communicare velint, prodere, aperire, nunciis utantur, ac tabellariis? Idcirco prisci Christianæ Religionis Defensores, Tertullianus, Justinus Martyr, Joannes Chrysostomus, aliique nonnulli, qui ex nunciis de Christo nostro sub Tiberio Cæsare Romam allatis,rebusque inibi gestis, tam gravia ad causæ defensionem momenta petiere, totam illam Cleombroti apud Plutarchum narrationem futilem habuerunt; aut certe nihil cum Christi Domini morte habere commune existimarunt; quippe qui nullum inde momentum ad causæ præsidium delibarunt. Eo vero facilius in eum Plutarchi Centonem induci fabellæ potuerunt, quod non a se ipso loquatur illic Plutarchus, sed Cleombrotus Interlocutor; qui & rem narrat ab altero, Æmilio nimirum, acceptam; quam & ille ab Epitherse parente suo didicisset. In ea autem alterius ad alterum narrationum multitudine nænias obrepere facillimum est.

DIS-

DISSERTATIO CCXLV.

De Passione Christi. Utrum conveniens fuerit, Christum sepeliri? De ejus sepultura, illiusque tempore, & loco; & quid B. Virgo passa fuerit, quando corpus Christi fuit de Cruce depositum, & ad sepulturam praeparatum?

SUB Dissertationis hujusce tituli prima parte plura examinanda veniunt; quorum I. est, an conveniens fuerit, Christum sepeliri? II. in quo haec convenientia consistat? III. an Christum sepeliri, fuerit etiam expediens?

Ad I. Quaesitum respondemus cum S. Thoma 3. p. q 51. ar. 1. conveniens fuisse, Christum Dominum sepeliri. Quod quidem I. probat ex verbis Christi Domini Matthaei 26. de muliere, quae eum inunxerat: *Opus bonum operata est in me*; & deinde post pauca: *Mittens enim hoc unguentum in corpus meum, ad sepeliendum me fecit*. II. Rationibus probat, & quidem ratio prima est, ut suae mortis veritatem comprobaret; non enim in sepulchro quis ponitur, nisi quando jam constat de veritate mortis ejus; quapropter Marci 15. Pilatus tunc Christum sepeliri concessit, quando post diligentem inquisitionem illum mortuum esse, cognovit. Secunda ratio, quia resurrectio Christi est exemplar resurrectionis nostrae, & nemo resurgere dicitur, qui in Sepulchro non fuerit; & propterea Joannis 5. legitur, *Omnes, qui in monumentis sunt, audient vocem Filii Dei, & qui audierint, vivent*. Tertia ratio est ad exemplum illorum, qui per mortem Christi Spiritualiter moriuntur peccatis; qui, scilicet absconduntur a conturbatione hominum, ut ait Angelicus; qui & prosequitur: *Unde dicitur Colos. 3. Mortui estis, & vita vestra abscondita est cum Christo in Deo: Unde & baptizati, qui per mortem Christi moriuntur peccatis, quasi consepeliuntur Christo per immersionem, secundum illud Roman. 6. Consepulti sumus cum Christo per baptismum in mortem.*

Ad II. Quaesitum dicimus, convenientiam hanc non fuisse in hoc, quod Corpus Christi fuerit in sepulchro resolutum, hoc enim non fuit; sed potius, quod modus sepulturae ejus fuerit conveniens quantum ad tria, ut docet Angelicus cit. loco art. sequ. *Primo quidem, quantum ad confirmandam fidem mortis, & resurrectionis ipsius. Secundo ad commendandam pietatem eorum, qui eum sepelierunt. Unde Augustinus dicit in 1. de Civit. Dei: Laudabiliter commemorantur in Evangelio, qui corpus ejus de Cruce acceptum diligenter, atque honorifice tegendum, sepeliendumque curarunt. Tertio, quantum ad mysterium, per quod informantur illi, qui Christo consepeliuntur in mortem.* Quod autem Corpus Christi in sepulchro resolutum non fuerit, citato loco art. 3. I. probat Angelicus ex psalm. 15., ubi dicitur. *Nec dabis sanctum tuum videre corruptionem*: quae verba Damascenus lib. 3. de Orthodoxa fide cap. 18. exponit de corruptione, quae, ut ait S. Thomas, est per resolutionem in elementa. II. probat ratione, verbis hisce: *Respondeo dicendum, quod non fuit conveniens, corpus Christi putrefieri, vel quocunque modo incinerari: quia putrefactio cujuscunque corporis provenit ex infirmitate naturae illius Corporis, quae non potest amplius corpus continere in unum. Mors autem Christi (sicut supra dictum est) non debuit esse ex naturae infirmitate, ne crederetur non esse voluntaria: & ideo non ex morbo, sed ex passione illata voluit mori, cui se obtulit sponte. Et ideo Christus ne mors ejus naturae infirmitati adscriberetur, noluit corpus suum qualitercunque putrefieri, aut qualitercunque resolvi: sed ad ostensionem virtutis divinae voluit corpus illud incorruptum permanere. Unde Chrysostomus dicit, quod viventibus*

aliis hominibus, his, scilicet, qui egerunt strenue, arrident propria gesta: his autem pereuntibus, pereunt. Sed in Christo est totum contrarium, nam ante crucem omnia sunt mæsta, & infirma: ut autem Crucifixus est, omnia clariora sunt facta, ut noscas non purum hominem Crucifixum.

Ad III. Quæsitum respondemus respectu hominum, & respectu Discipulorum Christi, expediens fuisse, ut Corpus Christi sepeliretur, quanvis propter se sepultura non eguisset. Respectu hominum quidem, non quia nobis aliquid de novo meruerit per sepulturam, sed quia, ut ait Suarez 3.p.q.51 art.3. disp. 41. sect. 3. ex vi præcedentis meriti, & quia voluntarie passioni se & sepulturæ prævisæ obtulit, illud corpus fuit potens ad liberanda nostra corpora ab illa maledictione, quam in Adamo incurreramus. Ex parte etiam discipulorum, seu ut erat actio sepelientium ipsum; quia opus illud sepeliendi Christum fuit omnino honestum, ac pium. Hoc ipsum confirmant Patres; videlicet Nazianzenus orat. 1. *Mors adversus mortem, & resurrectio propter resurrectionem*, addens postmodum: *Sepultura adversus illam in terram reversionem*. Ad quæ verba addebat Elias Cretensis: *Quoniam post transgressionem istud Adamus audivit: Terra es, & in terram reverteris, idcirco sepultura Christus afficitur, atque in monumento collocatur, ut Adamum hac condemnatione liberet. Ita Domini sepultura nostram in terram reversionem delet*. Insuper Petrus Chrysologus serm.74. super illa verba, *Angelus Domini descendit de Cælo, & accedens, revolvit lapidem*, sic scribit: *Non dixit volvit, sed revolvit lapidem, qui advolutus probavit mortem, & revolutus extitit resurrectionis assertor. Beatus lapis, qui Christum revelare meruit, & velare. Beatus, qui non minus corda aperit, quam sepulchrum. Beatus, qui dat resurrectioni fidem, fideique resurrectionem. Mutatur hic ordo rerum; mortem, non mortuum devorat hoc sepulchrum, &c.* Hieronymus epist. 27. *Ingressa sepulchrum resurrectionis, obsculabatur lapidem, quem ab ostio monumenti amoverat Angelus, & ipsum corporis locum, in quo Dominus jacuerat, quasi sitiens, desideratas aquas fideli ore lambebat.* Et Augustinus in Enchirid. cap. 53. *Quidquid gestum est in Cruce Christi, in sepultura, & in resurrectione, & ascensione, ita gestum est, ut iis rebus non mystice tantum dictis, sed etiam gestis configuraretur Vita Christiana, quæ hic geritur.*

Opponunt I. Sepulchrum opponitur libertati corporum; sed Christus fuit omnino liber; dicitur enim psalm. 87. *Inter mortuos liber*: ergo non fuit conveniens, quod corpus Christi sepeliretur. II. Sepultura Christi nihil profuit hominibus ad salutem; sed conveniens non erat, quod Christus faceret, quæ nobis ad salutem non prodessent: ergo neque conveniens erat, quod corpus Christi sepulturæ traderetur. III. Sepultura Christi fuit honorabilis, fuit ambitiosa, & fuit luxosa; sed hæc non conveniebant humilitati, & paupertati Christi: ergo &c. Major probatur, quia Christus fuit sepultus a Joseph ab Arimathæa, qui erat nobilis Decurio, & a Nicodemo, qui erat Princeps Judæorum: ergo sepultura Christi fuit honorabilis. Præterea, Christus fuit sepultus cum aromatibus: ergo fuit sepultura ejus ambitiosa. Insuper Christum sepelivit Nicodemus, ferens mixturam myrrhæ, & aloes, quasi libras centum: ergo fuit luxosa. IV. Christus per mortem, & sepulturam suam, primi hominis peccati pœnam solvebat; sed primi hominis peccati pœna fuit non solum ut moreretur, verum quoque ut in cineres resolveretur corpus ejus: ergo pariter Christi corpus debebat in cineres resolvi. V. Ideo Christus post mortem sepeliri voluit, ut nobis hominibus spem resurgendi daret; sed majorem nobis dedisset resurgendi spem, si corpus ejus fuisset in cineres redactum: ergo debebat Christi corpus in sepulchro in cineres resolvi. VI. Defunctorum corpora sepeliuntur, vel propter vivos, vel propter ipsos defunctos; Propter vivos, vel ad eorum consolationem, ut ait Augustinus lib. 1. de Civit. Dei cap. 12. *Sepulturæ mortuorum solatia sunt vivorum, dum eos, quos amabant, prout possunt, honorant, atque honeste collocant*: vel ad eorum corporalem utilitatem, quia ferre non possunt corporum corruptionem: Propter ipsos defunctos quoque, & quia ex pretiosiori sepulchro magis ipsorum memoria illustratur, & quia ex sepulchrorum aspectu nos fortius excitamur ad orandum pro illis, & ad subveniendum eis; sed nulla ex his ratio urgebat, ut corpus Christi sepulturæ traderetur: ergo expediens non fuit, corpus Christi sepulturæ tradi.

Respondemus ad I. Christus etiam in sepulchro suam exercuit libertatem, quia surrexit.

rexit; quando voluit, & non surrexit, quando non voluit. Non enim ab aliquo cogebatur ut in sepulchro maneret, & non resurgeret. Et quando mortui, qui resurgere non poterant, in sepulchris permanebant, ipse resurgens, quando resurgere volebat, erat inter mortuos liber.

Ad II. Sepultura Christi profuit nobis ad salutem, sicut mors ejus salutem nostram efficaciter est operata. Et hoc ostendit S. Thomas testimonio Hieronymi super Matthæum dicentis: *Sepultura Christi resurgimus*; & pariter Glossæ Ordinariæ, super illa verba Isaiæ 53. *Dabit impios pro sepultura*; dicentis: *Idest, Gentes, quæ sine pietate erant, Deo, Patrique dabit, quia mortuus, & sepultus eos acquisivit.*

Ad III. Ideo mors Christi fuit indecora, & abjectissima, ut commendaretur patientia, & constantia illius, qui moriebatur. In sepultura autem honorifica commendari debebat gloria morientis, qui contra intentionem occidentium eum, etiam mortuus honorifice sepeliebatur; & pariter præfigurabatur fidelium devotio, qui Christo mortuo servire postmodum debebant. Cætera vero, quæ Christu fuerunt exhibita pietatis officia, quando corpus ejus sepulturæ fuit traditum, etiam cum sumptibus, sed non luxu, fuerunt juxta morem regionis, & secundum consuetudinem Judæorum, ut enim dicit Evangelista; *Sepelierunt eum, sicut mos est Judæis sepelire*; & sicut explicat Augustinus tract. 120. in Joannem: *admonuit in hujusmodi officiis, quæ mortuis exhibentur, morem cujuslibet gentis esse servandum.* Quibus subdit S. Thomas art. 2. ad 2. *Erat autem istius gentis consuetudo, ut mortuorum Corpora variis aromatibus condirentur, ut diutius servarentur illæsa. Unde & in tertio de doctrina Christiana dicitur, quod in omnibus talibus, non usus rerum, sed libido utentis in culpa est. Et postea subdit, quod in aliis personis plerumque flagitium est; in divina vel prophetica persona maxime cujusdam rei signum est. Myrrha enim, & aloes propter sui amaritudinem significant pœnitentiam, per quam aliquis in seipso Christum conservat absque corruptione peccati: odor autem aromatum significat bonam famam.*

Ad IV. Quæcunque Christus passus est in sua passione, & morte, & secundum suam voluntatem, & pro nostra omnium salute, passus est; adeoque passus est quæ voluit, & quæ ad nostram salutem conferre poterant. Voluit quidem mori, & mortuus est; noluit autem post mortem corpus ejus in cineres redigi, & non est resolutum. Non contulisset autem ad nostram salutem, si corpus ejus fuisset in cineres redactum, quia non fuisset credita in eo virtus divina: unde expediens fuit ad nostram salutem, ut corpus ejus post mortem in cineres non redigeretur. Et hæc est responsio S. Thomæ citato loco art. 3. ad 1.

Ad V. hæc reponit S. Thomas cit. art. ad 3. *Ad tertium dicendum, quod Christus de sepulcro resurrexit virtute divina, quæ nullis terminis coarctatur. Et ideo hoc, quod a sepulchro surrexit, sufficiens argumentum fuit, quod homines erant resuscitandi virtute divina, non solum de sepulchris, sed etiam de quibuscumque cineribus.*

Ad VI. Augustinus lib. 1. de Civit. Dei cap. 12., & 13. docet, quod quanvis fideles non debeant multum esse solliciti, quid post mortem circa corpora eorum agendum sit; Viventes tamen debent piam operam adhibere, ut mortuorum corpora sepelienda curent. Et ratio hæc est, quia hoc opus & ad bonam hominum gubernationem est necessarium, & ad quoddam vivorum solatium, & ad aliquam ipsius defuncti utilitatem, cujus honori, & decentiæ in hac actione consulitur. Unde deducit Suarez 3. p. q. 51. ar. 3. disp. 41. sect. 3. „ Est igitur hoc
„ opus laudabile, & per se honestum. Pri-
„ ma vero consequentia patet, quia hoc
„ obsequium magis erat Christo debitum,
„ quam cuivis alteri. Unde Augustinus, &
„ alii Patres notant, voluisse Christum
„ sepeliri, ut suo exemplo hoc pietatis opus
„ probaret. Qui etiam Matthæi 26. in de-
„ fensionem Magdalenæ dixit: *Opus bonum*
„ *operata est in me, mittens enim unguentum*
„ *hoc, ad sepeliendum me fecit.* Quo circa
„ licet Christus propter se quodammodo
„ minus hoc obsequio indigeret, tamen
„ etiam pertinuit ad decentiam quandam,
„ & honorem illi debitum. Neque propter
„ spem resurrectionis proxime futuræ præ-
„ termittendum fuit. Nam (ut omittam
„ eos, qui Christi sepulturam curabant,
„ excepta Virgine, valde imperfectos fuis-
„ se in hac fide, & spe resurrectionis) ad
„ majorem ejusdem resurrectionis fidem
„ poterat sepultura Christi non solum per-
„ tinere propter ea, quæ supra diximus,
„ sed etiam quia majoris fidei esse poterat
„ credere sine ulla difficultate posse Chri-
„ stum suum corpus e sepulchro quantum-

„ vis

„ vis clauso ; & grandi lapide obserato „ vivum educere. Ac denique magnæ fuit „ prudentiæ, cum aliunde nihil aliud de „ divina voluntate constaret, Christi cor- „ pus humano more religiose, ac honeste „ curare „.

Pro secunda Dissertationis parte, in qua quæritur de Christi sepultura, & ejusdem loco, ac tempore, quæ sequuntur, examinanda se offerunt. I. An Christus fuerit sepultus more romano, vel more judaico; & quid mos judaicus importaret? II. Ubi fuerit situm sepulchrum, quo Christi corpus conditum est? III. Quando positum est in sepulchro, & quanto tempore in eo permansit?

Ad I. Quæsitum dicimus, quod quamvis Christus fuerit more romano crucis supplicio affectus, non fuit tamen more romano sepultus, sed more judaico. I. probatur ex Evangelio Joannis cap. 19. v. 40. ubi dicitur, quod Joseph ab Arimathæa, & Nicodemus *acceperunt corpus Jesu, & ligaverunt illud linteis cum aromatibus, sicut mos est Judæis sepelire*: ergo Christi corpus fuit a Josepho, & a Nicodemo secundum Judæorum morem sepulturæ mandatum. II. probatur, enumerando in particulari, quæ a Judæis fieri solebant, quando sepeliebant mortuos suos, & quæ in Christi sepultura observata fuerunt. Quorum primum est, quod Christus mortuus in Cruce circa horam nonam, & Parasceves die jam inclinante, fuerit de Cruce depositus, ac tumulo datus antequam dies ipsa elaberetur. Hoc autem Hebræis lege cautum fuerat Deuteron. 21. *Quando peccaverit homo, quod morte plectendum est, & adjudicatus morti, suspensus fuerit in patibulo; non permanebit Cadaver ejus in ligno, sed eadem die sepelietur*. Insuper dies Sabbathi, proxime futuri Religionis ergo id exposcebat; quia aliter dies illa sacra, & Judæis jucunda, deturpata, & dehonestata fuisset horrendo illo spectaculo corporum, de Crucibus pendentium. Et hanc rationem ipsummet Evangelium prodit, dicens: *Ut non remanerent in Cruce Corpora Sabbatho: erat enim magnus valde dies ille Sabbathi*; scilicet, quia eo anno illo inter paschales dies occurrebat. Secundum fuit, quod Christi Corpus sindone, & linteis, involverunt, & fasciis a pedibus usque ad collum colligarunt, & sudarium, quod faciem illius obvelaret, ejusdem capiti superposuerunt. Et hoc observatum legimus in Lazaro, qui Joannis 11. prodiit e sepulchro *ligatus pedes, & manus institis, & facies illius sudario erat ligata*: Romani autem corpore defunctorum igne cremabant, & cineres urnis condebant. Tertium fuit, quod Corpus Christi aromatibus inunxerunt, hoc est myrrhe, & aloe, quæ sunt succi amarissimi, & virtutem habent a putredine servandi corpora. Mos inungendi corpora defunctorum communis erat Ægyptiis, Syris, aliisque nonnullarum nationum hominibus; sed a solis Judæis ex Religione servabatur, quia erat eis in spem futuræ resurrectionis, quem ipsi, veræ fidei lumine illustrati, supra cæteros homines agnoscebant, ac fatebantur. Putat Serry, quod Corpus Christi fuit unguentis illis, ac balsamis non solum inunctum, sed quasi etiam immersum, atque sepultum; & hoc ratione quantitatis magnæ misturæ myrrhæ, & aloes, librarum circiter centum, ut loquitur Evangelium. Quartum fuit, quod Christi Corpus hoc modo fuit in sepulchro conditum, ut caput illius esset ad Occidentem, & pedes ad Orientem collocarentur; quod observavit Haimo Halberstatensis homilia in die santo Paschæ habita. Et hoc, quia in Templo Jerosolymitano Judæi solebant obversi orare; unde quotquot in Judæa, & præcipue prope Jerosolymam, tumulis condebantur, in hoc idem Templum obversi, ut ais Serry exercit. 58., venerationis ergo, componebantur. Igitur quia Templum ad partem Orientalem Jerosolymæ erat positum, & Christus in monte Calvariæ, qui erat situs ad Occidentem extra Jerosolymam sepultus erat, debebat Christi Corpus ita in sepulchro componi, ut caput ad Occidentem, pedes vero essent ad Orientem, ad hoc ut hoc modo sepultus, Templum spectaret. Quintum denique fuit, quod Curatores, & Pollinctores funeris Christi non fuerunt viles homines, sed illustres, ac nobiles; scilicet Joseph ab Arimathæa nobilis, ac dives decurio, qui Corpus Jesu a Pilato petiit, & Nicodemus Princeps Judæorum, qui magnam illam aromatum copiam proprio ære emit, ac profudit. Hi profecto, quamvis Christum non agnoscerent uti Deum, & quamvis tertia die surrecturum nescirent; quia tamen uti Prophetam habebant, & virum omni ex parte mirabilem, ideo honore illo prosequi sunt ipsum. Addit Serry citata Exercit. 58. „ Josepho, „ & Nicodemo Christi Corporis curatori-
„ bus

„ bus Deiparam Virginem adjungit Si-
„ meon Metaphrastes, quam sacrum caput
„ sudario primum detersisse ait, ac tum
„ illud Josepho tradidisse, ut illo inter se-
„ pulchralia lintea uteretur. Sed quis ne-
„ sciat, quam multa Scriptor ille Veteri-
„ bus ignorata, vel e recentioribus lacunis
„ hauserit, vel ipse confixerit? Donec er-
„ go auctoritate id constet, pro certo, at-
„ que indubitato haberi non potest."

Ad II. Quaesitum dicimus, sepulchrum Christi fuisse in horto quodam, qui erat in Calvariae monte, & fuisse monumentum novum, in quo nondum quisquam positus erat, & quod excisum erat in petra. Hoc totum I. probatur Joannis 19. v.41. *Erat autem in loco, ubi crucifixus est, hortus, & in horto monumentum novum, in quo nondum quisquam positus erat:* Et Matthaei 27. v.60. De Joseph ab Arimathaea dicitur; *& posuit illud in monumento suo novo, quod exciderat in petra, & advolvit saxum magnum ad ostium monumenti, & abiit.* Explicant Patres, & Interpretes, fuisse monumentum positum in horto, ut sicut Adam humanum genus in horto perdiderat, ita novus Adam in horto repararet; fuisse quoque monumentum novum, ne surgente Christo alius quispiam antea sepultus surrexisse crederetur, aut fingeretur; fuisse denique in petra excisum, ne si fuisset lapidibus factum, evulso aedificio diceretur a discipulis furto ablatus. Fuit etiam ingens lapis, ad monumenti ostium positus, quem Principes Sacerdotum publico sigillo signarunt, & milites etiam ad custodiam adhibuerunt; quia ita ordinavit Deus, ut quo magis perfida gens sibi cavet, ne fraus ab Apostolis fieret, ita omni fraude cessante, gloriosior, certior, ac manifestior Christi resurrectio redderetur.

Ad III. Quaesitum dicimus, Christum fuisse positum in sepulchro antequam dies Parasceves elapsa esset, dum tamen ad exitum inclinaret, hora scilicet de meridie quinta, antequam Sabbathum inciperet vesperae; remansisse autem in sepulchro triginta sex horis, quae faciunt noctem totam cum die tota, & nocte tota; quod asserit S.Thomas art. 4. ex Augustino lib. 4. de Trinitate cap. 6. dicente, *a vespere sepulturae usque ad diluculum resurrectionis triginta sex horae sunt, id est, nox tota cum die tota, & nocte tota.* Angelicus autem Doctor in corpore ejusdem articuli exscribit: *Respondeo dicendum, quod ipsum tempus, quo Christus in sepulchro mansit, effectum mortis ejus repraesentat. Dictum est autem supra, quod per mortem Christi liberati sumus a duplici morte, scilicet, a morte animae, & a morte corporis; & hoc significatur per duas noctes, quibus Christus in sepulchro permansit. Mors autem ejus, quia non fuit ex peccato proveniens, sed ex charitate suscepta, non habuit rationem noctis, sed diei, & ideo significatur per diem integrum, quo Christus fuit in sepulchro. Et sic conveniens fuit, quod Christus una die, & duabus noctibus esset in sepulchro.*

Pro tertia Dissertationis parte, primo aliqui putant, B.Virginem tempore passionis, & mortis Christi passam fuisse spasmum, idest, prae nimio dolore sensum amisisse, atque in terram corruisse. Et haec est Vulgi opinio, quam Pictorum imperitia sustinet. Secundo alii volunt, quod B.Virgo passa sit spasmum tempore illo, quo occurrit Christo, Crucem bajulanti, & in hujus opinionis confirmationem adducunt Templum, quod erat in via ad Calvariam, quod *S.Maria de Spasmo* dicebatur, quia in eo loco prae dolore, quasi exanimis concidit, dum occurreret Filio portanti Crucem. Et hoc etiam asseruit S. Bonaventura lib. meditat. Vitae Christi cap.77. *Cernens eum oneratum ligno tam grandi, quod primo non viderat, semimortua facta est prae angustia, nec verbum dicere potuit.* Tertio alii referunt hoc ipsum ad tempus illud, quo B. Virgo vidit Christum nudum extendi super Crucem, ut crucifigeretur, & referunt revelationem Virginis, quam dicunt reperiri apud Anselmum dialogo de Passione Domini: *Cum venissent ad locum Calvariae ignominiosissimum, nudaverunt Jesum filium meum totaliter vestibus suis, & ego exanimis facta fui.* Quarto hoc videntur affirmare alii de toto crucifixionis tempore; unde adducunt verba, quae leguntur in quodam opusculo de lamentatione Virginis Mariae, quod habetur inter opera Bernardi: *Juxta Crucem Christi stabat emortua mater, quae ipsum ex Spiritu Sancto concepit: vox illi non erat, quia dolore attrita jacens, pallebat, quasi mortua vivens, vivebat moriens, moriebatur vivens, nec mori poterat, quae vivens mortua erat.* Eodem modo loquitur supracitatus Bonaventura cap.79. *Credo, quod vel propter angustiarum multitudinem absorpta erat, & quasi insensibilis facta, vel semimortua facta est, nunc quidem multo magis, quam cum obviavit ei, cru-*

cem.

tem portanti. Et capit.8. clarius affirmat, idem accidisse Virgini, quando Christus lancea est vulneratus: *Tunc mater semimortua cecidit inter brachia Magdalena*. Hæc omnia inveniuntur apud Suarez. Dicimus autem nos, B. Virginem hujusmodi animæ, & corporis affectionem, & dejectionem passam non fuisse toto passionis tempore, & nec etiam in depositione Christi de Cruce. Prima pars probatur I. quia Joannis 19.dicitur: *Stabant autem juxta Crucem Jesu Maria mater ejus, &c.* Unde Ambrosius de obitu Valentiniani affirmare non audet, illam flevisse: *Stantem lego, flentem non lego*. Eadem habet idem Ambrosius de institut. Virginis cap.7. epist.82. II. probatur, quia Patres docent, tunc temporis B. Virginem exercuisse actum summæ obedientiæ erga Deum, & eximiæ charitatis erga homines; unde scribebat Bonaventura in 1.dist.48.q.ultima. *Quo actu & Deum, & homines sibi maxime devinxisse*; sed incompatibilis est cum tali actu dejectio illa, & consternatio, quam plerique asserunt: ergo, &c. III. quia B. Virgo semper habuit, ut ait Suarez, perfectum dominium super omnes actus, & affectus suos, & ita regebat omnes motus portionis inferioris, ut nihil indecorum, nihil dissonum in ea esse permitteret: ergo B. Virgo non solum non est passa spasmum, quem illi dicunt, sed nec etiam aliquid egit, quod esset indecorum, neque aliquid, quod non summam ejus modestiam præseferret. Unde S.Antoninus 4.par.Summæ Theolog. titulo 15. cap.41. §.1.scribebat: *Stabat verecunda, modesta, lachrymis plena, doloribus immersa, ita tamen divinæ voluntati conformis, quod (ut Anselmus ait) si oportuisset, ad implendam secundum rationem voluntatem Dei, ipsa Filium in Cruce posuisset, atque obtulisset. Neque enim minoris fuit obedientia, quam Abraham*. Posterior pars probatur etiam; quia si B. Virgo non passa est spasmum tempore passionis Christi, & præcipue quando Christus crucem ferebat, & de cruce pendebat, multo minus eum pati debebat, quando de Cruce fuit depositus, quia tunc, quum esset jam mortuus, nullum sentiebat dolorem, & honorifice ab hominibus tractabatur, & resurrectio ejus propinquior erat.

Obstant I. Matth.12. dicitur, *quod sicut fuit Jonas in ventre ceti tribus diebus, & tribus noctibus, ita filius hominis erit in corde terra tribus diebus, & tribus noctibus*; sed nomine cordis terræ venit sepulchrum: ergo Christus fuit in sepulchro tribus diebus, & tribus noctibus, non una tantum die, & duabus noctibus. II. Gregorius Magnus homil.21. in Evangelia scribit, quod sicut Sampson abstulit media nocte portas Gazæ, ita Christus media nocte auferens portas inferni, resurrexit: ergo media tantum nocte fuit in sepulchro, non duabus noctibus. III. In morte Christi lux prævaluit tenebris; sed nomine tenebrarum venit nox, nomine autem lucis venit dies: ergo convenientius fuisset, Corpus Christi manere in sepulchro duobus diebus, & una nocte. IV. Lucæ 23. v.54. legitur: *Dies Parasceves erat, & Sabbathum illucescebat, quando Christi Corpus sepultum fuit*; quibus verbis videtur, contineri contradictionem, quia si] Parasceves erat, dici non poterat, quod Sabbathum illucesceret, seu quod oriretur lux matutina Sabbathi, quanvis Sabbathum inciperet Parasceves vespere. V. Adamnanus lib.2. de situ, & locis Terræ Sanctæ, & post illum Beda lib. 5. Historiæ Gentis Anglorum, referunt, quod Patriarchæ veteris Legis, plantis ad meridiem versis, capitibus vero ad septentrionalem plagam conversis, fuerunt sepulti: ergo non erat mos Judæorum, ut caput defuncti, qui sepulturæ mandabatur, ad Occidentem, &. pedes ad Orientem collocarentur. VI. Josepho, & Nicodemo, quos diximus funeris Christi curatores, Simeon Metaprastes adjungit Virginem Deiparam, quam ait, primum detersisse sudario suo sacrum Christi caput, & deinde illud tradidisse Josepho, ut eodem inter sepulchralia lintea uteretur. VII. Picturæ antiquæ repræsentant B. Virginem exanimem, quando juxta Crucem erat, & quando Christi Corpus super genua tenebat. VIII. Multi Authores Spasmum B. Virginis testantur, quibus contradicere absque temeritate non possumus.

Respondemus ad I. Verbis S.Thomæ citato art. 4. ad 1., qui laudat Augustinum lib. 3. de consensu Evangelist. cap. 24. *Quidam modum loquutionis Scriptura nescientes, nocti voluerunt annumerare tres illas horas, a sexta usque ad nonam, quibus Sol obscuratus est, & diei, tres horas alias, quibus iterum terris est redditus, idest a nona usque ad ejus occasum. Sequitur enim nox futuri Sabbathi, qua cum suo die computata,*

putata, erunt jam duæ noctes, & duo dies. Porro autem, post Sabbathum sequitur nox primi Sabbathi, idest, illucescentis diei dominici, in qua tunc Dominus resurrexit, & ita adhuc non constabit ratio trium dierum, & trium noctium. Restat ergo, ut hoc inveniatur illo Scripturarum usitato loquendi modo, quo a parte totum intelligitur, ita scilicet, quod unam noctem, & unam diem accipiamus pro uno die naturali. Et sic primus dies computatur ab extrema parte sui, qua Christus in sexta feria est mortuus, & sepultus: secundus autem dies est integer cum viginti quatuor horis nocturnis, & diurnis: nox autem sequens pertinet ad tertium diem. Sicut enim primi dies propter futurum hominis lapsum a luce in noctem, ita isti propter hominis reparationem, a tenebris computantur in lucem.

Ad II. Augustinus lib. 4. de Trinit. cap. 5. docet, Christum resurrexisse diluculo, quando scilicet apparet aliquid lucis, & remanet aliquid tenebrarum noctis. Propter hanc eandem rationem dici potest cum Gregorio, quod Christus resurrexit media nocte, hoc est tempore illo, quod mediat inter noctem, & diem, & quod potest dici pars diei, & noctis, non autem, quod nox dividatur in duas partes, & inter hasce Christus resurrexerit; & est etiam responsio Angelici.

Ad III. dicitur, lucem prævaluisse in morte Christi, quia Christus removit tenebras duarum noctium, idest, duplicis mortis nostræ; ut docet Angelicus.

Ad IV. Verba illa; *& Sabbathum illucescebat*, non denotant matutinam lucem Sabbathi, quia a fine Parasceves ad lucem matutinam Sabbathi duodecim horæ intercedebant; sed denotant lucem lucernarum, ac lampadarum, quas Judæi accendebant, inclinante Parasceve, & paulo ante primam vesperam Sabbathi, quia illas toto Sabbatho accendere prohibebantur.

Ad V. Patriarchæ veteris Legis, de quibus loquuntur Adamnanus, & Beda, mortui fuerunt ante conditum Templum; adeoque in sepultura eorum non potuit haberi respectus, qui deinde habitus fuit, quando Jerosolymitanum Templum fuit erectum. Cæterum de rebus tam antiquis, quis poterat exactam adeo notitiam habere; ut sciret in Sepulchris ubinam pedes, ubi defunctorum capita collocarentur? Præcipue si in sepulchris plura fuissent cadavera recondita.

Ad VI. hæc reponit Serry exercit. 58. nu. 1.

„ Sed quis nesciat quam multa Scriptor il-
„ le (Simeonem intelligit Metaphrastem)
„ a veteribus ignorata, vel e recentioribus
„ lacunis hauserit, vel ipse confinxerit? Do-
„ nec ergo graviori authoritate id constet,
„ pro certo, atque indubitato haberi non
„ potest.

Ad VII. dicit Graveson Differt. 20 quæsit. 7.
„ Ludunt ergo nos Pictores, quorum alii
„ pro innata fingendi libidine, depingunt
„ B. Virginem juxta Crucem præ doloris
„ vehementia hærentem attonitam, quasi
„ in saxeam duritiam obriguisset. Alii non
„ minus ludicre eam exhibent inter bra-
„ chia Magdalenæ exanimem collapsam,
„ operaque adjutam piarum mulierum. In-
„ saniunt vero nonnulli Auctores, quos
„ non pudet asserere, B. Virginem, mo-
„ riente Filio, unguibus sibi lacerasse ge-
„ nas, pugnis contudisse pectus, dissipasse
„ comam, omnia inconditis vociferationi-
„ bus complesse, Judæis, Judæ & Militi-
„ bus fuisse imprecatam, per vicos, & pla-
„ teas insanarum mulierum more, ober-
„ rasse intemperiis obnoxiam, & tantum
„ non in furias actam. Quæ omnia cum
„ ludicra sint, & indecora, penitus able-
„ gari debent a B. Virgine, quæ dum vixit,
„ nihil antiquius habuit, quam ut se totam
„ divino permitteret arbitrio, & in rebus
„ arduis, non secus ac in secundis semper
„ sibi constanti vitæ ratione divinæ vo-
„ luntati obsequeretur. Legi potest Tra-
„ ctatus 13. *de Spasmo B. Mariæ Virginis*, a
„ nostro Cajetano editus, qui extat in 2.
„ Tomo ejus Opusculorum.„

Ad VIII. respondemus cum Suarez loco citato: „ Auctores vero, qui in contra-
„ rium adducuntur, in primis non sunt ad-
„ modum antiqui, at antiquiores non so-
„ lum illo modo non loquuntur, sed etiam
„ contrarium sæpe indicant. Deinde aliqui
„ ex illis libris, qui afferuntur, incerti
„ sunt, præsertim liber ille de lamentatio-
„ ne Virginis inter incerta Bernardi opera
„ ponitur. Dialogus etiam de Passione,
„ Anselmo adscriptus, mihi est valde su-
„ spectus, tum quia Stylus non redolet An-
„ selmum; tum etiam quia multa in illo
„ continentur, quæ non gravitate, nec
„ doctrina Anselmi digna videntur: Ut,
„ verbi gratia, quod B. Virgo cœperit cla-
„ mare, & ejulare, quando Christus lan-
„ ceæ vulnus accepit. Denique etiam illi
„ Patres non omnes expresse loquuntur;
„ Anselmus enim in uno loco dicit, *Quasi*
„ *exanimis*, in alio vero quamvis dicat: *Exa-*
„ *nimis facta est*, statim vero explicat non

„ amisisse sensus. Dicit enim, accepisse il-„ lico Virginem velamen capitis, ut Chri-„ stum tegeret. Itaque verbum illud *exa-„ nimis*, solum est positum ad explicandam „ acerbitatem doloris: eademque fere est „ Bernardi, & Bonaventuræ sententia. „ Nam per exaggerationem quandam lo-„ quuti videntur, ut loco etiam supra ci-„ tato dixi.„

DISSERTATIO CCXLVI.

De Resurrectione Christi. An Christus vere resurrexerit? Qua die, & hora resurrexerit? An vere aliqui resurrexerint cum ipso? Et an denuo fuerint mortui?

PRIMO erravit Cerinthus, qui secundum Epiphanium hæresi 28. asseruit, Christum passum esse quidem, crucifixum, & mortuum, sed nondum resurrexisse, resurrecturum tamen postea in generali resurrectione: vel secundum Irenæum lib. 1. contra hæreses cap. 25. distinxit Christum a Jesu, & dixit, passionis tempore Christum a Jesu recessisse, & neque mortem obiisse, neque resurrexisse; Jesum vero & mortuum fuisse, & resurrexisse: Vel secundum Augustinum, qui lib. de hæresibus hæresi 8. expresse dicit, Cerinthum negasse, Jesum resurrexisse.

Secundo fuerunt aliqui, quos refert Tertullianus lib. de carne Christi cap. 24. suppressis nominibus, qui asserebant, animam Christi esse in Cœlo sine carne; alios vero qui dicebant, carnem Christi esse in Cœlo, vacuam sensu. Hi profecto omnes Christi resurrectionem negarunt. Hos autem errores Philastrius tribuit Passionistis, Seleucianis, & Hermianis, qui dixerunt, solam Christi animam ascendisse in Cœlos, reliquisse vero carnem suam in Sole, propter quod male intelligebant illud Psalmi 18. *In Sole posuit tabernaculum suum*.

Tertio erravit Apelles, qui Philastrio teste dicebat, Christum resurrexisse, sed non in sua ac vera carne. Augustinus hæresi 23. absolute de Apelle refert, dixisse, Christum sine carne resurgentem in Cœlum ascendisse.

Quarto Heræt ici omnes, qui negabant, Christum fuisse verum hominem, aut assumpsisse verum corpus humanum, ac mortale, aut vere mortuum fuisse, ex vi consequentiæ debebant quoque veram resurrectionem negare.

Quinto Heræt ici alii, etsi concesserint, Christum resurrexisse, negarunt tamé, resurrexisse clauso monumento. Et hi fuerunt Calvinus lib. 4. instit. cap. 17. §. 29. dicens: „ Quod Christũ exiisse e sepulchro clauso, „ & clausis januis ad discipulos ingressum „ esse objiciunt, nihilo magis eorum errori „ suffragatur. Nam sicut aqua non secus ac „ solidum pavimentum Christo iter præ-„ buit super lacum ambulanti: ita nihil mi-„ rum, si ad ejus occursum se flexit lapidis „ durities. Etsi probabilius est, ejus imperio „ amotum fuisse lapidem, & mox transitu „ dato, in suum locum rediisse. Nec januis „ clausis intrare tantundem valet, ac pene-„ trare per solidam materiam, sed sibi adi-„ tum patefacere divina virtute, ut repen-„ te steterit inter suos discipulos plane ad-„ mirabili modo, cum obseratæ essent fo-„ res.„ Henricus Bullingerus ad cap. 20. Joannis: „ Vel Angelum fores Christo „ aperuisse, sicut in Actis Petro contigit: „ vel Christi potentiam invenisse modum „ ingrediendi, non adversum naturæ, & „ substantiæ corporis sui veri, ut non sit „ opus comminisci per miraculum duo „ corpora in eodem fuisse loco, aut Cor-„ pus Domini nullo circumscribi loco.„ Rodolphus Gualterus lib de Incarnat. fol. 82. „Quod vero de sepulchri lapidei „ operculo, & foribus clausis garriunt, „ plusquam puerile commentum, & jam „ centies a nostris confutatum est. Quis „ enim Evangelistarum unquam memoriæ „ prodidit, Christi Corpus per massam il-„ lam lapideam penetrasse, ut redivivum „ terris redderetur? Quis nescit Angelum „ Cœlo descendisse, qui & lapidem revul-„ sit, & milites splendore suo exanimavit? „ Quo ad fores clausas satis constat Joanni

hoc

„ hoc propositum fuisse, ut temporis cir-
„ cumstantiam notaret, quo Christus ad
„ discipulos venit, & quales illi sese tunc
„ gesserint, doceret. Neque enim ex hi-
„ storiæ ejus contextu quisquam evicerit,
„ Christi Corpus per fores illas, sive li-
„ gneas, sive ferreas, sive cancellatas pe-
„ netrasse, aut quicquam fecisse a corporis
„ propria natura alienum. „ Theodorus Beza in Creophagia negat „ Christi Cor-
„ pus egressum esse e sepulchro clauso: la-
„ pidis enim duritiem per Dei omnipo-
„ tentiam Corporis Christi moli cedere
„ potuisse. „ Contra Vvestphalum negat „
„ Christum pervenisse ad discipulos per
„ fores clausas, sed tum ad eos venisse,
„ & comparuisse inter discipulos cum ja-
„ nuis clausis una essent „ Homilia 2. de Cœna Domini fingit „ miracula de Chri-
„ sti ingressu per januas clausas, & egres-
„ su per lapidem sepulchri, in parietis, &
„ sepulchri mole repente opificis sui cor-
„ pori cedente, potius quam in ipso Chri-
„ sti corpore edita videri. „ Hoc quidem Calviniani dicunt, quod cæteris ipsorum figmentis catholicum dogma non adhæreat. Dicunt enim Catholici, duo corpora divinitus esse posse in eodem loco, & hinc consequenter unum cum altero posse penetrari; quod factum fuit in Christo, quando exivit e sepulchro clauso, quando clauso B. Virginis utero natus est, & quando clausis januis ad discipulos intravit.

Sexto posteriorum temporum Heretici, sub Calvino pariter, & Osiandro, ut Corporis, & Sanguinis Christi realem præsentiam in Sacramento Eucharistiæ negarent, & transubstantiationis doctrinam facilius possent labefactare, & impugnare, dixerunt, Corpus Christi post resurrectionem remansisse exangue, ac proinde vinum non posse converti in Sanguinem Christi in Eucharistia. Erroris hujusce Propugnatores ex Calvinianorum grege fuerunt Alberrinus, De la Roque, Petrus Allix, contra quos Catholici ostenderunt, Corpus Christi post resurrectionem fuisse verum & integrum; compactum, scilicet, carne, ossibus, sanguine, aliisque membris, quæ ad humani corporis integritatem pertinent.

Septimo, Judæi, utpote Domini nostri Jesu Christi hostes infensissimi, & implacabiles, omnem moverunt lapidem, ut resurrectionis ipsius veritatem impugnarent; unde & a tempore illo, quo Christus Dominus resurrexit, & subsequentibus etiam temporibus usque modo, non destiterunt, nec desinunt, contra illam loqui, ut illam penitus in fidelium cordibus destruant.

Octavo, Benedictus Spinosa, ex Judæo Christianus factus, quanvis nomine tantum, non vero re Christianus fuerit, voluit, intelligendam esse allegorice, non vero literaliter, & historice, totam de resurrectione Christi historiam, quam in suis Evangeliis Evangelistæ narrant. Hæc sunt verba, quæ scribebat Spinosa in Epist. 23. ad Henricum Oldemburgium: „ Concludo itaque Christi a mor-
„ tuis resurrectionem revera spiritualem,
„ & Solis fidelibus ad eorum captum
„ revelata fuisse, nempe quod Christus
„ æternitate donatus fuit, & a mortuis
„ surrexit, simul atque vita, & morte sin-
„ gularis sanctitatis exemplum dedit, &
„ eatenus discipulos suos a mortuis su-
„ scitat, quatenus ipsi hoc vitæ ejus, &
„ mortis exemplum sequuntur: „ Et epist. 25. ad eundem: „ Cæterum Christi
„ passionem, mortem, & sepulturam te-
„ cum litteraliter accipio, ejus autem re-
„ surrectionem allegorice. Fateor quidem
„ hanc ab Evangelistis iis narrari cir-
„ cumstantiis, ut negare non possimus,
„ ipsos Evangelistas credidisse Christi cor-
„ pus resurrexisse, & ad cœlum ascendisse,
„ ut ad Dei dexteram sederet; & quod ab
„ Infidelibus etiam potuisset videri, si una
„ in iis locis adfuissent in quibus ipse
„ Christus Discipulis apparuit, in quo ta-
„ men salva Evangelii doctrina potuerunt
„ decipi, ut etiam aliis Prophetis conti-
„ git. „

Nono, Socinus in responsione ad defensionem Francisci Pucci, asseruit, corpus Christi post resurrectionem non fuisse immutatum, nec immortale, & gloriosum effectum. Refertur, & impugnatur a Graveson citato loco Conclus. 3.

Decimo, Eutychius, Patriarcha Constantinopolitanus, dicebat, corpus nostrum in illa resurrectionis gloria fore impalpabile, & venris, aereque subtilius, & Christum Dominum post confirmata corda discipulorum palpantium, omne illud, quod palpari poterat, in subtilitatem aliquam redegisse. S. Gregorius Magnus, dum Constantinopoli Pelagii II. Papæ Legati munus ageret, hunc Patriarcham impugnavit coram Tiberio Imperatore, & Eutychius ipse Patriarcha, morti proximus, palinodiam ca-

cantavit; quod refert ipsemet Gregorius Magnus lib.4. Moral. cap.29.

Dicimus I. Christum vere a mortuis surrexisse; post resurrectionem habuisse corpus verum, & integrum; habuisse pariter corpus gloriosum, quanvis in eo cicatrices, seu vulnera, remanserint; & clauso monumento resurrexisse. Quatuor habet partes Conclusio, quæ omnes sunt de fide.

Prima Conclusionis pars probatur I. ex Scripturis. Matthæi 28. *Vespere autem Sabbathi, quæ lucescit in prima Sabbathi, venit Maria Magdalena, & altera Maria videre sepulchrum. Et ecce terræmotus factus est magnus; Angelus enim Domini descendit de Cœlo, & accedens revolvit lapidem, & sedebat super eum. Præ timore autem ejus exterriti sunt Custodes, & facti sunt velut mortui. Respondens autem Angelus dixit mulieribus: Nolite timere vos; scio enim quod Jesum, qui crucifixus est, quæritis. Non est hic: surrexit enim, sicut dixit.* Joannis 20. *Cum ergo sero esset die illo, uno Sabbathorum, & fores essent clausæ, ubi erant discipuli congregati propter metum Judæorum, venit Jesus, & stetit in medio, & dicit eis: Pax vobis.* Et cap.26. *Et post dies octo, iterum erant discipuli ejus intus, & Thomas cum eis. Venit Jesus januis clausis, & stetit in medio.* Marci cap. 16. *Et cum transisset Sabbathum, Maria Magdalene, & Maria Jacobi, & Salome emerunt aromata, ut venientes ungerent Jesum. Et valde mane una Sabbathorum veniunt ad monumentum orto jam Sole, & dicebant ad invicem: Quis revolvet nobis lapidem ab ostio monumenti? Et respicientes viderunt revolutum lapidem; erat quippe magnus valde. Et introeuntes in monumentum viderunt juvenem sedentem in dexteris coopertum stola candida, & obstupuerunt. Qui dicit illis: Nolite expavescere: Jesum quæritis Nazarenum crucifixum: surrexit, non est hic: ecce locus, ubi posuerunt eum. Sed ite, dicite discipulis ejus, & Petro, quia præcedet vos in Galilæam: ibi eum videbitis, sicut dixit vobis.* Lucæ 24. *Una autem Sabbathi valde diluculo venerunt ad monumentum, portantes, quæ paraverant aromata, & invenerunt lapidem revolutum a monumento, & ingressæ, non invenerunt corpus Domini Jesu. Et factum est dum mente consternatæ essent de isto, ecce duo viri steterunt secus illas in veste fulgenti. Cum timerent autem, & declinarent vultum in terram, dixerunt ad illas: Quid quæritis viventem cum mortuis? Non est hic, sed surrexit: recordamini qualiter locutus est vobis, cum adhuc in Galilæa esset, dicens: Quia oportet Filium hominis tradi in manus hominum peccatorum, & crucifigi, & die tertia resurgere. Et recordatæ sunt verborum ejus.* Joannis 20. *Una autem Sabbathi Maria Magdalene venit mane, cum adhuc tenebræ essent, ad monumentum, & vidit lapidem sublatum a monumento. Cucurrit ergo, & venit ad Simonem Petrum, & ad alium discipulum, quem amabat Jesus, & dicit illis: Tulerunt Dominum de monumento, & nescimus ubi posuerunt eum. Exiit ergo Petrus, & ille alius discipulus, & venerunt ad monumentum. Currebant autem duo simul, & ille alius discipulus præcucurrit citius Petro, & venit primus ad monumentum. Et cum se inclinasset, vidit posita linteamina, non tamen introivit. Venit ergo Simon Petrus, sequens eum, & introivit in monumentum, & vidit linteamina posita. Et sudarium, quod fuerat super caput ejus, non cum linteaminibus positum, sed separatim involutum in unum locum. Tunc ergo introivit, & ille discipulus, qui venerat primus ad monumentum, & vidit, & credidit; nondum enim sciebant Scripturam, quia oportebat eum a mortuis resurgere. Abierunt ergo iterum discipuli ad semetipsos. Maria autem stabat ad monumentum foris plorans; dum ergo fleret, inclinavit se, & prospexit in monumentum, & vidit duos Angelos in albis sedentes, unum ad caput, & unum ad pedes, ubi positum fuerat corpus Jesu. Dicunt ei illi: mulier, quid ploras? Dicit eis: quia tulerunt Dominum meum, & nescio, ubi posuerunt eum. Hæc cum dixisset, conversa est retrorsum, & vidit Jesum stantem; & non sciebat, quia Jesus est. Dicit ei Jesus: Mulier, quid ploras? Quem quæris? Illa existimans, quia hortulanus esset, dicit ei: Domine, si tu sustulisti eum, dicito mihi, ubi posuisti eum; & ego eum tollam. Dicit ei Jesus: Maria. Conversa illa dicit ei: Rabboni (quod dicitur Magister). Dicit ei Jesus: noli me tangere, nondum enim ascendi ad Patrem meum. Vade autem ad fratres meos, & dic eis: Ascendo ad Patrem meum, & Patrem vestrum, Deum meum, & Deum vestrum. Venit Maria Magdalena annuncians discipulis: quia vidi Dominum, & hæc dixit mihi.*

II. Probatur ex Romanis Pontificibus. Leo Magnus serm. 1. de resurrect. Domini cap. 3. *Ideo enim & clausis ostiis ad discipulos introibat, & flatu suo dabat Spiritum Sanctum, & dato intelligentiæ lumine Sacra-*

erarum Scripturarum occulta pandebat, ut agnosceretur in eo proprietas divina, humanaque natura individua permanere. Et epist. 81. ad Dioscorum Alexandrinum cap. 1. *In hac Dominica resurrectionis die, congregatis in unum discipulis, jannis clausis, cum ad eos Dominus intreisset, insufflavit, & dixit: Accipite Spiritum Sanctum.* Gregorius Magnus homil. 26. in Evangel. *Prima lectionis hujus Evangelica quæstio animum pulsat, quomodo post resurrectionem Corpus Dominicum verum fuit, quod clausis jannis ad discipulos ingredi potuit? Sed sciendum nobis est, quod divina operatio, si ratione comprehenditur, non est admirabilis. Nec fides habet meritum, cui humana ratio præbet experimentum. Sed hæc ipsa nostri Redemptoris opera, quæ ex semetipsis comprehendi nequaquam possunt, ex alia ejus operatione pensanda sunt, ut rebus mirabilibus fidem præbeant, facta mirabiliora. Illud enim corpus Domini intravit ad discipulos jannis clausis, quod videlicet ad humanos oculos per nativitatem suam clauso exiit utero Virginis. Quid ergo mirum, si clausis jannis post resurrectionem suam in æternum jam victurus, intravit, qui moriturus veniens, non aperto utero Virginis exivit?* Damasus in Confessione fidei, quæ extat apud Theodoretum Histor. lib. 5. cap. 11. *Si quis negaverit Christum in carne, quam sumpsit, sedere ad dexteram Patris, in qua etiam venturus est ad judicium de vivis, & mortuis exercendum, anathema esto.* Et in Symbolo: *Qui devicto mortis imperio, cum ea carne, qua natus, & mortuus, & passus fuerat, & resurrexit, ascendit ad Patrem, sedetque ad dexteram ejus in gloria, quam semper habuit, & habet.* Gelasius de duabus in Christo naturis contra Eutychen: *Si in deitatem, ut putant, humanitate transfusa, vel ex omni parte translata desiit esse humana substantia: ergo ut humanitatis forma sine sui proprietate cessavit? Si dicunt in nulla deitate humana forma lineamenta constare, quid aliud quam Anthropomorphitas convincuntur inducere, quos dudum Catholica talia somniantes damnavit Ecclesia? Nam si & substantia, & forma hominis Jesu Christi hac transfusione consumpta est, quis est, quem vidit ad dexteram virtutis stantem S. Stephanus? Quis hominis Filius venturus est ad judicandos vivos, & mortuos? Quis erit, quem videbunt, in quem compunxerunt? Abolitum est omne mysterium, vacuatum est, resolutumque, ut dictum est, quod absit omne Sacramentum, falsumque erit,* *quod ait ipse Salvator: Palpate, & videte, quia spiritus carnem, & ossa non habet, sicut me videtis habentem. Et certe hoc post resurrectionem dixit, talis jam dixit, qualis cum discipulis per quadraginta dies conversatus est, convescens, & cohabitans cum eis. Talis dixit, qualis ascendit in cælum: Talis dixit, qualis promissus est inde esse venturus. Aut legant ipsi ubi, posteaquam de se illa professus est, fuerit immutatus, & aliter quam se discipulis patefecit, ascenderit levatus in cælum.* Leo IX. epistola ad Petrum Antiochenum Episcopum: *Credo Christum die quadragesima post resurrectionem cum carne, qua surrexit, & anima, ascendisse in cælum, & sedere in dextera Patris.*

III. Probatur ex Conciliis. Concilium Nicenum Generale I. in Symbolo: *Tertia die resurrexit a mortuis.* Concilium Constantinopolitanum Generale I. pariter in Symbolo: *Et resurrexit tertia die secundum Scripturas.* Concilium Ephesinum in Epist. Cyrilli ad Reginas: *Christus, ut Deus cum Patre resuscitavit se ipsum, ut hominem.* Et infra: *Christus in carne resurrexit divina virtute.* Concilium Lateranense I. cap. 1. *Christus descendit in anima, resurrexit in carne, ascenditque pariter in utroque, venturus in fine seculi, judicare vivos, & mortuos.*

IV. Probatur ex Patribus Græcis. Nyssenus orat. 2. de Resurrect. Domini: *Cum Angelus lapidem revolvisset, reperit resurrexisse Dominum sepulchro, quod sigillis munitum fuerat, ac præsidio militum custodiebatur, sicut Deum decebat, clauso relicto, quemadmodum clausis quoque jannis penetrans, in domicilium ad discipulos accessit. Quare etiam dicebat: Non est hic sed surrexit, significans Angelus ante suum adventum, admirabiliter accidisse resurrectionem Servatoris, quam, ut Deus, propria virtute exequens, in iis, quæ disposita, ac destinata erant, peragendis nullum Angelorum auxilium desideravit. Nisi enim hoc ita esset, dixisset: Ecce exsurget, significans id, quod statim fieret: sed quoniam ante factum erat, præterito tempore utens, dixit: Non est hic, sed surrexit.* Et oratione pariter de resurrectione, quam citat Graveson: *Oportuisse primum muliebrem sexum, & ab Angelo bonum resurrectionis accipere nuntium, & Dominum videre, & primam ab eo vocem audire, Avete. Quoniam mulier quoque prima audiverat vocem serpentis, & contra præceptum viderat ligni interdicti fructum, & pœna tristitiæ, & doloris*

con-

condemnata fuerat. Quapropter etiam adorare Servator, & pedes apprehendere, & contrectare permittebat, & Discipulis gaudium annunciare jubebat, cum mulierem, quæ tristitiæ ministra Adamo fuerat, gaudii nuntiam viris esse vellet, contraria contrariis curans. Chrysostomus homil.9.de resurrect. Christum sic loquentem inducit: *Non est meum meos ludificare phantasmate, vanam imaginem visus si timet, veritatem corporis manus, & digitus exploret. Potest fortasse aliqua oculos caligo decipere, palpatio corporalis verum corpus agnoscat: Spiritus, inquit, carnem, & ossa non habet, sicut me videtis habere. Quod ostia clausa penetravi, sola est virtus divini spiritus, non sola carnis substantia. Alioquin, quid profuit me suscepisse hominem, si piguit suscitasse?* Amphilochius orat. habita super eo: *Non potest quicquam Filius a se facere: Post resurrectionem Dominus, utrumque ostendit, & quod corpus est hujusmodi, & quod id est, quod resurrexit. Recordare historiæ, erant discipuli congregati post passionem, & resurrectionem, & portis clausis stetit in medio eorum Dominus. Neque hoc unquam fecit ante passionem. An non potuit hoc jam olim Christus facere? Deus enim potest omnia. Sed non fecit ante passionem, ne existimares, visionem, aut apparentiam esse æconomiam, nec putares esse spiritalem Christi carnem, nec e cœlis descendisse, nec alterius esse substantiæ, quam sit nostra caro.*

V. Probatur ex Patribus Latinis. Hieronymus in Apologia pro libris adversus Jovinianum ad Pacmachium, quæ est epist.50. cap.8. *Jesus enim clausis ingressus est ostiis, & in sepulchro ejus, quod novum, & in petra durissima fuerat excisum, nec antea quis, nec postea positus est.* Augustinus epist. 3. ad Volusianum. *Ipsa virtus per inviolata matris Virginea viscera membra infantis eduxit, qua postea per clausa ostia membra Juvenis introduxit. Hic si ratio quæritur, non erit mirabile: si exemplum poscitur, non erit singulare. Demus, Deum aliquid posse, quod nos fateamur investigare non posse. In talibus rebus tota ratio facti est potentia facientis.* Chrysologus serm.80. *Scio, quia Jesum, qui crucifixus est, quæritis; non est hic. Sic dixit Angelus, qui aperuit hoc sepulchrum, non ut inde exiret Christus, qui ibi jam non erat, sed ut ibi Christum jam non esse monstraret.* Beda in Homiliis æstivalibus, homil. in Vigilia Paschæ: *Quod Angelus advenit obsequium servitutis suæ, quod Domino debuit, exolvit. Quia enim Christus Deus, & homo est, inter acta humanitatis ejus semper Angelorum ministeria Deo debita non desunt. Revolvit autem lapidem, non ut egressuro Domino januam pandat, sed ut egressus ejus, jam facti, præstet hominibus indicium.* Anselmus Cantuariensis ad cap.28. Matthæi: *Obsequium suæ servitutis, quod Domino debuit, Angelus exolvit: quia accedens revolvit lapidem, non ut egressuro Domino januam panderet, sed ut egressus ejus, jam facti, hominibus indicium præstaret.*

VI. Probatur rationibus theologicis. I. Si Christus vere non resurrexit, resurrectio ipsius discipulorum fraude fuit publicata; sed tantum abest, quod in facto illo intercesserit discipulorum fraus, ut potius interfuerit ad illam occultandam Judæorum impostura: ergo vere Christus Dominus resurrexit. Probatur minor. Post Christum sepulturæ traditum, Pharisæi, & Sacerdotes adierunt Pilatum, & dixerunt ei: *Domine, recordati sumus, quia seductor ille dixit, adhuc vivens: Post tres dies resurgam. Jube ergo custodiri sepulchrum, ne forte veniant discipuli ejus, & furentur eum.* Pilatus annuit illis, apposuit custodes, voluit, ut ipsimet Judæi obsignarent sepulchrum, & modis omnibus caverent, ne fraus aliqua a discipulis fieret. Hoc supposito; Poterant ne discipuli de resurrectione Christi imposturam excitare? Poterant fraudem componere? Poterant mendacium publicare? Præcipue quum essent rudes, imperiti, & meticulosi. II. Postquam Christus resurrexit, Judæi in plura loca miserunt nuncios, ut publicarent, Christi Corpus fuisse a discipulis furto ablatum, ut sic eum resurrexisse prædicarent; quod testatur Justinus in suo Dialogo verbis hisce: *Eximiis viris delectis, in omnem Orbem terrarum eos misistis, qui renunciarunt, hæresim, & sectam quandam impiam, & iniquam excitatam esse a Jesu quodam Nazareno seductore, quem a vobis, crucifixum Discipuli ejus noctu è monumento, ubi a cruce refixus, positus erat, furto sustulerint, & homines in errorem abduxerint, asseverantes, eum a mortis excitatum esse.* Vel ergo Populi crediderunt Judæis, hæc nunciantibus, & nihilominus fidem Christi amplexati sunt; vel non crediderunt Judæis, & Christo nomen dederunt? Si primum: en Judæorum impostura sine fructu; Si secundum: en Judæorum mendacium sine fide. III. Christus prædi-

dixerat Apostolis, & discipulis ejus, se surrecturum tertia die: Vel ergo resurrexit, vel non resurrexit? Si resurrexit: Vera fuit resurrectio ejus; Si non resurrexit: Quare igitur Apostoli, a Christo decepti, & illusi, fide tanta, fortitudine, & constantia, resurrectionem ejus per totum terrarum Orbem adeo infatigabiliter prædicarunt, ut mortem potius obirent, quam tacerent? IV. Resurrectio Christi, aut credibilis, aut non credibilis erat? Si credibilis: ergo jam fuit, Christus enim eam predixit, non semel sed pluries, & Apostoli ubique gentium prædicarunt: Si incredibilis: Quare ergo ab omnibus fere hominibus credita est? Et hoc est argumentum Augustini lib.22.de Civit.Dei cap., dicentis: *Resurrectio certe Christi, & in cœlum cum carne, in qua resurrexit, ascensio, toto jam mundo prædicatur, & creditur: Si credibilis non est, unde toto Orbe jam credita est?* V. Si non fuit vera resurrectio Christi: ergo fuit Apostolorum, & discipulorum commentum: debuissent ergo Apostoli inter se convenire, ut commentum hoc ubique gentium prædicarent. Sed qua mercede? Quo præmio? Immo potius qua non pœna, afflictione, & morte? Et credibile est, Apostolos voluisse scienter hoc mendacium publicare sine spe præmii, sed cum certa expectatione supplicii? VI. Christus in resurrectione sua tot prodigia operatus est, quot in Evangeliis describuntur; tot hominibus, & mulieribus apparuit, quot in Evangeliis narrantur; Et Matthæus denique Evangelista hæc omnia retulit in Evangelio suo, quæ Judæi ipsi facillime poterant videre, & examinare: ergo non poterant hæc omnia fieri absque eo quod Judæi Matthæum, aliosque Apostolos, falsitatis, & mendacii accusarent; sed nunquam accusarunt: ergo nulla falsitas, nullum mendacium intervenit.

VII. Probatur ex Scriptoribus exteris. Josephus Judæus lib.18.antiquit. cap.4.testatur aperte, quod Christus die tertia post passionem a mortuis surrexerit, & vivus discipulis suis apparuerit: *Apparuit enim eis tertia die vivens, multa hæc, & alia mirabilia Oraculis Prophetarum de eo vaticinantibus; & usque hodie Christianorum gens ab hoc sortita vocabulum non defecit.* Insuper Pontius Pilatus Claudio Tiberio Imperatori scripsit ejusdem resurrectionis luculentissimum testimonium. Epistola autem hæc est: „ Pontius Pilatus Claudio Tiberio Neroni Imp. S. Nuper contigit, cujus rei testis esse possum, Judæos sese ipsos, posterioresque suos universos per invidiam damnatione perdidisse. Cum enim ea Oraculorum promissis, Majorum ipsorum auctoritate receptis, hoc expectarent, ut Deus illorum per Virginem juvenculam mitteret, qui jure Rex eorum diceretur, hunc, me præsente, misit in Judæam, quod omnibus notum est, cæcis visum restituebat, leprosos mundabat, resolutos nervis curabat. Viderunt quoque ipsum Dæmonia abegisse, atque Obsessos Spiritibus immundis liberasse, mortuos item ex sepulchris ipsis resuscitavit. Obediebant ipsi ventorum turbines, siccis pedibus mare inambulabat. Fecit quoque permulta miracula, ut vulgo inter Iudæos, & plebem, Dei Filius diceretur. Principes vero Sacerdotum, æmulatione, & livore instincti, adversabantur illi: captumque illum mihi tradiderunt, ementitis sceleribus eum reum facientes. Magum appellabant, atque Legis eorum destructorem, & contradictorem. Quibus persuasionibus seductus ipse, fidem querelis ipsorum adhibui, flagellatumque ipsis tradidi, ut pro arbitrio in eum animadverterent. Crucifixerunt igitur illum, & sepulchro, quo conditus erat, Custodes adhibuerunt, inter quos ex meis militibus nonnulli erant, qui tertio die eum a mortuis resurgentem viderunt. Nequitia autem Iudæorum magis hoc facto exarsit, numerarunt que magnam pecuniarum vim ipsis militibus, quare nos discipulos ipsius noctu corpus rapuisse prædicarent. Acceperunt hi quidem pecunias; nihilominus tamen publice ubique professi sunt, atque testantur, se visiones Angelorum vidisse, ac Iesum illum a mortuis vere resurrexisse. Hæc autem ideo scripsi, ne quis nugis, ac mendaciis Iudæorum, si de re gesta aliter loquantur, fidem adhibeat. Vale. „ Hæc Pilati Epistola refertur a Graveson dissert.22. conclus.1., qui testatur, illam Xistum Senensem, quem vocat Criticæ disciplinæ peritissimum, in vetustissimis Bibliothecæ Vaticanæ monumentis reperisse, illamque lib. 2. Bibliothecæ suæ sanctæ pagina 109. inseruisse. Ceterum Pilati Epistolæ exemplum recitat Hegesippus in Anacephaleosi librorum suorum de Excidio Urbis Ierosolymitanæ, de quo dicit Natalis Alexander in seculo primo cap.4., *germanum, an fal-*

sum,

sum, *nescio*; Opus Hegesippi intelligit.

Secunda Conclusionis pars probatur I. ex consensu Ecclesiæ Orientalis, & Occidentalis, asserentium, in Sacramento Eucharistiæ panem esse conversum in Corpus Christi, & vinum in Sanguinem: ergo Corpus Christi post resurrectionem non remansit exangue. Antecedens probat late Antonius Arnaldus in suo libro *de Perpetuitate fidei*, ubi ex consensu omnium seculorum, ætatum, nationum, & Ecclesiarum contra Hæreticos nostrorum temporum hanc universalis Ecclesiæ doctrinam ostendit. II. Si Corpus Christi post resurrectionem non fuisset verum, & integrum, sed fuisset exangue, sequeretur, quod non fuisset ejusdem naturæ, cujus erat ante mortem, quia sequeretur, quod non fuisset in Christi Corpore redintegratum quicquid per mortem exciderat; sed hoc dici non potest: ergo, &c. Minor patet, quia contra Eutychium fuit hoc impugnatum a S.Gregorio, & Eutychius se retractavit, ut dictum est. III. Athanasius in Epist. ad Epictetum contra Apollinarium hæreticum probat, Corpus a Christo Domino in Conceptione assumptum non fuisse naturæ cœlestis, & æthereæ; & ratio, qua utitur, hæc est; quia corpus, quod Christus post resurrectionem intulit in Cœlum, compositum erat ex carne, & ex ossibus, juxta illud Evangelii *Palpate, & videte, quoniam spiritus carnem, & ossa non habet, sicut me videtis habere*; & hac eadem ratione contra hæreticum Valentinum alii Patres utuntur: ergo ex Athanasio, & aliis Patribus, Corpus Christi post resurrectionem non fuit exangue, sed verum, & integrum. IV. Corpus Christi post resurrectionem suam fuit, sicuti erunt corpora nostra post universalem resurrectionem; sed corpora nostra non erunt sine sanguine, ossibus, & carne, at vera, & integra: ergo sic pariter fuit Corpus Christi. Minor patet ex iis, quæ Ecclesia circa veram nostrorum corporum resurrectionem contra Origenistas definivit; & quæ legi poterunt apud Gregorium Magnum lib. 4. moralium cap.29., & apud Hieronymum epist.38., alias 61. ad Pammachium adversus hæreses Ioannis, Episcopi Jerosolymitani.

Tertia Conclusionis pars probatur I. Ad Philippenses 4. de Christo dicitur: *Reformabit corpus humilitatis nostra configuratum corpori claritatis suæ*: hoc est, quod corpora nostra erunt similia in futura resurrectione Corpori Christi post resurrectionem glorioso, quia tunc habebunt quatuor illas dotes, quæ gloriosum corpus constituunt, scilicet impassibilitatem, subtilitatem, agilitatem, & claritatem: unde 1. ad Corinth. 15. dicitur: *Stella enim differt a stella in claritate, sic & resurrectio mortuorum. Seminatur in corruptione, surget in incorruptione; seminatur in ignobilitate, surget in gloria; seminatur in infirmitate, surget in virtute*. II. Ad verba illa 2.ad Corinth.cap.5. *Etsi cognovimus secundum carnem Christum, sed non jam cognovimus*: Patres docent, Christum per resurrectionem suam talem, ac tantam gloriam in corpore suo acquisivisse, ut mortalitas in immortalitatem transiret, & caro veluti in Deitatem demergeretur: Per hoc tamen non fit, quod caro Christi, seu natura humana fuerit revera in divinam transformata, sicuti Eutychiani somniabant; sed quod caro Christi ex passibili post resurrectionem facta sit impassibilis, & ex mortali immortalis. Quod docebat Leo Magnus serm. 1. de resurrect. Christi: *Qualitas transit, non natura deficit, & factum est corpus impassibile, quod potuit crucifigi, factum est immortale, quod potuit vulnerari. Et merito dicitur caro Christi in eo statu, qua fuerat nota, nesciri: quia nihil in ea passibile, nihil remansit infirmum, ut & ipsa sit per essentiam, & non sit ipsa per gloriam.* III. quia Joannis 20. legitur, Thomam Apostolum in Christi cicatrices immisisse manus: *Deinde dicit Thomæ: Infer digitum tuum huc, & vide manus meas, & affer manum tuam, & mitte in latus meum; & noli esse incredulus, sed fidelis*.

Quarta pars Conclusionis probatur I. Epiphanius hæresi 20. *Resurrexit, & clausis foribus ingressus est, ut crassarum partium corpus tenuium partium ostenderet, ipsum, quod erat cum carne, & ossibus. Nam ubi ingressus esset, ostendit manus, & pedes, & latus: ossa item, & nervos, & reliqua, ut ne esset imaginatio ea, qua videbantur*. Et orat. *de Christi Salvatoris sepultura*, si ejus legitimus est fœtus: *Quemadmodum Christus Jesus naturalibus Virginea natura claustris omnino integris, utroque materno undequaque clauso ex Virgine in lucem prodiit; ita idem ille, sepulchri signaculis nequaquam reseratis, ex mortuis resurrexit*. Chrysologus serm.75. *Venit Maria ad sepulchrum, venit ad resurrectionis uterum, venit ad vitæ partum: ut iterum Christus ex sepul-*

chro

ebro nesteretur fidei, qui carnis fuerat generatus ex ventre: & eum, quem clausa Virginitas vitam protulerat ad præsentem, clausum sepulchrum ad vitam redderet sempiternam. Divinitatis insigne est clausam Virginem reliquisse post partum: de sepulchro clauso exiisse cum corpore est divinitatis insigne. II. Bernardus ferm. 1. in die S. Paschæ: *Hunc lapidem magnum valde, de quo mulieres illæ devotæ invicem quærebantur, facto jam resurrectione Dominico, revolvit Angelus, & resedit, sicut scriptum est, super eum. Constat proinde clauso exiisse tumulo redivivum corpus, quod clauso Virginis utero natum processit in vitam, & ad discipulos clausis introivit januis in conclavi. Sed est locus, unde clausis noluit procedere januis, carcer utique gehennalis. Confregit siquidem ferreos vectes, repagula universa contrivit, ut liberè suos educeret, quos redemerat de manu inimici: & planis egrederentur portis agmina Sanctorum deolbatorum, qui laverunt stolas suas, & candidas eas fecerunt in sanguine agni*. Nicolaus Lyranus ad cap. 20. Joannis: *Et vidit lapidem: Angelus enim Domini eum amoverat, non ad hoc, quo Christus de sepulchro surgeret: quia clauso sepulchro surrexit, & exiit, sicut clauso utero Virginis natus est: hoc tamen fuit aliter, quia in resurrectione habuit corpus gloriosum, cui non resistit aliquid; sed exitus de utero Virginis fuit miraculosus. Removit igitur lapidem Angelus solum ad manifestandum Christi resurrectionem jam completam*.

Opponunt I. Non conveniunt Evangelistæ in describenda Christi resurrectione: ergo ipsorum testimonium non est verum. Probatur antecedens. Marcus cap. ultimo sui Evangelii scribit, quod Mulieres ad monumentum accesserunt *orto jam Sole*: Joannes vero cap. 20. asserit, quod mulieres ad monumentum venerunt, *cum adhuc tenebræ essent*. II. Matthæus cap. 28. narrat, quod Maria Magdalena, altera Maria, & aliæ piæ mulieres, venerunt, ut viderent sepulchrum; & quod Angelus, qui lapidem revolverat dixit eis: *nolite timere; scio enim, quod Jesum quæritis. Non est hic: Surrexit enim, sicut dixit*: At Joannes aliter rem refert; dicit enim, quod *Maria Magdalena venit ad monumentum, & vidit lapidem sublatum, & cucurrit, & venit ad Simonem Petrum, & ad alium discipulum, quem Jesus diligebat, eisque dixit: Tulerunt Dominum de monumento, & nescimus ubi posuerunt eum*: Hæc autem verba non indicant, Angelum fuisse visum a Magdalena, quia si hæc illum vidisset, & cum ea sermonem habuisset, scivisset certe, Christum resurrexisse, & Petro, & Joanni dixisset, uti rem certam, resurrectionem ejus, qui eam ab Angelo didicerat, & non uti dubiam, & incertam, uti præseferunt verba illa: *Tulerunt Dominum de monumento, & nescimus, ubi posuerunt eum*. III. Verum Corpus nequit esse cum alio corpore in eodem loco; sed Christi Corpus post resurrectionem fuit cum alio corpore in eodem loco: ergo non fuit verum corpus. Probatur minor; Fuit enim in eodem loco cum lapide, qui stabat ad Ostium Sepulchri, quando de sepulchro clauso egressus est; & fuit in eodem loco, quando januis clausis ingressus est in Cœnaculum IV. Verum corpus nequit ab oculis intuentium evanescere; sed Christi corpus post resurrectionem evanuit ab oculis discipulorum, ut legitur Lucæ cap. ultimo: ergo non fuit verum Christi Corpus. V. Christi corpus post resurrectionem non habuit sanguinem: ergo non fuit integrum. Probatur antecedens. Consentius quæsierat ab Augustino; utrum nunc Corpus Christi Domini ossa, & sanguinem habeat, aut reliqua carnis lineamenta? S. Augustinus respondet, se nec inquirere, nec definire velle, an Christus sanguinem habeat, necne? Hæc sunt verba Augustini epist. 205. alias 146. ad Consentium: *Fides adsit, & nulla quæstio remanebit, nisi forte de Sanguine requirendum est, quia cum dixisset: Palpate, & videte, quia spiritus carnem, & ossa non habet, non addidit sanguinem. Non ergo & nos addamus inquirere, quod ille non addidit dicere: & de compendio, si placet, finita sit quæstio*: ergo Augustinus saltem dubitavit, & in incerto reliquit, an modo Christi corpus sanguinem habeat; sed non dubitasset, si vere tenuisset Corpus Christi post resurrectionem fuisse integrum, constans, scilicet, carne, ossibus, & sanguine: ergo &c. VI. Corpus gloriosum debet esse lucidum; sed Corpus Christi post resurrectionem non fuit lucidum: ergo non fuit gloriosum, & immortale. Major est certa, quia claritas est dos corporis gloriosi: minor negari non potest, quia non potuissent Apostoli tantum splendorem mortalibus oculis intueri, & sustinere. VII. Corpus immortale, & gloriosum debet esse liberum ab usu, & consuetudine comeden-

di; sed Christus post resurrectionem sæpius cum suis discipulis manducavit: ergo Corpus ejus non fuit immortale, & gloriosum. VIII. Corpus Christi post resurrectionem retinuit sibi infixas cicatrices, quæ corpori immortali, & glorioso hærere neutiquam possunt: ergo corpus ejus post resurrectionem non fuit immortale, & gloriosum. IX. Non fuit necessarium, ut Christus ex mortuis resurgeret: ergo non resurrexit. Probatur antecedens. Si fuisset necessarium, Christus non potuisset non resurgere; sed potuit non resurgere: ergo non fuit necessarium. Probatur minor. Christus potuit non mori: ergo Christus potuit non resurgere. X. Christus per resurrectionem suam dictus fuit primogenitus ex mortuis; sed multi ante ipsum ex mortuis resurrexerunt: ergo non fuit vere primogenitus ex mortuis. XI. Ut veritas resurrectionis Christi comprobaretur, debebat Christus permittere, ut eum alii tangerent; sed hoc Christus Mariæ Magdalenæ non permisit: dixit enim ei: *Noli me tangere*: Ergo corpus ejus non fuit verum. XII. Resurrectio Christi vel fuit caussa efficiens futuræ resurrectionis hominum bonorum tantum, vel etiam malorum? Si bonorum tantum: ergo non profuit omnibus hominibus: Si malorum quoque: ergo neque omnibus hominibus profuit, quia malis fuit potius ad pœnæ, quam ad præmii, augmentum.

Respondemus ad I. Verba illa, *Orto jam Sole*, non ita esse accipienda, ut docet S. Thomas, tanquam Sol ipse videretur super terram, sed tanquam de proximo adveniente in has partes; quod est, quando cœlum jam ab Orientis parte albescit, & Solis lumen, quanvis multis adhuc admixtum tenebris, incipit affulgere. Verba autem alia, *cum adhuc tenebræ essent* non intelliguntur, quasi mulieres profunda nocte ad monumentum venerint, sed sensus verus est, quod mulieres sub noctis finem itineri se dederunt, id est, quando tenebræ nondum erant omnino discussæ, & ad monumentum pervenerunt, quando Sol illucescere incipiebat.

Ad II. Hanc aliam apparentem antilogiam, Gravefon citato loco hoc pacto componit. „ Maria Magdalene, & aliæ mulieres, quando ad sepulchrum venerunt, & in illud intrarunt, neminem viderunt; quia Angelus, qui sedebat super lapidem, quem revolverat ab ostio monumenti, illis nondum se manifestum fecerat. Deinde, mulieres in monumentum ingressæ, & non invenientes Christi corpus, incerte hærebant, quid agerent. At hæsitantibus aliis, Maria Magdalena, moræ impatiens, & adhuc incerta, an Christus e mortuis surrexisset, vel ipsius corpus fuisset furtim sublatum; reliquit alias mulieres ad sepulchrum, & cucurrit cito ad Petrum, & Joannem, dixitque eis: *Tulerunt Dominum de monumento & nescimus ubi posuerunt eum*? nondum enim Magdalena viderat, & audierat Angelum, qui Christi resurrectionem nunciabat. Post hæc venerunt ad monumentum Petrus, & Joannes, & cum illis Magdalena, & videntes sudarium, & linteamina separatim posita in sepulchro, relictis ibi mulieribus, domum redierunt. Dehinc Maria Magdalena per hortum ambulabat sola, ardens desiderio inveniendi corpus, quod deperditum deplorabat, & tunc aliæ mulieres exierunt è sepulchro, & viderunt duos Angelos, qui sibi nunciarunt, Christum surrexisse, & præceperunt, ut hoc ipsum Apostolis manifestarent. Tandem postquam Magdalena frustra quæsivit corpus in horto, & postquam aliæ mulieres ad Apostolos perrexerunt, iterum venit ad monumentum; & quum se inclinasset ad illud, vidit Angelos, quos putavit homines esse; at postmodum retrorsum conversa vidit Jesum, quem primo credidit Hortolanum, deinde cognovit, revera esse Jesum, & ipso præcipiente, perrexit ad Apostolos, resurrectionem ejus nunciatura „. Sic disposita facti Serie, Evangelistæ facillime conciliantur, si dicamus, quod quanvis Maria Magdalene secundum Matthæum venerit ad monumentum una cum aliis mulieribus; non tamen semper cum illis remansit, nec interfuit colloquio, quod cum Angelis habuerunt; Unde mirum non videbitur, si secundum Joannem, reversa a monumento, statim ac illud apertum vidit, Petro, & Joanni dixit: *Tulerunt Dominum, & nescimus, ubi posuerunt eum*.

Ad III. Primo datur responsio ex Hieronymo epist. 86., alias 27. ad Eustochium Virginem, quod si Corpus Christi dicitur spirituale, & aereum, quia lapide non amoto, egressus est è sepulchro, & januis clausis ingressus est in Cœnaculum, eadem ratione *antequam pateretur, quia contra naturam graviorum corporum* su-

fuper mare ambulavit, fpirituale corpus habuit; & Apoftolus Petrus, qui & ipfe fuper aquas pendulo inceffit gradu, fpirituale corpus habuiffe credendus eft; hoc tamen nemo affirmabit. Secundo cum S. Thoma dicitur, quod corpus Chrifti poft refurrectionem egreffum eft è fepulchro, lapide non remoto, & ingreffum eft ad difcipulos januis claufis, ex virtute divinitatis fibi unitæ; quia, ut ait Auguftinus tract. 121. in Joannem, *moli corporis, ubi divinitas erat, Oftia claufa non obftiterunt: ille quippe, non eis apertis, intrare potuit, quo nafcente, virginitas Matris inviolata permanfit*. Ex quibus verbis, primo rejicitur Hæreticorum interpretatio, dicentium, Chriftum id feciffe per erefactionem portarum Cœnaculi, & Oftii fepulchri, & per coarctationem januæ, & lapidis fepulchralis, quæ poftea fuerunt per eandem potentiam Chrifti dilatata, atque unita. Quam fit ridicula, & cachinnis fibilanda, interpretatio hæc, quis non videt? Rejicitur fecundo Calvini putida & impudens refponfio, qui in caput 20. Joannis negans, Chriftum per lapidem non remotum è fepulchro exiiffe, & per januas claufas ad Cœnaculum intraffe; concedit deinde, eum Sepulchro claufo, & januis claufis, exiiffe, & intraffe eo fenfu, quo exitus, & aditus, illi patefactus fuerit, non manu hominis, fed Angeli minifterio. Rejicitur tandem Calvini in Catholicos invectiva, qua dicit, illos ideo aliter fentire, ut corpus gloriofum non modo reddant fpiritui fimile, fed immenfum effe, nulloque loco contineri, obtineant. Hæ quidem infaniæ Calvini ore funt dignæ, fed non Catholicorum calamis, qui revera credunt, Deum poffe facere, quod humana ratio non concipit, & Hæreticos irrident, qui Dei omnipotentiam circumfcribere, & limitare pro modulo mifellæ eorum capacitatis, & intelligentiæ, temere pertentant.

Ad IV. Chrifti corpus non folum ex virtute, quam habuit, uti corpus gloriofum, fed etiam ex virtute divinitatis, faciebat fe videri, quando volebat, & non videri, quando non volebat; & hoc non folum poft refurrectionem, quando corpus erat gloriofum, fed etiam ante refurrectionem, quando corpus erat paffibile, & mortale; quando, fcilicet, tranfiens per medium Judæorum, ibat; & quando abfcondit fe, & exivit de templo; & quando militibus, qui venerant comprehendere eum in horto, invifibilis eft factus. Denique corpus Chrifti dicitur evanuiffe ab oculis difcipulorum poft refurrectionem, ut docet S. Thomas, non quod corrumperetur, aut in aliqua invifibilia refolveretur, fed quia defiit, quando voluit, ab eis videri, vel eo præfente, vel etiam eo abfcedente velociter, propter agilitatis dotem; ut ex eodem Angelico dicit Graveſon.

Ad V. Idem Gravefon duplicem diftinguit fanguinem, unum vitalem, & præcipuum, qui per venæ fectionem non effluit; & alterum fuperfluum, & degenerem, qui ex humoribus efformatur. Confentius dubitabat, an Chriftus modo habeat fanguinem ex humoribus efformatum; de vitali enim non dubitabat; & quæftionem de hoc fanguine fuperfluo propofuit Auguftino. Auguftinus autem noluit eam excutere, & dirimere, triplici ex caufsa; quarum prima erat, quia quæftio erat omnino inutilis; fecunda, quia Auguftinus refpondendi tempus non habebat; dicit enim in Epiftola fua: *Cum ifta dictarem, Perlator jam ventum expectans, me vehementer, ut navigaret, urgebat*; Tertia tandem fuit, quia Auguftinus volebat difficultatem alteram declinare, quæ ex decifione illius propofitæ fuboriri poterat; & erat, an corpus gloriofum careat humoribus aliis, pituita, fcilicet, vel felle flavo, & nigro, ex quibus temperamentum noftrum efformatur. En Auguftini verba: *Forfaffis enim arrepta occafione fanguinis, urgebit nos moleftior perfcrutator, & dicet: Si Sanguis in Corpore Chrifti refurgentis fuit, cur non pituita? Cur non & fel flavum, & nigrum, quibus quatuor humoribus naturam carnis temperari etiam medicina difciplina teftatur? Sed quodlibet quifque addat, corruptionem addere caveat, ne fuæ fidei fanitatem, caftitatemque corrumpat. Valet enim divina potentia de ifta vifibili, atque tractabili natura corporum quibufdam manentibus auferre quas voluerit qualitates; ac per hoc etiam valent membra mortalia, forma lineamentis manentibus, corruptione vera mortalitatis emortua, ftabili vigore firmare, ut abfit labes, adfit effigies, adfit motio, abfit fatigatio; adfit vefcendi poteftas, abfit efuriendi neceffitas*. Igitur Auguftinus nunquam dubitavit, Corpus Chrifti poft refurrectionem gloriofum habere verum fanguinem fecundum fubftantiam; fed folum voluit, quod in eo non fuerit fanguis fecundum cor-

ruptionem mortalitatis. Legatur disquisitio theologica de sanguine Corporis Christi post resurrectionem, quam edidit Jacobus Boyleau, & quam citat Graveson.

Ad VI. Fuit quidem Christi corpus post resurrectionem lucidum, sed noluit Christus apparere discipulis in corpore lucido, sicut in transfiguratione apparuerat. Diversa enim erat ratio apparendi ante, & post resurrectionem; quia ante debebat corroborare discipulos, ne despicerent infirmitatem passionis; post vero debebat illos confirmare, ut veritatem carnis crederent: & ideo ante resurrectionem apparuit corpus ejus aliquando perlucidum, non vero post ipsam.

Ad VII. vere Christus comedit, & bibit; non autem ex necessitate, quam edendi, & bibendi haberet, sed ut veritatem suæ resurrectionis ostenderet; quod asserebat Augustinus epist. 102. alias 49. *futuræ resurrectionis corpus imperfectæ potestatis erit, si cibos sumere non potuerit, imperfectæ vero felicitatis, si eguerit.* Et hoc est discrimen inter comestionem Christi, & Angelorum, quia comestio Christi fuit vera, quum esset corpus ejus post resurrectionem vere vivum, & animatum; comestio vero Angelorum in corporibus assumptis non est vera, sed tantum apparens; quia corpora ipsa assumpta, non sunt viva, & animata. Vel secundum nostra principia dici potest, quod Angeli immittunt species in oculos intuentium tanquam illorum, qui comedunt, & sic videntur comedentes, quamvis revera non comedant; ut diximus in Dissert. 134.

Ad VIII. Porphyrius, implacabilis Christianæ Religionis hostis, aliique protervi Gentiles, Christum arguebant impotentiæ, quia sibi inflicta vulnera curare non potuit. Sed variæ fuerunt rationes, propter quas Christus post resurrectionem voluit in corpore suo cicatrices retinere; & quidem prima fuit, ut ostenderet, se post resurrectionem idem corpus habere, quod fuerat crucifixum; Secunda, quia cicatrices hæ non arguunt corruptionem, & defectum, sed potius sunt virtutis, & gloriæ, insignia, quibus Christus victoriæ suæ triunphum manifestat; Tertia, quia sunt pro nobis apud Deum propitiationis sacrificium, quo nobis salutis, & libertatis nostræ, pretium a Deo impetramur; Quarta tandem, voluit Christus has cicatrices esse in corpore suo conspicuas, ut in extremo judicio per illas suam misericordiam probaret dilectis, & reprobis eorum obduritiem improbaret.

Ad IX. Propter multa capita fuit necessarium, ut Christus ex mortuis resurgeret; & primo quidem, ut implerentur Prophetarum vaticinia de resurrectione Christi; Secundo, ut humiliatio Christi in passione suum præmium in resurrectione reciperet; Tertio, quia per resurrectionem Christi confirmata est fides nostra; Quarto, quia per eandem spes nostra roborata est; Quinto, quia per resurrectionem obtinuit Christus filiationis naturalis fastigium; Sexto, quia conveniebat ut Christus ex mortuis resurgeret ad informationem vitæ fidelium; Septimo, quia oportebat etiam, ut resurgeret ad nostræ salutis complementum; Octavo tandem, debuit resurgere, ut divinitatem suam Judæis, illam negantibus, comprobaret.

Ad X. Quanvis multi ante Christi adventum resurrexerint, vel ante ipsius resurrectionem; illorum tamen omnium resurrectio fuit imperfecta; primo, quia virtute aliena surrexerunt; Secundo, quia postmodum denuo obierunt. Perfectissima autem fuit resurrectio Christi, & quia virtute propria resurrexit, & quia post resurrectionem non est mortuus. Unde S. Thomas 3. par. q. 53. art. 3. *Ad secundum dicendum, quod de illis, qui resurrexerunt cum Christo duplex est opinio; quidam enim asserunt, quod redierunt ad vitam, tanquam non iterum morituri &c. Augustinus autem sentire videtur, quod resurrexerint iterum morituri &c., & rationes Augustini multo efficaciores videntur.*

Ad XI. Præter alias rationes, quas Expositores afferunt, Christum Madgdalenæ dixisse, *Noli me tangere*, placet nobis magis illa, quam adducit Graveson ex Auctore Gallicæ Analyseos. Dicit enim hic Auctor, quod Magdalena a Christo appellata proprio nomine, Maria, Christum agnovit, ad ipsum cucurrit, & promovebat brachia, & manus, ut manus, & pedes Christi, tangeret, & deosularetur. Dixit autem illi Christus: *Noli me tangere, nondum enim ascendi ad Patrem*; non quod Magdalenæ obsequia refutaret, sed, ut ipsius moras excitaret; quasi diceret illi, ut explicat citatus Scriptor, noli hic diutius morari, & tangendo explorare, an ipse sim? Nondum ascendi ad Patrem, sed adhuc per quadraginta dies in terris

versa-

versari debeo, ideoque sat tibi supererit temporis, ut pedes meos complectaris. *Vade autem ad Fratres meos*; hoc est: Rumpe omnem moram, & omni intempestiva semota dilatione, festina iter ad discipulos meos, & dic eis: *Ascenda ad Patrem meum, & Patrem vestrum: Deum meum, & Deum vestrum*. Hæc Graveson.

Ad XII. Resurrectio Christi fuit ad totius humani Generis bonum; & quanvis aliqui ex hominibus hoc bonum non consequantur, qui sunt reprobi, hoc tamen est ex propria ipsorum culpa, non vero ex resurrectionis defectu. Cæterum etiam reproborum pœna divinam justitiam commendat; Unde si ex resurrectione Christi agnoscimus resurrectionem nostram, & resurrectio nostra secum fert reproborum resurrectionem, etiam horum resurrectio divinam justitiam commendans, est divinæ gloriæ augmentum, quanvis non sit ad peculiare, & privatum iniquorum hominum bonum.

Dicimus II. Christum resurrexisse prima hebdomadæ die, quæ nobis est Dominica, ad diluculum, & sub auroram.

I. Probatur. Mulieres venerunt ad monumentum prima die hebdomadæ, quæ est Dominica, summo mane, ac vix illucescente Sole, & invenerunt Christum jam resurrectum ergo Christus resurrexit prima die hebdomadæ, quæ est Dominica, ad diluculum, & sub auroram. Antecedens patet apud Marcum cap. 16., ubi legitur: *Et cum transisset Sabbatum, Maria Magdalene, & Maria Jacobi, & Salome, emerunt aromata, ut venientes ungerent Jesum. Et valde mane una Sabbatorum, veniunt ad monumentum orto jam sole; & dicebant ad invicem: Quis revolvet nobis lapidem ab ostio monumenti? Et respicientes viderunt revolutum lapidem. Erat quippe magnus valde. Et introeuntes in monumentum viderunt juvenem sedentem in dextris, coopertum stola candida, & obstupuerunt. Qui dicit illis; Nolite expavescere: Jesum quæritis Nazarenum, crucifixum: Surrexit, non est hic; ecce locus, ubi posuerunt eum. Sed ite, dicite discipulis ejus, & Petro, quia præcedet vos in Galilæam: ibi eum videbitis, sicut dixit vobis*. Patet etiam Lucæ 24. *Una autem Sabbati valde diluculo venerunt ad monumentum, portantes, quæ paraverant, aromata. Et invenerunt lapidem revolutum a monumento, & ingressæ, non invenerunt corpus Domini Jesu. Et factum est, dum mente consternatæ essent de isto, ecce duo viri steterunt secus illas in veste fulgenti. Cum timerent autem, & declinarent vultum in terram, dixerunt ad illas: Quid quæritis viventem cum mortuis? Non est hic, sed surrexit: recordamini qualiter locutus est vobis, cum adhuc in Galilæa esset, dicens: Quia oportet filius hominis tradi in manus peccatorum, & crucifigi, & die tertia resurget*.

II. Probatur. Si Christus non surrexisset hora illa, qua diximus, ideo esset, quia Matthæus dixit cap. 28. *Vespere autem Sabbati, quæ lucescit in prima Sabbati, venit Maria Magdalena, & altera Maria videre sepulchrum*; Et quia Joannes scripsit cap. 20. quod *Maria Magdalene venit mane, cum adhuc tenebræ essent, ad monumentum*. Sed hæc verba Conclusioni nostræ non obstant; ergo &c. Probatur minor. Hæc vox *Sabbatum* apud Hebræos duo significabat, & septimam diem hebdomadæ, qua quiescere oportebat, & totam hebdomadam; unde Lucæ 18. Dicebat Pharisæus: *Jejuno bis in Sabbato*; hoc est bis in hebdomada; non poterat enim bis in una eademque die jejunare. Igitur, quando Matthæus dicit: *Vespere autem Sabbati, quæ lucescit in prima Sabbati, venit Maria Magdalene*, duplex Sabbatum intelligit; scilicet, quod Maria Magdalene venerit in prima Sabbati, hoc est prima die hebdomadæ, quæ est Dominica; & quod venerit vespere Sabbati, nempe Vespere diei septimæ. Ulterius Matthæus vocat vesperam Sabbati, non tempus vespertinum, quod mediat inter lucem desinentem, & tenebras obvenientes; sed intelligit totam noctem, quæ subsequitur Sabbatum; in cujus ultima parte, hoc est mane lucescente, Maria cum aliis venit ad sepulchrum. Hic autem mos erat apud Hebræos, ut totam noctem vocarent vesperam, & totam diem dicerent mane; ut habetur Genes. 1. *Factum est vespere, & mane dies primus*. Pro aliis autem verbis, scilicet; *dum adhuc tenebræ essent, & orto jam Sole*; primo dicit Hieronymus in Commentariis, & S. Dionysius Alexandrinus in Epist. ad Basilidem, quod mulieres illæ non semel, sed bis, ac etiam tertio, ad sepulchrum venerunt; primum, scilicet, dum adhuc tenebræ essent, ut dicit Joannes; deinde orto jam Sole, ut scribit Marcus. Secundo Ambrosius lib. 10. Commentar. in Lucam, & Nyssenus orat. 2. de resurrect., dicunt, non fuisse easdem mulieres, quas memorat Joannes, & quas memorat Marcus, sed diversas. Tertio Augustinus lib. 3. de consensu Evange-

lista-

listarum cap.24. distinguit in mulieribus illis egressum è domibus suis, & accessum ad sepulchrum; & primum dicit, fuisse *cum adhuc tenebræ essent*, ut dicit Joannes, & secundo, *Orto jam Sole*, ut dicit Marcus.

III. Probatur. Si Christus surrexit Dominica die sub auroram, posset dici, quod non surrexit tertia die, sed hæc ratio conclusioni nostræ non officit: ergo &c. Probatur minor. Per tres dies, ut dictum est supra, non intelliguntur dies integræ, sed inceptæ; unde verificantur de die veneris, de die Sabbati, & de die Dominicæ; ita quidem, ut a morte ad resurrectionem tres dies, totidemque noctes, enumerentur; nempe, ut ait Serry exercit.59. num.4. „Dies nimirum una, itemque nox una plena, & integra, nempe Sabbati: dies vero duæ, noctesque duæ dimidiatæ; illæ quidem ad Parasceven, istæ ad Dominicam pertinentes„.

Dicimus III. plures cum Christo Justos, diu ante defunctos, surrexisse, qui deinde iterum ad sua redierunt sepulchra.

Prima pars Conclusionis aperte docetur a Matthæo cap. 27. *Monumenta aperta sunt, & multa corpora Sanctorum, qui dormierant, surrexerunt, & exeuntes de monumentis post resurrectionem ejus, venerunt in sanctam Civitatem, & apparuerunt multis.* Quinam autem fuerint illi, qui cum Christo surrexerunt, nec Evangelium exprimit, nec Patres scribunt, nec traditio docet; unde nec nos quicquam de illis divinando affirmare audemus. Exscribimus tamen quæ Serry exercit. 60. num. 4 literis mandavit: „Quinam illi fuerint cum Christo Domino suscitati, non ita curiose Patres exquisiere. Existimare tamen facile est, eos præ cæteris fuisse veteris Testamenti justos, qui peculiarem ad Christum Ordinem referebant, illiusque figuræ, ac typi illustriores extiterant; ut Abraham, Isaac, Jacob, Moyses, David, Job, Melchisedech. Nonnullos etiam in iis fuisse, non ita pridem defunctos, ut Zachariam, Simeonem, Joannem Baptistam, qui cum Apostolis, cæterisque Judæis ex facie noti essent, aptiores testes esse poterant, qui & surrexisse Christum, & sui ipsorum resurrectionis Auctorem esse testarentur„.

Pro Secunda vero Conclusionis parte Origenes in cap.27. Matthæi, Eusebius lib. 4. demonstrat. Evangelicæ cap.12. Epiphanius hæresi 57. post Ignatium martirem in epistola ad Magnesianos, docent illos, qui cum Christo surrexerunt, ad vitam immortalem transivisse, & cum Christo ascendente in Cœlum cum suis corporibus pariter ascendisse. At vero Augustinus epist. 99. ad Evodium, Chrysostomus homil. 28. in epist. ad Hebræos, Theodoretus in cap. 11. ejusdem Epistolæ, Gregorius Magnus lib. 1. moralium in Job. cap. 7. & S. Thomas 3. p. qu.53. art. 3. ad 2. docent, Justos illos suscitatos cum Christo iterum ad sua sepulchra rediisse, & ad extremum diem cum toto corpore Ecclesiæ resurrecturos fore. His nos accedimus. I. probatur. Inter Justos illos ponunt Davidem; sed in Pentecostes die David in sepulchro jacebat: ergo &c. Probatur minor. Actorum 2. legitur, quod Petrus in Pentecostes die concionem habens, dixit, quod verba illa Psalmi 15. *Non dabis Sanctum tuum videre corruptionem*, non possunt de Davide intelligi, & rationem subdit; *quoniam defunctus est, & sepultus est, & sepulchrum ejus est apud nos usque in hodiernum diem.* II. Inter Justos illos ponuntur quoque Job, & Joannes Baptista; sed Job cap. 19. lib. sui dicit, quod ipse in extremo judicio resurget: *Scio, quod Redemptor meus vivit, & in novissimo die de terra surrecturus sum*: & Joannis Baptistæ corporis reliquiæ asservantur, & ostenduntur, Romæ, nimirum Caput, Perpiniani Brachium, Genuæ Cineres, alisque in locis Ossa. III. In Epistola ad Hebræos cap. 11. Apostolus docet, quod Justi veteris Testamenti accipient consummatam felicitatem, quæ consistit in glorificatione corporis, & animæ, cum corpore totius Ecclesiæ: *Hi omnes testimonio probati, non acceperunt repromissionem, Deo pro nobis aliquid melius disponente, ut non sine nobis consummarentur.*

Opponunt I. Christus debebat secum ducere in cœlum fructum mortis, & resurrectionis suæ, sed hic esse non poterat, quam justorum illorum Cœlum invectio: ergo &c. II. Decebat, ut Christus gloriosi ascensus sui comites haberet: ergo sancti illi cum Christo in cœlum ascenderunt. III. Conveniens erat, ut Christus Justos illos corpore quoque beatos secum haberet in Cœlo, ut illorum aspectu, & colloquutione externa ejus humanitas pasceretur. IV. Matthæus docet, quod corpora illa, quæ surrexerunt, apparuerunt multis: ergo non omnibus, sed hoc non alia ex caussa, quam quia gloriosa erant; ergo

ergo si gloriosa, non ultra sunt mortua.

Respondemus ad I., II., & III. Serry verbis exercit. 60. nu. 6. „ Quis quæso, ratiunculatum illarum futilitatem non rideat? „ Quid Christum deceat novit ille; nihilque decere putandum est, quod Sacris literis adversetur. Hunc resurrectionis suæ fructum ostendit ille, quem pro temporis conditione censuit necessarium, ut nimirum illius veritas certo constaret. Ad id porro temporanea, sed vera interim Justorum illorum resurrectio satis erat. Sui in Cœlos ascensus Comites tales habuit, quales ad peragendum, celebrandumque triumphum, opportunos judicavit; Justos veteris Testamenti penitus universos, quorum animam in Cœlum triumphator evexit, suis tamen corporibus exutas; quorum gloria ad generalem nostrum omnium resurrectionem, Deo pro nobis ita disponente, dilata est. Nihilque refert, si externa corporum beatorum collocutione nondum in cœlis pascitur Christi humanitas; satis se ipsa felix, atque beata, ut eo non egeat felicitatis adminiculo „.

Ad IV. dicitur, quod si aliquæ dotes corporis gloriosi concessæ fuerunt corporibus, quæ cum Christo surrexerunt, non fuerunt per modum habitus, sed per modum actus; Unde fuerunt ad tempus, & non ad semper. Pariter Moysis Corpus, quando cum Christo apparuit in monte Thabor, non permansit deinceps cum Moysis anima unitum, nec multis apparuit, sed paucis; nequit ergo ex hoc inferri, quod corpus Moysis factum ex illa apparitione gloriosum, illatum postmodum fuerit in cœlum, saltem quando Christus in Cœlum ascendit.

DISSERTATIO CCXLVII.

De Christi Domini cruce. An crux, in qua Christus Dominus pependit, sit adoranda, & qua adoratione? An imago ejus, vel picta, vel quacunque ex alia materia efformata, sit adoranda, & qua adoratione? An hoc idem de Christi Domini lancea, clavis, cæterisque Passionis suæ instrumentis, sit asserendum? Et an Crucis signum in fronte, pectore, ore, religiose a nobis manu efformetur? in Sacramentis, cibis, aliisque rebus benedicendis, rite adhibeatur? Et an vere Dæmonibus sit terrori, hominibus vero saluti?

PRIMO, Julianus Imperator, turpissimus Christianæ Religionis desertor, ex Cyrillo Alexandrino lib. 6. contra Julianum, hæc in Crucem Domini, nimio furore percitus, debacchabatur: *O miseri homines! Arma, quæ magnus misit Juppiter cessatis adorare, & colere; & interim Crucis lignum adoratis, imagines illius in fronte, & ante domos pingitis.* Theodoretus autem narrat lib. 3. Histor. Ecclesiast. cap. 3. de eodem Juliano: „ Præstigiator quidam deducto Juliano in fanum simulachrorum, & intra ejus adyta collocato, fraudulentos Dæmones invocat: Quibus specie, qua solent, apparentibus, metus coegit Julianum signo crucis frontem suam signare. Dæmones igitur Dominici trophæi conspicati figuram, aufugerunt. Tunc præstigiator causa, cur fugerent intellecta, Julianum objurgat, qui se Crucis virtutem admirari dixit: nam Dæmones (quoniam ejus virtutem ferre non

„ pote-

„ poterant) aufugisse: cui præstigiator, ne „ sic existimes; siquidem non eam ob causam, quam tu affers, formidabant, sed „ tuum factum detestati, se ab oculis nostris removerunt „.

Secundo, refert Constantinus Harmenopulus de Sectis, quod circa finem quarti seculi fuerunt Messaliani, qui Crucem abominabantur. Nicephorus autem lib. 18. cap. 53. narrat de Armenis, qui circa initium Sexti Seculi fuerunt cogniti, quod non prius Crucem honorabant, quam illam baptizarent; & in medio Crucis clavum figebant, & sanguine victimæ ungebant.

Tertio, Cedreno teste in Heraclio, Mahumetani Crucem abominantur, & Christianos eam adorantes, Idololatras appellant: Et Euthymius in Panoplia par. 2. tit. 21. hæc de Paulicianis narrat: *Pauliciani cum in morbum aliquem incidunt, crucem ex ligno confectam sibi ipsis imponunt; deinde si convaluerint, eam perfringunt, conculcant, atque abjiciunt. Evangelium nostrum non dubitant adorare ubi pretiosa Crucis figura non est impressa, non autem in ea parte libri, in qua Crucis imago sit.*

Quarto, Claudius, Taurinensis Episcopus, cruces materiales evertit, & vexillum Crucis exhorruit. Refert Jonas Aurelianensis lib. 1. de cultu Imaginum. Hunc ipsum Frassen tract. 1. disp. 3. art. 2. sect. 1. qu. 2. vocat primum colendæ Crucis Impugnatorem. Hic fuit Felicis Urgelitani, quem Concilium Francofordiense simul cum Elipando damnavit, discipulus; & quum vidisset quosdam Gallos Episcopos, qui Sacras Imagines adversabantur, & crucem nihilominus adorabant, hoc ratiocinio pressit: Si crux adoratur, quia repræsentat illam, in qua pependit Christus, adorandæ sunt etiam Imagines Sanctorum, quia repræsentant Sanctos; sed Crux adoratur: ergo debent etiam imagines Sanctorum adorari: Iniquus Claudius hoc eodem argumento usus est ad Crucis adorationem eliminandam, dicens: Si adorari non debent Imagines Sanctorum, neque adoranda est Crux; sed Imagines Sanctorum adorari non debent: ergo Crux non est adoranda. Deinde Claudius Crucibus immane bellum indixit, & eas ab omnibus Ecclesiis, præsertim diœcesis suæ, voluit projici. Subdit Frassen, quod Claudii imitatores fuerunt Pauliciani, qui fuerunt propago quædam Manichæorum, cui dederunt originem Paulus, & Joannes, filii Callinicæ, impuræ, & perditæ feminæ, & qui in Armeniam suam hæresim evulgarunt: Unde imperantibus Constantinopoli Basilio Macedone cum filiis suis Constantino, & Leone, hoc impium dogma, a Paulicianis disseminatum, audiebatur: *figuram, & efficaciam, ac vim pretiosæ, vivificæque Crucis non recipiant, sed infinitis contumeliis afficiant.*

Quinto, Bogomili Crucis hostes adnumerantur. Fuerunt Bogomili, ut ait Frassen, portentum quoddam hominum ex Manichæorum, & aliarum omnium hæresum colluvione concretum. De illis asserit Euthymius tit. 23. *Divinam Crucem contemptui habent, tanquam Salvatoris interfectricem; quam honore potius afficere oportuit, ut qua Diabolum dejecerit.* Asserebant quoque, Dæmones fiste crucem fugere, ut id homines aspicientes, eam magis honorent, tanquam Dæmonum inimicam, & exsultricem. Idem Euthymius part. 2. Panopliæ titul. 23. cap. 14. & 15. refert apud Coccium.

Sexto, asserit Petavius tom. 6. Theologicorum dogmatum lib. 15. cap. 7., quod ab his impietatis magistris didicerunt Crucis cultum abjicere, ac damnare, posteriores Hæretici, & præcipue Petro-Bruziani, discipuli cujusdam Petri de Bruis, de quibus Petrus Cluniacensis in epist. 2. hæc babet: *Ad inauditam divinitatis contumeliam, magno de Crucibus aggere instructa, ignem immisistis, pyram fecistis, carnes coxistis, & ipso Passionis Dominicæ die paschalem Dominicam præcedente, invitatis publice ad talem hæresim populis comedistis.*

Septimo, fuerunt Crucis hostes Iconomachi, vel Iconoclastes, qui Sacrarum Imaginum cultui bellum fecerunt. Verum a principio, asserit quoque citato loco Petavius, primi belli ductores, sive fuerit Xenajas ille Persa, qui Zenonis I. Imperatoris tempore vixit, sive fuerit Leo Isauricus, ab omni Crucis injuria sacrilegas manus, ac linguas, abstinuerunt. At postmodum in eam quoque pari impietate ac in sacras Imagines, debacchati sunt.

Octavo, Vvicleffistæ Crucis hostes scelestissimi fuerunt, contra quos fortiter ac erudite scripsit Thomas Vvaldensis, ut testantur Petavius, & Frassen locis citatis.

Nono, posteriorum temporum Hæretici inter impugnatores Crucis adnumerantur; de quibus scribit Petavius citato loco: „ Ac post illos demum extremæ fæces hæresum, Lutherani, & Calvinistæ, præque „ cæ-

„ cæteris Martinus Chemnicius, in examine Decretorum Concilii Tridentini: Petrus Martyr, Hieronymus Zanchius lib. 1. Tractationum Theologicarum cap. 15., & ut alios omittam, postremus, omniumque deploratissimus Claudius Salmasius Leidensis Professor, qui ante triennium duas de cruce scripsit Epistolas ad Thomam Bartholinum medicum; in quibus contra Sacrosanctæ Crucis honorem, ac reverentiam multa impie, ac nefarie jactavit; sed hæc propter intolerabilem arrogantiam, ne ipsis quidem earundem partium fautoribus probata. *O vanas, inquit hominum mentes! O quantum in rebus inane! Non dicam quanta stultitia hic homines plerosque agat transversos. Dementia est potius, quæ innumeros populos Christianos exagitat. Immo tota hodie fere Christianitas insana facta est.* „

Decimo, præcipuum quoque meretur locum inter posteriorum temporum Hæreticos, Crucis hostes, Joannes Brentius in Catechismo, explicans Apostolorum simbolum, & dicens: „ Alii se solent cruce digitis formata signare, ut hoc signaculo tuti sint a diabolo, & tam a se, quam ab hisce creaturis diabolum arceant, & incantamenta dissolvant: Hæc non est pietas, sed magia. Et si diabolus hoc facto signo fugerit, fingit se talem crucem metuere, ut homines hac simulatione seducat, & magicam impietatem confirmet. Nam diabolus non pellitur signo crucis manu facto. „ Et in præfatione ad responsionem Schmidelini contra Hosium, negat signum crucis esse Apostolicæ traditionis, figmentum appellat: non eam, sed asinum potius adorandum esse dicit, qui naturalem potius dorso portet crucem: denique omnem hunc Christianum cultum, magiam esse, & idololatriam. Magdeburgenses denique centuria 3. cap. 10. in Tertulliano scripserunt: Signo crucis se signare, superstitiosum esse, & a Montanistis originem ducere contendunt.

Dicimus I. Crucem, in qua Christus Dominus pependit, adorandam esse adoratione Latriæ, ipsius vero imaginem esse adorandam adoratione respectiva, non absoluta.

Prima Conclusionis pars I. Probatur ex Scripturis. Ezechielis 9. v. 4. *Et dixit Dominus ad eum: Transi per mediam Civitatem in medio Jerusalem: & signa Thau super frontes virorum gementium, & dolentium super cunctis abominationibus, quæ fiunt in medio ejus.* Et v. 6. *Omnem autem super quem videritis Thau, ne occidatis, & a Sanctuario meo incipite.* Matthæi 24. v. 30. *Tunc parebit signum Filii hominis in Cœlo.* Joannis 12. *Nunc judicium est mundi, nunc Princeps hujus mundi ejicietur foras, & ego si exaltatus fuero a terra, omnia traham ad meipsum.* Quæ verba sic exponit Leo Magnus serm. 8. de passione, cap. 7. *O admirabilis potentia crucis: O ineffabilis gloria passionis! in qua tribunal Domini, & judicium mundi, & potestas est Crucifixi! Traxisti enim, Domine, omnia ad te, & cum expandisses tota die manus tuas ad populum non credentem, & contradicentem tibi, confitendæ majestatis tuæ sensum, totus mundus accepit. Traxisti, Domine, omnia ad te, cum in execrationem judaici sceleris, unam protulerunt omnia elementa sententiam, cum obscuratis luminaribus Cœli, & converso in noctem die, terra quoque motibus quateretur insolitis, universaque creatura impiorum usui se negaret. Traxisti, Domine, omnia ad te, quoniam scisso Templi Velo, Sancta Sanctorum ab indignis Pontificibus recesserunt, ut figura in veritatem, prophetia in manifestationem, & Lex in Evangelium verteretur. Traxisti, Domine, omnia ad te, ut quod in uno Judææ Templo obumbratis significationibus tegebatur, pleno, apertoque Sacramento universarum ubique Nationum devotio celebraret. Nunc etenim & ordo clarior Levitarum, & dignitas amplior Seniorum, & Sacratior est unctio Sacerdotum; quia crux tua omnium fons benedictionum, & omnium est causa gratiarum, per quam credentibus datur virtus de infirmitate, gloria de opprobrio, vita de morte.* Ad Philippenses 2. *Humiliavit semetipsum, factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis: propter quod & Deus exaltavit illum, & donavit illi nomen, quod est super omne nomen.* Ad Colossenses 1. *In ipso complacuit omnem plenitudinem habitare: & per eum reconciliare omnia in ipsum, pacificans per sanguinem Crucis ejus, sive quæ in terris, sive quæ in cœlis sunt: & vos cum essetis aliquando alienati, & inimici sensu in operibus malis: nunc autem reconciliavit in corpore carnis ejus per mortem.* Apocalypsis 5. *Dignus est Agnus, qui occisus est, accipere virtutem, & divinitatem, & sapientiam, & fortitudinem, & honorem, & gloriam, & benedictionem.*

II. Probatur ex Romanis Pontificibus. Leo Magnus serm. 8. de passione Domini: *Cum ergo Dominus lignum portaret Crucis, quod*

quod in sceptrum sibi converteret potestatis, erat quidem hoc apud impiorum oculos grande ludibrium, sed manifestabatur fidelibus grande mysterium: quia gloriosissimus diaboli victor, & inimicarum virtutum potentissimus debellator, pulchra specie, *triumphi sui portabat trophaeum, & invictae patientiae humeris signum salutis adorandum regnis omnibus inferebat, tanquam & tunc ipsa operis sui imagine omnes imitatores suos confirmaret, & diceret: Qui non accipit Crucem suam, & sequitur me, non est me dignus, &c. Nunc & ordo clarior Levitarum, & dignitas amplior Seniorum, & sacratior est unctio Sacerdotum; quia Crux tua omnium fons benedictionum, omnium est causa gratiarum, per quam credentibus datur virtus de infirmitate, gloria de opprobrio, vita de morte.* Eadem habet serm. 4. de pass. cap. 3. serm. 10., serm. 13. pariter de passione cap. 3., cui etiam concinunt Gregorius Magnus lib. 2. dialog. cap. 3. Nicolaus I. ad consulta Bulgarorum cap. 53. Innocentius III. de Sacro Altaris mysterio lib. 5. cap. 5.

III. Probatur ex Conciliis. Synodus Trullana can. 73. *Cum Crux nobis vivifica salutare ostenderit, nos omnes diligentiam adhibere oportet, ut ei, per quam ab antiquo lapsu servati sumus, eum, quem par est, honorem habeamus. Quamobrem & mente, & sermone, & sensu adorationem ei tribuentes, crucis figuras, quae a nonnullis in solo, ac pavimento fiunt, omnino deleri jubemus, ne incedentium conculcatione victoriae nobis trophaeum injuria afficiatur. Eos itaque, qui deinceps crucis signum in solo construunt, segregari decernimus.* Cardinalis de Laurea in Epitome Canonum omnium adducit Concilium Senense can. 14. statuens, quod Crux sit adoranda ut ipse Christus, & Concilium Constantinopolitanum IV. cap. 3., praescribens, quod Crucis imago sit adoranda. Concilium quoque Tholetanum XI. cap. 3. voluit, quod Sacerdos celebraturus signum in suo pectore praeparet Crucis.

IV. Probatur ex Patribus Graecis. Justinus Martyr in dialogo cum Tryphone: *Cum populus bellum gereret adversus Amalech, & Nave filius, Jesu nomine cognominatus, inter primos pugnaret, Moses ipse Deum orabat, manibus utrinque expansis: Hur autem, & Aaron eas toto die sustinebant, ne ipso defatigato dimitterentur. Nam si quicquam remittebatur de signo isto crucem imitante, prout in Mosys literis est scriptum, populus vincebatur: sin in statu isto permanebat, Amalech superabatur: Et qui foris erat, per crucem fortis rem praeclare gerebat. Non enim propterea quod Moses ita orabat, populus in praelio superior erat; sed quod nomine Jesu in prima acie versante, ipse crucis signum designabat.* Origenes homil. 6. in Exodum: *Quid timent Daemones? Quid tremunt? Sine dubio crucem Christi, in qua triunphati sunt, in qua exuti sunt Principatus eorum, & potestates. Timor ergo, & tremor cadent super eos, cum crucis signum viderint in nobis fideliter fixum.* Athanasius de Incarnat. Verbi, ejusque corporali ad nos adventu: *Signo crucis omnia magica compescuntur, veneficia inefficacia fiunt, idola universa deserta relinquuntur, omnis irrationalis voluptas conquiescit, &c. Solo signo crucis homo utens, dolos Daemonum a se propellit, &c. Veniat qui istorum dictorum experimentum capere velit, & in ipsis praestigiis Daemonum, & imposturis vaticiniorum, & in miraculis magiae utatur signo crucis, ab ipsis deriso, nomenque Christi invocet, & videbit quomodo ejus rei metu Daemones fugiant, vaticinia conquiescant, magiae, & veneficia irrita jaceant.* Cyrillus Hierosolymitanus catechesi 4. *Non pudeat nos Crucis Christi. Quod si aliquis id occultet, tu manifeste signa te cruce in fronte: ut Daemones signum Regis videntes, trementes procul fugiant. Fac autem hoc signum, & manducans, & bibens, & sedens, & stans, & loquens, & ambulans, in omni tuo negotio.* Chrysostomus homil. 55. in Matthaeum: *Sed veluti coronam, sic laeto animo Christi Crucem circumferamus. Omnia enim, quae ad salutem nostram conducunt, per ipsam consummantur. Nam cum regeneramur, Crux Domini adest: cum sacratissimo alimur cibo, cum in Ordine consecrandi statuimur, ubique ac semper id victoriae insigne nobis assistit. Quapropter & in penetralibus, & in parietibus, & in fenestris, & in fronte quoque ac mente, magno studio Crucem inscramus. Id enim salutis nostrae, id communis libertatis, id mansuetudinis, atque humilitatis Domini signum est. Quando igitur Cruce te signas, universam tecum Crucis causam verse, & ira, ac reliquarum passionum incendia extingue: quando te Cruce signas, magna tuam frontem arma fiducia, libertate animum munias. Nec enim latet vos quaenam sint, quibus libertate donati sumus. Paulus enim cum ad capessendam veram hanc libertatem nos hortetur, ad Crucis, & Sanguinis Dominici memoriam reduxit dicens: Pretio empti estis, non sitis servi hominum,*

minum, &c. Pretium autem hic Crucem appellavit, quam non simpliciter digito insculpere, sed magno profecto fide in mente prius formare oportet. Nam si hoc modo eam faciei tuæ impresseris, nullus scelestorum Dæmonum, cum hastam videat, quo lethale vulnus suscepit, congredi tecum audebit. Nam si, cum solummodo loco, in quibus capite damnati pœnas persolvunt, videmus, ingenti horrore concutimur; quid passurum putas Diabolum, si mucronem tenere te viderit, quo vires ejus Christus dissolvit, & quo caput Draconis magno ictu rotavit? Noli ergo tanto tu bono verecundari, ne quando in majestate sua veniet Christus, de te verecundetur. Tunc enim signum hoc super radios Solis coruscans, ante Christum videbis, &c. Hoc signum & priscis, & nostris temporibus clausas januas reseravit; hoc venenorum vires extinxit; hoc feroces bestias repressit; hoc lethales serpentum morsus curavit. Etenim si portas inferni perfregit, si Cælorum ostio reclusit, si Paradisi renovavit ingressum, si Diaboli nervos recidit, quid mirum est, si pestifera venena, atroces bestias, aliaque hujusmodi superavit? Hoc igitur in mente tua insculpe, & animarum amplectere salutem. Damascenus lib. 4. de fide Orthodoxa cap. 12. *Hoc itaque ingentis sane pretii lignum, ac venerandum, in quo Christus se ipsum sacrificii causa pro nobis obtulit, ut ex sancti corporis, & sanguinis contactu sanctificatum, optimo jure adorari debet, clavique item, & lancea, & indumenta, ac sacra ipsius tabernacula, hoc est præsepe, antrum, Golgatha, Crux, vivificum sepulchrum, Sion Ecclesiarum arx, aliaque id generis; quemadmodum, ait ejus Parens David: Introibimus in tabernacula ejus, adorabimus in loco, ubi steterunt pedes ejus. Quod autem his verbis Crucem intelligat, argumento est id, quod sequitur: Exurge Domine in requiem tuam. Comes enim Crucis est resurrectio. Nam si eorum, quorum amore flagramus, & domus nobis chara est, & lectus, & vestis, quanto magis ea, quæ Dei, & Salvatoris sunt, per quæ nobis salus porta est?*

V. Probatur ex Patribus Latinis. Ambrosius lib. 10. in cap. 23. Lucæ: *Nos autem quoniam trophæum jam vidimus, & quod currum suum triumphator ascendit; consideremus quod non arborum truncis, non quadrijugis plaustri manubias de mortali hoste quæsitas, sed patibula triumphali captiva de seculo spolia suspendit. Non hic gentes, brachiis post terga revinctis, nec excisarum Urbium imagines, oppidorumque captorum simulachra cernimus, aut submissa captivorum Regum colla miramur, qualis humanorum solet esse species triumphorum, ne victoria terminos regionis fine definitos: sed ovantes populos nationum quæsitos non ad supplicium, sed ad præmium Reges liberis affectibus adorantes, voluntariis Urbes studiis deditas, & in melius reformatas imagines Oppidorum, quas non fucus expresserit, sed devotio colorarit; fidei arma, victoriarumque jura toto orbe accurrentia, captivum principem mundi, & spiritalia nequitiæ, quæ sunt in cœlestibus, obedientia imperio vocis humanæ; subditas dominationes, variarumque virtutum species non sacris, sed moribus emicantes: fulget castitas, fides splendet, & induta mortis exuviis devotio fortitudinis jam resurgit. Unus Dei triumphus fecit omnes prope jam homines triumphatores. Solet quoque præcedere pompa Victores: at vero currum Domini triumphalem præit bona pompa resurgentium defunctorum. Solet demum titulus subjugatarum Gentium numerum designare. Scribitur autem & hic titulus. Sit in illis triumphus ordine quodam digesta miserabili devictarum præeuntium contumelioso captivitas nationum: hic redemptarum Gentium vernat gratia. Digni tanto triumpho jugales, ut cœlum, terra, maria, inferna, corruptela mutentur in gratiam.* Hieronymus in Epitaphio Paulæ: *Prostrata ante crucem, quasi pendentem Dominum cerneret, adorabat.* Et epist. 17. ad Marcellam: *Ergone erit illa dies, quando nobis licebit Speluncam Salvatoris intrare, in sepulchro Domini flere cum Sorore, flere cum Matre, cum istis deinde lambere lignum.* Lactantius lib. 4. Institut. cap. 27. *Nunc satis est hujus signi potentiam, quantum valeat exponere: quanto terrori sit Dæmonibus hoc signum; sciet qui viderit, quatenus adjurati per Christum, de corporibus, quæ obsederint, fugiunt. Nam sicut ipse, cum inter homines ageret, universos Dæmones verbo fugabat, hominumque mentes emotas, & malis incursibus furiatas, in sensus pristinos reponebat: ita nunc sectatores ejus, eosdem spiritus inquinatos de hominibus, & nomine magistri sui, & signo passionis, excludunt. Cujus rei non difficilis est probatio; nam cum Diis suis immolant, si assistat aliquis, signatam frontem gerens, sacra nullo modo litant.* Augustinus in Joannem tract. 16. *Quid servat fidelibus suis, qui talem honorem dat supplicio suo? Denique modo in pœnis reorum non est apud Romanos. Ubi enim Domini Crux ho-*

norata est, putatum est, quod & reus honoraretur, si crucifigeretur.

VI. Probatur exemplo, & Legibus Imperatorum, ac Principum. De Constantino Magno testatur Eusebius Cæsariensis in vita ipsius lib. 1. cap. 22. *Constantinus cum jam Sol ad medium cælum ascendisset, die in pomeridianum tempus paululum inclinante, dixit, se Crucis signum ex lucis splendore figuratum, in ipso Cælo Soli imminens, manifesto oculis aspexisse, inque ea inscriptionem consignatam, quæ hæc verba complectebantur: In hoc vinces &c.* Et lib. 3. cap. 2. *Constantinus Christum Dei libero ore, & sermone, in omnes divulgavit: neque salutarem eam appellationem, quam obtinuerat, erubuit; sed ipsa professione gloriatus, se in luce, & omnium oculis collocavit; atque interdum vultum salutari illa passionis signavit nota, nonnunquam trophæo illo victoriosa plurimum se extulit.* Et cap. 3. *Quin etiam in tabula depictum, quam in sublimi ante palatii vestibula suspenderat, se omnium oculis contemplandum proposuit: salutareque passionis insigne, supra caput ipsius locatum, in pictura exprimendum curavit.* Referuntur pariter in C. Theodosiano Theodosius, & Valentinianus L. unic. C. *Nemini licere signum Salvatoris Christi humi, vel in silice, vel in marmore, aut insculpere, aut pingere: Cum sit nobis cura diligens per omnia superni numinis religionem tueri: signum Salvatoris Christi nemini licere, vel in sole, vel in silice, vel in marmoribus humi positis insculpere, vel pingere: sed quodcunque reperitur, tolli, gravissima pœna multando eos, qui contrarium statutis nostris tentaverit, specialiter imperamus.* Honorius, & Theodosius L. *Judæos C. de Judæis, & Cælicolis: Judæos quosdam festivitatis suæ solemni ad pœnæ quondam recordationem incendere, & sanctæ Crucis adsimulatam speciem in contemptum Christianæ fidei sacrilega mente exurere, Provinciarum Rectores prohibeant, neve locis suis fidei nostræ signum immisceant, sed ritus suos citra contemptum Christianæ Legis retineant, amissuri sine dubio permissa hactenus, nisi ab illicitis temperaverint.* Leo Imperator C. de *Episcopis, & Clericis: Decernimus, ut posthac neque Monachi, neque quicunque alii, cujuscunque status, atque fortunæ, in ædes publicas, vel in quæcunque loca populi voluptatibus fabricata, venerabilem crucem, & Sanctorum Martyrum reliquias illicite inferre conentur.* Justinianus Imperator in authen. de Sanctiss. Episcop. cap. 32. *Sed & ipsas honorandas Cruces (cum quibus & in Litanias egrediuntur) non alibi, nisi in venerabilibus locis reponi: & si quando opus vocaverit ad Litanias celebrandas, tunc solum ipsas sanctas Cruces accipere eos, qui consuete eas portare solent, & cum Episcopo, & Clericis Litanias celebrare: hoc custodientibus sanctissimis locorum Episcopis, aut etiam eorum Clericis, & per loca Judicibus.*

VII. Probatur rationibus I. Crux fuit Christo & pugnandi instrumentum, & victoriæ triumphus: ergo vere est adoranda, Consequentia sequitur, ut asserit Leo Magnus serm. 8. cap. 4. *Gloriosissimus diaboli victor, & inimicarum virtutum potentissimus debellator, pulchra specie, triumphi sui portabat trophæum, & invicta patientia humeris signum salutis, adorandum Regnis omnibus inferebat.* II. Crux fuit signum nostræ reconciliationis cum Deo, a nobis offenso, & contra nos irritato: ergo a nobis adorari debet. Patet consequentia, quia meritum habet adorationis, & ratione beneficii nobis collati, & propter dignitatem Collatoris. III. Crux est altare, in quo Christus consummavit omnia sacrificia veteris Testamenti, & seipsum in holocaustum pro nobis peccatoribus Deo obtulit: ergo est adoratione digna. Argumentum est S. Leonis serm. 8. cap. 5. *Pascha nostrum, ut ait Apostolus, immolatus est Christus, qui se novum, & verum reconciliationis sacrificium offerens Patri, non in templo, cujus jam erat finita reverentia, nec intra septa Civitatis, ob meritum sui sceleris diruenda; sed foris, & extra castra crucifixus est: ut veterum victimarum cessante mysterio, nova hostia novo imponeretur altari, & Crux Christi non templi esset ara, sed mundi.* IV. Crux, in qua Salvator Mundi pependit, ejusdem Carnis, & Sanguinis contactu consecrata fuit: ergo est adoranda; & quia contactus non fuit transiens, sed permanens: ideo Latriæ cultu adoranda est, non quidem absoluto, sed respectivo, quatenus refertur ad Corpus, & ad Membra Christi Domini, a quo consecrationem accepit. V. Hoc ipsum probat traditio omnium sæculorum in Ecclesia, quam quidem traditionem expresse testantur Patres, & rerum Ecclesiasticarum Scriptores. Rusticus Diaconus in dialogo contra Acephalos testatur: *Lignum venerabilis Crucis omnis per totum mundum Ecclesia absque ulla contradictione adorat.*

Secunda Conclusionis pars probatur I. multis testimoniis Patrum, quæ in modo factis probationibus adduximus, & quæ

ex

expresse loquuntur de Crucis imaginibus quomodolibet factis. II. Ex universali Ecclesiæ consuetudine, quæ etiamnum in toto Orbe catholico perseverat, in quo S.Crucis imagines a fidelibus adorantur. III. Exemplo Sacrarum Imaginum, quas respectivo cultu adoramus, ob relationem, scilicet, quam dicunt ad Originalia, quæ repræsentant.

Objiciunt I. Adorationis Crucis nullum præceptum, nullum exemplum, legimus in Scripturis: ergo non est de fide; sed secundum Apostolum ad Romanos 14. *Quod non est ex fide, peccatum est*: ergo, &c. II. Apostoli non adoraverunt Crucem: ergo neque nos eam adorare debemus. Probatur antecedens. Apostoli reliquerunt Crucem sub terra refossam per tria ferme secula: ergo non curarunt eam adorare, sed potius in contemptu habuerunt. III. Si Crux est adoranda, quia fuit instrumentum redemptionis nostræ: ergo etiam sunt adorandi ministri passionis Christi, quia pariter instrumenta redemptionis nostræ fuerunt. IV. Si Crux adoratur propter contactum corporis, & membrorum Christi, & quidem adoratur cultu latriæ: ergo potiori ratione eodem cultu adoranda est B. Virgo Deipara, quæ intimiorem, & chariorem contactum habuit cum corpore, & membris Christi Domini. V. Sequeretur etiam, quod adorandæ pariter essent Latriæ cultu, & Jordanis aquæ, quæ Christum Dominum tetigerunt; & terra, quam ejus pedes calcarunt, & asina, cui in triumphali introitu Jerusalem insedit; & os, quo Judas proditor eum deosculatus est, & manus, qua eum Malchus percussit, &c. VI. Nullus Filius honorat patibulum, in quo Pater ejus fuit ad contumeliam occisus: ergo nemo Christianus debet Crucem, in qua Christus Dominus contumeliose interiit, adorare. VII. Ideo imagines Sanctorum à nobis adorantur, quia repræsentant virtutes eorum, non opprobria, neque ludibria; sed Crux repræsentat opprobria, & ludibria Christi: ergo imago ipsius non debet eo religioso cultu adorari, quo sacræ imagines adorantur. VIII. Apud Minutium Felicem in dialogo inter Octavium, qui Christianus erat, & Cœcilium, qui Gentilis habebatur, Octavius ad Cœcilium dicit: *Cruces nec colimus, nec optamus*: ergo tunc temporis nulla erat in Ecclesia Crucem adorandi consuetudo.

Respondemus ad I. quod ex Scripturis, quas adduximus, sufficienter patet, in iisdem, saltem implicite Crucis adorationem contineri. Hoc ipsum confirmant Patres, qui Scripturas, quo nos dicimus modo, interpretati sunt; Confirmat traditio Ecclesiæ, quæ ubique semper viguit, & modo viget. Confirmat demum authoritas Conciliorum, & præcipue VII. Synodus Generalis act. 7., quæ de fide esse declarat, quod Crucis effigies vel picta, vel ex qualibet materia formata, aliqua adoratione sit digna. Ad Authoritatem vero Apostoli respondet Frassen citato loco: „ Mentem Apostoli non „ esse, ut supponunt Hæretici, opus illud „ esse peccatum, quod non procedit ex ea „ fide, qua sumus Christiani, & quæ no„ bis divinitus revelata sunt, credimus: sed „ ibi Apostolus fidem sumit pro fidentia, „ seu persuasione, qua quis putat, aliquid „ sibi esse licitum: Unde sensus Apostoli „ est, illum peccare, qui agit contra di„ ctamen conscientiæ; ut amplius dicemus, „ agendo de fide, & gratia sanctificante.„

Ad II. dicitur, quod Apostoli honorem Cruci impenderunt, & quod in Scripturis non inveniatur, non est mirum; quia non omnia bona opera, quæ fecerunt Apostoli, literis sunt consignata. Cæterum non desunt, qui dicunt, Apostolos non effodisse Crucem, non in contemptum, sed in venerationem, ne, scilicet, a Judæis despiceretur. Denique ex genuinis actis passionis, & mortis S. Andreæ Apostoli, quibus deinde assimilata sunt illa, quæ modo habemus, satis manifestum est, quam impense Sanctam Crucem Apostolus ille veneratus fuerit.

Ad III. Non adorantur Ministri passionis, & mortis Christi, quia erant instrumenta animata, & quia ex odio in Christum operabantur; Crux autem fuit instrumentum inanimatum, & nullam in Christum, vel odii, vel livoris, vel crudelitatis, passionem habebat.

Ad IV. Ex iis, quæ diximus tom. 3. Dissertat. 199. satis patet discrimen, quod intercedit inter Virginem Deiparam, & Crucem. Ibi enim dicitur in ratione 2. Conclusionis 3. „Hæc est differentia in„ ter Crucem in qua Christus pependit, & „ uterum Mariæ Virginis, in quo per no„ vem menses mansit; quod Crux est crea„ tura irrationalis, & adoratio latriæ, quæ „ ipsi defertur, ob contactum Christi Do„ mini, non respicit excellentiam pro„ priam, quam non habet, utpote crea„ tura irrationalis, sed excellentiam Chri-

„ sti

„ sti Domini, a cujus corporis contactu
„ excellentiam, ac dignitatem accepit. Ma-
„ ria vero quum excellentiam habeat pro-
„ priam, si latriæ cultu adoraretur, etiam
„ ob gestationem Christi Domini in utero;
„ cultus ille non tribueretur, excellentiæ,
„ & dignitati Christi, sed excellentiæ, & di-
„ gnitati Mariæ, quod non est dicendum. „

Ad V. Aquæ Jordanis non sunt illæ eædem numero, quæ Christi humanitatem tetigerunt, sed aliæ, quæ successerunt illis, & continuo succedunt, & ideo non sunt adoratione dignæ. Asina adhuc si extaret non esset adoranda; tum quia post contactum ad Christi Domini Corpus fuit communis aliorum hominum usui, adeoque non remansit in ea singularis habitudo ad Christum, quæ sola poterat esse fundamentum respectivæ adorationis; tum potius quia fuisset scandalum & irrisio adorare asinam illam. Audiatur Jonas, Aurelianensis Episcopus, in præfatione l. b. 2. de cultu imaginum adversus Claudium Taurinensem: *Quibus verbis quam sit absurda aselli tui, & vivificæ Crucis nostræ comparatio, aperte comprobatur, & cunctis Christum veraciter colentibus manifestum habetur. Neque enim ait idem Apostolus, quod Christus asello tuo principatus, & potestates tenebrarum harum, quæ sunt spiritalia nequitiæ in cælestibus, sed Cruce eas triumphans devicerit. Asellus itaque tuus, Claudi, rudit fame, aut lupi terrore stimulatus, Crux Christi purpureo, pretiosoque Sanguine ejus rubet, in qua vitis vera pependit, ex cujus botro stirps crucis coruscæ rutilat, quadratumque Orbem suis sacratis quatuor cornibus circumfovet, & fidelium frontibus defixa, procul ab eis propellit Dæmonum præstigias. Nam si Isaac non asinum ad jugulandum futurus ipse bostia, sed ligna portavit: nec utique verus Isaac noster asellum tuum, sed crucem bajulavit, futurus ille salutifera bostia Patris.* Denique os Judæ proditoris, & Manus Malchi percussoris, nullam merebantur adorationem, & quia uterque osculando, & percutiendo peccaverat, & quia & osculo, & alapa Christum contumelia, & dolore, affecerat.

Ad VI. Utique non debet Filius honore prosequi patibulum, in quo occisus est Pater ejus, quando Pater culpa sua traditus fuit ad mortem; at quando Pater, vel ob publicam libertatem asserendam, vel ad commune bonum procurandum, vel pro filiorum salute, vita, aut opibus, morti fuit destinatus; tunc debitum est filii, & mortem ejus recolere, & patibulum, in quo mortuus est, venerari. Instrumenta enim illa neutiquam dici possunt ad contumeliam, & ad horrorem fuisse, quum potius fuerint ad vitam, ad gloriam, & ad honorem.

Ad VII. Crux repræsentat quoque nobis Christi patientiam, fortitudinem, & amorem, quo humanum genus adeo impense prosequutus est, ut pro eo liberando, & vivificando, propriam voluerit tradere vitam, & mortem absque culpa subire. Illius deinde Exemplum Sancti imitantes, virtutes illas exercuerunt, propter quas modo in earum imaginibus adorantur. Quanto igitur magis in Cruce sua adorandus est Christus, qui virtutum omnium Sanctorum in Cruce fuit exemplar?

Ad VIII. Cæcilius, qui Gentilium vices agebat, Octavio, qui Christianorum partes tuebatur objiciebat, Christianos indiscriminatim Cruces omnes colere ac venerari; a qua calumnia liberare volens illos Octavius, dicebat: *nos Cruces nec colimus, nec optamus*. Quod optime expendit Petavius lib. 15. cap. 9. num. 4.
„ Hinc illa conficta ab Gentilibus in Chri-
„ stianos calumnia, cruces omnes ab illis
„ adorari. Apud Minucium Felicem Cæ-
„ cilius Gentilis homo in Christianos inve-
„ ctus, hoc illis exprobrat, *quod hominem*
„ *summo supplicio pro facinore punitum, &*
„ *crucis ligna feralia eorum caremonias suspi-*
„ *cio fabulatur*. Cui sic Octavius Christia-
„ norum patronus occurrit: Cruces nec
„ colimus, nec optamus, nempe promi-
„ scuas, & quæ ad principalis repræsen-
„ tandam figuram proprie non spectant.
„ Non enim de nihilo apud Gentes rumor
„ iste percrebuerat, cruces omnes, etiam
„ noxiorum, ab Christianis in honore,
„ cultuque haberi, neque hoc illis objice-
„ rent, nisi certas venerari ipsos vide-
„ rent. „

Dicimus II. Christi Domini lanceam, clavos, cæteraque passionis ipsius instrumenta, esse adoratione digna, non sic vero imagines ipsorum. Crucis signum in fronte, pectore, & ore, religiose a nobis efformari manu; in Sacramentis, cibis, aliisque rebus benedicendis, rite adhiberi; denique Dæmonibus esse terrori, hominibus vero saluti.

Prima Conclusionis pars probatur I. Rusticus Diaconus contra Acephalos hæc scribebat: *Clavos, quibus crucifixus est, & lignum venerabilis crucis, omnis per to-*

tum

tum mundum Ecclesia absque ulla contradictione adorat. Ambrosius orat. funebri de obitu Theodosii: *Helena veritatis lignum refulsit, & gratia micuit. Quæsivit clavos, quibus crucifixus est Dominus, & invenit. De uno clavo frænos fieri præcepit, de altero diadema intexuit; unum ad decorem, alterum ad devotionem vertit. Misit Filio suo diadema gemmis insignitum, quas pretiosior ferro innexas crucis redemptionis divinæ gemma connecteret, &c.* Ruffinus Histor. Ecclef. lib. 1. cap. 8. *Helena clavos, quibus corpus Dominicum fuerat affixum, portat ad filium, ex quibus ille frænos composuit, quibus uteretur ad bellum, & ex aliis galeam nihilominus belli usibus aptam fertur armasse. Ligni vero ipsius salutaris partem detulit Filio, partem vero thecis argenteis conditam dereliquit in loco: quæ etiam nunc ad memoriam sollicita veneratione servatur.* Damascenus lib. 4. de orthodoxa fide cap. 12. *Hoc ingentis pretii lignum, ac venerandum, in quo Christus seipsum, sacrificii causa, pro nobis obtulit, ut ex sancti corporis, & sanguinis contactu sanctificatum, optimo jure adorari debet, clavique item, & lancea, & indumenta, ac sacra ipsius tabernacula, hoc est, præsepe, antrum, golgatha, crux, vivificum sepulchrum, Sion Ecclesiarum arx, aliaque id generis, quemadmodum ait Dei parens David: Introibimus in tabernaculum ejus, adorabimus in loco, ubi steterunt pedes ejus.*

II. Probatur rationibus. I. Crux, in qua Christus pependit, fuit instrumentum quoddam permanens passionis Christi, & quasi totum ipsum Christum representabat; lancea vero, clavi, spongia, & cætera Christi passionis instrumenta, fuerunt transeuntia: ergo non mirum, si non eadem adoratione adorantur, qua Crux Christi adoratur. II. In Cruce totus Christus patiebatur, at in aliis instrumentis patiebatur tantum in parte: ergo major adoratio debetur Cruci, quam aliis instrumentis. III. Imagines Crucis vere modo repræsentant crucem, in qua Christus est passus; at imagines clavorum, lanceæ, spongiæ, & aliorum instrumentorum passionis Christi, non representant illa, in quibus Christus est passus, quando cum Cruce non sunt adjuncta, & a passione Christi sunt sejuncta: ergo neque mirum, si Imagines Crucis adorantur, & imagines aliorum instrumentorum non adorantur. Quæ quidem omnia ex S. Thoma 3. p. q. 25. art. 3. ad 3. sic Frassen exponit: „ Petes, an sicut imagines veræ Crucis, sic „ etiam imagines clavorum, lanceæ, & aliorum instrumentorum passionis Christi „ Domini, possint adorari? Respondeo „ primo cum S. Thoma 3. p. q. 25. art. 3. „ ad 3. non eandem esse rationem de clavis, & aliis instrumentis passionis Christi, „ ac de Cruce, siquidem Cruces referunt „ Christum, eunque repræsentant, velut „ in Cruce expansum: clavi autem, lancea, „ & alia hujusmodi Dominicæ passionis „ instrumenta, cum Christum ita pro nobis „ patientem non repræsentent, sed solum „ ejus sacrosanctum Corpus tetigere, propter contactum istum, quandam excellentiam obtinent, & sic possunt adorari „ adoratione latriæ respectivæ; cum vero „ cæteri clavi, & lanceæ, nec Christum „ pro nobis patientem referant, nec ejus „ corpus tetigerint, idcirco nulla videntur „ adoratione digna. Respondeo secundo, „ clavos, lanceas, & id genus alia secundum communem Ecclesiæ usum non „ assumi ad repræsentandos clavos, lanceas, „ & alia instrumenta passionis Christi; ac „ propterea cum careant hac repræsentatione, & significatione, non potest religiosus cultus ei adhiberi; secus vero dicendum est, quando illa instrumenta „ simul cum Cruce pinguntur; cum enim „ tunc apprehendantur prout habent specialem aliquam habitudinem ad Christum „ patientem, sic considerata, adorari possunt adoratione latriæ respectivæ „.

Aliæ Conclusionis partes I. probantur ex Patribus. Origenes homil. 8. in diversos Evangelii locos: *Filii Dei humilitas, nostra sublimitas: illius Crux nostra victoria: illius patibulum noster triumphus. Gaudentes levemus hoc signum in humeris nostris, victoriarum vexilla portemus, immortale lavacrum portemus in frontibus nostris: cum Dæmones viderint, contremiscent. Qui aurata Capitolia non timent, Crucem timent. In Ezechiele Propheta, cum omnes, qui missus fuerat Angelus occidisset, & interfectio cœpisset a Sanctis, illi tantummodo sospites reservantur, quos litera T, idest, crucis pictura signaverat. Exultemus igitur, Fratres charissimi, & ad Crucis similitudinem, sanctas in Cœlum manus levemus. Cum sic nos Dæmones armatos viderint, opprimentur.* Basilius Magnus de Spiritu Sancto cap. 27. *Si consuetudines, quæ scripto prodita non sunt, tanquam haud multum habentes momenti, conemur rejicere, imprudentes & ea damnabimus, quæ in Evangelio ad salutem necessaria habentur. Quod genus est (ut ejus, quod primum est, & vulgatissimum,*

simum, primo loco commemorem) ut signo crucis eos, qui spem collocarunt in Christum, signemus, quis scripto docuit? Nonne a tacita, secretaque traditione? Nonne ex doctrina, quam Patres nostri in silentio, quod curiosos, & otiosos submovet, servarunt? Joannes Chrysostomus Demonstratione adversus Gentiles; quod Christus sit Deus. Veruntamen hoc maledictum, hoc abominabile, hoc extremi supplicii symbolum, crux diadematibus & Coronis clarius factum est. Neque enim sic regia corona ornatur caput, ut Cruce, quæ omni cultu dignior; & quam omnes prius abhorrebant, ejus figuram tantopere quærunt; atque adeo ubique ea invenitur apud Principes, apud Subditos, apud mulieres, apud viros, apud virgines, apud nuptas, apud servos, apud liberos: subinde omnes ea se signant, inscribendo in nobilissimum membrum. In fronte enim nostra, quasi in columna quotidie figuratur. Sic in Sacra mensa, sic in Sacerdotum Ordinationibus, sic iterum cum corpore Christi in mysticis cœnis fulget. Hanc ubique celebrari videre licet; in domibus, in foro, in solitudine, in viis, in montibus, in collibus, in vallibus, in mari, in navigiis, in insulis, in lectis, in vestibus, in armis, in thalamis, in symposiis, in vasis argenteis, in aureis, in margaritis, in murorum picturis, in corporibus brutis male affectis, in corporibus a Dæmoniis obsessis, in bellis, in pace, in diebus, in noctibus, in delicatorum choreis, in monachorum ordinibus: adeo certatim donum hoc mirabile rapiunt omnes. Mira est hæc gratia, nullus confunditur, nullus erubescit, cogitans, quod maledicta mortis symbolum fuerit: sed omnes ipsa magis ornantur, quam diadematum coronis, vel multis gemmatis monilibus, & torquibus. Et non solum non fugitur, sed & desideratur, & adamatur, & omnes de ea solliciti sunt, & ubique fulget, & sparsa est in parietibus domorum, in culminibus, in libris, in civitatibus, in vicis, in locis, quæ habitantur, & quæ non habitantur. Tertullianus de corona militis cap. 3. Ad omnem progressum, atque promotum: ad omnem aditum, & exitum: ad vestitum, & calceatum: ad lavacra, ad mensas, ad lumina, ad cubilia, ad sedilia: quæcunque nos conversatio exercet, frontem crucis signaculo terimus. Harum, & aliarum ejusmodi disciplinarum, si legem expostules Scripturarum, nullam invenies: traditio tibi prætendetur auctrix, consuetudo confirmatrix, & fides observatrix. Ambrosius de Isaac, & anima cap. 8. Signaculum Christi in fronte est, signaculum in corde: in fronte, ut semper confiteamur: in corde, ut semper diligamus: signaculum in brachio, ut semper operemur. Et serm. 43. Debemus ergo surgentes gratias Christo agere, & omne diei opus in signo facere Salvatoris &c. Qui in hoc signo seminare cœperit, vitæ fructum consequetur æternæ. Qui in hoc signo iter facere aggreditur, ad cœlum usque perveniet. Et serm. 56. Grande Crucis est Sacramentum & si intelligamus, per hoc signum etiam mundus ipse salvatur. Nam cum a nautis scinditur mare, prius ab ipsis arbor erigitur, velum distenditur, ut Cruce Domini facta, aquarum fluenta rumpantur, & hoc Dominico securi signo portum salutis petunt, periculum mortis evadunt. Figura enim Sacramenti quædam est velum suspensum in arbore, quasi Christus sit exaltatus in Cruce; atque ideo confidentia de mysterio veniente homines ventorum procellas negligunt &c. Ubi signum Crucis erigitur, statim & diaboli iniquitas repellitur, & ventorum procella sopitur; sed & bonus agricola cum parat terræ solum vertere, & vitæ alimenta perquirere, non nisi per signum Crucis id facere conatur &c. Hieronymus ad psalmum 85. Fac mecum signum in bonum: Muniar Crucis tuæ signo, quod videntes Potestates adversæ, fugiant confusæ, & discedant a me. Hæc enim pro nostro populo Propheta rogat. Sed & nos rogamus, Domine, ut Crucis tuæ signo tutati, atque ejus præsidio custoditi, mereamur ab omnibus insidiis diaboli liberari.

II. Probantur Antiquorum Scriptorum monumentis, quorum primum est vexillum illud, cui Labari nomen est impositum, & de quo Eusebius in vita Constantini lib. 1. cap. 32. exscribis: Quo salutari signo, velut munimento adversus hostiles, infestasque vires omnes, perpetuo usus est Imperator: & ejusdem expressas figuras præire deinceps mandavit Exercitibus suis. Secundum est, quod idem Constantinus in Clypeis militum insculpi fecit Crucis signum; immo & in nummis quoque, quem morem Christiani Principes, qui post ipsum fuerunt, imitati sunt, ac etiamnum imitantur. Unde scripsit Sozomenus lib. 1. cap. 8. Divinæ Cruci multum venerationis adhibebat, tam propter subsidia in bello contra hostes gerendo, ex ejus virtute sibi oblata, quam propter divinam de ea sibi oblatam visionem. Tertium est, quod idem Imperator in Diademate Imperiali crucem voluit erigi. Proinde scribebat Augustinus in psalmum 36. Crux jam de pœ-

na

na generis humani sublata est. Cum enim sub antiquis scelerati crucifigerentur, modo nullus Crucifigitur. Honorata est, & finita est pœna, manet in gloria. A locis suppliciorum fecit transitum ad frontem Imperatorum. Et in psalmo 44. *Attende gloriam Crucis Christi: jam in fronte Regum crux illa fixa est, cui inimici insultarunt. Effectus probat virtutem, domuit Orbem non ferro, sed ligno.* Alia monumenta apud Authores videnda relinquimus.

Arguunt I. Adhibere Crucem ad aereas Potestates fugandas, est credere incantationibus, & magiam adhibere; sed hoc est omnino prohibitum: ergo &c. II. Non vere Dæmones Crucis pertimescunt signum, sed fingunt, se timere, ut homines ad incantationes illas inducant: ergo non est verum, quod Crux Dæmonibus sit terrori, hominibus vero saluti. III. Julianus Apostata deridebat Christianos, quod Ancile Paganorum relinquentes, pro eo Crucis signum adorarent; quapropter Christianis dicebat. *O miseros mortales, qui Crucis lignum adoratis, imaginem illius in fronte, & ante domos pingentes.* IV. Christus multoties benedixit, & nihilominus crucem non adhibuit, quia ante crucifixionem ipsius hoc signum non adhibebatur: ergo possunt fieri benedictiones absque Cruce. V. Quomodocunque spectetur Crux, semper est mortis ferale instrumentum; at nemo benedicit ad mortem, sed ad vitam: ergo in benedictionibus impertinenter & insulse cruces adhibentur.

Respondemus ad I. quod esset magia si virtus illa Crucis crederetur inesse vel materiei, ex qua compacta est crux, vel diaboli assistentiæ, quando hic invocaretur, non autem expelleretur, ut vere expellitur, & damnatur, vel materiali efficaciæ Verborum, quæ adhibentur. Nullum autem ex his invenitur in benedictionibus nostris.

Ad II. Si hoc esset, Deus deciperet nos per Dæmones, quod non est credendum. Nec pariter credi potest tot, tantosque Patres, qui dixerunt, Crucem terrorem afferre Dæmonibus, fuisse deceptos, & quod solus Salmasius, qui hoc ridiculum commentum induxit, pro veritate loquutus fuerit.

Ad III. Cyrillus Alexandrinus, qui Juliano respondebat, non negavit factum, scilicet, quod Christiani pro Ancile adoraverint Crucem; sed totus est, ut defendat Christianos in hoc bene egisse, quia superstitionem, & profanitatem dereliquerunt, ut veritatem, & religionem amplecterentur.

Ad IV. Antequam Christus contactu suo Crucem sanctificaret, benedictiones fiebant per manuum elevationes; unde dicitur Lucæ 24. quod Christus, *elevatis manibus, benedixit eis*, hoc est, Apostolis. Post vero sanctificationem crucis, illius signum in benedictionibus omnibus adhibitum est, quo significaretur, per Crucem omnia bona nobis a Deo provenire.

Ad V. Erat quidem ante Christi passionem ferale mortis instrumentum Crucis lignum; at post illam facta est lignum vitæ, lignum salutis, lignum gloriæ. Audiatur Chrysostomus orat. 61. a Petavio citatus lib. 15. cap. 10. num. 9. *Nemo pudore suffunditur, nec occultat se præ verecundia, dum cogitat, abominandæ mortis istud esse signum; sed velut ornamento gloriamur magis, quam coronis, & diadematibus, & infinitis unionum monilibus. Ita non est fugienda Crux, sed optabilis, & amabilis, & omnium amore, studioque digna.*

DISSERTATIO CCXLVIII.

De Christi Domini Ascensione. Ascensionis Christi quæ fuerit caussa? Qui motus? Qui terminus? & qui effectus ab ipsa provenientes?

PRIMO, Carpocrates, hæresiarcha temporum Apostolorum, insaniens, dixit, Christum in anima tantum ad cœlum ascendisse, corpus vero reliquisse in terra. Referunt Philastrius, & Theodoretus, de illius hæresibus tractantes.

Secundo, Apelles somniavit, Christum resurrexisse sine carne, & sine eadem ad Cœlos ascendisse. Testatur Augustinus hæresi 23. Meminerunt autem illius, præter Augustinum, Epiphanius hæres. 24., Tertullianus de præscriptionibus Hæreticorum cap. 6. 30., & 34., lib. de resurrect. carnis cap. 2. lib. 4. adversus Marcionem cap. 17. lib. de anima cap. 23. & 36. lib. de carne Christi, cap. 6. Origenes tract. 27., & 30. in cap. 24. Matthæi, & lib. 5. contra Celsum; ut testatur Cardinalis Cozza in Commentario ad librum S. Augustini de hæresibus tom. 2. hæres. 23.

Tertio, refert Origenes apud Pamphilum in Apologia, quod innominati quidam Hæretici dicebant, quod Salvator noster ascendens è terris ad Cœlum, & corpus suum assumens, pervenit usque ad eum Circulum, qui Solis Zona nominatur, & ibi posuit tabernaculum corporis sui. Non enim ultra erat possibile id progredi.

Quarto, Manichæi non intelligentes verba illa Davidis: *In Sole posuit tabernaculum suum*; dixerunt, Christum Dominum, quando in Cœlum ascendebat, posuisse corpus assumptum in Orbe Solari, & cum sola Divinitate in Cœlos ascendisse. Sunt testes Nazianzenus orat. 51. Augustinus lib. 6. contra Faustum cap. 20. Nicetas Choniates lib. 4. Orthodoxæ fidei cap. 11.

Quinto, Seleuciani, & Hermiani, dicebant, Christum in carne ad Patris dexteram non sedere, sed eam exuisse quando in Cœlos ascendit. Narrat Augustinus hæres. 59. & Ambrosius Ansbertus in Apocalypsi.

Sexto, refert Damascenus hæresi 93., & cum eo Nicetas lib. 4. Orthodoxæ fidei cap. 44. Christolytas asseruisse, Christum, quando excitatus est ab inferis, ibi reliquisse corpus cum anima, & sola divinitate in Cœlum ascendisse.

Septimo, Corerii, sive Coterelli, voluerunt, Corpus Christi non esse glorificatum in Cœlo, sed post diem Judicii putridum cadaver fore. Narrat Guido Carmelita de Hæresibus apud citatum Coccium.

Octavo, novi Manichæi in Italia negarunt, Christum ascendisse ad Cœlum in corpore, & carne humana, & dixerunt, omnia in similitudinem fuisse facta. Testatur Nicolaus Eymericus part. 2. q. 13.

Nono, posteriorum temporum Hæretici errarunt pariter circa Christi Domini ascensionem; & præcipue Gaspar Suvenckfeldius lib. de duplici statu Christi art. 17., ubi ait, postquam Christus in Cœlum ascendit, humanam naturam conversam esse in divinam. Joannes Brentius in Recognitione doctrinæ suæ de Christi majestate fol. 167. ,, Postquam
,, Christus absolvit externum spectaculum
,, ascensus sui usque ad nubes, non est pue-
,, riliter cogitandum, quod progressus sit
,, physico, & corporali modo a nubibus
,, usque ad fictitium illud Cœlum, quod
,, empyreum vocant, ut commoretur in
,, eo illa semper forma, qua visibiliter in
,, monte Oliveti ascendit, &c. Sed scien-
,, dum est, quod deposita forma, non qui-
,, dem illa essentiali, qua homo vere est,
,, & semper homo manet, sed accidentali,
,, quam in externo ascensus spectaculo ad
,, tempus οἰκονομικῶς assumpserat, recepe-
,, rat formam Dei, quæ aliquando forma
,, servi tecta fuerat, aut (ut significantius
,, loquar) perrexit omni cœlesti sua maje-
,, state, quam habuit, frui. Hoc enim ve-
,, re est, Christum esse in Cœlo, videlicet
,, non in fictitio Cœlo, corporali, seu phy-
,, sico modo commorari, & deambulare,
,, sed in omni cœlesti gloria, tam in hoc
,, cor-

corporeo Cœlo stellis insignito, quam in hac tota terrarum universitate versari, & omnia coram gubernare, &c. „ Postea docet, Cœlum, ad quod Christus pervenerit, esse ipsum Patrem cœlestem. Fol. 179. „ Domus, de qua Christus loquitur apud Joannem, non est Cœlum illud corporeum, & Empyreum, quod fingunt consistere super hunc mundum. Hoc enim Cœlum in rerum natura non extat, &c. Domus Patris non est Cœlum Empyreum, sed est cœlum incorporeum, ac spirituale, quod & cœleste regnum dicitur, & quod, ut dicebamus, nec locis, nec locorum spatiis, seu intervallis, sed majestate Dei definitur, &c. Cur, Bullingere, intellectum tuum Verbo Dei captivum non tradis? Absurdum videtur, cœlum esse ubique, multo quoque absurdius videtur, Diabolos quoque esse in cœlo, & nugaris, nescio quæ. Quis cupiat esse in cœlo, in quo sunt cacodæmones? Nec cogitas, quid tibi reddi possit. Quis cupiat cum Deo esse, qui est in inferno? Ubicunque Deus cum majestate sua regnat, ibi est domus ejus, quæ est cœlum incorporeum, & spirituale, & cœleste regnum. „ Matthias Flaccus, Illyricus lib. de Ascensione Domini, ex illo Petri Actor. 3. *Quem oportet Cœlum suscipere*, contendit, Christum hominem non esse in cœlo, ut in loco, sed potius cœlum esse in Christo, cum ipse sit ubique. Et ibidem vult, Christum in die Ascensionis, usque ad nubes, & deinde non ulterius perrexisse in illa corporis forma visibili, & circumscripta, sed quodammodo evanuisse, ita ut jam sit nusquam in illa forma aspectabili, sed ubique in invisibili majestate. Joachimus Vvestphalus, libello contra Joannem a Lasko, iniquum putat, dictionem hanc, *Sursum*, quasi locum esse explicandum, sed ait, Christum ascendisse ad cœlos, idem esse quod evanuisse. Nicolaus Selneccerus, *in declaratione de Christi persona, & majestate* art. 3. „ Christus ascendit ad cœlos: hæc ascensio non significat sursum aliquo conscendere, uti per scalas, aut gradus fit, sed ascendere juxta Scripturam designat, aliquem summum honoris gradum consequi, nova, & immensa potestate potiri „ art. 5. „ Cœlum hic non significat firmamentum, aut certam sedem in summo cœlo empyreo; sed quod Dominus ascendit in cœlum idem significat, ac si diceremus: Dominus cœlesti gloria, potestate, majestate, & dignitate potitus est. „ *Concione de Ascensione Christi*: *Ascendere* „ significat summam dignitatem consequi, eamque majorem, quam ulla creatura, ullus Angelus, aut homo omni sua sapientia, ratione, aut cogitatione, aut nosse possunt. Norunt docti, quod cum verbum Alah (quod ascendere significat) de Deo, aut divina gloria, aut alias de cœlestibus rebus, spiritibus, visionibus, & similibus usurpatur, quod primo idem valeat, ac si quis dicat evanescere, disparere, ut Ezechielis 11. *Ascendit gloria Domini*, idest, *disparuit*; item: *Ascendit a me visio*, idest, *disparuit*. Hac significatione multi Veterum, ac Recentiorum ab omni errore alieni simpliciter, & recte Ascensionem Christi explicaverunt. „

Decimo, Nathanael Ælianus, libro, quem inscripsit *Mattan Jа*, effutire non erubuit: „ Christus modo non regnat in Cœlo, sed expectat regnum: Scriptura promittit Christo regnum hic in terra, non in Cœlo. Christi ad dexteram Patris sessionem dicit non esse, quod eandem cum Patre potestatem obtineat, sed quod in dextera Patris confidat, & auxilium ab ea adversus hostes expectet. Sedere Christum dicit in Cœlo, non quod illic regnet, sed quod certus sit, quod tandem re ipsa in terris sit regnaturus. „

Dicimus I. Christum vere post quadraginta dies a sua resurrectione in cœlum ascendisse, non divinitate, & anima tantum, sed etiam corpore.

I. Probatur ex Scripturis. Deuteron. 32. v. 4. *Levabo ad Cœlum manum meam.* Chaldæus vertit: *Præparabo in Cœlum domum divinitatis meæ, & dicam permanens ego in æternum.* Et cap. 33. 26. *Non est Deus alius, ut Deus rectissimi: ascensor Cœli auxiliator tuus. Magnificentia ejus discurrunt nubes, habitaculum ejus sursum.* Psalm. 67. 19. *Ascendisti in altum, cepisti captivitatem, accepisti dona in hominibus.* Psalm. 103. 3. *Qui ponis nubem ascensum tuum: qui ambulas super pennas ventorum.* Amos 9. 6. *Qui ædificat in Cœlo ascensionem suam, & fasciculum suum super terram fundavit: qui vocat aquas maris, & effundit eas super faciem terræ, Dominus nomen ejus.* Chaldæus vertit: *Qui posuit in robusto altissima divinitatem gloriæ, & Ecclesiam suam super terram confirmavit, & dixit, ut congregentur velut multitudines, velut aquæ maris, & effudit nos super faciem terræ, Dominus nomen illius.* Marci 16. 19. *Dominus quidem Jesus, postquam loquutus est eis, assum-*

ptus est in Cœlum; & sedet a dextris Dei. Lucæ 24. 51. *Et factum est dum benediceret illis, recessit ab eis, & ferebatur in Cœlum.* Actor. 1. 9. *Et cum hæc dixisset, videntibus illis, elevatus est, & nubes suscepit eum ab oculis eorum.* Actorum 3. 21. *Quem oportet quidem cœlum suscipere, usque in tempore restitutionis omnium.* Actorum 7. 55. *Stephanus plenus Spiritu Sancto, intendens in Cœlum, vidit gloriam Dei, & Jesum stantem a dextris Dei.* Ad Ephes. 4. 10. *Qui descendit, ipse est, & qui ascendit supra omnes Cœlos, ut impleret omnia.* Ad Philippens. 3. 20. *Nostra conversatio in cœlis est: Unde etiam Salvatorem expectamus, Dominum nostrum Jesum Christum.* Ad Colos. 3. 1. *Si consurrexistis cum Christo, quæ sursum sunt quærite, ubi Christus est in dextera Dei Sedens.* Ad Hebræos 4. 14. *Habentes ergo Pontificem magnum, qui penetravit Cœlos, Jesum filium Dei, teneamus confessionem.* Ad Hebræos 6. 20. *Usque ad interiora velaminis, ubi præcursor pro nobis introivit Jesus.*

II. Probatur ex Romanis Pontificibus. Damasus in Confess. fidei, quæ extat apud Theodoretum Histor lib. 5. cap. 11. *Si quis negaverit, Christum in carne, quam sumpsit, sedere ad dexteram Patris, in qua etiam venturus est ad judicium, de vivis, & mortuis exercendum, anathema esto.* In Symbolo: *Qui devicto mortis imperio, cum ea carne, qua natus, mortuus, & passus fuerat, & resurrexit, ascendit ad Patrem, sedetque ad dexteram ejus in gloria, quam semper habuit, & habet.* Leo Magnus serm. 1. cap. 4. *Magna re vera, & ineffabilis erat causa gaudendi, cum in conspectu Sanctæ multitudinis super omnium Creaturarum cœlestium dignitatem, humani generis natura conscenderet, supergressura Angelicos Ordines, & ultra Archangelorum altitudinem elevanda, nec ullis sublimitatibus modum suæ provectionis habitura, nisi æterni Patris excepta consessu.* Et serm. 2. de Ascensione Domini cap. 2. *Dominus noster Jesus Christus quadragesimo post resurrectionem die, coram discipulis elevatus in Cœlum, corporalis præsentiæ modum fecit, mansurus in Patris dextera, donec tempora multiplicandis Ecclesiæ filiis divinitus præstituta peragantur, & ad judicandos vivos & mortuos, in eadem carne, in qua ascendit, adveniat.* Gelasius de duabus in Christo naturis contra Eurychen: *Si in deitatem, ut putant, humanitate transfusa, vel ex omni parte translata desiit esse humana substantia: ergo ut humanitatis forma sine sui proprietate cessavit? Si divinæ in nuda deitate humana forma lineamenta constare, quid aliud quam Anthropomorphitae convincuntur inducere? quos dudum Catholica talia somniantes damnavit Ecclesia. Nam si & substantia, & forma hominis Jesu Christi hanc transfusione consumta est, quis est, quem vidit ad dexteram virtutis stantem S. Stephanus? Quis hominis filius venturus est ad judicandos vivos, & mortuos? Quis erit, quem videbunt, in quem compunxerunt? Abolitum est omne mysterium, vacuatum est, resolutumque, ut dictum est, quod absit, omne Sacramentum, falsumque erit, quod ait ipse Salvator: Palpate, & videte, quia Spiritus carnem, & ossa non habet, sicut me videtis habentem. Et certe hoc post resurrectionem dixit, talis jam dixit, qualis cum discipulis per quadraginta dies conversatus est, convescens, & cohabitans cum eis: Talis dixit, qualis ascendit in Cœlum: Talis dixit, qualis promissus est inde esse venturus. Aut legant ipsi ubi, posteaquam de se illa professus est, fuerit immutatus, & aliter quam se discipulis patefecit, ascenderit levatus in Cœlum.* Gregorius Magnus homil. 8. in Ezechielem: *Ie, qui divinitate est ubique, carne ad cœlestia ascendit.* Homilia 9. in Evangel. *Quis iste homo est, qui peregre proficiscitur, nisi Redemptor noster, qui in ea carne, quam assumpserat abiit in cœlum?* Homil. 29. in Evang. *Redemptor noster non curru, non Angelis sublevatus legitur: quia is, qui fecerat omnia, nimirum super omnia, sua virtute ferebatur. Illo etenim revertebatur, ubi erat: & inde redibat, unde remanebat: quia cum per humanitatem ascenderet in Cœlum, per divinitatem suam, & terram pariter continebat, & cœlum.* Et homil. 30. in Evangel. *Quando non maneret apud eos, qui ascensurus cœlum, promittit, dicens: Ecce ego vobiscum sum usque ad consummationem sæculi? Sed Verbum incarnatum, & manet, & recedit; recedit corpore, manet divinitate.* Honorius I. Epigrammate de Christi Ascensione:

Luce videt Christum Petrus, quem nosse negavit,
Et cecinit Dominum pergere ad astra suum.
Territus Andreas, orat: Miserere, Magister,
In Regnum Patris collige discipulum.
Jacobus expavit, hominem per nubila ferri:
Supponit scapulas, dat pia vota Deo.
Hæret ab aspectu tremulus per membra Joannes:

Et turbatus, adhuc sic stetit ut placeat.
Quin sequimur te Christe? Vocat sine voce Philippus:
Num projectus ego, liber, & implicitus?
Bartholomae pedes Christi pendere tremiscis:
Et vis (si capias) tendere posse manus, &c.

Leo IX. Epist. ad Petrum, Antiochenum Episcopum: *Credo Christum die quadragesima post resurrectionem cum carne, qua surrexit, & anima, ascendisse in cœlum, & sedere in dextera Patris.*

III. Probatur ex Conciliis. Concilium Nicænum Generale I. in Symbolo, & Concilium Constantinopolitanum Generale I. pariter in symbolo: *Ascendit ad cœlos.* Concilium Lateranense IV. cap. 1. & refertur cap. *firmiter* de Summa Trinitate, & fide catholica: *Christus ascendit in Cœlum in anima, & in carne.*

V. Probatur ex Patribus Græcis. Ignatius Martyr epist. ad Magnesianos: *Christus mortuus est, & resurrexit, ascendit in cœlos ad eum, a quo missus erat, sedetque ad dexteram ipsius, qui venturus est in fine seculorum cum paterna gloria, ut judicet vivos, & mortuos.* Ad Smyrnenses: *Post resurrectionem ostendit Dominus seipsum illis, quod vere, & non per phantasiam resurrexerit, & cum illis comedit, & bibit per quadraginta perpetuos dies, & ita cum carne videntibus illis assumptus est ad illum, qui miserat eum, cum ipsa carne venturus iterum cum gloria, & potestate.* Irenæus lib. 1. cap. 2. *Ecclesia per universum Orbem usque ad fines terræ seminata, & ab Apostolis, & a discipulis eorum accepit eam fidem, quæ est in unum Deum Patrem Omnipotentem, qui fecit Cœlum, & terram, mare, & omnia, quæ in eis sunt: & in unum Jesum Christum filium Dei, incarnatum pro nostra salute: Et in Spiritum Sanctum, qui per Prophetas prædicavit dispositiones Dei, & adventum: & eam, quæ est ex Virgine, generationem, & passionem, & resurrectionem a mortuis, & in carne in cœlos ascensionem dilecti Jesu Christi Domini nostri, & de cœlis in gloria Patris adventum ejus.* Cyrillus Hierosolymitanus Catech. 14. *Scio enim, quod progressus fidei docet te credere in resurgentem tertia die, & ascendentem in cœlos, & sedentem in dextera Patris: quamvis autem meminisse te puto illius fidei seriem, nihilominus tanquam in transcursu mentionem facio dictorum. Recordare, quod scriptum est aperte in psalmo: Ascendit Deus in jubilo. Recordare, quod & divinæ virtutes ad invicem dicunt: Tollite portas, Principes, vestras &c. Memineris Psalmi dicentis: Ascendens in altum, captivam duxit captivitatem. Memineris dicentis Prophetæ: Ædificans in Cœlum ascensionem suam &c. Quando (Judæi) tanquam impossibili ascensioni Salvatoris contradicunt, reduc in memoriam, quæ de translatione Habacuc dicta sunt. Si enim Habacuc translatus est, coma capitis portatus, quanto magis Prophetarum, & Angelorum Dominus, de monte Olivarum per nubem ascendens, propria virtute ascendere in Cœlum potentior erat?* Epiphanius contra Apellejanos hæresi 44. *Si Dominus resurrexit, dic mihi, ad quid faciendum post resurrectionem, si ipsum corpus rursum reliquit in quatuor elementa partitum, calidum ad calidum, frigidum ad frigidum, siccum ad siccum, humidum ad humidum? Si enim excitavit ipsum, ut rursus dissolveret, ergo fabulositatis hoc opus fuerit, & non veritatis. Excitavit autem ipsum Dominus noster Jesus Christus, & simul secum assumpsit corpus, quod in se ipsum efformavit, una cum anima, & tota incarnatione perfectissime. Confidet enim juxta apostolicum sermonem: Deus excitavit, & collocavit eum in cœlestibus, velut testantur duo illi in vestitu splendido Apostolis conspecti, qui dixerunt: Viri Galilæi, quid statis intuentes in cœlum? Hic Jesus, qui assumptus est a vobis in Cœlum, sic veniet, quemadmodum vidistis eum assumi. Et ut ne detur tibi rursus occasio malitiei contra veritatem post multum tempus Assumptionis Salvatoris nostri, Stephanus Sanctus Dei martyr, & testis cum lapidibus obrueretur a Judæis, respondit, dicens: Ecce video Cœlos apertos, & filium hominis stantem a dextris Patris: ut ostendat ipsum corpus in veritate in spirituale resurrexisse, una cum Deitate Unigeniti totum in spirituale unitum, & in Deitatem counitum. Superne est enim ipsum sanctum corpus una cum Deitate, totus Deus, unus Filius Sanctus Dei, sedens in dextera Patris.* Joannes Chrysostomus serm. de Ascens. Domini: *Quia longum spatium de terra tenebatur ad cœlum, & oculorum acies portatum corpus ad illam altitudinem minime poterat pervidere: Sed sicut autem, si altiora postulat, deficiat aspectus inspicere, & noster oculus volatu vincitur celsiore: sic & Christi corpus quanto ferebatur ad summa, tanto oculos videntium aspectus imbecillitate incidebat, deficiente natura altiora conspicere: ideo stabant Angeli iter cœleste monstrantes, ne quis arbitraretur, quia tanquam in cœlum ascendit, sicut Elias, sed in cœlum ascendit, qui*

qui elevatus est a vobis ad cœlum. Cyrillus Alexandrinus lib. 9. in Joannem cap. 31. *Inaccessibile cœlum erat hominibus prius, nec ullus unquam hominum ante Christum cum Sancto Angelorum consortio fuit; hunc ascensum postea nobis Christus præparavit, & iter fecit in cœlum carni nostræ. In primitias enim mortuorum se ipsum innovando, Deoque Patri offerendo, primus homo visus in cœlo est*.

V. Probatur ex Patribus Latinis. Tertullianus de resurrect. Carnis cap. 51. *Sed pro omnibus jam stabit, quod in clausulam reservavimus, etiam pro Apostolo ipso, re vera maximæ inconsiderantiæ revincendo, si tam abrupte, ut quidam volunt, clausis, quod ajunt oculis, sine distinctione, sine conditione, omnem passim carnem, & sanguinem a regno Dei extruxit, utique & ab ipsa Regia Cœlorum, cum illic adhuc sedeat Jesus ad dexteram Patris, homo etsi Deus; Adam novissimus, etsi sermo primarius; Caro, & Sanguis, etsi nostris puriora; idem tamen & substantia, & forma, qua ascendit, talis etiam descensurus, ut Angeli affirmant: agnoscendus scilicet eis, qui illum convulneraverunt. Hic sequester Dei, & hominum appellatus ex utriusque partis deposito commisso sibi, carnis quoque depositum servat in semetipso, arrhabonem summæ totius. Quemadmodum enim nobis arrhabonem spiritus reliquit, ita & a nobis arrhabonem carnis accepit, & vexit in Cœlum pignus totius summæ, illuc quandoque redigendæ. Securæ estote, caro, & sanguis, usurpastis & cœlum, & regnum Dei in Christo. Aut si negent vos in Christo, negent, & in cœlo Christum, qui vobis cœlum negaverunt*. Lactantius cap. 21. *Ordinata discipulis suis Evangelica, ac nominis sui prædicatione, circumfudit se repente nubes, eumque in cœlum sustulit quadragesimo post passionem die, sicut Daniel fore ostenderat, dicens: Et ecce in nubibus Cœli, ut Filius hominis veniens, usque ad vetustum dierum pervenit*. Ambrosius ad cap. 4. Epistolæ ad Ephesios: (*Qui descendit, ipse est, qui & ascendit super omnes Cœlos,*) *Hoc est, quod dicit Dominus: Nemo ascendit in cœlum, nisi qui descendit de cœlo, Filius hominis, qui est in cœlo. Quod quidem & in psalmis continetur: Ait enim: A summo Cœlo egressio ejus, & regressus ejus usque ad summum ejus. Hic ergo descendens de Cœlis in terram, homo natus est: post mortuus descendit ad inferos, post tertia die resurgens, ante omnes mortales ascendit super cunctos Cœlos, ut illusam mortem ostenderet creaturæ*. Hieronymus ad cap. 3. Epistolæ ad Ephesios: *Crux Christi non solum nobis, sed & Angelis, cunctisque in cœlo virtutibus profuit, & aperuit Sacramentum, quod antea nesciebant. Denique ad Deum cum corpore Deum revertentem mirantur, & dicunt: Quis est iste, qui ascendit de Edom, fulvida vestimenta ejus ex Bosor. Hic formosus in stola candida? Et in alio loco: Quis est iste Rex gloriæ? Dominus virtutum ipse est Rex gloriæ*. Augustinus de fide, & Symbolo cap. 6. *Credimus, Christum in cœlos ascendisse, quem beatitudinis locum etiam nobis promisit, dicens: Erunt sicut Angeli in cœlis: in illa Civitate, quæ est omnium nostrum mater Jerusalem æterna in cœlis. Solet autem quosdam offendere, vel impios gentiles, vel hæreticos, quod credamus assumptum terrenum corpus in Cœlum. At Gentiles plerumque Philosophorum argumentis nobiscum agere solent, ut dicant, terrenum aliquid in cœlo esse non posse; nostras enim Scripturas non noverunt, nec sciunt quomodo dictum sit: Seminatur corpus animale, surget corpus spiritale. Non enim ita dictum est, quasi corpus vertatur in Spiritum, & spiritus fiat, quia & nunc corpus nostrum, quod animale dicitur, non in animam versum est, & anima factum. Sed spirituale corpus intelligitur, quod ita spiritui subditum est, ut cœlesti habitationi conveniat, omni fragilitate, ac labe terrena in cœlestem puritatem, ac stabilitatem mutata, atque conversa, &c. Sed ubi, & quomodo in cœlo sit corpus Dominicum, curiosissimum, & supervacaneum est quærere, tantummodo in cœlo esse credendum est. Non est enim fragilitatis nostræ cœlorum secreta discutere, sed est nostræ fidei de Dominici corporis dignitate sublimia, & honesta sapere*.

VI. Probatur ex veteribus Judæis. R. Haccados, lib. qui inscribitur *Revelator secretorum*: „ Versabitur Messias post resurrectionem suam cum justis, qui audient præcepta ejus quadraginta diebus, „ in figuram illorum quadraginta dierum, „ quibus erit in deserto ad affligendam „ animam suam, antequam eum occiderint. „ Et his peractis, ascendet in Cœlum, sedebit ad dexteram Dei, sicut dictum est „ psalmo 110. *Dixit Dominus Domino meo: „ sede a dextris meis*. R. Moses Hadarsan, „ ad illa verba Genesis 18. *Et apparuit ei „ Dominus in ilice Mambre*, „ R. Barachias „ in nomine R. Levi reseravit, id est, exposuit hoc per id, quod scriptum est „ psalm. 17. *Et dabis mihi scutum salutationem tuam, & dextera tua confortabit, vel „ suscipiet me*. In futuro enim Deus Sanctus,

„ ctus, & benedictus sedere faciet Messiam ad dexteram suam, sicut scriptum est, *Dixit Dominus Domino meo, sede ad dextram meam.* „ Author Midras Thehillim. ad psalm. 17. „ R. Joden in nomine R. Chia dixit: Futurum est, ut Deus sanctus, & benedictus sedere faciat Regem Messiam ad dextram suam, sicut dictum est in psalm. 110. *Dixit Dominus Domino meo, sede ad dextram meam.* „

VII. Probatur ex Veterum Historicorum testimoniis. Severus Sulpicius lib. 2. Histor. Sacræ cap. 34. *Helena, mater Principis Constantini, quæ Augusta cum Filio conregnabat, cum Jerosolymam agnoscere concupisceret, reperta ibi Idola, ac Templa protrivit. Mox usa regni viribus, Basilicam in loco Dominicæ Passionis, & Resurrectionis, & Ascensionis constituit. Illud mirum, quod locus ille, in quo postremum institerant divina vestigia, cum in Cœlum Dominus nube sublatus est, continuari pavimento cum reliqua stratorum parte non potuit; siquidem quæcunque applicabantur, insolens humana suscipere terra respueret, excussis in ora apponentium sæpe marmoribus. Quin etiam calcati Deo pulveris adeo perenne documentum est, ut vestigia impressa cernantur. Et cum quotidie confluentium fides certatim Domino calcata diripiat, damnum tamen arena non sentiat, & eadem adhuc sui speciem velut impressis signata vestigiis, terra custodit.*

VIII. Probatur rationibus theologicis. I. Christus adimplere debebat omnia, quæ de eo prædicta fuerant in Scripturis, & a Prophetis; sed in Scripturis, & a Prophetis prædictus fuerat Ascensus ejus in cœlum: ergo Christus post resurrectionem suam vere ascendit in cœlum. Minor est Apostoli cap. 4. ad Ephesios scribentis: *Ascendit super omnes cœlos, ut impleret omnia.* Major patet ex testimoniis Scripturarum, & Prophetarum, quæ adduximus in probationibus. II. Christus debuit accipere possessionem Regni sui, quod ei promissum fuerat a Patre; sed regnum suum non erat terrenum, & caducum, at cœleste, & æternum: ergo Christus ascendit in cœlum, ut cœlestis regni sui possessionem acciperet. Minor habetur Lucæ 1. *Dabit illi Dominus Deus sedem David Patris ejus, & Regni ejus non erit finis.* Major autem patet hoc discursu, quem facit Cornelius Jansenius Concione in Lucam: *Sicut David unctus quidem fuit in Regem, longe antequam in Solio Regni insideret, quod solium non obtinuit nisi post multas persequutiones, & afflictiones, per quarum patientem tolerantiam meruit tandem a Deo magnifice sublimari in Regem, & primum super Domum Juda, deinde vero super omnes Tribus Israel, ita & Jesus a Nativitate quidem unctus fuit a Patre, & Rex destinatus populi sui; unde & permisit a populo sibi acclamari, Rex Israel, & Pilato dixit: Rex sum ego. Verum tamen regalis solii possessionem non obtinuit, nisi per patientiam in multis adversitatibus, per quam meruit exaltari a Patre, & accipere nomen, quod est super omne nomen, & regnare primum quidem super Judæos credentes, deinde vero etiam super gentes, per decem Tribus figuratas, ut patet Ezechielis cap. 37.* III. Christus habuit summum imperium super omnes creaturas, & quidem ab æterno habuit, ut Deus, ut homo vero habuit ab incarnatione, sed illius imperii usum suspendit in statu mortali: ergo plene debebat illud exercere in statu glorioso; sed non potuisset exerceri in statu glorioso, nisi ascendisset in cœlum: ergo &c. IV. Christus propter multas tribulationes, quas sustinuit in terra, conveniebat, ut exaltaretur a Deo; sed non poterat convenienter exaltari in terra: ergo exaltatus fuit super omnes cœlos. Unde psalm. 56. dictum est, *Exaltare super Cœlos Deus, & super omnem terram gloria tua.* Quod idem est ac dicere cum Augustino serm. 262. *Exaltare tu, qui fuisti in ventre Matris inclusus, tu, qui in præsepi jacuisti, tu, qui esuristi propter nos, sitisti propter nos, tu, quem vendidit Judas, quem emerunt Judæi, & non possederunt; tu apprehense, ligate, flagellate, spinis coronate, in ligno suspense, lancea percusse, tu mortue, tu sepulte, exaltare super Cœlos Deus.*

Arguunt I. Non potuit Christus elevari super omnes cœlos: ergo in cœlum non ascendit: Probatur antecedens. Non potuit Christus elevari supra cœlum Empireum: ergo non potuit elevari super omnes cœlos. Probatur antecedens. Cœlum Empireum vel est perfecte sphæricum, ut quibusdam placet, vel est perfecte planum, & quadratum, ut alii volunt; sed quomodocunque sit non potest inveniri locus, qui illo sit altior: ergo non potuit elevari supra cœlum Empireum. II. Christo ascendenti in cœlum nihil accrevisset melius, nec quantum ad animam, nec quantum ad corpus: ergo non debuit Christus ascendere in cœlum. Antece-

recedens patet, quia quodcunque Christus habebat in anima, & in corpore, non habebat a loco. III. Pro salute humana melius fuisset, quod Christus semper cum hominibus in terris conversaretur; sed Christus factus est homo propter salutem humanam: ergo melius fuisset, ut remaneret in terris, quam ut ascenderet in cœlum. IV. In Cœlum debebat ascendere, quod de Cœlo descenderat; sed divinitas Christi de cœlo descenderat, & non humanitas: ergo divinitas Christi debebat in Cœlum ascendere, & non humanitas. Major probatur ex illo Joannis 3. *Nemo ascendit in Cœlum, nisi, qui de Cœlo descendit*; & ex illo ad Ephesios 4. *Qui descendit, ipse est & qui ascendit*. V. Christus ascendit ad Patrem; sed ad Patrem non ascendit ut homo: ergo ascendit ut Deus. Minor est certa, quia ut homo pervenire non poterat ad Patris æqualitatem; dicebat enim ipse Joannis 14. *Pater major me est*. VI. Psalm.46. dicitur: *Ascendit Deus in jubilatione*: ergo Christus ascendit ut Deus, & non ut homo.

Respondemus ad I. quod ex Apostolo ad Ephesios 1. docemur, Christum in loco sublimiori, velut in solio cœlestis Principis, propter dignitatem unionis hypostaticæ, fuisse constitutum, *supra omnem principatum, & potestatem, & supra omne nomen, quod nominatur, sive in hoc seculo, sive in futuro*; & hoc nobis sufficit pro substantia Ascensionis, & locationis Christi in cœlo: Pro modo autem illius, usurpamus verba Augustini epist. 78. dicentis: *Magis eligo doctam ignorantiam confiteri, quam falsam scientiam profiteri.* Cæterum S.Thomas 3.p. q. 57. art.4. ad 2. his verbis exponit, secundum Aristotelis doctrinam, modum, quo Corpus Christi gloriosum est in Cœlo, ac super omnes Cœlos; scilicet, quod Corpus Christi ideo est supra omnes Cœlos, quanvis sit in Cœlo, quia ita est in Cœlo, ut non egeat in Cœlo contineri: *Locus habet rationem continentis, unde primum continens habet rationem primi locantis, quod est primum Cœlum. In tantum igitur corpora indigent esse in loco per se, in quantum indigent contineri a corpore cœlesti. Corpora autem gloriosa, & maxime corpus Christi non indiget tali continentia, quia nihil recipit a corporibus cœlestibus, sed a Deo, mediante animo. Unde nihil prohibet, Corpus Christi esse extra totam continentiam corporum cœlestium, & non esse in loco continente, Nec tamen oportet, quod extra Cœlum sit vacuum, quia non est ibi locus, nec est ibi aliqua potentia susceptiva alicujus corporis. Sed potentia illuc perveniendi est in Christo. Quod autem Aristoteles probat lib. de cœlo, quod extra Cœlum non est corpus, intelligendum est de corporibus, in solis naturalibus constitutis, ut per probationes apparet.*

Ad II. Distinguitur antecedens; nihil accrevisset, quantum ad ea, quæ sunt de essentia gloriæ, sive secundum corpus, sive secundum animam, conceditur; nihil accrevisset quantum ad loci decentiam, quod est ad bene esse gloriæ, negatur. Corpus enim ejus non acquisivit aliquid perfectionis ex loco cœlesti, sed solum acquisivit quandam decentiam, quæ aliquo modo pertinebat etiam ad ejus gloriam.

Ad III. Quanvis per Ascensionem subtraheretur hominibus præsentia corporalis Christi; præsentia tamen divinitatis ipsius semper adest fidelibus; ut ait S.Thomas citato loco art. 1. ad 3. ubi adducit illud Matthæi ultimo: *Ecce, ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem seculi*; & illud Leonis Magni: *Qui enim ascendit in Cœlos, non deserit adoptatos*. Postmodum utilitates enumerat, quas nobis attulit ascensio ejus in cœlum, & quas non attulisset præsentia ejus corporalis in terra; dicens: *Primo quidem, propter fidei augmentum, quæ est de non visis; Unde ipse Dominus dixit discipulis suis Joannis 16., quod Spiritus Sanctus adveniens arguet mundum de justitia, scilicet, eorum, qui credunt: ut Augustinus dicit super Joannem: Ipsa quippe fidelium comparatio, infidelium est vituperatio. Unde subdit: Quia ad Patrem vado, & jam non videbitis me: beati enim qui non vident, & credunt. Erit igitur vestra justitia, de qua mundus arguetur, quoniam in me, quem non videbitis, creditis. Secundo, ad spei sublevationem; Unde ipse dicit Joannis 14. Si abiero, & præparavero vobis locum, iterum veniam, & accipiam vos ad me ipsum, ut ubi ego sum, & vos sitis. Per hoc enim, quod Christus humanam naturam assumptam, in Cœlo collocavit, dedit nobis spem illuc perveniendi: quia ubi fuerit corpus, illuc, congregabuntur & aquilæ, ut dicitur Matthæi 24. Unde & Mich. 2. dicitur: Ascendit pandens iter ante eos. Tertio, ad erigendum charitatis affectum in cœlestia; unde dicit Apostolus ad Colossens. 3. Quæ sursum sunt quærite, ubi Christus est in dextera Dei sedens: quæ sursum sunt sapite, non quæ super terram; ut enim dicitur Matthæi 6. Ubi est thesaurus tuus, ibi est & cor tuum. Et quia Spiritus*

Son-

Sanctus est amor, nos in cælestia rapiens, ideo Dominus dicit discipulis Joannis 16. Expedit vobis, ut ego vadam: si enim non abiero, Paraclitus non veniet ad vos: si autem abiero, mittam eum ad vos. Quod exponens Augustinus super Joannem dicit: Non potestis capere spiritum, quam diu secundum carnem persistitis nosse Christum. Christo autem descendente corporaliter, non solum Spiritus Sanctus, sed & Pater, & Filius illis affuit spiritualiter.

Ad IV. Idem Angelicus respondet citato loco art. 2. ad 2. *quod ipse idem est, qui ascendit, & qui descendit; dicit enim Augustinus in libro de Symbolo. Qui est, qui descendit? Deus homo. Quis est, qui ascendit? Idem ipse Deus homo. Descensus tamen duplex attribuitur Christo: unus quidem quod dicitur descendisse de Cælo, qui quidem attribuitur Deo homini, secundum quod Deus. Non enim est iste descensus intelligendus secundum motum localem, sed secundum exinanitionem, qua cum in forma Dei esset, servi formam suscepit. Sicut enim dicitur exinanitus non ex eo quod suam plenitudinem amiserit, sed ex eo quod nostram parvitatem susceperit: ita dicitur descendisse de Cælo, non quod Cælum deserverit, sed quia naturam terrenam assumpsit in unitatem personæ. Alius autem est descensus, quo descendit in inferiores partes terræ, ut dicitur ad Ephesios 4. Qui quidem est descensus localis; unde competit Christo secundum conditionem humanæ naturæ.*

Ad V. Christus dictus est ascendisse ad Patrem, in quantum pervenit ad consessum paternæ dexteræ. Hoc autem potest convenire Christo aliqualiter, ut Deus est; & aliqualiter, ut homo est; ut docet S. Thomas citato loco in responsione ad 3.

Ad VI. dupliciter S. Thomas pariter respondet; primo, quod verba illa dicta fuerint prophetice, prout scilicet, respiciebant Christum, qui erat incarnandus; Et secundo, quod intelligi possunt metaphorice, sicuti intelliguntur illa, quibus dicitur, quod Deus in cor hominis ascendit. Cor enim hominis, quando humiliat se, & subjicit Deo, Deus in illud ascendit. Unde subdit S. Doctor, quod eodem modo metaphorice dicitur ascendere respectu cujuslibet Creaturæ, ex eo quod eam subjicit sibi.

Dicimus II. Caussam moralem Ascensionis Christi fuisse gloriam suam, & utilitatem nostram; Caussam vero physicam fuisse virtutem divinitatis suæ. Naturam motus ipsius ascendentis fuisse admirabilem, in quantum prius pedetentim elatus est; ut commodius a Discipulis observaretur; postea vero, quando eum nubes subduxit, ad instar fulguris in Cœlum Empireum se vibravit. Terminum motus fuisse dexteram Patris. Effectus denique Ascensionis suæ fuisse aperitionem Cœlorum, missionem Spiritus Sancti, erectionem Spei nostræ, interpellationem pro nobis ad Patrem, & supremæ Majestatis suæ manifestationem.

Prima pars Conclusionis probatur I. de caussa morali; quia Christo debebatur illa corporis, & animæ gloria; tanquam præmium victoriæ, quam de mundo reportaverat; tanquam merces mortis, quam sustinuerat; tanquam regia novi Regni, quod acquisierat sanguine suo; & tanquam triumphale solium dominii sui. Insuper ascendit in Cœlum post quadraginta dies, ut compensaret quadraginta circiter horarum absentiam, qua discipulos suos per mortem afflixerat, quadraginta dierum præsentia, antequam ad Patrem ascenderet; ut docet Augustinus qu. 26. inter sexagintaquinque ad Orosium. Aliam allegoricam addit rationem S. Thomas, quam sic exponit Serry exercit. 61. n. 1. „ Quemadmodum
„ enim post transitum maris rubri Deus
„ Moysi, Legis suæ Nuncio, & Admini-
„ stro sese per dies quadraginta visendum
„ exhibuit, quo eum plenius, uberiusque
„ de Legis arcanis, atque mysteriis erudi-
„ ret; ita Christus, transacto Passionis suæ
„ mari rubro, Apostolis Evangelicæ Legis
„ Administris totidem diebus visendum
„ præbere se debuit, ut eosdem secretio-
„ ra publicæ Legis arcana multo distin-
„ ctius edoceret. Unde communis Patrum
„ sententia est, Apostolos eo quadraginta
„ dierum spatio a Christo Domino acce-
„ pisse, quæcunque ad nos de dogmatibus,
„ de Sacramentis, de Sacris ritibus traditio-
„ ne transmisere, quorum altum in Evan-
„ gelio silentium est. Ut mittam quadrage-
„ narium dierum numerum divinis in lit-
„ teris sacratum esse jejunio Moysis, Eliæ,
„ ipsiusque Christi Domini. „

II. Probatur de caussa physica. Christus elevatus est in Cœlum non alienis præsidiis, sed virtute sua propria, quam exercebat ratione divinitatis, moventis ad arbitrium, & nutum suum proprium corpus, agilitatis dote jam præditum: ergo elevatus est virtute divinitatis suæ, & animæ propriæ, cui divinitas, sicut & corpori, erat unita. Antecedens probatur Isaiæ 66. Iste

66. *Iste formosus in stola sua, gradiens in multitudine fortitudinis suæ*. Unde Gregorius Magnus homil 29. in Evangel. scribebat: *Notandum est, quod Elias in Curru legitur ascendisse, ut videlicet, aperte demonstretur, quod homo purus adjutorio indigebat alieno. Redemptor autem noster, non curru, non Angelis sublevatus legitur; quia qui fecerat omnia, super omnia virtute sua ferebatur.*

Secunda Conclusionis pars de natura motus, quo Christus in Cœlum se extulit, probatur. Christus debebat observari a discipulis, qui eum intuebantur, quando ascendebat in Cœlum, ad hoc ut essent testes proprii Ascensionis illius; sed hoc fieri non poterat, nisi sensim, & pedetentim, ascenderet: ergo ita ascendit, ut commodius a discipulis observaretur. Insuper, quando ab oculis discipulorum elongatus fuerat, debebat eum nubes subducere, & motu velocissimo in Cœlum ferri, non quidem instantaneo, quo nullum corpus, etsi gloriosum, moveri potest. Et tunc quidem, ut motum illum admirabiliorem redderent, plura miracula patrata sunt, unum scilicet, quod pene momento infinita propemodum spatia emensus fuerit, quum concors sit Astronomorum sententia, terram a Concavo dumtaxat firmamenti, in quo sunt Stellæ fixæ, octoginta millionibus milliariorum distare; ita quidem, quod si lapis molaris pondere suo e firmamento decideret, anni nonaginta deberent fluere, antequam ad terram perveniret. Alterum prodigium fuit, quod pervenit ad Empirei verticem, non disrumpendo soliditatem Cœlorum, sed illam penetrando; Unde scribebat Apostolus ad Hebræos 4. *Habemus Pontificem, qui penetravit Cælos*. Tertium denique prodigium, quod respicit terminum motus seu ascensus illius, est, quod Christus postquam assumptus fuit in Cœlum, sedit ad dexteram Patris; Marco cap. 16. testante: *Assumptus est in Cælum, & sedet a dextris Dei*. Hoc autem, quod est sedere a dextris Dei, importat, quod Christus parem cum Patre habuerit regnandi, & judicandi potestatem; quod dicitur Joannis 5. *Dedit ei Pater judicium facere, quia filius hominis est*. Hoc profecto singulare Christi privilegium Angeli non habuerunt, ut enim scribebat Apostolus ad Hebræos 1. *Ad quem Angelorum dixit aliquando: sede a dextris meis?*

Postrema Conclusionis pars, de effectibus scilicet, Ascensionis Christi, sic explicatur. Et quidem primus effectus est missio Spiritus Sancti in Apostolos; quapropter Christus Joannis 6. iisdem dicebat: *Expedit vobis, ut ego vadam; si enim non abiero, Paraclitus non veniet ad vos*. Etenim, quia Spiritus Sanctus a Patre, & filio procedit, a Patre, & filio mittitur. Secundus effectus fuit apertio Cœlorum, quos nobis clauserat primorum nostrorum Parentum culpa, unde Christus primus fuit, qui Cœlum ingressus est, & nobis iter ad ipsum aperuit. Tertius fuit erectio Spei nostræ; quia quo gloria capitis nostri pervenit, eo membrorum, quæ nos sumus, affectus rendere debebat. Quartus fuit jugis ad Patrem pro nobis interpellatio; quia in Cœlo Advocati munere fungebatur; ut legitur in 1. Joannis cap. 2. *Advocatum habemus ad Patrem, qui etiam interpellat pro nobis*. Quintus demum effectus fuit Supremæ potestatis suæ manifestatio; unde scribebat Apostolus ad Ephesios 4. *Ascendit super omnes Cælos, ut adimpleret omnia*. Quæ verba sic explicantur; quod sicut impleverat terram signis supremæ potestatis suæ, eanque sanctificaverat; & quemadmodum inferos penetraverat, quos spoliaverat; ita impleret Cœlos, ubi regnat, & regnaturus est in æternum.

Objiciunt I. Actorum 1. & Marci 16. Christus dicitur *assumptus in Cælum*; sed hoc significat, non a seipso, sed ab aliis fuisse assumptum: ergo Christus non propria virtute divinitatis suæ se elevavit in Cœlum. II. Christus etiam dicitur elevatus in Cœlum a nube, quæ eum circumfulsit, & a Patre, qui eum elevavit: ergo non propria virtute. III. Marcus ait, quod Christus assumptus in Cœlum, sedet a dextris Dei; sed hoc est incidere in errores Antropomorphitarum, qui Deo humana mēbra tribuebant: ergo expressio illa est corrigenda IV. De aliis Sanctis, & præcipue de Apostolis in Scripturis legitur, quod regnabunt cum Christo, & sedebunt super sedes duodecim, judicaturi duodecim Tribus Israel: ergo non fuit singulare privilegium Christi, habere parem cum Patre regnandi, & judicandi, potestatem. V. Chrysostomus docet, Christum ascendisse in Cœlum die sabbati: ergo non post quadraginta dies a resurrectione sua, quia sic debuisset potius resurgere die Jovis. VI. Incertum est in Scripturis, qua hora Christus in Cœlum ascenderit, & incertum est

est pariter apud Patres; sed hæc incertitudo obstat firmitati mysterii: ergo &c. VII. Lucas cap. ultimo sui Evangelii indicat, Christum ascendisse in Cœlum ex Bethania; & in Actibus Apostolorum, quos ipse pariter scripsit, significat, ascendisse ex monte Oliveti; sed hæc sunt inter se pugnantia: ergo &c. VIII. Non conveniunt Expositores de illorum numero, qui præsentes erant, quando Christus ascendit in Cœlum; sed hoc est mysterium in dubio mittere: ergo &c. IX. In Actibus Apostolorum cap. 1. dicitur, Jesum ascendisse in Cœlum; & ad Ephesios 3. legitur, Christum ascendisse super omnes Cœlos, sed hæc inter se pugnant: ergo &c. X. Christus quando ascendit in Cœlum, iis, qui adstantes erant, benedixit; sed nulla tunc benedictio in usu erat: ergo vel Christus non benedixit; vel, si benedixit, novum benedicendi ritum induxit, qui ignoratur.

Respondemus ad I. Christus dicitur assumptus in Cœlum, sed non ab Angelis, nec a quacunque alia externa virtute, at a sola divinitate, qua fuit in Cœlum elevatus. Hoc patet primo ex Textu Græco, qui habet ἀνελήφθη; scilicet, *sursum ascendit*; sursum autem ascendere, est elevari per seipsum, & non per alium: Secundo, quia verba illa de assumptione propria, seu per propriam virtutem facta, & non per alienam, unanimiter interpretantur Patres: Tertio, quia Contextus similium vocum in aliis Scripturæ locis hoc ipsum importat, atque confirmat.

Ad II. Nubes Christum obduxit, non elevavit, quando ascendit in Cœlum; & obduxit eum, quando pervenit ad locum, ubi Apostoli non poterant eum amplius intueri, ut nuper est dictum. Cæterum potentia Patris eadem est, ac potentia Filii, quia eadem est utriusque divinitas; quapropter quando dicitur, quod Christus per potentiam Patris elevatus est in Cœlum, perinde est, ac si dicatur, quod per potentiam suam, & virtute divinitatis suæ, se in Cœlum elevavit. Audiatur Angelicus 3. p. q. 57. ar. 3. ad 1. *Sicut Christus dicitur propria virtute surrexisse, & tamen est suscitatus a Patre, eo quod eadem est virtus Patris, & Filii: ita etiam Christus ex propria virtute ascendit ad Cœlum, & tamen a Patre est elevatus, & assumptus . . . . Nubes autem illa, quæ suscepit eum ab oculis Discipulorum, non præbuit adminiculum Christo ascendenti per modum vehiculi; sed apparuit in signum Divinitatis; secundum quod gloria Dei apparebat super Tabernaculum in nube.*

Ad III. Sensus illorum verborum non est, ut Deo humana membra adscribantur, sed ut significetur humanitati Christi concessa par cum Æterno Patre regnandi & judicandi potestas; ut dicitur Joannis 5. *Dedit ei Pater judicium facere, quia Filius hominis est.*

Ad IV. Quamvis in Scripturis aliqui Sancti, & præcipue Apostoli, dicantur regnare cum Christo, & sedere super sedes duodecim, judicaturi duodecim Tribus Israel; hi tamen omnes gradu longe inferiori, & sedebunt, & judicabunt; Sedebunt enim, & judicabunt uti Christi, qui est supremus Judex, Servi, & Administri.

Ad V. Conveniunt omnes, quod Christus ascenderit in Cœlum die quinta Maji, quæ illo anno incidit in diem Jovis. Quum enim ex una parte Christus surrexerit die 27. Martii, quia die vigesimaquinta mortuus fuerat; & quum ex altera a Resurrectione ad Ascensum intercesserint quadraginta dies; hoc ipso fit, quod dies Ascensionis fuerit dies quinta Maji. Et quia dies Resurrectionis fuit dies Dominica; hinc est, quod post quadraginta dierum intervallum advenit dies Jovis, non dies Sabbati, quæ fuit peculiaris opinio Chrysostomi contra communem Sanctorum Patrum mentem, & Chronologorum omnium calculum.

Ad VI. Actorum 1. dicitur: *Et convescens, præcepit eis, ab Jerosolymis, ne discederent:* & postmodum subditur: *Videntibus illis, elevatus est:* ubi verbum illud *convescens* sumunt de prandio, quod fit circa meridiem; unde volunt, Christum circa meridiei horam in Cœlum ascendisse. At quia Latini plerique Codices pro *convescens*, quod legitur in Vulgata, habent *conversans*; & Græci legunt quoque συναυλιζόμενος, hoc est conversans cum eis in eadem aula; vel συναυλιζόμενος, scilicet congregans in eodem loco; & conversatio, & congregatio differunt a prandio, & quavis hora diei fieri possunt; hinc est, quod alii dicunt alia hora a meridie Christum in Cœlum ascendisse. Versio Arabica Textui Græco adhæret, legens: *Cumque se collegisset cum eis, præcepit eis, ne discederent ab Jerusalem.* Et videtur tandem quod subscripserit Augustinus, dicens lib. 1. de Actis cum Felice Manichæo cap. 4., & lo-

locum illum Actorum Apostolicorum hoc pacto recitans: *Quibus præbuit se vivum post Passionem in multis argumentis dierum; visus eis dies quadraginta, & docens de Regno Dei, & quomodo conversatus sit cum illis. Et præcepit eis ab Jerosolymis ne discederent, sed sustinerent pollicitationem Patris*. Cæterum nihil officit veritati substantiæ incertitudo modi, vel temporis.

Ad VII. Bethania est sub ipso monte Oliveti, ac in ipsius declivio; Christus ergo prius Bethaniam venit, ut Lazarum, & Sorores ejus viseret, & deinde ad montem Oliveti ascenderet, ex quo in Cœlum se elevavit. Non ergo pugnant quæ scribit Lucas in Evangelio, & quæ scribit in Actibus Apostolorum.

Ad VIII. Cornelius a Lapide in cap. 1. Actuum Apostolicorum vult, præsentem fuisse ad Christi Ascensionem turbam hominum, quasi centum viginti; At Lucas in loco illo non agit de iis, qui præsentes erant Ascensioni Christi, sed de iis, qui electioni Matthiæ interfuerunt. Alii putant, quod præsentes tantum fuerunt Apostoli, qui a Marco cap. ultimo Evangelii sui recensentur. Alii addunt B. Virginem, quibus nec nos repugnamus, quanvis nihil, aut pro, aut contra, in Sacris literis, & apud Sanctos Patres, circa illam inveniatur. Denique iterum animadvertimus, quod nec hujusmodi incertitudo veritati, & certitudini mysterii obest.

Ad IX. Christi Domini Corpus ideo est super omnes Cœlos, quanvis dicatur esse in Cœlo, quia ita est in Cœlo, ut tamen in eo non egeat contineri. Quod luculentius explicat Doctor Angelicus 3. p. q. 57. ar. 4. ad 2. cujus verba nuper attulimus.

Ad X. Per manuum extensionem, seu elevationem, tunc benedictio dabatur, & non per Crucis signationem, ut in præterita Dissertatione observavimus; quapropter Levitici 9. legitur: *Extendens Aaron manus ad populum, benedixit ei*. Ita pariter fecit Christus, in Cœlos ascendens, & Apostolis benedicens, ut legitur Lucæ cap. ultimo: *Elevatis manibus benedixit eis*. Nunc autem ritus Ecclesiæ est, ut per crucis signationem benedictiones dentur; qui quidem ritus non exemplo Christi Domini, Apostolis benedicentis, inductus est; at potius illud est nobis salutis signum, *quo benedixit nos Deus, in omni benedictione spirituali in cœlestibus, in Christo*; quod ad Ephesios 1. Apostolus scribebat.

DISSERTATIO CCIL.

De Spiritus Sancti missione in Discipulos. Quo tempore Spiritus Sancti missio facta est? Quo loco? Quo signo? Ad quos? Et quibus effectibus?

CAUSSAM missionis Spiritus Sancti in Discipulos Jesu Christi satis explicat ipsemet Christus Joannis 16. dicens: *Nunc vado ad eum, qui misit me, & nemo ex vobis interrogat me: quo vadis? Sed quia hæc loquutus sum vobis, tristitia implevit cor vestrum. Sed ego veritatem dico vobis. Expedit vobis, ut Ego vadam, si enim non abiero, Paraclitus non veniet ad vos, si autem abiero, mittam eum ad vos. Et cum venerit ille, arguet mundum de peccato, de justitia, & judicio .... Ille vos docebit omnem veritatem. Non enim loquetur a semetipso; sed quæcunque audiet, loquetur; & quæ ventura sunt, annuntiabit vobis. Ille me clarificabit, quia de meo accipiet, & annuntiabit vobis: Omnia quæcunque habet Pater mea sunt; propterea dixi, quia de meo accipiet, & annuntiabit vobis*. Hanc igitur promissionem, quam Christus Apostolis fecerat de missione Spiritus Sancti, post decem dies ab Ascensionis suæ die, adimplevit; hoc est, quinquagesimo die a Resurrectione sua. Et quia Pentecostes solemnitas duplex est; una Judæorum, quæ secundum legem Mosaicam die quinquagesimo post immolationem Agni Paschalis agebatur; altera vero Christianorum, quæ die quinquagesimo a Christi Resurrectione celebratur; hinc ortum est dubium, an verba illa Actorum cap. 2. intelligenda sint de Pentecoste Judæorum, an vero de altera Christianorum? Si enim intelli-

liguntur de prima, dies Pentecostes debuit incidere in Sabbatum anno illo, si vero de secunda, debuit incidere in Dominicam. Circa quod dubium quatuor sunt sententiæ, quas modo explicamus.

Prima est illorum, qui dicunt, Pentecosten, de qua loquitur Lucas in Apostolorum Actis, fuisse illam Judæorum, quia tunc temporis non erat adhuc instituta Festivitas Pentecostes Christianorum. Quod autem anno illo Pentecostes inciderit in diem Sabbati, hoc discursu probant, Christus crucifixus est die lunæ decimæ quintæ, seu die Veneris, in quam prima dies Azymorum incidit: ergo anno illo secunda dies Azymorum incidit in diem Sabbati; in qua, ut tradit Josephus lib. Antiquit. cap. 10., debebant Judæi offerre Deo ex Legis mandato primum manipulum messis ordeaceæ; & ab hac secunda die Azymorum numerabant Judæi quinquaginta dies, ad suam Judaicam Pentecosten celebrandam; quibus peractis, dies Pentecostes anno illo incidit in Sabbatum, non in Dominicam.

Secunda sententia est illorum, qui dicunt, fuisse quidem Pentecosten Judæorum, at hanc anno, quo Christus in Cœlum ascendit, in diem Dominicam incidisse. Et ratio ipsorum est, quia anno illo, quo Christus est mortuus, distulerunt Pascha usque ad diem Veneris; Unde primam diem Azymorum celebrarunt die Sabbati, & secundam diem Azymorum die Dominica; & quia a secunda die Azymorum numerabant dies quinquaginta, inde est, quod quinquagesimam diem, hoc est Pentecosten, die Dominica celebrarunt.

Tertia sententia est illorum, qui asserunt, Judæos anno illo celebrasse suum Pascha eadem die, qua Christus cum Apostolis celebravit; hoc est, die Jovis, in quam inciderat luna decimaquarta in secundis vesperis; Unde eodem anno prima dies Azymorum incidit in diem Veneris, qua Christus crucifixus est, & in Sabbatum incidit secunda dies Azymorum, a quo enumerando quinquaginta dies, quinquagesima dies incidit in Sabbatum, non in Dominicam, ac proinde Sabbato fuit, non Dominica die, Pentecostes Judæorum.

Quarta sententia est illorum, qui sequuntur antiquam Ecclesiæ traditionem, quæ semper creditum est, Spiritum Sanctum non in Sabbato, sed in die Dominica, ad Apostolos, ac Discipulos, descendisse; quam sententiam præ cæteris tuentur Cardinales Baronius, & Bellarminus, quos sequitur Graveson; quanvis Serry eam pro viribus impugnare conetur.

Dicimus I. Spiritum Sanctum in Apostolos descendisse die Dominica; hora vero diei tertia, hoc est tertia ab ortu Solis.

Prima Conclusionis pars probatur I. confutando tres alias opiniones antecedenter adductas. Et quidem confutatur prima sententia; quia anno illo Apostoli, & eadem die cum Judæis Pascha suum celebrarunt, & eadem die celebrarunt etiam cum Judæis suam Pentecosten. Et hoc, tum quia tunc temporis Ecclesia nondum decreverat, ut Apostoli non celebrarent Pascha luna decima quarta mensis Martii, sed Dominica subsequente adipsam; tum etiam, quia nec decreverat Ecclesia, quod pariter die Dominica celebraretur Pentecostes, sicut Pascha celebrabatur. Ratio autem hujus mutationis eadem est, ac mutationis Sabbati in Dominicam; quam recenset Damascenus lib. 4. de fide orthodoxa cap. 23. *Ex quo venit quod perfectum est, evacuatum est quod ex parte erat: ac scisso per Salvatoris crucem tegumento, sive velo Legis, Sanctoque Spiritu igneis linguis illucescente, litera absolevit, corporalia cessarunt, & impleta lege servitutis, lex libertatis nobis donata est. Atqui perfectam humanæ naturæ requiem celebramus, hoc est resurrectionis diem, in qua Dominus Jesus, vitæ auctor, & Salvator, nos ad promissam illis, qui spirituali cultu Deo serviunt, hereditatem introduxit, in quam nimirum ipse Præcursor noster ingressus est, postquam a morte ad vitam rediit, & reseratis, patefactisque sibi Cœli januis, in Patris dextera secundum corpus consedit, quo illi etiam, qui Legi Spiritus morem gerunt, deinceps sunt introituri.* Igitur quando Ecclesia lege sancivit, ut Resurrectionis Pascha Dominica sequente lunam decimam quartam mensis Martii celebraretur; eadem Lege ex necessaria consequutione statuit quoque, ut Christiana Pentecostes, cujus festivitatis dies pendet ex designatione diei Paschatis, celebraretur septima post Pascha Dominica; & tunc cœpit esse aliud Pascha Judaicum, aliud Christianum, altera Pentecostes Judaica, altera Christiana. Confutatur etiam secunda sententia, quia loco suo ostendimus eadem die Judæos, & Christum Dominum cum Apostolis celebrasse Pascha anno illo, quo

Chri-

Christus est mortuus; Unde non est verum, quod anno illo Judæi suum Pascha distulerint usque in diem Veneris, & quod consequenter dies secunda Azymorum inciderit in diem Dominicam. Confutatur denique tertia sententia, quia est contra Ecclesiæ traditionem, quam semper custodivit, & custodit Ecclesia Romana, a qua nemo debet discedere.

II. Probatur quarta sententia. Quamvis apud Judæos quinquaginta dies a Paschate ad Pentecosten numerandi essent a secunda die Azymorum, qua demetendus erat primus manipulus frumenti, & Deo offerendus; quia tamen anno illo, quo Christus est mortuus, secunda dies Azymorum incidit in Sabbatum, & in Sabbato vetitum erat Judæis metere, hinc fuit, quod tertia die Azymorum, quæ non erat prohibitum metere, obtulerunt Judæi manipulum, & inceperunt numerare quinquaginta dies illos, unde dies quinquagesima incidit in diem Dominicam, & non in Sabbatum, & tunc Spiritus Sanctus in Discipulos descendit.

Secunda pars Conclusionis, quæ est de hora, probatur. I. Certum est apud omnes, quod Spiritus Sanctus descendit hora tertia juxta morem Judæorum; sed hora tertia juxta morem Judæorum est hora illa, quæ post ortum Solis est tertia, & quæ juxta usum cæterarum Nationum, præter Italicam, est hora nona: ergo hac eadem hora Spiritus Sanctus in discipulos descendit. II. probatur. Illa hora descendit Spiritus Sanctus in discipulos, quæ non erat, nec esse poterat, hora prandii, vel horæ prandii proxima; sed sic erat hora illa, quam nos diximus: ergo hora illa, quam nos diximus, descendit Spiritus Sanctus in discipulos. Major est certa ex verbis Petri Apostoli Actorum 2., quando Apostoli variis linguis luquentes, ebrii putabantur; & Petrus eos defendens, dicebat: *Non, sicut vos æstimatis, hi ebrii sunt, cum sit hora diei tertia*. Et hine est quod Ecclesia hanc horam etiam insinuat: *Cum lucis hora tertia, repente mundus intonat, orantibus Apostolis, Deum venire nuntiat.*

Circa secundam Dissertationis partem, hoc est de loco, in quo erant Apostoli congregati, quando Spiritum Sanctum acceperunt, hoc solummodo certum est, fuisse Jerosolymis; & hoc quia Actorum 1. fuerat Apostolis mandatum, *ab Jerosolymis ne discederent, sed expectarent promissionem Patris*; hoc est, Spiritus Sancti missionem, & effusionem. Certum quoque est, fuisse in Cœnaculo privatarum Ædium; quod pariter constat ex eodem cap. 1. v. 13. Sed cujus erant Ædes illæ? Hoc est omnino incertum. Nicephorus lib. 1. histor. Eccles. cap. 28., quem sequitur Cedrenus, putat fuisse Joannis Evangelistæ. Theophylactus in cap. 26. Matthæi fuisse asserit Simonis leprosi. Euthymius opinatur, fuisse Josephi ab Arimathæa, vel Nicodemi. Alii probabilius dixerunt, fuisse ædes Mariæ, quæ erat mater Joannis, qui cognominabatur Marcus; quæ quidem Ædes ob hoc mysterium, & ob alia quoque in ipso patrata, in Templum fuerunt mutatæ, ut asserunt Hieronymus epist. 27. & Beda lib. de locis Sanctis cap. 3. Denique alii volunt, Cœnaculum istud non fuisse situm in superiori parte alicujus privatæ domus, sed fuisse aliquod peculiare Conclave Templi Jerosolymitani, in quo erant congregati Apostoli, & discipuli Jesu Christi.

Dicimus II. Cœnaculum illud fuisse in Ædibus Mariæ, quæ erat Mater Joannis, qui cognominabatur Marcus.

I. Probatur ex Ædium illarum mutatione in Templum, & quidem in Templum, quod vocabatur Apostolorum, ex mansione scilicet Apostolorum apud illud, quando Spiritum Sanctum acceperunt. II. Actorum 1. aperte indicatur, domum illam, in qua Apostoli Spiritum Sanctum acceperunt, fuisse domum solitæ habitationis Petri, & aliorum Apostolorum, dum Jerosolymis hospitabantur: *in cœnaculum ascenderunt, ubi manebant Petrus, & Joannes, Jacobus, & Andreas, &c.* Sed hæc erat domus Mariæ, matris Joannis cognomentu Marci &c. III. Actorum 12. dicitur, quod Petrus exiens liber de carcere, de nocte se recepit in domum istam, de qua loquimur; ubi postquam narravit Fratribus liberationem suam, ad aliam se transtulit domum, ne ibi, tanquam in hospitio suo ordinario, a Judæis inveniretur. IV. quia in eadem domo dicitur, Christum celebrasse Pascha, & Eucharistiam instituisse, ut a nobis suo loco dictum fuit: ergo probabilius est, in eadem domo peractum esse mysterium, de quo loquimur, quum in ea fuerint antecedenter alia mysteria perpetrata.

Pro quarta Dissertationis parte, in qua quæritur de signo, quo Spiritus Sanctus apparuit, habemus testimonium Lucæ Actorum 2. dicentis: *Apparuerunt illis disper-*

dispertitæ linguæ tanquam ignis, seditque supra singulos eorum. At hæc verba non eodem modo ab omnibus intelliguntur; siquidem plures volunt, quod super capita discipulorum apparuerint linguæ dispertitæ, seu distributæ, quæ erant velut igneæ; & hinc Pictores mysterium hoc repræsentantes, depingunt linguas de cœlo delapsas, sursum flammantes, & figura pyramidali ex cujusque capite in acumen surgentes. At alii diversimode rem narrant, & miraculum in eo positum fuisse dicunt, quod omnes illic sedentes, ad repentinum sonitum advenientis veluti Spiritus vehementis, stupentes, atque attoniti, hæserunt ore quidem hianti, atque aperto; unde ipsorum linguæ visæ sunt in proprio ore dispertitæ, seu dissectæ, & velut igneæ; & hoc, ut quemadmodum per ignem figurabatur ardor infusæ charitatis, ita per sectilem formam linguarum designaretur illis concessa polyglottia, seu multiplicitas linguarum.

Dicimus III. signum fuisse linguarum, quæ non erant carneæ, nec igneæ, sed veluti igneæ, Apostolorum capitibus insidentes.

I. Probatur ex Cyrillo Jerosolymitano catech. 17., qui hæc habet: *Sedit super illos, ut nova corona spirituales per linguas igneas imponantur capiti illorum*. Suffragatur Ecclesiæ consuetudo, quam Pictores exponunt ubique Gentium, repræsentantes mysterium, de quo loquimur per linguas insidentes capitibus discipulorum, & nullibi per linguas bipartitas, & igneas in ore aperto discipulorum, ut eruditi illi, quos memorat Serry, & commendat, explicarunt; quos tamen Graveson, suppresso Serry nomine, acriter oppugnat.

II. Probatur. Spiritus Sanctus in die Pentecostes voluit Apostolorum intellectum illustrare, eorumdemque voluntatem inflammare; sed intellectus, & voluntas in capite, non in ore, sua munera exercent: ergo convenientius fuit, quod illæ linguæ super capita discipulorum, quam in ipsorum ore, apparerent. Accedit, quod si miraculum illud accidisset in linguis, quæ erant in ore, quanvis hiante, ac aperto, non fuisset facile, ac perspicue cognitum ab omnibus, qui erant in Cœnaculo; sed conveniebat, ut ab omnibus cognosceretur, ad hoc ut mysterii illius firmissimum redderent testimonium: ergo signum Spiritus Sancti Adventus in linguis quasi igneis positum, fuit potius in linguis, quæ supra singulos Apostolos, tanquam igneæ apparuerunt, quam in propriis Apostolorum, seu discipulorum, linguis in ore dissectis, ac igneis.

Pro quæsito posito in quarta Dissertationis parte; scilicet, ad quos fuerit Spiritus Sanctus missus; an scilicet, ad solos Apostolos, an vero ad omnes fideles, qui in Cœnaculo inveniebantur? Theodorus Beza, Calvinianæ sectæ coriphæus, contendit, ad solos duodecim Apostolos in Pentecostes die Spiritum Sanctum fuisse illapsum; Unde excludit cæteros discipulos, excludit pias, ac religiosas mulieres, excludit denique ipsam Sanctissimam Dei matrem; contra Pictores, qui aliter rem exprimunt, hæc scribens: „ Opinor, „ ridicule facere eos, qui cum hanc Histo„ riam pingunt, solent Mariam, Matrem „ Domini, in medio Apostolorum collo„ care, nimirum ut eam Collegii Apostoli„ ci Reginam faciant „. At contra procacissimum Impostorem

Dicimus IV. in Cœnaculo fuisse circiter centum & viginti, & super omnes illos Spiritum Sanctum fuisse illapsum.

I. Probatur Conclusio. Super omnes illos Spiritus Sanctus descendit, qui in Cœnaculo congregati inveniebantur; sed in Cœnaculo congregati inveniebantur, non solum Apostoli, sed & discipuli, & Maria, Mater Jesu, & piæ mulieres, quæ numerum faciebant centum circiter viginti: ergo supra hos omnes Spiritus Sanctus descendit. Major continetur cap. 2. Actor. Apostolorum: *Sedit supra singulos eorum, & repleti sunt omnes Spiritu Sancto*; minor legitur Actorum pariter cap. 1. v. 14. *Hi omnes erant perseverantes unanimiter in oratione cum mulieribus, & Maria, Matre Jesu, & Fratribus ejus*.

II. Probatur. Actorum 2. Petrus Apostolus citat testimonium capitis 2. Joelis Prophetæ, quod continet prophetiam de Spiritus Sancti adventu, & hanc probat, seu potius digito ostendit, esse adimpletam; sed verba illa Petri non comprehendunt solos Apostolos, verum quoque alios, qui erant in Cœnaculo congregati: ergo Spiritus Sanctus effusus est, non super solos Apostolos, sed super omnes, qui erant in Cœnaculo congregati. Verba Petri sunt: *Non enim sicut vos æstimatis, hi ebrii sunt, cum sit hora diei tertia; sed hoc est, quod dictum est per Prophetam Joel: Et erit in novissimis diebus (dicit Dominus) effundam de Spiritu meo super omnem carnem, & prophetabunt filii vestri, & filiæ vestræ,*

vestra, & juvenes vestri visiones videbunt, & Seniores vestri somnia somniabunt: Et quidem super servos meos, & super ancillas meas, in diebus illis effundam de Spiritu meo, & prophetabunt.

III. Probatur. Actorum 1. v. 15. *Erat autem Turba hominum simul fere centum viginti*. Hi quidem omnes erant in eodem Cœnaculo congregati, paucis ante diebus, quando Mathiam in locum Judæ elegerunt; Unde admodum est credibile, quod iidem in Cœnaculo permanserint, & in oratione perseveraverint, ut omnes Spiritum Sanctum reciperent. Quod & confirmarunt Patres, observantes maxime, quod Christus promiserat Spiritum Sanctum duodecim Apostolis, & deinde illum misit centum & viginti, qui duodecim decuplicati, centum & viginti numerum efficiunt. Ea enim est divinæ beneficentiæ consuetudo, ut pauca promittat, & plura largiatur, ut paucis spondeat, & plurimis benefaciat. Audiatur Chrysostomus homil. 4. in cap. 2. Actuum Apostolorum: *Quid autem, an in duodecim venit tantum, non etiam in cæteros? Nequaquam: sed venit etiam in illos centum viginti*. Audiatur pariter Augustinus serm. 186. de tempore: *Passus est, resurrexit, ascendit: restabat, ut impleret quod promisit. Hoc expectantes discipuli ejus, animæ, ut scriptum est, centum viginti, decuplato numero Apostolorum. Duodecim enim elegit, & ad centum viginti Spiritum misit*. Et tract. 19. in Joannem: *Centum & novem cum Apostolis undecim, centum & viginti erant, quando simul congregati post ejus Ascensum, expectaverunt, & receperunt promissum Spiritum Sanctum*.

Pro ultima Dissertationis parte, quæ est de effectibus, quos Spiritus Sanctus produxit in illis, super quos descendit, eos hìc ad præsens brevi calamo enumeramus. Et quidem primus effectus fuit gratia sanctificans, non quidem prima gratia, ut loquuntur Theologi, quæ est gratia spiritualis regenerationis, sed secunda gratia, quæ est gratia, seu potius augmentum gratiæ, & quæ dicitur roboris, perfectionis, & consummationis, & quam Christus dixit gratiam virtutis, seu fortitudinis ad sui nominis publicam confessionem. Sic Lucæ ultimo: *Ego mittam promissum Patris mei in vos, vos autem sedete in Civitate, quoad usque induamini virtute ex alto*. Sic Actorum 1. *Accipietis virtutem Spiritus Sancti in vos; & eritis mihi testes in Jerusalem, & in omni Judæa, & Samaria, & usque ad ultimum terræ*. Secundus effectus est gratia septiformis, seu septem dona, quæ dicuntur Spiritus Sancti; scilicet, sapientia, intellectus, consilium, fortitudo, scientia, pietas, & timor Domini; de quibus omnibus loquitur Isaias cap. 11. Tertius effectus est fructus duodenarius Spiritus Sancti; nimirum, charitas, gaudium, pax, patientia, benignitas, bonitas, longanimitas, mansuetudo, fides, modestia, continentia, castitas; de his loquitur Apostolus ad Galatas 6. Quartus effectus est gratia gratis data, cujus novem sunt species; nempe sermo sapientiæ, sermo scientiæ, fides, gratia sanitatum, operatio virtutum, prophetia, discretio Spirituum, genera linguarum, interpretatio sermonum; & de his pariter loquitur Apostolus 1. ad Corinth. 12.

De his, quæ diximus, & præcipue de gratia linguarum, aliquæ resolvendæ sunt difficultates. Quarum I. est, an singuli Apostoli loquerentur omnibus linguis? II. Quomodo id sit factum; nimirum, an Apostoli loquentes lingua Syriaca, quæ erat ipsorum naturalis, intelligerentur ab omnibus populis, tanquam si propriis ipsorum linguis loquerentur; an vero loquerentur exteris linguis cæterarum Nationum, quas ipsi callebant? III. An hoc fuerit singulare Apostolorum privilegium, an autem pariter aliorum fidelium, qui die illa Spiritum Sanctum acceperant?

Ad I. difficultatem dicimus, quod singuli Apostoli loquuti fuerint linguis omnium Nationum. Hoc patet primo ex Patribus, videlicet ex Augustino tract. 93. in Joannem, Ambrosio in psalm. 18. Cyrillo Alexandrino catech. 17. Leone Magno serm. 1. de Pentecoste, Gregorio Magno homil. 30. in Evangelia. Patet secundo ex Apostolo 2. ad Corinth. 14. *Gratias ago Deo meo, quod omnium vestrum lingua loquor*; scilicet, omnium illorum, qui tunc temporis habitabant Corinthi, & ex variis Orbis partibus erant oriundi. Patet tertio ex ratione, quia hoc ipsum administerium apostolicum rite adimplendum necessarium erat, unus enim Apostolus, quandoque ad variarum linguarum populos mittebatur, & non poterat, aut facultatem, aut tempus, tot addiscendi linguas habere. Scimus, Chrysostomum orat. 40. docuisse, quod totus quidem cœtus Apostolicus omnium Gentium linguas callueri, non vero singuli de Cœtu, sed alii alias, prout erant Regiones,

in

in quas erant mittendi; & quod hoc fuerit signum, quo significabatur, quosque mittendos esse in Regiones illas, quarum linguas callebant. At peculiari sententiæ Chrysostomi, aliorum Patrum, quos citavimus, communiorem sententiam præferre non dubitamus.

Ad II. difficultatem Nazianzenus orat. 44. respondet, quod Apostoli loquentes propria lingua Syriaca dumtaxat, a populis variarum nationum intelligerentur; & in hoc prodigium fuisse positum. At nos cum aliis Patribus respondemus, quod vere Apostoli omnium nationum linguas calluerint. Et hoc probatur primo ex verbis illis Actorum 1. *Cœperunt loqui variis linguis*: ergo ipsorum lingua non fuit una, & quidem una fuisset, si ipsorum fuisset materna, & naturalis lingua, quia hæc una erat: ergo fuerunt variæ, scilicet, variarum Nationum linguæ. Secũdo Marci 16. legitur, Christum promisisse Apostolis, *ut linguis loquerentur novis*: ergo non fuit lingua illa, qua antecedenter loquebantur; hæc enim non fuisset nova. Tertio probatur ratione, quia si Apostoli loquuti fuissent propria, & naturali lingua, & eos populi aliarum Nationum intellexissent, miraculum fuisset potius, in Audientibus, quam in Loquentibus, & potius in auribus illorum, quam in horum linguis.

Ad III. difficultatem respondemus, quod non soli Apostoli, sed illi omnes, qui in Cœnaculo sedebant, & qui Spiritum Sanctum acceperant, linguarum donum a Deo habuerunt. Et I. probatur; quia Actorum 2. dicitur *Repleti sunt omnes Spiritus Sancto, & cœperunt loqui variis linguis*; quæ verba de omnibus, qui in Cœnaculo positi erant, opus est ut communiter intelligantur. II. quia postmodum quando per manus Apostolorum Spiritus Sanctus conferebatur, etiam privati fideles, & non destinati ad Apostolicum munus, etiam Gentiles, nuper baptizati, & confirmati, linguarum donum a Deo percipiebant: ergo multo magis illi, qui in Cœnaculo erant, & effusionem Spiritus Sancti receperunt. Antecedens probatur Actorum 10., ubi legitur: *Obstupuerunt ex Circumcisione fideles, qui venerant cum Petro, quia & in Nationes gratia Spiritus Sancti effusa est: audiebant enim illos loquentes linguis, & magnificantes Deum*. III. ex Augustino serm. 186. de tempore cap. 2. *Omnes, qui aderant* (in Cœnaculo) *unam linguam didicerant. Venit Spiritus Sanctus, impleti sunt, cœperunt loqui linguis variis omnium Gentium, quas non noverant, nec didicerant. Sed docebat ille, qui venerat, intravit, impleti sunt, fudit. Et tunc hoc erat signum, quicunque accipiebat Spiritum Sanctum, subito impletus Spiritus linguis omnium loquebatur, non illi solum centum viginti. Docent nos Litteræ ipsæ, postea crediderunt homines, baptizati sunt, acceperunt Spiritum Sanctum, linguis omnium Gentium loquuti sunt*.

Opponunt I. Communis tantum messis ex lege erat Sabbato vetita, non autem messis illa peculiaris manipuli, qui in Templo offerendus erat secunda die Azymorum: ergo non subsistit sententia de die Pentecostes, quam nos ex Baronio, & Bellarmino, sequuti fuimus. Probatur antecedens ex R. Moyse Ægyptio In Comment. super Misna, & in lib. Jad Akazzacbà: *Quantum ad manipulum attinet, qui offerebatur secunda die Azymorum, meti ille, & colligi debebat nocte diem decimam sextam præcedente. Metebatur autem, quanquam dies sabbati esset. Nec solum hoc erat licitum, sed etiam præceptum*. Et ex Abacot Temidim cap. 7 ex tract. Manahot pag. 61., ubi distinctè habetur: *Generatim quidem opus omne, quod ante Sabbati diem fieri posset, ante diem Sabbati fieri debuisse: excepto tamen præcepto de metendo manipulo, qui etiam nocte ipsa Sabbati metendus erat*. II. Messio manipuli quum fieret, ut Deo afferretur, non erat opus servile, sed actus religionis: ergo non erat in die Sabbati prohibita. Probatur consequentia. Multa in Templo fiebant in die Sabbati, quæ in privatis domibus fieri non poterant; videlicet componere, & accendere ignem ad sacrificia; & hoc nonnisi, quam quia in Templo erant actus religionis, in privatis vero ædibus erant opera servilia. III Non erat impossibile apud Judæos, aliquos esse ebrios a primo Solis ortu, multos enim ebriosos nos videmus, qui a summo mane ebrii sunt: ergo ratio illa Petri, qua probabat, Apostolos non esse Ebrios, quia erat hora diei tertia, non subsistit. IV. Super illos descendit Spiritus Sanctus, quibus datum est præceptum, ne ab Jerosolymis discederent, donec in eos Spiritus Sanctus veniret; Sed hoc præceptum Actorum 1. solis Apostolis datum est: ergo super solos Apostolos Spiritus Sanctus descendit. V. Plures Patres linguas dispertitas intelligunt pro discissis, atque divisis, non vero pro distributis super Apostolorum capita, & sunt Cyprianus

lib. 3. testimoniorum ad Quirinum cap. 101., Augustinus lib. 5. de Actis cum Felice Manichæo cap.5., & Idacius Clarus lib.3.adversus Varimadum Arianum, aliique cum ipso, verba illa Actorum 2. *Apparuerunt illis dispertitæ linguæ tanquam ignis*, legunt: *Visæ illis linguæ, divisæ sicut ignis*; accedit vetus Translatio, quæ habet: *visæ sunt illis dissectæ linguæ velut igneæ*. Insuper Scholion Vatabli, & Hugo a S. Charo Cardinalis, explicant: *dispertitæ linguæ*, idest, *divisæ*. Denique Græcus Textus verba illa, quæ sunt in Vulgata Versione: *apparuerunt illis*, sic legit: ὤφθησαν αὐτοῖς; & alia verba; *dispertitæ linguæ*; διαμεριζόμεναι γλῶσσαι; scilicet dissectæ in duas partes: ergo non fuerunt distributæ, sed dissectæ; & quidem dissectæ in oribus, non in capitibus. VI. Si verbum illud *seditque supra singulos eorum* intelligendum esset de linguis, fuisset Grammaticæ error; debuisset enim potius dicere: *sederunt*, quam *sedit*: ergo intelligendum est de Spiritu Sancto, qui sedit super Apostolos, & non de linguis, quas vulgo dicitur super Apostolorum capita apparuisse; & hoc confirmat Chrysostomus homil. 4 in Acta: *Insedit singulis illorum Spiritus Sanctus; hoc est mansit apud illos, & in illis requievit. Nam sedendi verbum stabilitatem ac mensionem declarat*. Hoc autem pariter observarunt Laurentius Valla in cap. 2. Actorum: *Erant autem linguæ eorum, & multifidæ, & velut igneæ, ad significandam idiomatum varietatem; non linguæ igneæ super vertices eorum, ut quidam volunt*. Et Philippus Rohr in Pictore errante cap. 26. *Conspectæ sunt illis, non super illos, aut in Capitibus illorum, linguæ, quæ in proprio stant significatu, a quo, nisi urgeat necessitas, non est recedendum*. Et Ursinus lib. 6. Analectorum cap.38. VII. Petrus, & Paulus, utebantur Interpretibus: ergo omnium linguarum intelligentiam non fuerant assequuti. Probatur antecedens. Iræneus, Melito, Hieronymus, Clemens Alexandrinus, constanter asserunt, Marcum fuisse interpetrem Petri, Titum vero Pauli. Et idem Clemens Alexandrinus lib. 7. Stromatum testatur, quod quando Petrus reliquit Alexandriæ Marcum, usus est Glautia interprete. VIII. Paulus 2. ad Corinth. cap. 2. scribit: *Cum venissem Troadem propter Evangelium Christi, & Ostium mihi apertum esset in Domino, non habui requiem Spiritui meo, eo quod non invenissem Titum, fratrem meum, sed valefaciens, profectus sum in Macedoniam*. Hæc verba sic intelliguntur a Hieronymo epist. 150. ad Hedibiam qu. 11. quod Apostolus doleret, se non habere Titum pro interprete, ac proinde Troade pro Concione dicere non poterat; *quia prædicationis suæ fistulam, organumque, per quod Christum caneret, non invenerat*: subdens: *Paulum divinorum sensuum majestatem, digno non potuisse Græci eloquii explicare sermone*. Denique Maximus hic Ecclesiæ Doctor observat, duas Petri Epistolas stylo inter se, & charactere discrepare, structuraque verborum, quod pro rerum necessitate diversis interpretibus in conscribendis Epistolis, usus esset. IX. Ultimis temporibus S. Pater Franciscus de Paula in Gallia, Vincentius Ferrerius in Gallia, & in Italia, & Franciscus Xaverius apud novum Orbem, propria lingua loquebantur, & a dissonis populis intelligebantur: ergo convenientius erat, ut Apostoli idem donum haberent. X. Diodorus Siculus lib.5.cap.ultimo narrat, fuisse homines Insulæ cujuspiam, qui linguam sectilem habebant, & una parte linguæ idiomate uno, altera vero altero loquebantur: ergo conveniens erat, quod Deus efficeret in Apostolis, quod natura in hominibus illis effecerat. XI. Actorum 2. Judæi dicebant: *Nonne ecce omnes isti, qui loquuntur, Galilæi sunt?* At soli Apostoli erant Galilæi: ergo soli Apostoli linguarum donum receperunt. XII. Beda ad illa Actorum verba: *Audivimus unusquisque linguam nostram, in qua nati sumus*; hæc addit: *Aut quia linguis omnibus loquebantur, aut quia sua lingua loquentes, ab omnibus intelligebantur*. XIII. Illi receperunt donum linguarum, qui Evangelium Exteris populis Annunciare debebant; sed B. Virgo, ac piæ mulieres, non debebant hoc munus obire: ergo linguarum donum non receperunt. XIV. Donum linguarum fuit transitorium, non permanens, adeoque non fuit habituale; quod verbis hisce probat Claudius Salmasius in libro, quem edidit de lingua Hellenistica: „Qui putant ab illo „miraculo infusam fuisse virtutem variis „loquendi linguis, quas ipsi non didicissent, & quæ in toto Orbe frequentaban„tur. Non enim verosimile est, ultra „diem illum, durasse vim illam, quam „Spiritus Sanctus iis adflavit, qua linguis „omnibus feruntur loquuti, tantisper lo„cum habituram, quandiu linguæ singu-

lis

„ lis distributæ, super cujusque caput insediffe dicuntur. Ablatis linguis, cessavit „ miraculum, & desierunt loqui. Fama „ est, eos, qui possidentur a Dæmone, „ sæpe multas externas usurpare linguas, „ quas non noverunt, sed inspiratione „ expirata, Dæmonio ejecto, in antiquum „ redeunt, nec amplius sermones illos pro„ fantur, quos, Spiritu maligno effutien„ te, effutiebant. Nec mirabitur ex di„ versa causa produci eundem effectum, „ qui meminerit, quid actum sit circa ba„ culorum in serpentes conversionem, „ tam a Moyse, quam ab Ægyptiis Sapien„ tibus; Spiritus non unus eadem tamen „ operabatur „. Addit etiam idem Hæreticus: „ Apostolos indiguisse interpreti„ bus, Petrum Marco, alios aliis, quippe „ qui vernaculam tantum linguam nove„ rant, Græcæ prorsus ignari, si Paulum „ excipias, qui in Græcia natus linguam „ Græcam æque familiarem habuit, ac Sy„ riacam: Cæteri Apostoli non nisi sero „ admodum eam didicisse videntur, post„ quam jussi sunt ad Gentes pergere „.

XV. Donum linguarum habuerunt tunc temporis illi, qui in Cœnaculo erant, sicut habent Energumeni, qui variis linguis loquuntur; sed Energumeni non habent per modum habitus permanentis, sed per modum transeuntis, quia modo habent, & modo non habent: ergo ita pariter illi habuerunt vel per solam Pentecostes diem, vel quoad usque linguæ super capita ipsorum apparebant.

Respondemus ad I. Sunt illa Rabbinorum commenta, quæ universalis Legis Sabbati sanctificationem per cessationem a laboribus, quæ universalis, & indefinita est, labefactare minime possunt. Si enim illa Rabbinorum commenta vera essent, poterat quisque tunc temporis servilia opera exercere licite in die festo, si hæc opera ad Religionis usum direxisset; nempe vel in Templo ædificatoriam artem exercendo, vel aliam quamcunque fabrilem, quod sane non permittebatur. Cæterum Judæi adeo zelatores erant de Sabbati observantia Christi temporibus, ut aliquando Apostolos accusarent, quod Sabbato spicas evulsissent, ut ex illis triticum colligerent. Iidem quoque Christum interrogarunt, si liceret Sabbato infirmos curare, quod erat magnum charitatis opus. Et multa alia in Scripturis deprehenduntur, quæ illicita ab Hebræis habebantur, quia erant in die Sabbati facta, quanvis facta in Dei honorem, & in proximi salutem fuissent.

Ad II. Eadem est responsio ac ad I.

Ad III. Tunc temporis erat apud Judæos recepta disciplina, & tanquam publica lege probata, qua prohibebatur, ne quis cibum sumeret diebus festis, ac Sabbatis, ante horam sextam. Disciplinæ hujusce, ac quasi Legis, Flavius Josephus in vita sua meminit dicens: *Sexta hora nostros ad prandium vocare solet in Sabbatis*. Et ratio erat, quia diebus illis in Templo Jerosolymitano solemne sacrificium offerebatur, quod circa horam sextam solitum erat consummari, & antequam consummaretur, nefas erat cibum sumere. Et hanc disciplinam tempore suo adhuc vigentem, quando, scilicet, Templum apud Judæos adhuc perseverabat, respexit Petrus, quando dixit: *Non, sicut vos æstimatis, hi ebrii sunt, cum sit hora diei tertia*.

Ad IV. Argumentum valeret si nos diceremus, quod ad aliquos ex Apostolis Spiritus Sanctus non descenderit, quando iis omnibus facta est promissio, se Spiritum Sanctum recepturos, dummodo a Jerosolymis non discederent. At nos non dicimus hoc; concedimus enim, omnes Apostolos Spiritum Sanctum accepisse, qui Jerosolymis permanserunt, donec Spiritus Sanctus descenderet, & contendimus insuper, ad solos Apostolos non descendisse, quia promissio mittendi Spiritum Sanctum ad illos, non facta fuit Apostolis solis, nec pariter fuit facta sub conditione illa, ut hi tantum Spiritum Sanctum acciperent, qui Jerosolymis permanerent.

Ad V. respondet Graveson, quod „ laudati Patres, & Scripturæ Sacræ Interpre„ tes, necnon vetus Translatio, & Textus „ Græcus innuunt quidem, linguas, quæ „ capitibus Apostolorum insidebant, fuis„ se dispertitas, dissectas, divisas, seu in „ fectili forma apparuisse in sensu mox a „ me exposito, sed nullatenus indicant, „ linguas Apostolorum dispertitas, seu di„ visas, ac dissectas in proprio ipsorum „ ore apparuisse, sicut contendunt moder„ ni illi Scriptores, quibus certe non suf„ fragatur consuetudo Ecclesiæ, quæ ad „ exprimendum mysterium illapsus Spiri„ tus Sancti in Apostolos servat antiquas in „ Templis Imagines, quæ repræsentant „ linguas Cœlo delapsas, sursum flamman„ tes, & figura pyramidali e singulorum „ Apostolorum capitibus in acumen sur„ gentes; nullibi autem, quod sciam, vi-

,, funtur in Templis Imagines, in quibus ,, dipingantur linguæ Apostolorum *dispertita*, seu in proprio ipsorum ore discissæ, divisæ, ac dissectæ. Quod quidem ,, argumento est, consuetudinem Ecclesiæ ,, in repræsentatione hujusce miraculi de ,, distributione, seu partitione linguarum, ,, nullatenus favere interpretationi horumce modernorum Scriptorum, qui istud ,, de partitione, seu divisione linguarum ,, in die Pentecostes patratum miraculum, ,, in eo positum dicunt, quod cum omnes ,, Apostoli, aliique sederent in Cœnaculo ,, ad repentinum sonitum advenientis veluti Spiritus vehementis stupentes hærerent, atque attoniti, ore hianti, atque ,, aperto, illorum ipsorum linguæ in ore ,, proprio apparuerint velut igneæ, & quidem *dispertitæ*, seu dissectæ. Huic, inquam, recentiorum Scriptorum interpretationi nullo pacto adstipulatur Ecclesiæ consuetudo, Editionis Vulgatæ, ,, Textusve Græci, ac Sanctorum Patrum ,, authoritas.,,

Ad VI. idem Graveson respondet: ,,Denique, elumbis ac frigida est postremo modernorum Scriptorum conjectura, dum ,, dicunt; incongruam fore hanc S. Lucæ ,, elocutionem: *Et apparuerunt illis dispertitæ linguæ, seditque super singulos eorum*, ,, si revera supra singula Apostolorum capita linguæ dispertitæ, seu distributæ ,, apparuissent. Tunc enim S. Lucas, ut ,, congrua locutione id exprimeret, sic ,, scribere debuisset: *Et apparuerunt illis dispertitæ linguæ, sederuntque super singulos eorum*. Verum futilis est hæc conjectura, primo, quia, ut superius diximus, ,, una erat lingua totalis, in varias licet ,, partiales linguas superne divisa, quæ ,, Apostolorum, aliorumque fidelium in Cœnaculo capitibus insidebat, adeoque ,, Lucas apposite dicit: *Seditque supra singulos eorum*. Secundo, quia cum esset ,, unus Spiritus Sanctus, qui per linguas ,, designatus, in cordibus Apostolorum, ,, proprie loquendo, sedebat, seu habitabat, recte S. Lucas ait: *Seditque supra singulos eorum*. Hinc Ecclesia in Solemni ,, precum Officio tempore Pentecostes publice canit: *Apparuerunt Apostolis dispertitæ linguæ tanquam ignis, seditque supra singulos eorum Spiritus Sanctus*. Cum enim ,, Spiritus Sanctus in Apostolos descendens, debebat constanter, ac perpetuo ,, in eorum cordibus requiescere, ac permanere, de solo Spiritu Sancto proprie ,, dicitur, quod sederit supra singulos eorum, quia, ut inquit S. Chrysostomus ,, homil. 4. in Acta Apostolorum, *sedendi verbum* in proprio sensu acceptum, *stabilitatem, ac mansionem declarat*. Quia ,, autem linguæ igneæ capitibus Apostolorum ad breve dumtaxat temporis intervallum imminere apparuerint, & ,, tanquam symbola fugacia & transitoria ,, cito evanuerint, in sensu tantum latiori, ,, ac minus proprio dicitur, ejusmodi linguas capitibus Apostolorum insedisse. ,, Quo in sensus Interpres Syrus vertit: ,, *Apparuerunt Apostolis dispertitæ linguæ, & sederunt supra singulos eorum*.

Ad VII. respondet Serry Exercit. 63. ,,Apostolos, ac in iis maxime Petrum, & Paulum interpretes habuisse sententiarum, ,, atque doctrinæ, non itidem idiomatis; ,, nisi forte ad elegantiam, atque ornatum. ,, Quæ enim Apostoli afflati Spiritu Sancto plerumque alta, & obscura mysteria ,, eructabant, illi plano, facilique, atque ,, ad captum simplicium accommodato sermone reddebant. Cum enim impetum ,, Spiritus Sancti, quo ducebantur, interdum ,, temperare non possent, altiora, obstrusioraque aliquando fundebant oracula, ,, quorum explanatio Interpretibus relinquebatur. Quæ quidem explanatio ad ,, aliam gratiam gratis datam pertinebat; ,, nempe ad interpretationem sermonum, ,, quæ non semper, omnique momento ,, cum dono linguarum conjuncta erat: ut ,, patet ex 2. Epist. ad Corinth. cap. 14. *Volo autem vos loqui linguis, magis autem prophetare: nam major est, qui prophetat, quam qui loquitur linguis, nisi forte interpretetur..... Qui loquitur lingua, oret, ut interpretetur*. Quare ad id peculiares interpretes constituebantur: interpretes, inquam, non idiomatis, sed doctrinæ, ac ,, sententiarum.,,

Ad VIII. Non dolebat Paulus, quod Titum non invenisset, quia ejus adjutorio pro concione utebatur; sed quia a Tito Ecclesiæ Corinthi statum relationem audire cupiebat; & quum Titus adhuc Corintho reversus non esset, & Troade non inveniretur, non poterat desiderii sui compos fieri, & ideo contristabatur. Hieronymus non intelligendus est de peritia Græci sermonis, sed de elegantia, quam quidem secum non afferebat linguarum donum, quod diximus Apostolis collatum. Et diversitas, quam cognoscit idem Hieronymus inter duas Petri Epistolas, hoc ipsum confirmat; diversitas enim non est in verbis, sed in ele-

gantia

gantia verborum.

Ad IX. Potuerunt quidem Apostoli habere donum illud, quod recentiores Sancti habuerunt, & de facto aliquando habuerunt; quando scilicet Deus hoc necessarium pro populorum utilitate judicavit, & quando Apostoli non poterant ob temporis angustias singulorum interrogationibus respondere; tunc quidem unico idiomate variorum idiomatum hominibus respondebant. Unde cum Beda probabilius judicamus, Apostolos per donum linguarum accepisse hoc duplex donum, & ut omnium linguis loquerentur, & ut sua propria lingua loquentes, ab omnibus intelligerentur.

Ad X. Diodori narrationem, uti fabulam sibilant omnes; at nos revera dicimus, quod Apostoli aliquando habuerunt donum, quo patria, & materna lingua loquentes, a diversarum linguarum gentibus perciperentur, ita quidem, ut si fuissent propria uniuscujusque lingua loquuti.

Ad XI. Apostoli, quia primi fuerunt ex Cœnaculo exeuntes, & primi variis linguis loquentes auditi ab illis, qui ex diversis nationibus tunc temporis Jerosolymis inveniebantur; inde fuit, quod de illis solum loquerentur, qui eos audiebant. Cæterum alii etiam fuerunt auditi variis linguis loquentes, & fortassis etiam alii erant Galilæi, qui non erant Apostoli; Unde illorum admiratio non ad solos Apostolos restringenda est.

Ad XII. Responsio est sicut ad IX.

Ad XIII. B. Virgo utpote Oraculum totius Ecclesiæ, ad quod ex omnibus Orbis partibus fideles accurrebant, ut monita salutis acciperent, & fidei mysteriis imbuerentur, supra Apostolos, & Concionatores omnes, conveniebat, ut linguarum donum possideret. Cæteræ vero piæ mulieres etiam modo suo Christum annunciarunt, & prædicarunt, vel Jerosolymis, vel alibi, ut Massiliæ præsertim Magdalena, & Martha.

Ad XIV. Catholici omnes fatentur, linguarum donum in Apostolis fuisse habituale, & permanens, non vero transiens & ad tempus; & soli Hæretici contrarium sentiunt, ut fuit Salmasius; cui proinde respondet Graveson verbis hisce: „ Sed „ hæc Salmasii sententia sibi non constat, & „ futilibus nititur conjecturis. Vult quippe „ Salmasius, vim illam, qua Apostoli linguis omnibus loquebantur, durasse tan„ tum per diem integram Pentecostes; & „ tamen ait, illam vim, qua instructi sunt „ Apostoli, omnibus linguis loquendi, tan„ tisper locum habuisse, *quandiu linguæ sin„ gulis distributæ, super cujusque caput inse„ disse dicuntur*; itaut ablatis linguis, cessa„ rit miraculum, & linguis desierint loqui. „ Qua in re Salmasius manifesta sese impli„ cat contradictione. Si enim Apostoli va„ riis dumtaxat linguis loquuti sunt, quan„ diu linguæ singulis distributæ super cu„ jusque caput insederunt, ita ut, ablatis „ linguis, cessavit miraculum, & linguis „ desierint loqui, sicut inquit Salmasius, „ sequitur primo, Apostolos omnibus lin„ guis fuisse dumtaxat loquutos, quandiu „ fuerunt in Cœnaculo, & linguæ ignitæ „ super cujusque caput insederunt. Sequi„ tur secundo, Apostolos e Cœnaculo „ egressos, & ablatis linguis igniris, quæ „ tantum in Cœnaculo super cujusque ca„ put insederunt, non amplius linguis fuis„ se locutos. Palam itaque sibi contradicit „ Salmasius, dum ex una parte ait, Apo„ stolos omnibus linguis tantummodo fuis„ se locutos, quandiu linguæ super cujus„ que caput insederunt, itaut, ablatis lin„ guis, cessarit miraculum, & linguis de„ sierint loqui; ex altera vero parte asse„ rit, Apostolos per totam diem Penteco„ stes linguis omnibus fuisse locutos; adeo„ ut verisimile non sit, ultra illam diem „ durasse vim illam, qua a Spiritu Sancto „ donati erant, omnibus linguis loquendi. „ Quo pacto enim potuissent Apostoli per „ totam Pentecostes diem loqui omnibus „ linguis, si verum sit, quod ait Salmasius, „ Apostolos linguis tantummodo fuisse lo„ cutos, quandiu linguæ super cujusque „ caput insederunt itaut, ablatis linguis, „ cessarit miraculum, & linguis desierint „ loqui, cum certum sit, linguas capitibus „ Apostolorum per breve dumtaxat tem„ poris intervallum insedisse, dum adhuc „ erant in Cœnaculo, easque postea eva„ nuisse, seu ablatas fuisse, quando e Cœ„ naculo egressi sunt. „

Ad XV. respondet idem Graveson his verbis: „ Porro exemplum, quod adducit „ Salmasius, petitum ab Energumenis, „ qui a Dæmone obsessi, externas sæpe, „ quas non noverunt, linguas usurpant, „ sed, ejecto Dæmone, his peregrinis lin„ guis loqui cessant, desinuntque illos pro„ fari sermones, quos, Spiritu maligno ef„ futiente, effutiebant: hoc, inquam, „ exemplum a Salmasio adductum, nihil „ prorsus facit ad rem. Quid enim mirum, „ si Energumenus cui Dæmon impartiri

haud

haud poteſt donum linguarum per modum habitus permanentis, eo ſemel ejecto, ceſſet linguis loqui? At contra, Spiritus Sanctus in die Pentecoſtes in Apoſtolos, alioſque Fideles, qui erant in Cœnaculo, illapſus eſt, ut perpetuam in eorum cordibus faceret manſionem, eiſque donum linguarum, quo facilius, ac proprius apud omnes Nationes Evangelium prædicarent, inſtar habitus permanentis, conceſſit. Prætcrquam quod, una eſt omnium ſententia, donum linguarum per modum habitus permanentis conceſſum, non eſſe gratiam gratum facientem, ſeu gratiam ſanctificantem eos, quibus datur; ſed eſſe dumtaxat gratiam gratis datam, cujus etiam participes poſſunt eſſe hi, in quorum cordibus per gratiam ſanctificantem non inhabitat Spiritus Sanctus, ſicut mox uberius exponemus. Hoc itaque exemplum, petitum ab Energumenis, ſeu ab his, qui a Dæmone poſſidentur, quod ad ſuam ſuffulciendam ſententiam perperam adducit Salmaſius, nihil omnino facit ad rem, ac ne vel minimam quidem ingerit difficultatem. At, ut candide fatear, id, quod ultimo loco profert ille Hæreticus, videlicet Apoſtolos in miniſterio Apoſtolico obeundo, Interpretibus indiguiſſe, id, inquam, haud mediocrem patitur difficultatem, in qua dilucidanda paululum hic immorari debemus. Si enim, ut diximus Apoſtoli donum linguarum, ſeu vim variis linguis loquendi per modum habitus permanentis acceperunt, quorſum igitur in obeundo Apoſtolico miniſterio, Interpretibus opus habuerunt? Nec certo ullo pacto negare poſſumus, Apoſtolos fuiſſe Interpretibus uſos, cum vulgata ſit ſententia Sanctorum Patrum, Irenæi, Melitonis, Hieronymi, Clementis Alexandrini, S.Marcum fuiſſe interpretem S.Petri, & Titum interpretem S.Pauli. Quin & Clemens Alexandrinus lib. 7. ſtromatum addit, Marco tandem Alexandriæ relicto, Glautiam interpretem S. Petro adfuiſſe. Paulus etiam epiſtola 2. ad Corinth. cap. 2. hæc ſcribit: *Cum veniſſem Troadem propter Evangelium Christi, & oſtium mihi apertum eſſet in Domino, non habui requiem ſpiritui meo, eo quod non inveniſſem Titum fratrem meum, ſed valefaciens, profectus ſum in Macedoniam*. Quem locum interpretans S.Hieronymus in Epiſt. ad Hedibiam qu. 11. ait, *Paulum divinorum ſenſuum majeſtatem divino non potuiſſe græci eloquii explicare ſermone*. Obſervat etiam S. ille Doctor, geminas, quas habemus S.Petri Epiſtolas, *ſtylo inter ſe, & charactere diſcrepare, ſtructuramque verborum, quod pro rerum neceſſitate diverſis interpretibus, in conſcribendis epiſtolis uſus eſſet*, non poteſt igitur ullo pacto negari, Apoſtolos fuiſſe interpretibus uſos. Quapropter nunc nobis explicandum incumbit, qua ratione, quove titulo Apoſtoli, quos donum linguarum, ſeu vim omnibus linguis loquendi, per modum habitus permanentis accepiſſe diximus, nihiluſecius ſive in concionibus habendis, ſive in conſcribendis Epiſtolis interpretibus uterentur? »

DISSERTATIO CCL.

De B. Virginis morte, ejusque Assumptione. An B. Virgo fuerit Ephesi, vel Jerosolymis mortua? Quo anno & vitæ suæ, & Christi? Quo mortis genere, & quo funere? An assumpta fuerit in Cœlum anima tantum, vel etiam corpore? Et qua censura notandi sint hoc ipsum negantes?

PRIMO S. Epiphanius mortem B. Mariæ Virginis nec aperte affirmavit, nec aperte negavit, sed de ea dubitavit; & de ea se dubitare affirmavit, quia Scripturæ silent. Hæc sunt sua verba hæresi 78. ex versione Jani Cornarii: *Quærant vestigia Scripturarum, & invenient utique, neque mortem Mariæ, neque an mortua sit, an non mortua; neque an sepulta sit, an non sepulta..... Non omnino definiobor, & non dico, quod immortalis mansit; sed neque affirmo, an mortua sit. Excellit enim Scriptura mentem humanam, & in suspenso reliquit propter vas pretiosum, & excellentissimum, ut ne quis ad suspicionem veniat carnalium de ipsa rerum. Sive igitur mortua est, non novimus; sive sepulta est, non copulata fuit carni, absit.*

Secundo, Alii, quos enumerat Franciscus Macedo tom. 1. de clavibus Petri lib. 4. par. 2. de peccato originali sect. 3., expresse negarunt Deiparæ mortem; ex eo quia non contraxerit originale peccatum, cujus pœna fuit mors.

Tertio, Alii etiam ab eodem Macedo recensiti voluerunt, B. Virginem non fuisse mortuam, quia major, & dignior fuerat Enocho, Elia, ac ipso Joanne Evangelista, quos non mortuos volunt, sed translatos.

Quarto, communius cæteri docent, B. Virginem fuisse mortuam, & post tertium diem resurrexisse, & in Cœlum fuisse assumptam. Cum quibus

Dicimus I. B. Virginem vere fuisse mortuam.

I. Probatur ex Ecclesiæ mente, quæ in oratione secreta Missæ Assumptionis Mariæ nobis hæc verba dicenda præcepit: *Subveniat, Domine, plebi tuæ Dei Genitricis oratio: quam etsi pro conditione carnis migrasse cognoscimus; in cælesti gloria apud te pro nobis intercedere sentiamus.* Item ex Sacramentario Gregorii Magni in ejusdem Assumptionis festo hæc verba recitant plerique: *Sancta Dei Genitrix Virgo mortem subiit temporalem.*

II. Probatur ex Patribus. Germanus, Patriarcha Constantinopolitanus orat. de obdormitione Virginis: *Semper vivit tuus Spiritus, & caro tua in sepulchro corruptionem non sustinuit.* Damascenus serm. de dormitione Sanctissimæ Dominæ nostræ Deiparæ cap. 14. *Sanctissimum Mariæ corpus præclarissimo imponitur monumento; sed hinc tertio die ad cursus Cælestes in Cælestia transfertur curricula.* Gregorius Magnus lib. Sacramentorum in die Assumptionis Mariæ: *Veneranda nobis, Domine, est hujus diei festivitas, in qua S. Dei Genitrix mortem subiit temporalem, nec tamen mortis nexibus deprimi potuit, quæ filium tuum, Dominum nostrum de se genuit incarnatum.* Anselmus ad cap. 1. Epistolæ ad Galatas: *Quia Joannes ibi deerat, credimus Matrem Domini jam in Cælum tunc assumptam fuisse, cujus sepulchrum ostenditur in Valle Josaphat.*

III. Probatur. In Scripturis legitur lex generalis de morte omnium, qui nascuntur, & vivunt, & non est peculiare privilegium, quod Mariam ab hac generali lege eximat: ergo in Scripturis saltem implicite continetur Mariæ mors. Probatur antecedens. Psalm. 88. habetur: *Quis est homo, qui vivet, & non videbit mortem?* Et ad Hebræos 9. *Statutum est omnibus hominibus semel mori.* Si autem Scripturæ novi Testamenti debuissent de Mariæ morte loqui, hæc vel fuissent Evangelium, vel Apostolorum Acta;

sed

sed scopus Evangelii erat narrare gesta Christi, quod perfecit usque ad ejus ascensum, non autem vitam, & mortem Mariæ: Et Actorum liber Apostolorum gesta commemorat, omnium quidem usque ad dispersionem, & Petri, & Pauli speciatim, usque ad quartum Neronis annum circiter, & ad annum Christi 62. ergo neque etiam Lucas in Apostolorum Actis pro instituto sibi proposuit Mariæ gesta, ejusque vitam, & mortem, enarrare: ergo non mirum, si in his novi Testamenti libris Mariæ mors non invenitur.

IV. Probatur. Si Maria Virgo non fuisset mortua, ideo esset, quia peccatum originis non contraxit, cujus pœna dicitur mors; sed hæc ratio non concludit: ergo, &c. Probatur minor. Mors spectari potest, & ut est conditio humanæ naturæ ex contrariis qualitatibus compositæ, vel ut est amissio privilegii immortalitatis ex originalis peccati pœna: sed sufficit prima consideratio, ut contrahatur mors, absque eo quod verificetur secunda: ergo, &c. Probatur minor. Christus omnino immunis fuit ad omni originalis culpæ labe, & nihilominus mortem subiit; *quia*, ut ait Augustinus lib. 2. de peccatorum meritis, & remissione cap. 29., *Quia in eo erat similitudo carnis peccati, mutationes ætatum perpeti voluit ab ipsa exorsus infantia, ut ad mortem videatur, etiam senescendo, illa caro pervenire potuisse, nisi juvenis fuisset occisus.* Ad hæc addit Serry exercit. 65. „ Altera solvendi nodi via est, dum inquiunt: mortem „ humanæ naturæ pœnam esse ex Adami „ peccato consecutam, ut ab ipso actu admissum est, non ut est transfusum in posteros. Ex hoc enim unico actu Protoparentis tota natura immortalitatis privilegio exuta est: *in quacunque die comederitis, morte moriemini* Genes. 2. Adeoque nihil mirum, si etiam morti obnoxia fuerit, in quam hæreditaria illa culpa carnali propagatione transfusa non sit. „

V. Probatur. Exemplum, quod adducitur Enochi, Eliæ, & Joannis Evangelistæ, ad probandum, B. Virginem non fuisse mortuam, non est ad rem: ergo vere B. Virgo mortua fuit. Probatur antecedens. Enochus, & Elias primo non sunt translati in Cœlestem Patriam, sed in aliquem amænum locum; secundo, quamvis non sint mortui, mortem tamen subibunt aliquando, antequam beatam æternitatem consequantur: ergo ipsorum exempla non sunt ad rem. De Joanne autem Evangelista laudatus Serry hæc subdit citato loco: „ Nec alia Joannis Evangelistæ sors erit, si (quod Hilario, Ephræmo Antiocheno, Gregorio Nazianzeno, Eliæ Cretensi, Joanni Damasceno, Andreæ, & Aretæ Cæsariensibus, aliisque nonnullis visum est) morte non oppetita translatus alicubi vivit, adversus Antichristum depugnaturus. Sed hanc falsam opinionem esse, ex præpostera Christi oraculi (Joannis 21. *Sic eum volo manere, donec veniam*) intelligentia derivatam, evincit antiquorum Patrum auctoritas, qui Joannem re ipsa mortuum, & Ephesi sepultum tradiderunt; ut Polycarpus Joannis ipsius discipulus, Polycrates Ephesius, Tertullianus, Irenæus, Eusebius, Hieronymus, Augustinus, Cyrillus Alexandrinus, Joannes Chrysostomus, ipsaque Synodus Oecumenica Ephesina, cujus suffragium paulo post expendemus. „

VI. Probatur rationibus, quas affert Suarez 3. p. q. 37. art. 4. disp. 21. sect. 1. I. B. Virgo fuit similis in omnibus, quæ Christum non dedecebant, ipsimet Christo. Sed Christus mortuus est: ergo etiam decuit, ut B. Virgo moreretur. II. B. Virgo fuit redempta a Christo, & eguit Christi morte, ut redemptionis ipsius fructum perciperet; sed non potuisset ostendi redempta a Christo, nisi fuisset mortua: ergo ex hoc etiam decuit ut moreretur. III. Apud Epiphanium fuerunt Hæretici, qui dixerunt, B. Virginem fuisse cœlestis, & Angelicæ naturæ; ergo ut istorum error confoderetur, conveniebat, B. Virginem mori; quod & docuit S. Thomas in 3. dist. 4. qu. 2. art. 1. IV. Mors nullam imperfectionem includit, quæ B. Virginem dedeceat; quin potius dato etiam, quod sit pœna, includit meritum, quando quis, se divinæ voluntati subjiciens, moritur, & lætus animam Deo offert; unde dicitur Psalm. 115. *Pretiosa in conspectu Domini mors Sanctorum ejus*: ergo ex hoc quoque apparet, nullam fuisse caussam, ob quam fuerit B. Virgo a mortis lege exempta, & ab ejusdem pœna præservata.

Pro altera Dissertationis parte, ubinam scilicet fuerit mortua, Ephesi, an Jerosolymis, jam ex ipsiusmet quæsiti tenore apparet, duas circa hoc fuisse, & esse opiniones, quarum una sustinet Ephesi, altera vero Jerosolymis, B. Virginem fuisse

se mortuam. De anno vero, quo mortua sit, Scriptores non convenire, satis est perspicuum; quum annos vitæ Virginis alii plus æquo producant, alii vero minuant citra rationem. Ac denique Scriptores fuerunt mediæ quidem ætatis, qui Virginem mortis gladio, martyrioque, sublatam consequenter dixerunt, ut legitur apud Isidorum lib. de vita, & morte Sanctorum cap. 68., & apud Bedam in cap. 2. Lucæ; quum ex alia parte cæteri fere omnes Scriptores asserant, Virginem placida morte obiisse. Denique de Virginis funere inquirendum venit, an vera sint, quæ a Melitone narrantur de Apostolis, qui vocati ex diversis orbis partibus, in quibus concionantes inveniebantur, B. Virginis funeri interfuerunt, illudque cœlestibus cantionibus a Deo decoratum, suis etiam laudibus extulerunt. Et quidem de his omnibus difficile admodum est judicium ferre, quum sincera non sint quæ adduci solent monumenta ad ea probanda, quæ a contendentibus partibus asseruntur; quin potius dubiæ fidei, & adeo quidem incerta, ut supposita dicantur; quod præ cæteris ex Baronio asseruit Possevinus tom. 2. Apparatus Sacri in Maria Virgine, verbis hisce: „ Quæ dicuntur de morte, & „ vita Mariæ: e Nicephoro, & Damasce„ no de dormitione ejus: ex Athanasio de „ Assumptione: (ubi item agitur de Apo„ stolis ad mortem illius convolantibus:) „ ex Dionysio de Divinis Nominibus: ex „ Hieronymo de Transitu Mariæ, & de „ plerisque hujusmodi; ea probat Baro„ nius Cardinalis, esse aut commenta, aut „ apocrypha mera: neque vero Athanasii, „ neque Hieronymi unquam illa scripta „ fuisse. „

Dicimus II. B. Virginem Deiparam, non Jerosolymis, sed Ephesi fuisse mortuam; anno ætatis suæ septuagesimo tertio, Christi vero quinquagesimo nono; non quidem violenta, sed placida morte, & amoris potius, quam vi morbi; funere vero, quod Ephesi Fideles ipsi paraverunt.

Prima Conclusionis pars ex quatuor, quas continet, probatur I. Si B. Virgo fuisset Jerosolymis, & non Ephesi, mortua, ideo esset, quia antiquorum Scriptorum monumenta hoc evincunt; sed hoc est falsum: ergo &c. Probatur minor. Antiquorum Scriptorum monumenta, quæ producuntur, vel sunt supposita, vel sunt dubiæ fidei; sed falsum est quodcunque ex hujuscemodi monumentis eruitur; ergo illud est falsum. Probatur major. Primo, producitur liber, qui appellatur Transitus, idest, Assumptio B. Virginis; sed hunc librum Gelasius, Romanus Pontifex, in Concilio Romano apocryphum pronunciavit; fuit enim a Græcis fraudulenter seculo quinto affictus Melitoni, Sardensi in Asia Episcopo. Secundo, dubiæ fidei sunt libri de divinis nominibus, de cœlesti, & Ecclesiastica Hierarchia, ac de mystica Theologia, qui eodem seculo Dionysio Areopagitæ suppositi fuerunt. Tertio, apocryphus est quoque liber, seu sermo de Assumptione, qui a quibusdam tribuitur Hieronymo, & ab aliis Sophronio, illius amico, quanvis in Hieronymi Appendicibus legatur, & post Nestorianam, & Euthychianam hæresim, lucem vidit. Quarto, Apocryphi sunt quoque Sermones ejusdem argumenti, qui Athanasio, & Augustino, tribuuntur, ut Critici omnes Eruditi fatentur.

II. Probatur. Ad probandum B. Virginem fuisse Jerosolymis mortuam desumunt Adversarii forte, ut ipsis videtur, argumentum ex Virginis sepulchro, quod Jerosolymis extare credebatur; atqui hoc fundamentum inane quoque est; ergo &c. Probatur minor. Sepulchri istius memoria ante annum 451. nunquam audita est; etenim Marcianus Imperator, & Pulcheria Augusta, qui sollicitudinem habebant hac de re, Juvenali, Episcopo Jerosolymitano, scripserunt, ut illis de Virginis corpore notitiam aliquam daret, & Juvenalis respondit, quod Marianum sepulchrum Gethsemani juxta Jerosolymam inveniebatur, at inane prorsus, & vacuum. Verum in hoc plura desiderantur, ut facti genuinitas comprobetur; Primum, quod certo non constat de hujusmodi Juvenalis responsione; testis enim illius solus producitur Euthymius, ignotus Scriptor apud antiquos, & nullius authoritatis, ex quo deinde testimonium sumpserunt Scriptores recentes, & mediæ ætatis, nimirum Joannes Damascenus, Andreas Cretensis, Nicephorus Callixtus, aliique novi Scriptores. Secundo, admisso, quod Juvenalis responsum illud dedisset, illud tamen fidem facere non deberet iis, qui sciunt, Juvenalem fuisse lubricæ fidei virum, excitatorem turbarum in latrocinio Ephesino, & instrumentorum falsatorem manifestum, uti eum aperte proclamant

Leo Magnus, & S. Cyrillus Aleaandrinus.

III. Probatur. Hieronymus diu Jerosolymis vixit, & Epiphanius non longe a Jerosolymis vivebat; ambo sacra loca Palestinæ & visitarunt, & descripserunt; & nihilominus nec verbum de Viegini tumulo fecerunt, quemadmodum neque fecerunt Eusebius, Theodoretus, & Sozomenus. Immo Leo Magnus anno tertio circiter post responsum, quod dicitur a Juvenale Marciano datum, eidem Juvenali scripsit Epistolam, in qua agit ex instituto de sacris Jerosolymorum locis, & nihllominus de Virginia Sepulchro omnino silet.

IV. Probatur. Concilium Generale Ephesinum, anno 431. celebratum, in Epistola Synodica ad Clerum, & Populum Constantinopolitanum, asserit, Nestorium fuisse damnatum in Urbe Ephesi, *in qua Theologus Joannes, & Dei Genitrix Virgo Sancta Maria*; sed in his verbis subintelligitur *est*; & quidem non solum justa Græcæ, & Latinæ Grammaticæ leges, sed pariter ad elegantiam; & per verbum est nequit importari, quod ibi tunc fuerint, sed quod fuerint aliquando humati: ergo vere sepulchrum Virginis fuit Ephesi, & non Jerosolymis: ergo Ephesi, & non Jerosolymis B. Virgo mortua est.

V. Probatur. B. Virgo aliquando Ephesi habitavit, simul cum Joanne, qui eam receperat in suam, quod ab omnibus admittitur: ergo si Ephesi vixit, Ephesi quoque mortua est, & sepulta; ut enim ait Serry exercit. 65. n. 5. „Si Ephesi Deipara aliquando habitavit, Joannem utique secuta, qui eam in sua officia, & obsequia receperat: quod alii non ægre concedunt; quid tam naturale est, quam ut illic quoque mortua sit, ac sepulta? Cum & tunc ultimum vitæ cardinem premeret; nec nisi ægre Jerosolymam redire posset, extremum illic diem obitura."

Secunda Conclusionis pars probatur. Circa annum, quo B. Virgo mortua est, tum vitæ ipsius, tum Christi, fuse nos scripsimus in secunda parte Operis, cui titulum dedimus: *Difesa della Sagra Lettera, scritta da Maria Vergine a' Messinesi Dissert.* 1., ubi plures, easque varias opiniones retulimus; illam tamen, quam in Conclusione posuimus, amplexi sumus; eamque diximus fuisse S. Epiphanii apud S. Antoninum prima parte Historiæ tit. 6. cap. 3. Hæc sunt verba Antonini: *Dicit Epiphanius, B. Virginem decimoquarta anno ætatis suæ Christum concepisse; in decimoquinto pperisse: XXXIII. annis cum Filio fuisse: Et post Ascensionem Filii XXIV. supervixisse; qui numeri simul juncti, constituunt septuaginta duos annos.* His adhærent Cedrenus, Baronius, & Suarez 3. p. q. 37. art. 4. disp. 21. sect. 1. cujus verba sunt: „Ultima vero sententia, quæ in re ambigua verisimilior videtur, est, B. Virginem, mortuam fuisse anno ætatis septuagesimosecundo. Ita sensit dictus Epiphanius presbyter, & Cedrenus in Compendio historiæ, & insinuat Andreas Cretensis serm. de dormitione Deiparæ, dum inquit pervenisse Virginem *ad summam ætatem*." Et Cornelius a Lapide ad cap. 21. v. 17. Actorum Apostolorum, cujus verba pariter hæc sunt: *Hoc pariter anno Christi quinquagesimooctavo, a passione vigesimoquarto, ætatis suæ septuagesimosecundo Virgo Deipara ex Hierusalem terrestri concessit ad cælestem.* Hanc pariter sententiam amplexatus fuit S. M. Romanus Pontifex Benedictus XIII. in suis sermonibus Marianis serm. 46. quem nos citato loco laudavimus; ubi pariter observationem hanc, notatu dignam, fecimus, quam hic exscribimus: „La varietà di un' anno più o meno, nulla fa ne' somiglianti casi, poiche sovente avviene, che l'anno cominciato si prenda per finito, e 'l non finito, e sol cominciato, non si prenda in verun modo. Dunque stando nell'anno cinquantesimoottavo in cinquantesimonono, in cui predicò l'Appostolo in Messina, si può ben l'epoca accordare, che nel medesimo anno finisse ancora di vivere. Questa oppinione, che dà a Maria settantadue in settantatre anni vien detta da Benedetto XIII. *Sentenza da Moderni comunemente abbracciata*. E soggiugne: *Basti per tutti gli Storici, il citare il gran Padre degli Annali Ecclesiastici all' anno 48. n. 6. Per gli Teologi, il P. Suarez in 3. p. S. Th. disp. 21. sect. 1. E per gli Scritturali, su gli Atti Appostolici, il P. a Lapide*. Egli stesso cita pure S. Antonino, Arcivescovo di Firenze, sebben sopra diversamente fosse stato da noi rapportato, come citatò dal P. Jacopo Giacinto Serry, nelle sue Esercitazioni Storiche Critiche Polemiche, all' esercitazione sessantesima quinta."

Tertia Conclusionis pars probatur I. ex Ambrosio lib. 2. in Lucam ad cap. 2. dicente: *Nec littera, nec historia docet ex hac vita Mariam corporalis necis passione*

mi-

migrasse. II. Ideo aliqui modernæ ætatis Scriptores apud Isidorum lib. de vita, & morte Sanctorum cap. 68., & apud Bedam in cap. 2. Lucæ dixerunt, B. Virginem gladii mortem sustinisse, quia Simeon Lucæ 2. ei dixerat: *Tuam ipsius animam pertransibit gladius*; & per hoc voluerunt, quod ipsa per martyrium mortua sit; sed Simeonis verba intelligi debent mystice, & non litteraliter; in quantum scilicet dolor ipsius superavit dolores omnium Martyrum, & pœna, quam ob passionem, & mortem Christi sustinuit, fuit omni martyrio acerbior: ergo non est cur recurramus ad corporalem gladii mortem, ut Simeonis verba verificentur. III. Simeon non dixit: *Et tuum corpus pertransibit gladius, sed tuam animam*: ergo dolor ipsius fuit Spiritualis, non corporalis, & gladius, qui eam transfixit, non fuit materialis, sed solus animi dolor. IV. Etsi fuerit intensissimus dolor ob passionem, & mortem Christi, non tamen illa legitur, quod mortua fuerit hujusmodi doloris caussa: ergo non violenta, sed placida morte obiit; & quidem vi amoris, ut de S. Matre Teresia in Ecclesiæ fastis dicitur, & multo magis de B. Virgine dicendum est.

Pro ultima tandem Conclusionis parte, a Serry exscribimus quæ sequuntur: „ A „ quibus demum, & quo apparatu curatum „ sit funus ejus, amplum dicendi argumen- „ tum esset, si Pseudo-Melitonis, & Pseu- „ do Dionysii memoratos libros, Tra- „ ctatusve, atque Sermones de *Assumptio-* „ *ne* Athanasio, Hieronymo, Augustino, „ a nebulonibus affictos transcribere vel- „ lemus; quibus Apostoli ex universis, quas „ jam adierant, Mundi partibus ad de- „ cumbentis stratum acciti, & momento „ temporis in sublime elati, & factæ visio- „ nis Angelicæ, & cœlestes cantus ad to- „ tos tres dies auditi referuntur: idque „ quod notandum magis, anno dumtaxat „ altero post Christi in Cœlos ascensum; „ (sic enim Pseudo-Meliton scribit) quo „ necdum tempore egressos Jerosolymis, „ perque varias Orbis partes dispersos Apo- „ stolos scribit Lucas in Actis cap. 8. At ut „ nemo jam eruditorum est, qui spuria „ illa, & apocrypha instrumenta (quibus „ oscitanter, & inconsiderate mediæ æta- „ tis Scriptores tam multi delusi sunt) non „ rejiciat, & ad quisquilias non amandet; „ silere de curato funere satius est, quam „ pias gerras, ac nænias, a Venerabili „ Beda data Opera confutatas, credulis „ auditoribus occentare. Ac licet verisi- „ millimum fateamur, Deum felicem Vir- „ ginis transitum ostentis, ac prodigiis „ omnium maximis celebrasse: id enim il- „ lius dignitas postulabat, quæ solo minor „ est Deo: quæ tamen ostenta illa fuerint, „ quæ prodigia, silentibus probatis histo- „ riis, ignorare nos ingenue profitemur. „ Unum tantum (ad fabulas quantum fieri „ potest, procul amovendas) addere non „ gravabimur: prodigialem illum Aposto- „ lorum ad Virginis exequias convolan- „ tium accessum, Pseudo Dionysii suffra- „ gio, & auctoritate minime niti: quan- „ quam illius in eo referendo commento „ nomen ostentent, Joannes Damascenus, „ & Simeon Metaphrastes in orationibus „ de *Dormitione Deiparæ*, & Nicephorus „ Callixtus lib. 2. Histor. cap. 20. Quod „ enim cap. 3. *de divinis nominibus* habet „ Pseudo-Dionysius, non de Virginis cor- „ pore, ad quod conspiciendum accesse- „ rint, dictum est; sed de Christi Domini „ sepulchro. Indeque natus est error: quod „ *σώματος* pro, *σήματος* in Græco Textu „ legerint laudati Scriptores, & corpus fe- „ cerint ex sepulchro; corpus, scilicet, „ Virginis ex Sepulchro Christi Domini. „ Quæ virorum eruditorum Claudii Jolli, „ Jacobi Combefisii, Ludovici Thomassini, „ Tillemontii observatio est; S. Maximi, „ & Hincmari Rhemensium Archiepiscopi „ auctoritate roborata, qui *sepulchrum* diu „ olim legerunt, non *corpus* *σῆμα* Græce, „ non *σῶμα*. En Pseudo-Dionysii conce- „ ptissima verba: *Apud ipsos etiam Pontifi-* „ *ces nostros, qui nomine divino permoti erant;* „ *cum & nos, ut scis & tu, & multi ex San-* „ *ctis fratribus nostris sepulchri*, (non cor- „ poris) *quod Auctorem vitæ, Deumque re-* „ *cepisset, videndi causa convenissemus; ade-* „ *rat autem, & Jacobus frater Domini, &* „ *Petrus, maximum antiquissimumque Theo-* „ *logorum columen, placuissetque eo viso ab* „ *omnibus Pontificibus, ut quisque idoneus* „ *erat, infinita potentia præditam bonitatem* „ *divinæ imbecillitatis laudari*. Quæ verba „ de viso Christi sepulchro, non de viso „ Deiparæ corpore esse intelligenda ipsa „ etiam rei ratio postulat; quanquam nulla „ summorum virorum suffragaretur aucto- „ ritas. Quid enim est, quod, eo viso, „ laudasse dicuntur Apostoli *bonitatem di-* „ *vinæ imbecillitatis*; nisi quod assumptæ „ a Deo imbecillitatis fuit, quod mortuus „ sit Christus, atque adeo sepultus? *Cruci-* „ *fixus est ex infirmitate, sed vivit in virtu-* „ *te* 2. Cor. 13. v. 4. Imo tametsi *corpus*,

„ non *sepulchrum*, σῶμα, non σῆμα in „ ea Pseudo-Dionysii lascinia legeremus; „ non illico ad Deiparæ extremæ decumbentis corpus necessario trahendum esset; „ ad quod visendum Apostoli toto jam Orbe dispersi, ingenti portento convolarint; sed ad ipsum Christi Domini corpus multo certius traheretur; ad quod „ post peractam resurrectionem contuendum, Apostoli cum aliis plerisque Fidelibus accesserunt, ut de patrato miraculo „ proprio oculorum experimento certiores fierent: Hanc enim loci hujus expositionem, uti præ cæteris congruentem „ dedit Doctor Angelicus; qui pro ætatis „ suæ genio librum illum Magni Areopagitæ esse credidit, & commentariis illustravit. *Dico ergo primo, quod ipse Dionysius similiter cum Timotheo, & ipso Jerotheo, & multis aliis Sanctis fratribus, convenerunt apud Apostolos ad videndum corpus ejus, qui est principium totius vitæ, & quod suscepit Deum. Et potest intelligi de corporali visione Christi, de qua facit mentionem Apostolus 1. ad Corinth. 15. v. 6. Corpus enim Christi est corpus Dei, qui est vitæ principium, & illud Corpus per unionem Deum suscepit: unde & Templum dictum est, secundum illud Joannis 2. v. 21. Hoc autem dicebat de Templo Corporis sui.* „ Attamen Suarez citato loco de eodem argumento hæc scribit: „ Et hanc „ sententiam confirmat eleganter Cæsar „ ex testimonio Dionysii c. 3. de divinis „ nominibus, ubi sic inquit: *Nam & apud ipsos divino spiritu plenos Pontifices nostros, cum & nos (ut nosti) & plerique ex Sanctis Fratribus nostris ad contuendum corpus illud, quo Auctorem vitæ, Deumque conceperat, convenissemus, aderat autem, & Frater Domini Jacobus, & Petrus supremum decus, & antiquissimum Theologorum columen, ubi post contuitum placuit, ut infinite potentem, divinæ infirmitatis bonitatem Pontifices laudarent omnes, quisque pro captu suo.* Quæ verba de Sancto Corpore B. Virginis, & non de sepulchro Christi, aut de domo Joannis, in qua Christus cœnaverat, esse intelligenda, & ipsa verba per se sumpta satis suadent, & est communis sententia sanctorum, qui ex „ hoc loco colligunt, divina providentia factum esse, ut omnes Apostoli, qui tunc temporis vivebant, & præcipui, ex eorum discipulis, ac Pontificibus Ecclesiæ ad transitum, ac funus B. Virginis convenirent. Ita Maximus, D. Thomas, & Albertus Magnus, illum locum exponentes, Damascenus, & Andreas Cretensis orationibus de dormitione, & Assumptione Virginis, Epiphanius Presbyter, & Simeon Metaphrastes, scribentes de vita, & educatione Deiparæ, Nicephorus, & Juvenalis Jerosolymitanus apud eundem lib. 2. Hist. cap. 21., 22., & 23. Ubi hanc Historiam de transitu, & glorioso funere virginei corporis late describit. Et inter alia affirmat etiam, Christum Dominum, magna Angelorum multitudine comitatum, dormitioni ejus interfuisse. Quod etiam affirmarunt Damascenus, Andreas Cretensis, & alii. Indicant etiam Athanasius de Sanctissima Deipara, & Bernardus serm. 1. de Assumptione. Igitur (ut quod intendimus concludamus) scribit Dionysius citato loco transitum Virginis, & Apostolorum conventum, illius causa coactum: at vero Dionysius (ut ex Histor. Actuum Apostolicorum colligitur) non venit ad fidem, usque decimumoctavum annum a nece Christi, qui fuit quinquagesimus secundus a nativitate ejus, quia non antea Paulus pervenit Athenas: ergo ut posset adesse morti Virginis, necesse est, ut B. Virgo ultra sexaginta sex annos vixerit, & ita evertuntur omnes superiores sententiæ. Verisimile autem est, a conversione Dionysii usque ad adventum ejus in Jerusalem, aliquot annos fluxisse, præsertim si (ut Turrianus & Baronius citatis locis indicant) conventus ille Apostolicus absque miraculo suavi dispositione divinæ providentiæ factus fuit. Quia & Petrus eo tempore Roma Jerosolymam rediisse creditur, & Paulus etiam circa illa tempora Jerosolymam reversus fuit post conversionem Dionysii; & alia ab eo gesta, quæ in Actibus Apostolorum narrantur a cap. 18. ad 21. est ergo in re incerta verisimilis hæc conjectura.„

Objiciunt I. Verba illa Epist. Synodicæ Concilii Generalis Ephesini ad Clerum, & Populum Constantinopolitanum, *in qua* (urbe Ephesi) *Theologus Joannes, & Dei Genitrix Virgo Sancta Maria*; supplenda sunt per hæc alia; *aliquando habitarunt*; *aut Sacras Ædes habent*; *aut magno sunt in honore*; & sine his mutilam esse Synodi phrasim: ergo non est sensus verborum illorum, pro ut fuit a nobis expositus. II. Epiphanius hæresi 68. hæc habet: *Cum Joannes in Asiam instituerit profectionem, nusquam dicit Scriptura, quod abduxerit secum Sacram Virginem, sed simpliciter siluit*: ergo in itinere, quod suscepit Joannes Ephesum versus, Mariam

sociam

ſociam individuam non habuit. III. Polycrates, Epheſi Epiſcopus, in Epiſt. ad Victorem, Romanum Pontificem, quæ refertur ab Euſebio lib. 5. Hiſt. Eccleſ. cap. 24. nominat Sanctos quoſdam, qui Epheſi obierunt, ibique pariter fuerunt ſepulti, & præcipue commemorat unam ex filiabus Philippi Apoſtoli, quæ prophetabat, & Epheſi mortua eſt, & memorat quoque S. Joannem, qui Epheſi occubuit; at nullo modo meminit B. Mariæ Virginis, cujus abſque dubio meminiſſet, ſi Epheſi mortua fuiſſet. IV. Non potuit B. Virgo uſque ad ſeptuageſimumtertium annum inchoatum vitam ſuam producere, & Epheſi mori: ergo aut una, aut altera ex his opinionibus falſa eſt. Probatur antecedens. Conveniunt Scriptores, quod pauci fuerunt anni, quibus B. Virgo Epheſi habitavit; ſed fuiſſent multi, ſi vixiſſet uſque ad ſeptuageſimumtertium annum inchoatum, & Epheſi obiiſſet: ergo &c.

Reſpondemus ad I. verborum mutilatio in primis probanda eſt in Epiſtola illa Synodica, quam produximus; ſed nullus Textus adduci uſquemodo potuit, qui verborum illorum mutilationem probet. Ex altera vero parte magis naturalis eſt ſenſus, quo diximus nos, intelligendum eſſe verbum *eſt*, quam ille, qui ab Adverſariis pro arbitrio fingitur: ergo recurrere non debemus ad ſupplementa, ut verborum illorum intelligentiam aſſequamur.

Ad II. Quod ſcribit Epiphanius, dicit Serry: „ Non eò tendit, ut factum neget, „ Virginemque, quandiu vixit, Joanni „ dato ſibi filio adhæſiſſe inficietur: ſic „ enim cæteris pleriſque Patribus repugnaret, qui Mariam individuam Joannis ſociam agnoſcunt: ſed id in Scripturis prudenti ſilentio preſſum eſſe, ſimpliciter „ monet Epiphanius, *propter miraculi excellentiam, ut ne ad ſtuporem produceret hominum mentes ...... ac ne quis ad ſuſpicionem veniret carnalium de ipſâ rerum.* „ Quæ tamen ſervati ea de re ſilentii ratio, „ bona Epiphanii pace dixerim, futilis „ eſt: quandoquidem alii plerique Apoſtoli pias ſecum, religioſaſque mulieres „ ſororum loco circumducebant, ut loquitur Paulus 1. ad Corinth. cap. 9. v. 5. „ nullaque inde ſiniſtra ſuſpicio oriebatur. „ Multoque minor de Deipara Virgine, „ Joannis in conficiendis ſocia, poterat eſſe „ ſuſpicio, ob perſpectam ejus omnibus „ pietatem, religionem, caſtimoniam. „

Ad III. dicit Serry, quod Polycrates enumeravit tantum Sanctos illos, qui Epheſi Paſcha die decimaquarta Martii celebrarunt; ut illorum exemplo Romano Pontifici Victori Paſcha illa eadem die quotannis celebrandum eſſe demonſtraret. Proinde poſt enumerationem illorum, hæc addit: *Iſti ergo omnes diem Paſchæ in die decimaquarta menſis obſervarunt ſecundum Evangelium, nihil omnino extrinſecus agentes, ſed fidei regulam per omnia conſervantes*. At B. Virgo parum Epheſi remanſit, ac proinde vix illic unum Paſcha celebravit. Hæc quidem ex ſententia Serry; at noſtra alia ab hac omnino eſt; cenſemus enim, ut nuper diximus, per multum temporis B. Virginem Epheſi permanſiſſe; Polycrates autem exemplum ejus non laudavit, vel quia ſuppoſuit exemplum Joannis, & B. Virginis unum eſſe, quia ſimul ſemper habitabant; vel quia credidit, B. Virginem non ſtetiſſe pro ſua opinione, quemadmodum credebat, ſtetiſse alios Sanctos, quos enumerabat.

Ad IV. Nil vetat dicere, B. Virginem non ſemel, ſed bis domicilium ſimul cum Joanne habuiſse Epheſi; Primo quidem, quando illic habitavit uſque ad tempus, quo Epheſo Jeruſalem verſus profecta eſt: & deinde, quando pariter cum Joanne Jeroſolymam rediit, & ibi uſque ad finem vitæ ſuæ permanſit, ibique mortua eſt, & ſepulta.

Ad alteram modo Diſſertationis partem devenientes, quæ eſt de Reſurrectione Virginis Deiparæ, ejuſque in Cœlum Aſſumptione; equidem hoc ipſo, quod aſſeritur, & probatur, Mariam Virginem anima, & corpore fuiſse in Cœlum aſſumptam, aſſertum quoque remanet, & probatum, ipſam reſurrexiſse. Quo vero die reſurrexerit, vel quibus circumſtantiis, proferre non curamus, quia antiqui Scriptores ſilent, & illi tantum mediæ ætatis loquuntur, quibuſdam traditionibus freti, quæ omnem plane fidem apud Eruditos non obtinent. Solummodo Gregorium Turonenſem, qui ſexto ſeculo floruit, adducimus lib. 1. de miraculis exſcribentem: *Iterum adſtitit .. .. Dominus, ſuſceptumque corpus ſanctum in nubem, deferri juſſit in Paradiſum, ubi nunc, reſumpta anima, cum electis ejus exultans, æternitatis nullo occaſuris fine perfruitur.*

Dicimus III., B. Virginem fuiſſe in Cœlum anima, & corpore aſſumptam.

I. Pro-

I. Probatur ex Patribus. Petrus Damianus serm. de Assumpt. *Tota conglomeratur Angelorum frequentia, ut videat Reginam sedentem a dextris Domini virtutum in vestitu deaurato, in corpore semper immaculato, circumdatæ varietate, virtutum multiplicitate distinctam.* Bernardus serm. 4. de Assumptione: *Tempus loquendi est omni carni, cum assumitur incorrupti Verbi Mater in cælum: nec cessare debet a laudibus humana mortalitas, cum hominis sola natura supra immortales Spiritus exaltatur in Virgine.* Et epist. 174. ad Canonicos Lugdunenses: *Exaltata denique super choros Angelorum, ad cælestia regna. Hæc mihi de illa cantat Ecclesia, & me eadem docuit decantare. Ego vero quod accepi, securus & teneo, & trado; quod non scrupulosius, fateor, admiserim. Accepi sane ab Ecclesia illum diem cum summa veneratione colendum, quo assumpta de seculo nequam; cælis quoque intulit celeberrimorum festa gaudiorum.* S. Gregorius Turonensis, primus in Gallicanam Ecclesiam solemnitatem assumptæ Virginis inducens, lib. de miraculis cap. 4. *Dominus susceptum Virginis corpus sacratissimum in Paradisum deferri jussit, ubi nunc resumpta anima, cum electis ejus exultans, æternitatis bonis, nullo occasuris fine, perfruitur.* S. Andreas Jerosolymitanus, Episcopus Cretensis, qui seculo septimo eandem solemnitatem induxit apud Græcos, orat. 2. de laudibus Assumptæ Virginis: *Erat novum re ipsa spectaculum, animique rationibus inaccessum. Mulierem cælorum naturam munditie supergressum, Cælestium adytorum Sancta corpore penetrare: Virginem divini partus miraculo ipsa Seraphin superantem, primæ illi naturæ, Deo universum Creatori propius accedere: Matrem vitæ ipsius partu claram, proli consimilem vitæ exitum nactam esse. Quemadmodum enim parientis incorruptus uterus, ita nec morientis disperdita caro. O res mira! partus incorruptionis expers, nec sepulchri corruptionem admisit.* S. Ildefonsus, Episcopus Toletanus, serm. 6. de Assumpt. *Nec sane illud omittere debemus, quod multi pietatis studio libentissime amplectuntur; eam hodierna die ad cæli palatia corporaliter fuisse sublevatam.* S. Joannes Damascenus orat. 2. de dormit. Deiparæ: *Cujus in partu incolumis Virginitas mansit, eadem è vita migrante, corpus ita conservatum est, ut non dissolutum, sed ad præstantiorem, & diviniorem sortem, quæque non jam morte interrumpatur, verum in infinita sæculorum sæcula perduret, translatum sit .... Nec corpus illud tuum immaculatum, ac labis omnis expers in terra relictum est: verum in Cælo, ac regiis sedibus tu, Regina, Domina, hera, & vere Mater, & Genitrix, translata es.* Et paulo ante: *Quomodo corruptio invaderet corpus illud, in quo vita suscepta est? Huic recta, plana, & facilis ad cælum parata est via. Si enim ubi ego sum, illic & minister meus erit, inquit via, & veritas Christus; quomodo non potius mater cum ipso erit?* S. Fulbertus, Episcopus Carnotensis serm. 2. de Nativit. Virginis: *Credit Christiana pietas, quia Christus Deus, Dei Filius, Matrem suam gloriose resuscitaverit, & exaltaverit super Cælos: & quod B. Joannes Virgo, & Evangelista gloriam ejus participare meretur in cælis.*

II. Probatur ex festivitate corporeæ Assumptionis Mariæ. Ecclesia enim nunquam consuevit festivitatem celebrare de aliquo mysterio, quod exploratum non habeat, & de quo possit esse suspicio, vel dubium; sed ab antiquis temporibus festum corporeæ Assumptionis Mariæ in Ecclesia celebratum apparet: ergo de ea Ecclesia nec dubium, nec suspicionem habuit. Majorem probamus ex S. Bernardo epist. 174., qui ex festo Nativitatis Virginis infert, eam fuisse vere natam puram, mundam, & sanctam. Sunt sua verba: *Ortum Virginis didici in Ecclesia, & ab Ecclesia indubitanter habere festivum, & sanctum, firmissime cum Ecclesia sentiens utero eam accepisse, ut sancta prodiret &c.* Et infra: *Nec fallitur omnino sancta Ecclesia, sanctum reputans ipsum Nativitatis ejus diem, & omni anno cum exultatione universæ terræ votiva celebritate suscipiens.* Probamus etiam minorem. Primo, Concilium Lugdunense, sexto seculo celebratum, & refertur a Gratiano de consecrat. dist. 3. hæc habet: *Pronunciandum est Laicis, ut sciant tempora feriandi per annum: sunt isti dies: Natalis Domini, S. Stephani &c., S. Laurentii, Assumptio S. Mariæ, Nativitas S. Mariæ &c.* Secundo, Carolus Magnus lib. 2. Legum cap. 35. *Festos dies in anno celebrari sanximus: Nativitatem Joannis Baptistæ, Assumptionem Mariæ &c.* Tertio, Concilium Moguntinum, seculo nono coactum cap. 36. *Celebrari mandamus in Natali Petri, & Pauli, Apostolorum unum diem, Nativitatem Joannis Baptistæ, Assumptionem Mariæ &c.* Quarto, Nicolaus Primus, Romanus Pontifex, seculo nono ad consulta Bulgarorum cap. 4. *Abstinendum est ante solemnitatem Assum-*

sumptionis S. Dei Genitricis, & Dominæ nostræ Mariæ. Quinto, Concilium Salegunstadiense, seculo undecimo cap. 5. *Christiani sint in abstinentia in Vigilia Assumptionis S. Mariæ.* Sexto, seculo decimo, Continuator Reginonis de anno 966. *Otto Imperator iterum in Italiam ire disponens, Assumptionem Sanctissimæ Dei Genitricis Vuormatiæ celebravit.* Septimo, Petrus Cluniacensis, qui floruit seculo duodecimo, lib. 2. de miraculis cap. 30. *Mos est Romanorum festum Assumptionis Matris Domini inter universos anni festivitates præcipuo honore solere, speciali devotione venerari. Unde est, quod inter plura devoti animi sui erga præcelsam Virginem signa, cereos maximos faciunt, quos in vigilia festivitatis accendunt.* Scimus, quandoque nomine Assumptionis venire assumptionem animæ solius in Cœlum, non vero corporis simul. Sic Cyprianus epist. 9. ad Martyres, Pauli Apostoli mortem assumptionem vocat; Gregorius Turonensis lib. de gloria Confessorum cap. 99. Assumptionem S. Aviti vocat illam, qua Sanctus hic in Cœlos migravit; Eusebius pariter lib. 4. de Vita Constantini cap. 64. dicit *Constantinum ex hac luce ereptum, ad Deum suum assumptum.* At scimus pariter in testimoniis, quæ adduximus, mentionem fieri Assumptionis corporis pariter Mariæ Virginis, non animæ solius; tum quia natalis dies vocatur aliorum Sanctorum, quo anima tantum assumpti sunt in Cœlum; si ergo speciali vocabulo Assumptionis dicitur illa Mariæ, signum est, quod illa fuerit non animæ solius, sed etiam corporis; tum quoque ob singularem cultum, qui illi tribuitur, ob singularitatem certe mysterii, quod si fuisset animæ solius, singulare non esset.

III. Probatur traditione, quam firmant antiqui, & moderni Theologi, quos hic ex parte enumeramus. Hugo a S. Victore lib. 3. eruditionis Theologicæ, ex miscellaneis secundi Codicis cap. 125. *Septimum Virginis privilegium est, quod cum corpore suo, quantum credimus, in cælo vivit, licet enim B. Hieronymus* (in sermone Apocrypho de Assumptione) *opiniones ponat, non tamen factum abnuit .... Non impossibile Deo fuit, ut illud divinitatis habitaculum singulare corruptioni non subjaceat, vel vermibus. Qui enim trium puerorum vestimenta in camino ignis illæsa servavit, corpus Matris propriæ incorruptum servare, & voluit, & potuit.* Petrus Blessensis serm. 28. de Assumptione: *Hodie verisimile est, quod B. Virgo, & animæ beatitudinem, & corporis glorificationem adepta est. Quod ne alicui veniat prorsus in dubium, auctoritatibus adstruimus, opinando tamen, non asserendo. Hodierna clamat oratio: Nec tamen mortis nexibus deprimi potuit &c. Eadem etiam admiratio Angelorum in Ascensione Domini dicentium: Quis est iste, qui venit de Edom, fuit & a Propheta pronunciata de Assumptione Virginis: Quæ est ista, quæ ascendit velut Aurora consurgens, pulchra ut luna, electa ut Sol? Non solet autem in Scriptura plenitudo Solis, & Lunæ, nisi corporibus propriè adaptari,* S. Thomas 3. p. q. 27. ar. 2. volens probare sanctificationem Virginis in Matris suæ utero, illam probat paritate deducta ex corporea ejusdem Virginis Assumptione, citans sermonem de Assumptione, quem credebat esse Augustini, quia tempore illo sub ejus nomine circumferebatur: *Dicendum, quod de sanctificatione B. Mariæ, quod scilicet fuerit sanctificata in utero, nihil in Scriptura canonica ponitur, quæ etiam nec de ejus nativitate mentionem facit. Sic tamen Augustinus in sermone de Assumptione rationabiliter argumentatur, quod cum corpore sit assumpta in Cælum; quod tamen Scriptura non tradit: ita etiam rationabiliter argumentari possumus, quod fuerit sanctificata in utero.* Et in 4. dist. 43. q. 1. art. 3. *Piè creditur de B. Virgine, & de Joanne Evangelista, illorum resurrectionem ad finem Mundi dilatam esse*; & hoc est argumentum quod sibi opponit; ad quod respondet, quod id factum sit *ex speciali privilegio, non ex debito conformitatis ad Christum.* Et opusc. 8. *Terræ maledictio fuit communis in mulieribus, scilicet ut in pulverem reverterentur. Et ab hoc immunis fuit B. Virgo; quia cum corpore assumpta est in Cælo. Credimus enim, quod post mortem suscitata fuerit, & portata in Cælum.* Durandus Episcopus Mimatensis lib. 7. de divinis officiis cap. 24. *Piè credendum est, eam fuisse totaliter assumptam, animo nimirum, & corpore.* Dominicus Soto, qui Concilio Tridentino interfuit, in 4. sentent. dist. 43. qu. 2. ar. 1. de sacratissima Virgine: *Si resurrexit, non est dubium, quia in vitam sempiternam resurrexerit, qua in Cœlis cum Filio fruitur. Hoc autem Hieronymus eodem sermone sub dubio reliquit. Jam vero temporum curriculo opinio hæc, seu credulitas: quod in corpore, & anima fuerit in cælum assumpta, plurimum inolevit, Nondum*

tamen

tamen inter fidei articulos creditu necessarios, relata est; quamvis sit pientissime credendum: nam in Collecta illius festi ait Ecclesia, quod nexibus mortis deprimi non potuit.

IV. Probatur ex precibus divinis, quas ex Ecclesiæ lege in die Assumptionis Virginis recitamus, & quarum verbis corporea Virginis Assumptio aperte significatur. Et quidem Antiphonæ, Versus, Responsoria, Lectiones, manifeste clamant, B. Virginem fuisse corpore in Cœlum assumptam, ut illa Legentibus illico innotescit. Accedunt Menologia, seu Menæa, Græcorum; in quibus corporea Virginis in Cœlum Assumptio continetur. Et quidem decimoquinto Augusti in Majoribus Vesperis hæc leguntur: „ Ad „ rationem decori pertinebat, ut qui Mi„ nistri, a spectatores Verbi divini fuissent, „ etiam Matris, e qua illud incarnatum „ erat, obdormitionem præsentes inspice„ rent, velut ultimum, quod ipsi peragen„ dum erat, mysterium, quo scilicet non „ modo Servatorem de terra in Cœlum „ ascendentem coram spectarent, verum „ etiam de Genitrice illius ad superos „ translata oculati testes existerent. Qua„ propter omnibus e locis, vi quadam di„ vina per tot terrarum spatia transportati „ convenerunt in Sion, & deduxerunt „ quodam modo Virginem ad cœlum in„ grediendum properantem „. Ex Men. „ 18. „ O prodigium horrore sacratissimo „ plenum! Illa, quæ incomprehensum om„ nibus Regem portavit in utero, jam mo„ do ad sepulchrum portatur, & Angelo„ rum multitudo cum Apostolis observant „ venerabundi Sanctum ejus corpus, quod „ Deum in se recepit; & istud corpus su„ blevavit in Cœlum Jesus filius ejus, & „ Servator animarum nostrarum „: Et ex Men. 17. Augusti: „ Filius tuus, Deusque „ noster, ut fidem duarum, quas habet, na„ turam stabiliret: mortuus est quidem ut „ homo, sed resurrexit ut Deus. Te quo„ que mori, o Genitrix Dei, ad præscri„ ptum naturæ perplacuit Deo; ne a fide „ alienis Incarnatio Christi, tanquam phan„ tasma videretur; ut cujus Mater mortalis „ non esset. Migrasti autem a terra in cœ„ lum, veluti sponsa de thalamo tuo, seu „ tabernaculo quodam progressa. Et quem„ admodum terram illuminasti pariendo, „ sic & æthera sanctificasti ascendendo. „ Interim Apostoli intaminatissimum funus „ tuum curarunt, atque inter exequias vi„ derunt, & corpus tuum sublime abiisse, „ hæc omnino verba cum metu præfati: „ Hæc est mutatio dexteræ Excelsi „: De argumento autem, quod sumitur ex sacris Ecclesiæ precibus, hæc docet Cœlestinus Romanus Pontifex in epistola pro Prospero, & Hilario cap. 11. *Præter Beatissimæ, & Apostolicæ sedis inviolabiles sanctiones, quibus nos piissimi Patres, pestiferæ novitatis elatione dejecta, & bonæ voluntatis exordia, & incrementa probabilium studiorum, & in eis usque in finem perseverantiam, ad Christi gratiam referre docuerunt; obsecrationum quoque Sacerdotalium Sacramenta respiciamus, quæ Apostolis tradita, in toto mundo, atque in omni catholica Ecclesia uniformiter celebrantur, ut legem credendi lex statuat supplicandi.*

V. Probatur rationibus. I. B. Virgo fuit solo Deo minor, & quibuscunque aliis creaturis major, immo inter omnes creaturas maxima: ergo debebat tale privilegium habere, quod non habuissent aliæ Creaturæ, & habuit solus Deus factus homo; atqui hujusmodi fuit privilegium corporeæ Assumptionis in cœlum, quod solus Christus habuit, qui in cœlum ascendit, & nulla ex Creaturis obtinuit: ergo &c. II. Maria Virgo Deipara fuit semper Virgo ante partum, in partu, & post partum, ex probatis a nobis suo loco; Unde Corpus retinuit omnino integrum, & illibatum ad mortem usque conservavit: ergo post mortem non debebat in terra inducere corruptionem, & per consequens debebat in Cœlum transferri, ubi nulla est corruptio. III. Si B. Virgo non fuisset in Cœlum in corpore assumpta, non fuisset sanctior Angelis; sed hoc dici non potest: ergo &c. Probatur major. Angeli sancti habent plenum, & totale, in Cœlo sanctitatis suæ præmium; sed si B. Virgo non fuisset in Cœlum assumpta, non habuisset plenum, & totale sanctitatis suæ præmium: ergo non fuisse sanctior Angelis. Probatur minor; quia dum Angeli a principio possederunt, & modo possident, plenum, adæquatum, & totale, sanctitatis suæ præmium, illa debuisset expectare usque ad universalem resurrectionem, ut illud consequeretur. IV. Nulla ex Creaturis ita perfecte imitata est Christum in vita, uti B. Virgo, ejus mater: ergo ita etiam perfecte debebat eum imitari in morte, ut nulla alia Creatura imitaretur; sed hoc non fuisset, nisi corpore assumpta fuisset in Cœlum, quemadmodum Christus corporaliter ascen-

ascendit: ergo &c. V. Maria Virgo, plusquam cæteræ Creaturæ, amavit Filium suum, Dominum nostrum Jesum Christum: ergo amoris vi debebat ex hac terra migrare, & in Cœlum rapi, ut perfectissime cum filio suo conjungeretur. VI. Caro Christi fuit caro Mariæ: ergo quanvis caro Mariæ mortem subjerit, quam subjit caro Christi, non debebat tamen mortua remanere, sicut caro Christi non remansit; sed in Cœlum transferri, sicuti caro Christi ascendit. VII. Sententia lata in mulierem, quando peccavit Eva, in ærumnis tantum fuit verificata in Maria, quia ærumnæ ejus maxime fuerunt, quando gladius animam suam pertransivit; at non verificata fuit nec in multiplicatione filiorum, nec in potestate viri, nec in Virginitatis detrimento, nec in dolore partus: ergo neque debebat verificari in corruptione corporis: ergo debebat in cœlum elevari. VIII. Christus debebat honorare matrem suam: ergo debuit illam a putredine præservare. Consequentia sequitur; quia putredo est opprobrium naturæ humanæ. IX. Perfecta curatio, atque perfecta liberatio in resurrectione exprimitur, atque manifestatur; sed Christus ex Ambrosio utrumque sexum sanaturus advenit: ergo quemadmodum quantum ad virilem sexum curatio, & resurrectio apparuit in Christo, ita pariter quantum ad sexum fœmininum apparere debebat resurrectio in matre ejus. X. Augustinus super Genesim ad literam, & Bernardus de diligendo Deum, docent, quod propter appetitum administrandi corpus, animæ retardantur, ne totaliter in Deum ferantur, tanquam in summum bonum. Ex hac autem generali lege sola anima Christi excipiebatur, quæ unita erat Verbo unitate personæ, & quæ propter personalem unionem in nullo retardabat gloriæ complementum, aut detrimentum gloriæ patiebatur; sed complementum gloriæ consistit in reassumptione corporis: ergo si inconveniens erat, ut Mater Dei detrimentum gloriæ pateretur, debebat corpus suum reassumere; & quanvis corpus fuerit pro conditione carnis ab anima separatum, debebat tamen deinde cum anima esse glorificatum. Unde cohærenter ad hæc Frassen ex Augustino hæc superaddit: „ In eodem „ quoque libro adducit Augustinus exem„ pla Scripturæ Sacræ: ait enim: *Nam „ divina voluntas inter crepitantes ignes non „ solum corpora trium puerorum illæsa, sed „ etiam vestimenta servavit inusta*. Dan. 3. „ Cur ergo non efficiat in Matre propria, „ quod fecit in aliena? Servavit Jonam in „ ventre Ceti incorruptum præter naturæ „ solitum cursum, Jonæ cap. 2. Et matrem „ præter naturam non servabit incorru„ ptam? Servatus est Daniel in arctissimo, „ seu intemperatissimo lacu leonum, „ Dan. 14. Cur ergo non est servanda „ Maria tantis dotata meritis dignita„ tum „?

Arguunt I. Patres docent, solum Christum resurrexisse, qui nunquam esset deinceps moriturus: ergo non surrexit B. Virgo Mater ejus, nunquam moritura, quia corpus ejus æterna felicitate donatum, non poterat deinceps morti subjacere. Antecedens probatur ex Ambrosio lib. 1. Interpret. moral. in Job, cap. 6. *Ipse est resurrectio; ipse est primogenitus ex mortuis; in quo omnes quidem prærogativam futuræ resurrectionis accepimus. Solus tamen ipse adhuc resurrectione perpetua resurrexit*. Et ex Alcimo Avito in fragmentis, in Sermone habito die prima Paschatis: *Christus hactenus solus est, qui non moriturus resurrexit; hoc etiam suis postmodum largiturus, cum eos a morte perpetuo victuros suscitabit. Quo circa illa jam secunda lætitia est, qua Fideles resurgunt. Cæterum primum resurgendi gaudium primogenito ex mortuis jure debetur*. II. Non pauci Patres prioribus seculis de corporea Virginis Mariæ Assumptione dubitarunt: ergo non omni gaudet certitudine. Probatur antecedens. S. Epiphanius hæresi 78., & floruit seculo quarto: *Ego non audeo dicere, sed cogitans silentium mihi impero. Fortassis enim alicubi etiam vestigia inveniremus sanctæ illius, ac B. Virginis; sicut neque invenire datur mortem ipsius. Alicubi enim Simeon dicit de ipsa: Et tuam ipsius animam pertransibit gladius, quo revelentur ex multorum cordibus cogitationes. Alicubi Apocalypsis Joannes dicit, quod Draco festinavit ad mulierem, quæ genuit masculum, & datæ sunt ipsi alæ aquilæ, & assumpta est in desertum, ut ne ipsam acciperet Draco. Fortassis autem potest de ipsa accipi, & impleri. Non tamen omnino definio hoc. Et non dico, quod immortalis, sed neque affirmo, an mortua sit. Excellit enim Scriptura mentem humanam, & in suspenso relinquit propter vas pretiosum, & excellentissimum, ut ne quis ad suspicionem veniat carnalium de ipsa rerum. Sive igitur mortua est, non novimus; sive sepulta est, non*

copulata fuit carni! absit. Seculo septimo S. Ildephonsus, Episcopus Toletanus serm. 6. de Assumptione: *Nec sane illud omittere debemus, quod multi pietatis studio libentissime amplectuntur, eam hodierna die a Filio suo Domino nostro Jesu Christo, ad Cœli corporaliter sublevatam palatia. Quod licet pium credere, a nobis tamen non debet affirmari, ne videamur dubia pro certis recipere. Verum enim hoc sit, necne, nos tamen credere convenit, eam Filio suo in cœlestibus conregnare.* Eodem seculo Ignotus Author Epistolæ, seu sermonis de Assumptione B. Virginis, a multis D. Hieronymo, a quibusdam Sophronio perperam adscripti: *Multi nostrorum dubitant, utrum assumpta fuerit simul cum corpore, an abierit relicto corpore. Quomodo autem, vel quo tempore, aut a quibus personis sanctissimum corpus ejus inde ablatum fuerit, vel ubi transpositum, utrumve resurrexerit, nescitur: quamvis nonnulli astruere velint, eam jam esse suscitatam, & beata cum Christo immortalitate in cœlestibus vestiri. Quod & de B. Joanne Evangelista ejus ministro, cui Virgini a Christo Virgo commissa est, plurimi asseverant. Quia in ejus sepulchro, ut fertur, nonnisi manna invenitur, quod & scaturire cernitur. Utrum tamen quid horum melius censeatur, ambigimus. Melius tamen Deo totum, cui nihil impossibile est, committimus, quam ut aliquid temere definire velimus auctoritate nostra, quod non probemus.* Beda confutans librum de Transitu Virginis, qui Melitoni ascribitur in retractat. ad Acta Apostolorum ad cap. 8. Verum quoque libro de locis sanctis cap. 6. hæc habet: *In eadem valle S. Mariæ rotunda est Ecclesia, lapideo tabulato discreta, cujus in superioribus quatuor altaria, in inferioribus unum habetur in orientali plaga: & ad ejus dexteram monumentum vacuum, in quo B. Maria aliquando pausasse dicitur; sed a quo, & quomodo sit ablata, nescitur.* Dubius Scriptor Sermonis de Assumptione B. Mariæ Virginis, qui inter Augustinianos est 35. de Sanctis: *Hodierna die ad Cœlos assumpta fuisse creditur Virgo Maria: sed quo ordine hinc ad superna transierit regna, nulla catholica narrat historia. Non solum autem respuere apocrypha, verum etiam ignorare dicitur hæc eadem Ecclesia. Siquidem sunt nonnulla sine Auctoris nomine de ejus Assumptione conscripta, quæ, ut dixi, ita caventur, ut ad confirmandam rei veritatem legi minime permittantur. Hinc sane pulsantur nonnulli, quia nec corpus ejus in terra invenitur, Assumptio ejus cum carne, ut in apocrypha legitur, in catholica reperitur historia. Quibus dicendum est, quia si Moyses corpus non invenitur ab homine in terris, cum quo locutus est Deus facie ad faciem; illius, illius quærere dementiæ est, per quam idem majestatis Deus incarnatus effulsit in terris.... Restat ergo, ut homo non mendaciter dicat apertum, quod Deus voluit manere occultum. Vera autem de ejus Assumptione sententia hæc esse probatur, ut secundum Apostolum sive in corpore, sive extra corpus ignorantes, assumptam super Angelos eam esse credamus.* Odilo, Abbas Cluniacensis serm. de Assumpt., quem manuscriptum Bibliothecæ conservant: *De ejus meritis, & gloriosissima ejus Assumptione divinæ Legis Interpres S. Hieronymus, & alii egregii Doctores, tanta, & talia potuerunt, & noluerunt dicere, quibus nos non debemus aliquid adjicere.* III. Ecclesia ipsa diu anceps, & incerta de hoc mysterio remansit, & nihil circa illud, aut definire, aut declarare, voluit. Et hoc patet authoritate Martyrologii Usuardi, quo pridem Ecclesia Romana, aliæque Ecclesiæ utebantur ad diem 15. Augusti: *Dormitio S. Dei Genitricis Mariæ, cujus sanctissimum corpus, etsi non inveniatur super terram, tamen pia Mater Ecclesia ejus venerabilem memoriam sic festivam agit, ut pro conditione carnis eam migrasse non dubitet. Quo autem venerabile illud Spiritus Sancti Templum nutu, & Consilio divino occultatum sit, plus elegit sobrietas Ecclesiæ cum pietate nescire, quam aliquid frivolum, & apocryphum inde tenendo docere.* Insuper in Martyrologio Adonis, Episcopi Viennensis, & in lib. de Festivitatibus hæc leguntur: *Virginis dormitionem decimo octavo Calendas Septembris omnis celebrat Ecclesia, cujus & Sacrum Corpus non invenitur in terra. Sed nec D. Moysis sepulchrum, quem Sacra Scriptura dicit a Domino sepultum. Tamen pia Mater Ecclesia, quæ suis observationibus integerrima fide fundata consistit, ejus venerabilem memoriam sic festivam agit, ut pro conditione carnis eam migrasse non dubitet. Ubi tamen venerabile Spiritus Sancti Templum illud, idest, caro ipsius Virginis Mariæ divino nutu, & consilio occultatum sit, magis elegit sobrietas Ecclesiæ cum pietate nescire, quam aliquid frivolum, & apocryphum inde tenendo docere. Sufficiunt enim ei ad sanctitatem, & vitam Virginis, & Matris Domini, Evangelistarum testimonia; nec de ea quærere ultra, necessarium.* IV. Mediæ, vel postremæ ætatis Scriptores eandem

incertitudinem fassi sunt. Author Chronici manuscripti Abbatiæ S. Victoris Parisiensis, post Opera Hugonis Victorini: *Utrum autem B. Virgo assumpta sit cum corpore, an abierit relicto corpore, multi, ut ait S. Hieronymus, nostrorum dubitant.* Guibertus, Abbas Novigentinus lib. 1. de Pignoribus Sanctorum cap. 4. *Tanta est in totius Ecclesiæ ore pudicitia, ut etiam Matris Domini corpus resurrectione glorificatum dicere non audeat, ob hoc videlicet, quod necessariis argumentis probari non possit.... Hic tamen, etsi ratio eam ad integrum corpore resuscitato glorificatam opportunissima undequaque comportet, quia evidentia probamenta non suppetunt; credere quidem de ipsa quidquid gloriosum est, etsi facile possumus, nentiquam vero approbare valemus.* Notkerus Abbas Monasterii S. Galli in Martyrologio ad diem 18. Calendas Septembris: *Hoc certissime cum Universa Ecclesia & credimus, & confitemur, quia si reverendissimum illud Corpus, ex quo Deus est incarnatus, adhuc alicubi in terra celatur, revelatio utique illius ad destructionem Antichristi reservatur.* V. S. Hieronymus in pluries citato suo sermone, asserit, Mausoleum Virginis in medio Vallis Josaphat ostendi vacuum; & subdit: *Hæc idcirco dixerim, quia multi nostrorum dubitant, utrum assumpta fuerit simul cum corpore, an abierit relicto corpore. Quomodo autem, vel quo tempore, aut a quibus personis Sanctissimum corpus inde ablatum fuerit, vel ubi transpositum, utrumve resurrexerit, nescitur.* Et infra: *Verumtamen quid horum verius censeatur, ambigimus: melius tamen Deo totum, cui nihil impossibile est, committimus, quam aliquid temere definire velimus authoritate nostra, quod non probamus: sicuti & de iis, quos cum Domino, teste Evangelio resurrexisse credimus; sed utrum redierint in terra pulverem, certum non habemus.* VI. Non est de fide, B. Virginem fuisse in cœlum corporaliter assumptam: ergo salva fide potest contraria propositio asseri, atque defendi: ergo propositio non est hæretica, nec erronea, nec falsa.

Respondemus ad I. discrimen esse inter Christum, & Sanctissimam ejus Matrem, quod Christo debebatur resurrectio jure summo, Matri vero ejus data est ex privilegio. Nec mirum, quod Matri ejus hoc privilegium concessum dicatur; siquidem Patres multi, puta Ignatius martyr, Origenes, Eusebius, Epiphanius, aliique cum ipsis, dixerunt, quod Sancti illi, quorum corpora surgente Domino surrexerunt, non fuerunt iterum mortui, sed cum Christo in Cœlum ascendente in cœlestem gloriam perrexerunt. Quod si ex sententia Patrum illorum privilegium hoc Sanctis illis datum fuit, & nullum proinde dignitati Christi præjudicium factum est; cur pariter non dabitur Matri ejus, absque eo quod filius detrimentum in dignitate sua patiatur?

Ad II. Non negamus, Patres aliquot fuisse aliquando, qui de corporea B. Virginis assumptione dubitarunt, sed neque Adversarii nostri contendere nobis debent, quod eam Patres quoque multi aperte affirmarunt. Illi igitur, quos Adversarii producunt, non negant, sed dubitant; illi, quos nos inducimus, non dubitant, non negant, sed concedunt; quorum ex his partibus sit probabilior, sit veritati proximior, sit in extrinseca certitudine potior, judicent Lectores.

Ad III. Quod Ecclesia diu anceps & dubia fuerit, nihil assertioni nostræ obstat, sufficit, quod deinde novis luminibus a Deo illustrata pro nostra assertione steterit. Non enim omnes veritates eodem tempore ab Ecclesia declaratæ sunt, sed successu temporis, prout Spiritus Sanctus eam illuminabat. Quod aliquando in publicis precibus Ecclesia apocryphum S. Hieronymi sermonem recitaverit, nec officit; postea enim sermonem illum ab Officio amovit, nec amplius in publicis precibus recitatus est. Pro Usuardo, & Adone, reponimus quæ Baronius ad ann. 48. n. 15. reponit verbis hisce: „ Usuardus, & Ado in suis Martyrologiis, putantes scriptionem illam de transitu B. Mariæ, Hieronymi esse germanam, rursumque id esse ratum in Ecclesia, quod ille sensisset, existimantes; quasi ex sententia Ecclesiæ, hæc in hunc modum descripta posuerunt 18. Kal. Septembris. Dormitio Sanctæ Dei Genitricis Mariæ, cujus sacratissimum Corpus, etsi non inveniatur super terram, tamen pia Mater Ecclesia ejus venerabilem memoriam sic festivam agit, ut pro conditione carnis eam migrasse non dubitet? Quo autem venerabile illud Spiritus Sancti templum nutu, & Consilio divino collocatum sit, plus elegit sobrietas Ecclesiæ cum pietate nescire; quam quid frivolum, & apocryphum inde tenendo docere. Hæc ipsi. Sed dum se apocryphum vitare putant, in deterius lapsi sunt. At unde tandem hæc ab eis accepta, unde deducta? Non

„ aliunde certè, quàm ex illo non dicam „ tantum apocrypho libro, sed impostura, „ Hieronymi nomine pervulgata, vel, re- „ cens à quibusdam, ut Erasmo, falsò ad- „ scripta Sophronio: ibi enim hæc eadem „ ferè verba, vel quæ eamdem prorsus sen- „ tentiam reddant, habentur: Propter cau- „ telam, salva fide, pio magis desiderio „ opinari oporteat, quam inconsultè defi- „ nire, quod sine periculo nescitur. Hæc „ ibi, & alia plura in eamdem sententiam; „ ut illud supra: Quid horum veriùs cen- „ seatur, ambigimus, anima ne tantum, vel „ juncta Corpori sit in Cœlum recepta. „ Laudanda fortè modestia, nisi esset labe- „ factata mendacio. Si enim, sententia Do- „ mini, qui a semetipso loquitur, mendax „ est; quantò magis, qui falsò quo aliquam „ aucuparetur fidem, sese Hieronymum „ simulavit, ut quem constat post Nestorii „ vixisse tempore, tam familiariter Pau- „ lam, & Eustochium allo. utus videatur? „ Ex his itaque vides, quales sint ejus mer- „ ces, quas non nisi hisce offusas tenebris „ licuerit venditare cum sincera veritas lu- „ ce gaudeat: „ Hæc eadem verba reci- tantur a Frassen loco citato, qui pariter hæc ulteriora Baronii verba, hæc scri- bit: „ Sed Usuardum, & Adonem ad in- „ stitutam semel orationem iterum revoce- „ mus. Unde, quæso, vobis ista nomen- „ clatura noviter usurpata, ut Dormitio- „ nem, non assumptionem dicatis, cum „ præsertim pridie ejus diei ambo dixisse- „ tis Virgilia Assumptionis? Cur non po- „ tius vestra sententia, Vigilia Dormitio- „ nis? Cur hæc inconstantia sermonis? „ Cogor equidem cum Apostolo dicere: „ *Currebatis bene; quis vos impedivit?* An for- „ tasse moti estis exemplo Græcorum, qui „ item Dormitionem dixerunt? Sed nec „ vobis hujusmodi suffragatur exemplum: „ Cum alioqui Joannes Damascenus, & „ alii qui Dormitionem dixerunt, eam ta- „ men una cum corpore, in Cœlum esse „ assumptam, apertè testati sint; nec, ut „ vos, id affirmare dubitaverint. At sanè „ (ut liquidò apparet) nihil ad hæc vos „ impulit, nisi Hieronymi, quam putaba- „ tis authoritas. Hinc excusatione aliqua „ digni essetis, quod Hieronymi nomine „ decepti estis, si Romanæ Ecclesiæ, quod „ sequeremini, exemplum defuisset. An „ non præcedebant, quæ sectari debuisse- „ tis, Romani Martyrologii vestigia anti- „ quissima, in quo non Dormitio, sed As- „ sumptio dicitur? Qua voce semper Ro- „ mana Ecclesia usa est, ut est videre in „ ordine Romano, Sacramentario Sancti „ Gregorii, aliisque antiquis Ritualibus, & „ Missalibus libris. Ecquid, rogo vos, sibi „ vult, quod dum aliorum omnium recolit „ Ecclesia Sanctorum Nativitatis, nempe „ migrationis ex hac vita celebritatem na- „ talem diem nominare consuevit, vel mi- „ grationem, vel aliquando Dormitionem, „ hanc, nec migrationem vocat, sed As- „ sumptionem appellat? Nisi quoniam non „ solius animæ ad Deum transitum, sed, & „ Corporis simul evectionem voluit signifi- „ care. Sicut enim Christi anima una cum „ carne Cœlos propria, non aliena virtute „ conscendit, Ascensionem vocat; ita Dei „ Genitricis migrationem, quod non sua- „ pte virtute, sed filii gratia a mortuis resur- „ rexerit, & in Cœlum evecta fuerit, pro- „ prietate loquendi maluit Assumptionem „ Ecclesia appellare. Porrò non hi tantum „ ex epistola commentitia Hieronymi no- „ mine scripta, vel Sophronio falsò attri- „ buta, sed & alii complures eorumdem „ authoritate decepti sunt, quod dixerint: „ *Plus elegit sobrietas Ecclesiæ nescire cum pie- „ tate, quam aliquid frivolum, & apocryphum „ inde tenendo docere*; ut inter alios Author „ ille sermonis, qui hactenus Augustini no- „ mine latuit (Est autem trigesimus quin- „ tus de Sanctis) sed falsò: cum enim ci- „ tetur ab eo Isidorus alium ab Augustino „ esse Auctorem, certum est: Ille, inquam, „ eadem Hieronymi authoritate perculsus, „ nec verbum proferre de Assumptione „ cum corpore ausus est. Sed dicant, velim, „ ubinam, aut quando, vel quo saltem le- „ vi signo, id quod dicunt, Ecclesia pro- „ fessa sit se nescire; cum alioqui licet nul- „ lum de ea re decretum ediderit, in ipsis „ sacris Ecclesiasticis precibus, quas ea die „ publicè recitare consuevit, id affirmasse „ sæpiùs videatur, Versibus, Responsoriis, „ Antiphonis, & Lectionibus; In quam „ sententiam cum Patres omnes, qui de ea „ re egerunt, æquè conspirent, & Schola- „ sticorum Classis, & procacis sit animi in- „ dicium, Ecclesiæ Universalis usui, & tot „ Patrum sententiis non acquiescere, ma- „ ximamque omnium esse temeritatem, his „ omnibus contradicere, cum præsertim, „ quæ Hieronymi, vel Sophronii nomine „ scripta est Epistola, quam refellimus, ac „ proinde, Augustino sermones de Assum- „ ptione falsò adscripti, quos merito Lo- „ vaniensis Schola rejicit in angulum, vel „ quæ id genus sunt aliæ apocriphorum „ quisquiliæ, quæ potiùs detrahant, quam „ probent veritatem, eadem omnia alia

„ ad-

,, adhuc confitemur ratione, ut manifestæ arguantur falsitatis. Hæc Baronius, quæ idcirco, quamquam paulò longiora, voluimus hic inserere, quoniam compendiosè omnia ferè perstringit, quæ fusiùs huc usque disseruimus. ,,

Ad IV. Scriptores mediæ ætatis in numero majori sunt pro nobis, & pro nostra sententia, quam pro Adversariis, & pro illorum opinione. Verum tempore illo, quo scribebant illi pauci, qui sunt contra nos, non erat adeo firma, & explorata Ecclesiæ mens circa Misterium de quo agimus, ut modo est: Unde ad præsens nullo modo possunt in exemplum adduci, ita ut contraria sententia possit ab illis aliquem probabilitatis gradum desumere.

Ad V. Sermo ille, ut pluries dictum est, fuit Hieronymo immerito, & falsò tributus; & lucem non vidit, quam post annum 680., quo habitum fuit Concilium Generale sextum, quod Monothelitarum hæresim damnavit. Continentur enim in eo sequentia verba, quæ ex eodem Concilio Generali sexto, mutuata apparent: Quod si ante præfatum Concilium cognitus fuisset sermo iste, utique Patres, qui Concilio interfuerunt, de eo mentionem fecissent. Quamquam non fecerint, argumento nobis est, quod ante Concilium non extabat.

Ad VI. Joannes Morcellus ex Prædicatorum ordine, anno Christi 1497. inter alias propositiones, quas concionando Parisiis, in Ecclesia in honorem Sancti Benedicti, Deo dicata, protulit, hæc fuit numero quarta: *Nos non tenemur credere sub pœn. peccati mortalis, quod Virgo fuit assumpta in corpore, & anima, quia non est articulus fidei.* Hanc autem propositionem Sacra facultas Parisiensis, hac censura notavit; scilicet, quod sit temeraria, scandalosa, impia, devotionis Populi ad Virginem diminutiva, falsa, & hæretica, ideò revocanda publicè. Ad quæ addit Frass. in cit. loc. ,, Revocatæ sunt 23. per Prædicatorem Fratrem Joannem Morcelle, in præsentia facultatis, revocabitque coram Populo in die Nativitatis Virginis Mariæ proximè ventura in Ecclesia Sancti Benedicti, ubi propositiones prædicaverat in die Assumptionis, cujus revocationis copia, & Schedulæ per Facultatem Theologiæ confectæ de consensu reverendi in Christo Patris, & Domini Episcopi Parisiensis datæ per prædictam Facultatem Fratri Joanni Morcelle ad pronunciandum in suo sermone, quem fecit in die Nativitatis Beatæ Mariæ in Ecclesia *Sancti Benedicti benè versi*, Parisiis anno, die, mense prædictis. ,, Verum Catharinus lib. 4. contra Cajetanum, & in Opusculo de Conceptione, Assumptionem Corporalem Virginis, contendit esse de fide. At Suarez 3. par. q. 37. disp. 21. sect. 2. contra Catharinum ait: ,, Sed revera non est, quia neque est ab Ecclesia definita, nec est testimonium Scripturæ, aut sufficiens traditio, quæ infallibilem faciat fidem. Est igitur jam nunc tam recepta hæc sententia, ut a nullo pio, & catholico possit in dubium revocari, aut sine temeritate negari, atque adeo videtur habere eum gradum certitudinis, quem habet alia veritas supra tractata de sanctificatione Virginis in utero Matris. ,, Hennus autem in tractatu brevi de præcipuis vitæ Christi mysteriis, art. 8. quæsito 6. hæc scribit: ,, Petes 6. An sit de fide, B. Virginem esse corporaliter in Cœlum assumptam? Affirmant aliqui, sed negat communior sententia, inquit Frassen, dicens esse proximum fidei, ob traditionem Ecclesiasticam, & piam fidelium credulitatem, non tamen de fide, cum non legatur Apostolis, aut aliis revelata, sed quomodo quadret ejus sententia cum Facultata Parisiensi hanc propositionem, Morcelli Prædicatoris condemnante ut hæreticam 1497. nempè, *Nos non tenemur credere sub pœna peccati mortalis, quod Virgo fuit Assumpta in corpore, & anima, quia non est articulus fidei*, certè non video: & tamen censuram laudat, & approbat, sed vult, non condemnare dictam propositionem, ut hæreticam, quasi esset hæreticum dicere, Mariam non esse corporaliter assumptam, sed quia dixerat Morcellus, non esse hoc credendum sub mortali, quia non est articulus fidei, quasi vero teneremur alia credere sub mortali, seclusis aliis inconvenientiis, ac legis alicujus transgressione, quam quæ sunt de fide; unde credentem non esse jejunandum in Quadragesima, si tamen de facto jejunet, nec quemquam scandalizet, non condemnarem peccati mortalis: quidquid dicat ille, ut se ab illo labyrinto expediat, modo non dubitet esse in Ecclesia potestatem obligandi ad jejunandum.

Objiciunt denique Adversarii, probare volentes censuram sacræ facultatis Parisiensis esse suppositiam; & quidem I.

Ro-

Robertus Guaguinus, ex Ordine SS. Trinitatis Redemptionis Captivorum, disputans cum Vincentio Castronovano, refert omnes gloriæ Virginis Deiparæ detractores, ab eadem Sacra Facultate censuris notatos, atque proscriptos, & omnino de Joanne Morcello silet; & nihilominus censura Morcelli supponitur facta 7. Kalen. Septembris anno 1417. & disputatio Guaguini dicitur habita eodem anno Kalendas Octobris: non tacuisset ergo illam Guaguinus, si vera fuisset. II. Censura illa fuisset nimis festinanter lata, quia inter prædicationem Morcelli, & Sacræ Facultatis censuram, dies tantum undecim intercessissent: In re autem tam gravi sic præcipitanter procedere, damnabile omnino fuisset. III. Propositiones illæ dicuntur proscriptæ a Sacra Facultate die 26. Augusti; & postmodum notantur per Morcellum revocatæ die 23. Augusti; hæc autem est intolerabilis antilogia. IV. In censura hac damnatur ut hæretica quarta propositio; & nihilominus non est fidei articulus, quod B. Virgo in corpore & anima fuerit in Cœlum assumpta; Unde negare illud, nequit esse, ac dici hæreticum.

Respondemus ad I. quod Guaguinus intendebat loqui de illis, qui vetusta ætate a Sacra Facultate damnati fuerant, ob negatas Mariæ Virgini prærogativas; non vero de illis, quos recenter damnaverat, & quos in Auditorum memoria pervios esse credebat. Ita erat Morcellus, qui eodem anno damnatus fuerat; adeoque damnationis ipsius omnes, qui in disputatione aderant, recordabantur.

Ad II. Dicitur, quod res illa adeo erat certa & clara apud omnes Sacræ Facultatis Doctores, ut proliziori, & maturiori indagine, non indigeret. Et hoc quidem vel ex Ecclesiæ traditione habebant, vel ex Scriptorum consensu illius saltem ætatis, vel ex totius populi acclamatione, qui graviter offensus ex Morcelli concione, contra ipsum clamare non desistebat.

Ad III. Ipsemet Morcellus, ante damnationem cognoscens errorem suum, illum retractavit priusquam a Sacra Facultate proscriberetur; & ideo retractatio sua notatur facta privatim die 23. Augusti; solemnis Sacræ Facultatis censura narratur edita die 26. ejusdem mensis, & ejusdem anni.

Ad IV. Frassen hæc reponit: „Quartam „ illam propositionem non idcirco damnari ut hæreticam, quod Morcellus negaret Mariam Virginem corpore in „ Cœlum evectam; sed quod doceret, ideo „ nos non teneri sub pœna peccati mortalis id credere, quia non est articulus fidei: plurima enim sunt, quæ inter articulos fidei non censentur, puta servandum esse quadragesimale jejunium, & „ similia innumera, quæ si quis negaret, „ mortalis peccati labem incurreret; ac „ proinde hæreticum esse asserere, posse „ citra peccatum mortale negari id, quod „ inter articulos fidei non censetur.„

Hæc scribentibus nobis, & ad finem quoque Dissertationis ac voluminis properantibus, Illustrissimus, & Reverendissimus Dominus D. Damianus Palau, Archiepiscopus Rheginus, & Metropolita noster amantissimus, misit, ut legeremus electissima Volumina, quæ nuper prælo tradidit Illustrissimus, & Reverendissimus Dominus D. Marcellinus Siuri, Episcopus Cordubensis, in quorum primo attente legimus Dissertationem, quam præ manibus habemus; & quum multa possemus ex illa ad rem nostram exscribere, ne tamen nimii esse videamur, cætera omittimus, & hæc tantum, quæ ad corpoream B. Virginis in Cœlum assumptionis certitudinem faciunt, recitamus; quæ quidem hæc sunt: „Hæc, quæ diximus, occasionem „ præbent, ut disquiramus quem certitudinis gradum obtineat hodie mysterium „ Assumptionis Deiparæ. Episcopus Abulensis Matth. 22. q. 230. loquens de anticipata Deiparæ resurrectione sic censet: „ *Dicendum quod non est necesse hoc tenere,* „ *quia non est de articulis fidei, neque etiam* „ *est aliquid diffinitum per Ecclesiam, ut teneri debeat, ideo licet cuilibet, sicut voluerit, opinari: rationes autem, quæ ad* „ *probandum illius resurrectionem sumuntur,* „ *sunt suasiones quædam, & non convincunt;* „ *& tamen quia communiter tenetur, quod* „ *surrexerit, rationabilius est hoc tenere. Si* „ *quis autem contrarium asserat, non contendimus.* Sentit ergo sententiam de anticipata resurrectione Deiparæ nullum gradum certitudinis obtinere, sed intra terminos contineri dumtaxat cujusdam probabilis opinionis. Cajetanus quoque „ opuscul. de Concept. cap. 1. ait solum pie „ probabiliter teneri Assumptionem corpoream Virginis; ei consentire videtur „ Sotus in 4. dist. 43. qu. 2. art. 1. Enim vero mysterium corporeæ Assumptionis „ Dei-

,, Deiparæ ita esse certum, *ut plano impium sit, ac temerarium hac de re dubitare in grave pientissimorum scandalum*, asserit Didacus Covarruvias Segobiensis Antistes tom. 2. lib. 4. variar. resol. cap. 17. num. 5. Similiter Baronius tom. 1. anno Christi 48. postquam dixerat, sententiam de corporea Assumptione Deiparæ communem esse Patrum, ac universalis Ecclesiæ, subdit: *Perfricatæ mentis, & procacis animi, inditium est, Ecclesiæ universalis usui, & tot Patrum sententiis non acquiescere, & maximam omnium esse temeritatem his omnibus contradicere.* Eidem sententiæ, & censuræ subscribunt Mag. Cano lib. 12. de locis, cap. 11. Medina in 3. par. qu. 27. in exposit. articuli 1. Suarez tom. 2. in 3. par. disp. 21. sect. 2. & multi alii. Joannes de Carthagena tom. 2. de Virgine Deipara lib. 14. homil. 13. §. 3. ait, veritatem de corporea Assumptione B. Virginis ita esse certam, ut eam negare, plane ipsi videatur erroneum, quia pugnat cum omnium Catholicorum sensu, nemine contradicente, seu cum communi Ecclesiæ Catholicæ judicio, quæ Assumptionem Virginis in corpore, solemni ritu colendam omnibus fidelibus proponit & præcipit. Nihil autem re ipsa falsum Ecclesia Catholica, quæ spiritu veritatis regitur, colendum potest præcipere Fidelibus. Addit quod in ritibus Ecclesiasticis, cujus initium non invenitur, ab Apostolis manasse creditur, ut unanimi consensu docent Theologi: Festi autem Assumptionis Virginis in corpore glorioso, certum & constans initium non reperitur: merito igitur ab Apostolis manasse creditur, qui testes illius fuerunt, ut Nicephorus, & alii supra relati, contestantur. Quare concludit non minus certam esse in Ecclesia Catholica Assumptionem Virginis in corpore glorioso, quam sanctificationem ejusdem in utero materno, cui dissentire erroneum judicat propter rationem tactam; illam enim duas veritates de Sanctificatione in utero materno, & de Assumptione in corpore glorioso parificat, quantum ad certitudinem. D. Thomas 3. p. q. 27. art. 1. in corpore. Catharinus lib. 4. contra Cajetanum, & opusc. de Conceptione existimat de fide esse mysterium Assumptionis B. Virginis in corpore resuscitato & glorioso: In idem inclinat Corduba lib. 1. Quæstionarii qu. 17. §. 1. & significat Cantipratanus lib. 2. de apibus, cap. 29. num. 11. Non desunt etiam inter moderniores, qui eidem sententiæ suffragium ferant, nam P. Joannes Baptista Novatus tom. 1. de eminentia Deiparæ, cap. 3. qu. 4. ait Assumptionem Deiparæ *modo ex traditione censeri de fide.* Et P. Joannes Antonius Velasquez lib. 5. de Maria immaculate concepta, dissert. 1. adnot. 1. num. 6. ad fidei dogmata supponit referri plures veritates de B. Virginis dignitate & excellentia, quæ non sunt omnino in Sacris litteris expressæ; uti ipsam nulli unquam veniali peccato fuisse obnoxiam: fuisse in Nativitate Sanctam, atque etiam in gratia confirmatam; itidemque ejus partum doloris, & cujusvis infectionis expertem extitisse; necnon tam corpore, quam anima, fuisse assumptam in Cœlum. Ipse in primis censeo veritatem de corporea Assumptione Deiparæ excedere terminos probabilis opinionis, & gradum obtinere certitudinis. Hoc patet ex adductis in hoc tractatu, nempe ex variis scripturis valde faventibus; ex traditione antiquissima, &, ut putamus, Apostolica, ex tot Patrum authoritate, Ecclesiæ solemni cultu, Theologorum consensione, piorum fidelium sensu, ac pluribus momenti congruentiis: hæc enim omnia simul plusquam probabilem faciunt, & certam demonstrant veritatem corporeæ Assumptionis Deiparæ. Unde opinio Abulensis, & Cajetani a cæteris communiter nec probabilis, nec toleranda, reputatur. Censeo deinde, non esse de fide prædictam veritatem, quia in primis neque testimonia Scripturæ pro illa adducta, sunt ita expressa, ut non valeant aliter exponi; neque traditio talis habetur, qualis exigitur, ut omnimodam inferat certitudinem: deinde nulla unquam accessit definitio authentica illius in Ecclesia: ergo non debet referri inter dogmata fidei catholicæ. Ita tenent communiter Theologi. Censeo tamen veritatem mysterii Assumptionis Deiparæ habere omnem certitudinem infra certitudinem fidei, esseque in eo statu, ut sit proxime de fide definibilis. Moveor eisdem argumentis, quibus idem de veritate mysterii Conceptionis immaculatæ B. Virginis affirmant plures & graves Theologi, eadem enim utrobique militare facile quivis judicabit. Hinc sicut docent graves etiam Theologi, martyrii palmam adepturum, qui pro veritatis Conceptionis immaculatæ defensione mortem subiret; similiter di-

,, cen-

„ cendum censeo de eo, qui pro defenden-
„ da veritate corporeæ Assumptionis, in-
„ terficeretur. Dices: Si mysterium As-
„ sumptionis Deiparæ esset proxime defi-
„ nibile, esset jam a Deo revelatum, quan-
„ vis ejus revelatio non sit proposita nobis
„ ab Ecclesia; vel si non esset jam revela-
„ tum, deberet tamen esse proxime reve-
„ labile: at neutrum potest dici; quia
„ tam quod jam est a Deo revelatum, quam
„ quod est proxime revelabile, est obje-
„ ctum materiale fidei, ac proinde inter
„ fidei articulos referendum: ergo, &c.
„ Respondeo, concessa majore, nego mi-
„ norem, quia in primis revelatum, quod
„ nondum proposuit Ecclesia, non potest
„ a nobis actu fidei credi, deficiente enim
„ propositione revelationis, non potest
„ nobis revelatio innotescere, itaut ei, &
„ propter eam rei revelatæ credamus.
„ Deinde non est certum, quod proxime
„ revelabile, sit objectum proximum fi-
„ dei, nam plures Theologi volunt, illud
„ tantum esse objectum remotum. Juxta
„ mihi tamen probabiliorem aliorum sen-
„ tentiam, ajentium, proxime revelabile
„ esse objectum proximum fidei; dicam
„ esse objectum fidei quoad entitatem,
„ non fidei quoad denominationem; idest
„ assensum erga mysterium proxime diffi-
„ nibile, & proxime revelabile elici re
„ vera ab habitu fidei, sed non denomina-
„ ri actum fidei prout absolute, & com-
„ muniter sumitur hoc nomen *Fides*; nem-
„ pe prout est de his, quæ sunt ab Eccle-
„ sia proposita tanquam de fide, seu tan-
„ quam ab omnibus credenda. „

Hæc eadem tanti facimus, ut iisdem subscribere non dubitemus. Unde calamum retrahentes ab ulterioribus oppositionibus, illum tantum tractamus, ut celeberrimum Doctorem, & subtilissimum Episcopum, debitis laudibus prosequamur. Post quæ illum quoque deponimus, ut dissertationi simul, & volumini, imponamus

F I N E M.

INDEX

VERBORUM, ET RERUM.

A

E

F

G

fue-

O

P

Q

R

Six-

T

V.

stus

F I N I S.

EMINENTISSIMO SIGNORE

GEnnaro Muzio, pubblico Padrone di stampa in questa fedelissima Città, supplicando espose a V.Em. come desidera stampare il quarto Tomo *Della Teologia Scolastica di Monsignor Giuseppe-Maria Perrimezzi Vescovo di Oppido*. In tanto la supplica a volerla rimettere alla solita revisione, che l'averà a grazia ut Deus.

Adm. Rev. Padri F. Joannes Augustinus Britto Ordinis Eremit. S. Augustini S. Theologiæ Regenti revideat, & referat, Neap. 6. Junii 1732.

D. ANTONIUS CASTELL. VIC. GEN.

D. Petr. Marc. Gyptius Can. Dep.

EMINENTISSIME ET REVERENDISSIME DOMINE

PErlecto ex mandato Eminentiæ tuæ quarto volumine dissertationum in Sacram de Deo Scientiam, Authore Illustrissimo, & Reverendissimo Domino Josepho Maria Perrimezzi Episcopo Oppidensi, censeo publici juris esse faciendum, præsertim cum ex eo non modicum rei Theologicæ splendoris, & ornamenti sit accessurum.

Neapoli ex Conventu S. Joannis ad Carbonariam Ordinis Erem. S. Aug. die 18. mensis Julii 1733.

Em. Tuæ

Humillimus, devotissimus, & obsequentissimus Servus

F. Joannes Augustinus Britto.

Attenta supradicta relatione, Imprimatur. Neap. 18. Julii 1733.

D. ANTONIUS CASTELL. VIC. GEN.

D. Petr. Marc. Gyptius Can. Dep.

ECCELLENTISSIMO SIGNORE

GEnnaro Muzio, pubblico Padrone di stampa in questa fedelissima Città, supplicando espone a V. Ecc. come desidera stampare il quarto Tomo *Della Teologia Scholastica di Monsignor Giuseppe-Maria Perrimezzi Vescovo di Oppido*. In tanto la supplica a volerla commettere alla solita revisione, che l'averà a gratia ut Deus.

Rev. Doctor D. Caetanus Mari videat, & in scriptis referat.

ULLOA REG. PISACANE REG. THOMAS REG.
VENTURA REG. CASTELLI REG. PEYRI REG.
PATERNO' REG.

Provisum per S. Excellentiam Neap. die 26. Apr. 1732.

Petrillus.

EXCELLENTISSIME PRINCEPS

LEgi, ut Tuis obtemperarem jussis, Volumen Quartum Selectarum in Dei Scientiam Dissertationum: multa in eo Illustrissimus, ac Reverendissimus Author Fr. Joseph Maria Perrimezzi Episcopus Oppidensis, doctè non solùm, sed & curiosè quærit de Christi præsertim Mysteriis, rebusque ab eo sanctissimè gestis, quorum cognitio, cum religiosa animos imbuit sapientia, tum jucundissima complet, ac reficit voluptate; Cæsaris verò nihil prorsùs infringit jura: undè typis mandari posse censeo. Neap. D. A. 6. Jun. 1733.

Exc. Tuæ

Humillimus, & Obsequentissimus famulus

Cajetanus Mari.

Attenta supradicta relatione, imprimatur, & in publicatione servetur Reg. Pragm.

ULLOA REG. PISACANE REG. THOMAS REG.
VENTURA REG. CASTELLI REG. PEYRI REG.
PATERNO' REG.

Provisum per S. Excellentiam Neap. die 9. Junii 1733.

Petrillus.